image
not
available

P. M. F. BARTHOLOMÆI DE LOS RIOS

HIERARCHIA MARIANA

AD

PHILIPPVM IV.

HISPANIARVM

ET

INDIARVM

REGEM.

PHILIPPO IV.
HISPANIARVM
ET
INDIARVM
REGI.

VT ſacroſanctis aris, ita auguſtiſsimis Tuis pedibus, cum religioſo honore proſtratus, MARIANAM hanc HIERARCHIAM, Maieſtati Tuæ, quæ Deo proxima, offero, REGVM POTENTISSIME; Pietati Tuæ, ita ſpero, munus non ingratum, licet futuri fortè, qui primâ fronte ſecùs ſentient. Vbi enim compedes, aliáque eiuſdem ordinis audient; neque verborum lenociniis, neque ſententiarum floſculis, tenerioris ſenſus aures ſuas demulceri videbunt; ſtatim illud traducent, & quaſi rem ab ergaſtulo petitam proclamabunt. Abs quorum faſtu & veſano præiudicio liberabit nos,

partim illa quæ ſupra vniuerſos Angelorum choros fuit eleuata, ſimul ac reſpexit Deus HVMILITATEM ANCILLÆ SVÆ; partim facti Tui ratio pænè diuina, qui Tibi magno honori ducis compedes gerere, & mancipium illius eſſe & dici, quæ immortalis cælorum terrarúmque Regina eſt. Et hic per æterna Maiorum Tuorum veſtigia eunti ritus Tibi proprius eſſe debebat: ab iis enim ortus es, in quibus incredibilis erga Dei Matrem ardor & pietas ſemper refulſit: qui ſicut ſui æui miraculum fuerunt, ita poſteris egregium virtutum omnium exemplum futuri ſunt. Et ne Auguſtiſſimos eorum cineres, quos beata immortalitas iam habet, hîc excitem; certè huius pietatis & ſubmiſſionis in Deiparam ſemina à ſanctiſſimæ memoriæ Parente Tuâ olim cum primâ purpurâ hauſiſti, ſicut ab eâdem ſacras haſce compedes induiſti. Scis etiam vt tenerrimè Immaculatam Virginem ELISABETHA CLARA EVGENIA, nuper Belgarum Princeps ac delicium, deperierit; vt ſacras, in eius honorem & obſequium, haſce compedes, ante omnes etiam ſubditos, geſtarit: quam innumeri Heroës

ac Dynaſtæ in omni orbe Chriſtiano, maximè verò in hoc Belgio, ſtatim ad ipſius exemplum ſecuti ſunt; noménque ad Intemeratæ VIRGINIS DE BONO SVCCESSV Imaginem (quæ in templo Beatiſſimi Patris AVGVSTINI hîc Bruxellæ magno populi confluxu colitur, quámque eadem Princeps Sereniſſima, vt iſtam Mancipiorum Sodalitatem ſub eiuſdem Virginis auſpiciis hîc inſtituerem, dono mihi donauit) pio eiuſmodi Sodalitio dederunt. Quod, Superis fauentibus, cùm latiùs indies incrementum faceret, non ſemel à Sereniſſimâ MARGARETA, Imperatoris MAXIMILIANI filiâ, ſicut ab Religioſiſſimâ ELISABETHA Amitâ Tuâ, monitus fui, vt Tibi, aliiſque Auſtriaci ſanguinis Nepotibus ſuis, rationem ſeruitutis huius MARIANÆ ac regulas perſcriberem: præclarè mihi futurum dicentes, ſi iiſdem ſacris vinculis orbem, quà patet, vniuerſum includere poſſem. Validiſſimum imperandi genus erat, cùm monerent eæ, quæ poterant iubere. Diu tamen multúmque prouinciam hanc, quà potui, ſubterfugere ſtudui, religioni ducens rem attentare meis, vt verè credebam, viribus

maio-

maiorem. Donec animum tandem ad id tentandum aſſumpſi, variíſque ſtudiis & curis expletis, quæ non ſemel à Tuâ Maieſtate mihi creditæ ſunt, totum me ad hanc Spartam exornandam,& laborem Cæleſtium Reginæ impendendum, contuli. Quare Tibi, & in Te Deiparæ, Eccleſiæ,Religioni obſequi cupidus, quidquid à ſacris Concionibus, quibus Tuo fauore hîc incumbo in Aulâ Sereniſſimi fratris Tui FERDINANDI (quem Superi in generis humani delicias, & certam Belgij ſalutem ſeruaſſe videntur) otij nanciſci potui, id libens & ex merito huic rei impendi; vt Tibi, qui Tuorum (quos inter glorior me humillimum & addictiſſimum eſſe) proſperitas, Eccleſiæ baſis, orbis denique vniuerſi ornamentum es, actutùm parêrem. Quibus curis, ego Te, REGVM SAPIENTISSIME, mactum eſſe iuberem, niſi pietas illa, aliæque virtutes Tuæ, vt Atlantis vertex ſupra hæc inferiora, ita ſupra calamum vocémque meam eſſent. Tantùm dicam: Strenuè æternùm age quod agis, & honori B.MARIÆ ampliando animis opibúſque incumbe; Téque, Tuámque purpuram & diadema-

demata, quæ pænè innumera habes, ei (vt hactenus fecisti) libens & hilaris semper submitte; fiésque, vt reuerà es, de humili Virginis mancipio, longè regnantium omnium maximus; eris (quod multò amplius) pro impensis eiusmodi obsequiis Magnæ Parenti gratissimus Filius. Imò iam esse an non satis orbis perspexit? an nescit quàm Tuis votis illa benigna, quàm Tuis armis propitia sit? Quid enim illæ ab vno alteróve anno, ne priora tangam, in variis mundi partibus, nec nisi è cælo partæ adoreæ clamant, nisi Te, Tuáque omnia, Potentissimæ rerum omnium Dominæ singulariter curæ & cordi esse? Illa Regiam Tuam cæsariem lauro multoties coronauit. Illa augustas manus Tuas palmis, quas in Belgio, Italiâ, Indiis, atque ipsâ Hispaniâ messuit, sæpissimè insigniuit. Illa vrbes quinque, in quibus plures opulentissimæ periclitabantur Prouinciæ, cæsis, captis, ac fœdè demersis, qui oppugnabant, hostibus, nuper non sine præsenti patrocinio liberauit. Illa Tibi Calloam in Flandriâ, vnáque Flandriam & Brabantiam in Calloâ, sæculis omnibus inauditâ Fratris Tui virtute & felici-

tate, restituit. Illa Audomaropolim, maximis Francorum circumcinctam viribus, rursúmque Flandriam, regionem florentissimam, ab ipsis quasi leti faucibus eripuit. Illa Geldriam, aduolante illuc eodem semper inuicto & semper laureato Fratre Tuo, obsidione soluit. Illa S. Saluatoris in Brasiliâ, Fontarabiam in Cantabriâ, illam terrâ maríque arctissimè pressam, hanc tormentorum fulminibus pænè euersam, turpi hostium clade & fugâ nobilitauit. Illa Salsas in Hispaniâ, Carolomontium in Hannoniâ, euerso funditùs templo, cui puluis nitratus inerat, stante ad ripam Mosæ eiusdem vindicis Tuæ integrâ & intactâ statuâ, Tibi etiam integrum & intactum reseruauit. Illa tibi Hulstum & Brugas, oppida in Flandriâ, illud munitissimum, hoc longè celeberrimum; illa Geldriam à Batauis vallo, fossâ, aggere denuò hoc ipso anno circumcinctam, liberauit. Vt omittam nuper Classem Indicam (cui omnes Tui imperij, omnes Ecclesiæ hostes auidissimè inhiabant) anteà verò etiam Bremium, Vercellas & Taurinum viribus, vt aiebant, humanis inexpugnabiles, eâdem duce & præside, per Tuos

Exer-

Exercitus ita interceptas, vt in his plerisque illam ipsam, quæ auras præcedere solet, famam feceris tardiorem.

Stetisti, REGVM INVICTISSIME, tot hostibus cinctus, sub MARIANO clypeo, plusquam Achilles sub Palladis ægide, impenetrabilis; plusquam Hercules, insuperabilis. Potuerunt Tui rebelles, potuerunt Regnorum Tuorum æmuli, vt stolidus ille Rex, multitudine telorum diem obscurare; sagittam in Te, ceu alterum solem, immittere non potuerunt. Inuulnerabile est non quod feritur, sed quod non læditur, ait Seneca. Hoc illa Tibi præstitit, cuius mancipium in altissimâ illâ Tuâ fortunâ haberi gloriaris. Perge porrò, REGVM OPTIME, in hac piâ & religiosâ palæstrâ: &, sicut athletæ in stadio assiduè oculos ad metam & brauium intendunt; ita mentem, animum, sensúsque Tuos omnes ad MARIANVM hoc iubar numquam non conuerte. Hoc vtique facies semper: id enim diuina Tua indoles promittit; id Nestor ille Tuus, Oliuarum Comes-Dux etiam spondet, qui ingenitam Tibi auitæ religionis curam & reuerentiam,

tiam, atque ab optimo Parente Tuo acceptam pietatem (quam in publicâ Immaculatæ Conceptæ Virginis ſolemnitate ſatis ſupérque oſtendit) vti & à Prudentiſſimo Auo Tuo prudentiam conſiliis ſuis firmat. Finio, REX MAGNE, ſuppléxque peto, vti benigno, ſi placet, oculo hoſce perexiguos clientum Tuorum infimi conatus digneris aſpicere. Famam, ſplendorem, vitam, ſi quam habituri ſunt, à Tuâ Magnitudine exſpectant; Tu, quod ex facili potes, eis ne denega, MARIANAMque hanc, & verè immortalem,

ſine tempora circum
Inter victrices hederam Tibi ſerpere lauros.

SACRÆ CATHOLICÆ MAIESTATI TVÆ

deuotiſſimus

Fr. Bartholomæus de los Rios.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

QVI *pulcherrimo epitheto* negotium sæculorum, *ante aliquot sæcula, Virginem Deiparam nominauit S. Bernardus, breui sermone quid tot annorum millibus quæ ante nos fluxerunt actum sit, quid agetur sequentibus, indicauit. Egerunt nimirum, agentq́, suum sæcula negotium: quod cùm ipse* MARIAM *Virginem esse definiuerit; quasi non actum, aut frustrà actum reputandum, quidquid de ipsâ aut propter ipsam non fuerit transactum. Probarem id per singulas hominum ætates, si non potiùs quid ego hoc Opere agam, quàm quod alij egerint, foret in Proœmio declarandum. Id ergo me agere dico, quod omnes hactenus, qui benè suam locarunt operam, egerunt. Virginis, inquam, Deiparæ laudes,* MARIÆ *Matris Dei præconia, indigno ore, inferiore calamo, imparibus viribus, vel ideò attingo, vt re ipsâ ostendam, negotium illud, quod omnibus sæculis agitur, nondum esse peractum: nec licere adhuc cessare ab opere aut studio noua præconia & noua obsequia* MARIÆ *impendendi; cùm hactenus pro negotij magnitudine omnibus omnium studiis parum sit perfectum. Quare non est quòd operosè ingenij mediocritatem, virium imbecillitatem, facultatum inopiam initio excusem, rationesq́ adducam cur ausus fuerim negotium suscipere, cui non imparem tantùm, sed prorsus ineptum me esse cognoscerem. Scio enim, neminem, quantumcumque non tantùm iis facultatibus præditum quæ ad benè dicendum valent, sed etiam iis*

quæ rectè viuendo eminentißimæ Virginis laudes deprædicant, vmquam exstitisse, qui se dignum aliquid tantâ Maiestate attulisse dicere poßit. Et fuerunt tamen Sancti Augustini, Damasceni, Ildefonsi, Bernardi, Bonauenturæ, totq; alia ingenij, sapientiæ, virtutis miracula, qui singulari studio elaborarunt, vt excogitare possent vel pares tantæ sanctitati laudes, vel digna tali Maiestate obsequia: de quibus ego haud temerè pronuntiare audeo, quod singuli de se ipsi fatentur, omnia quæ dixerunt, omnia quæ fecerunt, ita longè abesse ab eo quod Virginis meretur sublimitas, vt veniâ nullâ ratione foret dignus, si quis se putaret adæquasse. Operæ pretium est vnum eorum, S. Bernardum de se atque de aliis confitentem, in medium proferre. Serm. 2. *de* Salue Regina *sic ait:* Viri diuitiarum multi de ciuitate Domini virtutum miserunt manus suas ad hæc fortia, & tamen altitudinem diuitiarum harum ad liquidum comprehendere non potuerunt, quia inuestigabiles viæ istæ, & inscrutabilia vniuersa. Conati sunt, & non datum est vltrà. Dum adhuc ordirentur, succisi sunt. Quis enim loquetur potentias has Domini, auditas faciet omnes laudes eius? *etsi dignè nullus, quisque tamen pro viribus:*

Pro se quisque viri summâ certabat opum vi,

vt ait quis. Denique currebant omnes in odorem vnguentorum tuorum. *Quid ergo, inquis, post tot insignes Virginis encomiastas, quos omnes tantò inferiores esse fateris eius laudibus, quantò te ingenio & laudandi facultate superarunt, tu speras adferre quod non obscuret potiùs splendorem gratiarum virtutumq; eius, quàm eam dicendo illustret? Audi verò quisquis hoc vel zelo bono, vel, quod absit, carpendi studio proponis: audi, inquam, meum de* excellentiâ Matris Dei *iudicium, vt inde poßis scriptionis huius finem colligere. Ego namque sic existimo, Virginem Deiparam tantum esse luci isti inaccessibili, quæ est & in quâ sunt omnia, immersam, quantum nos nihileitatis tenebris inhæremus; ita prorsus,*

ſus, vt quàm parum nos à nihilo recedimus, tam illa propè abſit à diuinitate. Licet enim infinitum quoddam inter vtrumque interiaceat ſpatium; ea tamen eſt proportio, vt non ſecùs ac neceſſarium eſt hominem qui vilitatis ſuæ aliqualem percipere cupit cognitionem, in nihileitatis quamdam abyſſum deſcendere, atque inde (licet ſit aliquid, cùm per ſe ſit nihil) menſuram accipere vilitatis atque abiectionis ſuæ; ita etiam neceſſe ſit Virginis ſublimitatem concipere deſideranti ad iſtam alteram diuinæ infinitatis abyſſum conſcendere, vt inde, licet non ſit Deus Virgo Deipara, diuinarum eius excellentiarum menſuram capiat. Quemadmodum autem nemo ſeſe vmquam ſatis coram diuinâ Maieſtate humiliauit, quòd numquam ſatis concipere poſſit quid ſit nihil eſſe, quod tamen, vt diximus (licet iam inde diuinâ liberalitate infinitùm diſtet) concipi debet, vt vilitatem ſuam concipiat: ita etiam nullus vmquam ſatis dignam habuit de Virgine Deiparâ cogitationem; quia numquam ſatis concipi poteſt quid ſit Deus: quem tamen neceſſe eſt prorſus comprehendere, vt, quanta ſit dignitatis Mater Dei, intelligatur. Hic erat ſancti Patris noſtri Auguſtini ſenſus, quando deuotiſſimè Virginem alloquens, negat eam ipſam ſatis percipere quanta ſit: hoc ergo de infinitate participat Virginis MARIÆ *dignitas, vt nulla creata menſura reperiri poſſit quæ eam dimetiatur, nullæ laudes excogitari quæ eam dignè deprædicent; cùm ipſa, quæ omnibus creatis eſt præſtantior, non ſufficiat ad ſe, prout oportet, cognoſcendam. Quo poſito, mirabilis infertur ad praxim concluſio, non vt omnes abſtineant ab eâ deprædicandâ, tamquam operam perdituri; ſed vt omnes omnia conentur, quia nullius fruſtrà erit labor, quantumcumque exiguum conferat, ideò quia infinitum eſt quod laudatur. Contrà, ſi dignè laudari poſſet Deipara, indignum fortè eſſet eos id conari, qui æquare non valerent: ſi enim rei finitæ poſcatur menſura, detrahit ei qui minorem porrigit, tamquam ſi illa non vlteriùs ſe extendat. At infinita magnitudo cùm aliter menſurari*

rari

rari nequeat, quàm finitis mensuris, quantascumque potes adiiciendo magnitudines, vt cùm maximam conceperis, tum id pronunties, totum quod conceptum est vix puncti implere proportionem, collatum ad illam quam concipere non possis infinitatem. fit vt is qui posita ab aliis magnitudini vel minimum adiicit, vnde distinctiùs maior concipiatur, quàm anteà soleat intelligi, verè aliquid contulerit ad infinitatem, quæ mensurari non potest, quasi ampliorem & maiorem concipiendam, quandoquidem mensuram illam auxit, quæ respectu eius adhibetur vt puncti vnius vicem expleat. Ita prorsus in laudibus Virginis Deiparæ Dominæ nostræ cùm fiat, fateor ego ita præclarè eas à sanctitate & doctrinâ præstantibus viris pertractatas fuisse; vt non minoris temeritatis esse putem sperare eos superari posse, quàm stultitiæ sibi persuadere, eos infinitum laudum MARIANARVM *Oceanum exhausisse. Si verò non exhauserint, non hoc requiritur, vt maiora aut meliora ipsis dicamus, ne frustrà laboremus; sed hoc solum vt dictis & scriptis illorum vel tantillum adiiciamus, vt mensura ex omnibus Angelorum, Sanctorum & Doctorum laudibus constituta, hac quali quali inutilis Mancipij* MARIANI *opellâ excrescat, ad quam cùm omnibus sæculis omnes Dei famuli, quà viuendo, quà scribendo, suum contulerint symbolum, paulatim excreuit, excrescetq; deinceps in magnitudinem eximiam: de quâ totâ simul in vnum collectâ fatendum est, quòd ne puncti quidem adimpleat proportionem ad eam Virginis æstimationem, quam magnitudini eius parem Deus de ipsâ concepit.*

Sed iam non multis morabor pietatem tuam, beneuole Lector, qui properas cæli terræq; Dominam quasi in throno maiestatis suæ residentem in hoc Opere cognoscere, & per humilem Mancipatum, Hierarchicum eius Imperium agnoscere: tantùm quid tituli Operi præfixerim, quid in eius partitione propositum habuerim, verbo dicam; vt tu verbis omnibus potentiori affectu, & actu solemni qui sit

omni

omni oratione vocalior, te profitearis tantæ Imperatricis mancipium. Librum inscribo HIERARCHIAM MARIANAM, *quia de eâ Imperij* MARIANI *excellentiâ ago, quæ Virginem constituat supra puras creaturas omnes, in statu quodam perfecto, atque Hierarchiâ particulari: ex quo consequens est, ei particulare deberi à nobis obsequium. Ago itaque Libro primo de Imperij Deiparæ eminentiâ, ac titulos adfero, cur ei debeatur tale in creata omnia dominium; quod nos homines, Angelosq́ue ac dæmones constituat eius mancipia. Libro secundo istius pietatis originem indago, quâ se quidam, propter singulare Virginis Imperium, profitentur eius mancipia, gestantq́ue in mancipatus sui argumentum externa quædam indicia: ac Sodalitatis hoc nomine institutæ originem propagationemq́ue explano, eamq́ue contra calumnias & obiectiones defendo: atque hîc quædam ex occasione dicuntur de miraculosâ Imagine* B. MARIÆ *Virginis, quæ de Bono successu dicitur, collocatâ in Conuentu sancti Augustini Bruxellis; Virginis de Remediis, post fœdam illam Francorum & Batauorum impiorum iconoclastarum anno* M.DC.XXXV. *cladem Thenis; & de Victoriâ, post stupendam Serenißimi Principis Ferdinandi Austriaci Hispaniarum Infantis victoriam, in Ecclesiâ Parochiali Calloæ, collocatis. Succedit Liber tertius, qui publica est adhortatio ad suscipiendum hunc Virginis Deiparæ Mancipatum, cùm eius dignitatem, vtilitatem, atque suauitatem proponat. Quarto præscribo Mancipiorum officium, traditis & explicatis Sodalitatis legibus. Quinto nouem pietatis exercitia aßigno, iis propria qui Hierarchicum Deiparæ Imperium volunt piâ Mancipatus profeßione colere. Sexto denique, de venerando* MARIÆ *nomine ago. Quæ materia quomodo ad Hierarchiam pertineat, in Præfatione istius Libri quære. Hæc Operis materia. Nunc verò duo rogatum te velim, quisquis illud lectione tuâ dignaberis. Primum, vti finem eumdem tibi præfigas legenti, qui mihi scribenti fuit propositus:*

 vt

ut nimirum agnoscas in Virgine summum istud in creata omnia Imperium. Alterum verò, quod te, beneuole Lector, rogaturus venio, est, ut in hoc Hierarchiæ, ut ita dicam, limine tantisper morari ne graueris, dum pauca MARIANÆ *benignitatis & potentiæ, si non miracula, mira saltem testimonia, quæ vel ipse vidi, vel expertus sum, subiunxero: quæ ob caussas varias in Operis huius contextu sunt prætermissa, & tamen æternæ obliuionis tenebris inuoluere mihi meritò ducerem religioni. Primùm itaque sic habe. Dum celeberrima* B. MARIÆ *de Bono successu statua (de quâ latiùs lib.* II. *cap.* XI. *& sequentibus agetur) à Serenißimâ Elisabethâ gloriosæ memoriæ mihi data, in huius Monasterij nostri Bruxellensis templo Catholicorum cultui & pietati primùm exposita esset, mulier quædam Bruxellensis, cui nomen Maria Vleminck, hîc* MARIANAM *benignitatem primò experta est: huic enim erat filius, Joannes nomine, duodennis circiter, contractis neruis ita claudus, ut ne spes quidem sanitatis Medicorum arbitrio superesset. ab humano itaque auxilio ad diuinum conuersa, pro filij sui sanitate afflicta mater, Dei Matri nouem continuis diebus statuam hanc se inuisuram & coram hac Deiparæ preces fusuram, voto se obstrinxit: &, quod piè vouerat, iustè persoluere aggressa, dies iam aliquot quotidie* B. MARIAM *de Bono successu sine successu (ut ipsa quidem existimabat) rogauerat; cùm ecce domum redeunti filius sanitati integræ restitutus occurrit, & matrem & vicinos & nos omnes inopinato & bono incessu suo,* B. MARIÆ *de Bono successu potentiam & clementiam docuit. Hæc Bruxellis. De frequentißimâ verò Thenensium pietate, quâ* B. MARIAM *de Remediis non sine utilitate & in malis suis præsentißimo remedio colunt, nihil scribo, cùm in Phœnice nostro Thenensi satis deprædicetur. Ad tertiam denique* B. MARIÆ *statuam tantisper te deducam, dum duo memoratu digna quàm possum breuißimè narrauero: quæ ambo eo ipso die, quo celeberrima* B. MARIÆ *de Victoriâ statua Calloam deferebatur,*

coni-

contigère. Primum; femina quædam Antuerpienſis, nomine Iſabella de Bergis, annis iam aliquot non eneruis modò & elumbis, ſed & leproſa iacuerat, morbi pertinaciâ Medicorum artem ſuperante, donec me inſignem ſtatuam Calloam delaturum inaudiuit: hîc ægra ſpem concipere, & tantis in doloribus cauſſæ noſtræ lætitiæ preces & vota facere. inde ad amicos conuerſa rogat ad aggerem, quò Supplicatio erat tranſitura, deferri. Defertur ægra iam ſpe ſana: tandem ſanctiſſimæ MARIÆ *de Victoriâ ſtatuam aſpicit,* MARIAM *inuocat, & exauditur. Eo enim momento quo ſtatua coram ipsâ transfertur, lepra viſibiliter ſiccari, totius corporis dolor remitti incipit; tandem breuî pòſt, nullo alio medicamento adhibito, ſanitati integrè reſtituta eſt. Alterum verò, cùm mihi contigerit, in ipſo Operis contextu ſponte prætermiſi, & æterno ſilentio inuoluendum exiſtimabam: ſed aliorum conſilio, imò Superiorum imperio adductus, rem, quemadmodum contigit, ad maiorem* B. MARIÆ, *quæ ſæpè etiam beneficia in nihil tale merentes confert, candidè narrabo. Hoc eodem die, quo dicta ſtatua Calloam deferebatur, & iam Supplicatio ex arce* S. MARIÆ *egreſſa fuiſſet, hiſce, quibus hæc ſcribo, manibus vexilla Sodalitatis noſtræ Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo Gandenſi, aliiſq́; primariis primò, vulgo deinde diſtribuebam: ſed; vt fieri ſolet, quòd vulgus magis impetu rapiatur, quàm conſideratione ducatur, magna hominum multitudo ex accliuo aggeris, pio quidem impetu, ita ad me feſtinauit, vt vno alium trudente ingens decidentium moles in me (qui tum inferiori, quo Supplicatio procedebat, ſtabam loco) inciderit, & in terram deiecerit; deiectumq́; me, &* Aue MARIA *identidem inclamantem, tanta lapſorum copia premebat: qui ſurgere deinde nitentes, ita me (neſcientes quidem) premebant, feriebant, conculcabant, vt meritò vnuſquiſque iam contritum & mortuum ingeminaret; donec tandem piorum aliquorum operâ ſubleuatus, cum meâ omniumq́; admiratione ſanus, imò quàm antè validior, in pedes ſubſtiti,*

 meoq́;

meoq; tanto in periculo (vbi ne minimum quidem doloris ſenſi) opprimi non poſſe didici qui Virginem hanc protectricem inuocat. Alia verò admiratione digniſsima miracula, quæ hoc triumphali die contigêre, latiùs inuenies deſcripta lib. II. *fol.* 166. *Ex quibus ſummum in res creatas* MARIÆ *imperium, quemadmodum clariſsimè agnoſcis, agnitum humili Mancipatus profeſsione cole: quod ſi feceris, non ego tam valetudinem tibi bonam, cum veteribus Latinis, in extremâ Epiſtolâ precabor, quàm æternam ſalutem cum veraciſſimis Theologis ſpondebo. Vale & ſaluare, & hiſce laboribus meis felix vtere & fruere; & mihi, cùm diem meum properantem obiero, æternam requiem precare.*

INDVLGENTIÆ *concessæ à Sanctissimo Domino Nostro* VRBANO VIII. *Sodalitati erectæ in Conuentu Sancti Patris Nostri* AVGVSTINI *Bruxellis, sub titulo Mancipiorum, seu Captiuorum* B. MARIÆ *Virginis.*

VRBANVS PAPA VIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

CVM, sicut accepimus, in Ecclesiâ Domus Fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini, oppidi Bruxellensis, Mechliniensis Diœcesis, vna pia & deuota vtriusque sexus Christi fidelium Confraternitas sub denominatione Captiuorum B. MARIAE Virginis, non tamen pro hominibus vnius specialis artis canonicè instituta existat, cuius Confratres & Consorores quàm plurima pietatis & charitatis opera exercere consueuerint: Nos, vt Confraternitas præfata maiora indies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi; omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam Confraternitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè pœnitentes & confessi sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam; nec non tam eisdem, & pro tempore describendis, quàm iam descriptis in dictâ Confraternitate Confratribus & Consororibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si verè pœnitentes & confessi, ac sacrâ Communione refecti, vel quatenus id facere nequiuerint, saltem contriti nomen IESV ore, si potuerint; sin autem, corde deuotè inuocauerint, etiam plenariam: ac eisdem nunc, & pro tempore existentibus Confratribus & Consororibus, etiam verè pœnitentibus & confessis, ac eâdem sacrâ Communione refectis, qui præfatæ Confraternitatis Ecclesiam, vel Capellam, seu Oratorium, die Festo Exspectationis partus beatæ MARIAE Virginis, à primis Vesperis vsque ad occasum

ſolis diei huiuſmodi ſingulis annis deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordiâ, hæreſum exſtirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper dictis Confratribus & Conſororibus, & verè pœnitentibus & confeſſis, ac dictâ ſacrâ Communione refectis, Eccleſiam vel Capellam, ſeu Oratorium huiuſmodi in Natiuitatis Domini, ac Viſitationis eiuſdem B. MARIAE Virginis, ac ſancti Thomæ Apoſtoli feſtis, nec non Feriâ quintâ in Cœnâ Domini, diebus, vt prædicitur, viſitantibus, & ibidem orantibus, quo die præfatorum id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas. Quoties verò Miſſis & aliis diuinis Officiis in dictâ Eccleſiâ vel Capellâ, ſeu Oratorio, pro tempore celebrandis & recitandis, ſeu Congregationibus publicis vel priuatis eiuſdem Confraternitatis vbiuis faciendis interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, ſeu componi fecerint vel procurauerint; nec non etiam qui corpora defunctorum tam Confratrum & Conſororum dictæ Confraternitatis, quàm aliorum ad ſepulturam aſſociauerint, aut quaſcumque Proceſſiones de licentiâ Ordinarij faciendas, ſanctiſſimumq; Euchariſtiæ Sacramentum tam in Proceſſionibus, quàm cùm ad infirmos, aut aliàs vbicumque & quomodocumque pro tempore defertur, comitati fuerint, aut ſi impediti, campanæ ad id ſigno dato ſemel Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem & Salutationem præfatas pro animabus defunctorum Confratrum & Conſororum dictæ Confraternitatis recitauerint, aut peccatorem aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes Dei præcepta & ea quæ ad ſalutem ſunt docuerint, aut aliud quodcumque pietatis vel charitatis opus exercuerint; toties pro quolibet præfatorum operum ſexaginta dies de iniunctis eis ſeu aliis quomodolibet debitis pœnitentiis in formâ Eccleſiæ conſuetâ relaxamus: Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem,

autem, quòd, si aliàs dictis Confratribus & Consororibus præmissa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duratura, per Nos concessa fuerit, præsentes nullæ sint; vtque etiam, si dicta Confraternitas alicui Archi-confraternitati aggregata iam sit, vel quauis aliâ ratione vniatur, seu etiam quomodolibet instituatur, priores & quæuis litteræ Apostolicæ illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullæ sint. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die xx. Iunij M. DC. XXXI. Pontificatus nostri anno octauo.

M. A. Maraldus.

Eædem Indulgentiæ anno M. DC. XXXVII. *concessæ sunt ab eodem Sanctissimo Domino Nostro aliis nouemdecim Conuentibus* S. P. N. AVGVSTINI, *vt patet ex Bullis Romæ datis.*

INDVLGENTIÆ *concessæ Ecclesiæ* CALLOANÆ.

VRBANVS PAPA VIII.

VNIVERSIS Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem. Ad augendum fidelium religionem, & animarum salutem, cælestibus Ecclesiæ thesauris piâ charitate intenti, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, ac sacrâ Communione refectis, qui Ecclesiam Parochialem loci de Calloo Gandauensis Diœcesis, & in eâ situm altare beatæ MARIÆ Virginis, die Natiuitatis B. MARIÆ Virginis à primis Vesperis vsque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis deuotè visitauerint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum exstirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus: præsenti-

ſentibus ad ſeptennium tantùm valituris. Volumus autem, vt ſi aliàs Chriſti fidelibus dictam Eccleſiam viſitantibus aliquam Indulgentiam perpetuò vel ad tempus nondum elapſum duraturam conceſſerimus, quodque ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium, aliquid vel minimum detur, aut etiam ſponte oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris, die xxx. Iulij M.DC.XXXVIII. Pontificatus noſtri anno decimoquinto.

M. A. Maraldus.

Bullis Pontificiis, Magnorum Antiſtitum de inſtitutione Sodalitatis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ *Mancipiorum, ſententias ſubiungo. Prima eſt Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Mechlinienſis: qui non tantùm Belgis, ſed quibuſcumque, quod ſciam, extra Hiſpaniam Europæis Eccleſiæ Principibus præluxit facem, vt confidenter luce ſuâ* MARIÆ *Virginis illuſtrarent Mancipatum.*

IACOBVS, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopus Mechlinienſis, vniuerſis & ſingulis præſentes litteras viſuris, ſalutem in Domino. Notum facimus, anno Domini M.DC.XXVI. die XII. menſis Auguſti, in Conuentu Patrum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini ciuitatis Bruxellenſis, Diœceſis noſtræ Mechlinienſis, auctoritate noſtrâ ordinariâ, Reuerendum admodum in Chriſto Patrem Bartholomæum de los Rios, præfati Ordinis, S. Theologiæ Magiſtrum, Prædicatorem Sereniſſimæ Principis Iſabellæ Hiſpaniarum Infantis, &c. inſtituiſſe Sodalitatem Chriſti fidelium vtriuſque ſexus ſub inuocatione ſacratiſſimi nominis MARIÆ, & titulo atque nomine Mancipiorum eiuſdem ſacratiſſimi nominis. Quæ quidem Sodalitas in hac Diœceſi noſtrâ prima fuit huius nominis ac tituli: nec nobis innotuit etiam alibi in Belgio aliam vllam ante hanc iſtius tituli & ſpecifici nominis erectam fuiſſe: adeò quòd inde abundantiores gratias & Indulgentias à liberali diſpenſatione theſauri Eccleſiæ Sanctiſ-

ſimo

ſimo Domino Noſtro commiſsâ exſpectare poſſe videatur. In cuius rei fidem præſentibus ſubſcripſimus, eaſdemque ſigilli noſtri minoris ſubimpreſſione muniri curauimus. Bruxellæ XIV. Decembris M. DC. XXX.

Iacobus, Archiepiſcopus Mechlinienſis.

Approbatio Reuerendiſsimi Domini PAVLI BOVDOT, *Epiſcopi Atrebatenſis, data pro Epiſcopatu S. Audomari, anno* M. DC. XXVI. *& confirmata pro Epiſcopatu Atrebatenſi, anno* M. DC. XXVIII.

CVM ad manus noſtras deueniſſet libellus, cuius inſcriptio eſt, *Mancipium* MARIÆ; & poſtularetur, vt illum approbaremus, ac permitteremus typis excudi, & publici iuris fieri in noſtrâ Diœceſi; nos illum diligenter legimus, ac examinauimus. Et quoniam animaduertimus, cognouimuſque illum eſſe perquàm vtilem ad excitandam in quolibet peculiarem deuotionem erga glorioſam Virginem, Dei Matrem (cuius cultui ac venerationi impensè addicti ſumus, & in illam ſingulari zelo ferimur, deſideramuſque, quantum in nobis eſt, honorem illius promouere, ac gloriam eius Filij Domini noſtri) non ſolùm iudicauimus permittendum eſſe, vt imprimatur cum noſtrâ approbatione, verùm etiam conceſſimus & concedimus Indulgentias hîc adiunctas, omnibus vtriuſque ſexus, qui fuerint capaces, & exercitationibus piis, quæ Libello iſto continentur, ſeſe excoluerint. Mandamus inſuper omnibus Decanis, Parochis, Concionatoribus, Confeſſariis, vt ſuis Parochianis, Auditoribus aut Pœnitentibus enixè commendent iſtiuſmodi deuotionis officia. Inducant etiam ſedulò eoſdem ad pietatis prædictæ actus. Quibus infallibiliter conſequentur, vt Domina noſtra omnium illorum ſit futura ſingularis Patrona & Protectrix, & intercedat continuò apud Deum pro incremento virtutum, & ſalute animarum eorumdem.

Indulgentiæ quas concessit Reuerendissimus Episcopus Atrebatensis omnibus suæ Diœcesis hominibus, diuæ Virginis Mancipatum complectentibus.

INDVLGENTIAS quadraginta dierum in die professionis sui Mancipatus; itemque die renouationis eiusdem, sacrâ Communione refectis.

Indulgentias viginti dierum quolibet die, quo Mancipia catenam benedictam gestabunt.

Indulgentias decem dierum, quoties Mancipia recitabunt orationem: *Sancta* MARIA *Mater Dei*, &c.

Approbatio Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini Episcopi Gandauensis, pro Sodalitate Mancipiorum B. MARIÆ *Virginis Calloæ erectâ.*

ANTONIVS TRIEST, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Gandauensis, Comes de Euerghem, vniuersis & singulis præsentes litteras visuris, salutem in Domino. Notum facimus & testamûr nos ad instantiam admodum Reuerendi in Christo Patris Bartholomæi de los Rios, ex Ordine Eremitarum S. Augustini, S. Theologiæ Doctoris, & Serenissimi Principis Cardinalis Infantis Prædicatoris, benedixisse sacram statuam B. Virginis MARIÆ, sub titulo DE VICTORIA; quam præfatus Pater solemniter transferri curauit, & collocari in Ecclesiâ Parochiali de Calloo, partium Wasiæ, dictæ Diœcesis nostræ Gandensis, anno M. DC. XXXVIII. in die Natiuitatis eiusdem intemeratæ Virginis MARIÆ: & in eodem die, in eademque Parochiâ de Calloo auctoritate nostrâ ordinariâ supradictum Patrem instituisse Sodalitatem Mancipiorum Beatissimæ Virginis MARIÆ & sanctissimi nominis eius, sub symbolo *Aue* MARIA: Orationemque in ingressu eiusdem Sodalitatis legendam, Regulas ac Constitutiones à Sodalibus obseruandas, modumque recitandi Rosarium, seu paruulam Coronam, quam vocant duodecim stellarum, nec non benedictiones Rosariorum ac Catena-

rum

rum nobis exhibuisse, in libro quodam ab eodem Patre composito in erectione similis Sodalitatis in oppido Thenensi, inscripto Phœnix Thenensis, contentas. Quæ omnia non solùm laudauimus, & approbauimus; sed nomen etiam nostrum eidem Sodalitati Mancipiorum Calloæ per eumdem Patrem institutæ libenter dedimus. Insuper omnibus Christi fidelibus Ecclesiam de Calloo visitantibus, & ibidem iuxta prædictam imaginem Beatissimæ semperque Virginis MARIÆ, quæ post nuperam dumtaxat Serenissimi Cardinalis Infantis de Batauis reportatam victoriam, vt dictum est, fuit collocata, pro Christianorum Principum concordiâ, hæreseos exstirpatione, & sanctæ Matris exaltatione pias ad Deum preces effuderint; omnibus itidem & singulis qui solemni processioni, in quâ prædicta imago circumfertur, interfuerint, quadraginta Indulgentiarum dies in formâ Ecclesiæ consuetâ concessimus, prout per præsentes concedimus. Sodalibus verò seu Mancipiis obseruantibus vnam de supradictis Regulis viginti dies Indulgentiarum, quo die id fecerint, auctoritate nostrâ ordinariâ in Domino concedimus. In quorum omnium fidem & testimonium præsentes litteras subsignauimus, & sigillo nostro muniri mandauimus. Datum Gandaui, decimasextâ mensis Septembris anni M. DC. XXXVIII.

Antonius Episcopus Gandauensis.

ILLVSTR^MI VIRI

D. LVPI ZAPATA

COMITIS DE WALTER,

ORDINIS MILITARIS D. IACOBI EQVITIS, TOPARCHÆ IN DARACALDE, VIVEROS, BOLLERO, &c. REGIÆ CATHOLICÆ MAIESTATIS ad tractatum PACIS vniuersalis cum absolutâ potestate Legati in HIERARCHIAM MARIANAM Carmen.

INVASIT *mortale genus tam dira phrenesis,*
Vt vera rerum nomina etiam amiserit.
Virtutis falsis ornata coloribus errant,
Sic vitia, virtus crimini ipsa vertitur.
Sanctaq́ libertas, seruilis conditio audit,
Impunitas, sui velut iuris placet.
Talia monstra Pater LOS RIOS *non tulit vltrà,*
In posterumq́ iussit esse liberos.
Mancipia esse docet MARIAE *modò libera, quippe*
Quæ noxiæ non vinciantur compede.
Ignorata diu terris quæ dogmata, tandem
Auctore & assertore te, RIOS, *liquent.*
Altior humanis vicibus MARIANA *renîdet*
Familia, præter pileum, metuens nihil.
Ipsa, sui compos voti, non cogitur vna;
Diuina præter iussa, nihil fieri expetens.
Vtile sed tantùm demonstras vinci ab honesto,
Et MANCIPATVM *dignitate optabilem.*
Nec satis hoc visum est, rationes insuper addis,
Quibus assequi istam gloriam nobis datur.
Sic plenè MARIANA HIERARCHIA *conditur à te,*
Dum nos profanos consecras DOMINÆ SACRÆ.

IN

IN
HIERARCHIAM
MARIANAM

editam ab Eximio & Reuerendo admodum Patre P. M. Fr. BARTHOLOMÆO DE LOS RIOS & ALARCON, S. Theologiæ Doctore Duacensi, Ordinis Eremit. S. AVGVSTINI per Germaniam Inferiorem Definitore, Serenissimi Principis FERDINANDI AVSTRIACI, Hispaniarum Infantis, Concionatore, & Exercitus CATHOLICÆ MAIESTATIS in Belgio Ecclesiaste Generali,

AD LECTOREM
EPIGRAMMA.

NON *hic terrenæ fastigia lubrica sortis,*
Humanæve leges sceptra caduca manus:
Pagina nil Mortale sonans, at conscia Cæli,
REGINÆ *Superûm Iura verenda refert.*
Eloquij sacri RIVVS *Diuinus* ALARCON
Cælestes largo Flumine fundit opes.
Quantum est hoc Regnum, quod Regibus imperat ipsis,
Mancipioq; ligat quod Diadema suo!

C. Geuartius.

IN EAMDEM HIERARCHIAM.

QVIS *mihi det vatis ſuccedant metra Peligni?*
Metra tamen titulis inferiora ſuis.
Quidquid id eſt, pando MARIANO *vela profundo,*
Hæc ſceptro terras & freta vaſta regit.
Inſpice, Lector, Opus; nihil hic niſi grandia cernes:
Quippe poteſtatis Virginis acta refert.
Subiecta, Imperium MARIAE, *tibi pagina monſtrat;*
Cunctaq́, cur Diuam deuenerentur, habet.
Néve roga quid fronte aliâ præ ſe ferat; omnes
Ad Dominæ arbitrium contremuiſſe docet.
Hinc pedicas geſtant, & vincla fatentia cultum,
Vincula diuitijs nobiliora ſuis.
Volue, Sodalitij Libro hoc tractatur origo,
Quo BRVXELLA *potens condecorata viget.*
Succeſſuſq́, boni, meliori nomine gaudet,
Et gaudet meritis, BARTHOLOMÆE, *tuis.*
Per te, THENENSES *coluerunt Virginis aras,*
Battaue, quæ ferro procubuere tuo.
Mira cano, nec vana fides, ſine Virginis vmbrâ
Ipſi hoſtes vinci ſic potuiſſe negant.
Dardana Palladium memoras quid inutile tellus?
Nil tua, cum noſtræ, numina, Matris habent.
Te teſtor, FERNANDE, *cui Victoria ceſſit,*
Dum CALLOA *ſtetit, Virginis auxilio;*
Dum tu Battauicas MARIANO *robore turmas*
Viciſti, quid non vincere Virgo queat?
Quiſquis amas caſto pectus ſuccendier igne,
Et quiſquis Cyprias vis procul eſſe faces:
Perlege, ternus habet Liber hic, quod poſcis, & in te
Mox ſua Virgineus tela vibrabit amor.
Quartum deinde manu, quintumq́, ex ordine verſa,
Verum mancipij munus vterque docet.
Adde quòd & quintus pietatis ſigna nouena
Exhibeat, Matrem queis venerere tuam.

Denique

Denique postremus veneranda elementa MARIÆ
Explicat. ô quantum Virginis imperium!
Et quantus Scriptoris amor, docuere Libelli,
Quos tibi, Virgo Parens, ritè sacrasse patet.
Postq́; MARIÆ aras, numen veneratur Iberum,
Et tua, Rex, curuo poplite sceptra colit.

Ponebat suæ in VIRGINEM pietatis, ac in Eximium D.Patruum gratitudinis, æterniq́ue amoris symbolum,

D. Petrus de los Rios.

IN EAMDEM.

PRÆLVSTRES MARIÆ *titulos, turmisq́; priores*
Aligerûm vittas, capitisq́; insignia sacri,
Et cælo & terris trabeam soliumq́; verendum,
Æthereo pectus perfusi Numine plures,
Nunc, olim, cecinêre viri, quos ignea virtus,
Et doctrina potens mortalibus extulit oris.
Nec fuit in tali visus certamine palmam
Vlli qui vellet dare, qui tentamina primis
(Is studiis ardor) cuperet submittere scriptis.
Censuram superabat amor: reuerentia nulla,
Cui pietas prior est, & habent conamina cælum.
Hos inter, ceu stella, Pater doctissime, fulges,
Intactam, Genio plenus dum cælite, laudas
Vsque Deam, & magni quam nec vaga semita solis,
Nec natura capit, viuis animare figuris
Sic potes, à primo magis vt mirabile mundo
Nil doctæ potuêre manus. Sic acriter instas,
Sic sanctos sequeris, cæli miracula, Patres,
Vt paruo curras his proximus interuallo,
Et calcem iam calce teras, semperq́; sub ipsis

Incum-

Incumbas humeris, & sis velut alter ab illis.
Vnde sacris quidquid prisci panxère tabellis,
Fas mihi sit quæ certa loqui, siue Attica suada,
Siue Tagastæi iubar indelebile cæli,
Ordinis ille ampli fundator, & inclytus auctor,
Mellifluusq́ Senex, torrens opulentia quidquid
Grandis Idelfonsi, quidquid niue scripsit & igne
Seraphicus Doctor, chartisq́ æterna sacrauit
Angelicus Pater, atque alij, quos mensa deorum
Diues alit, totum hoc pulchro molimine transfers,
Docte Pater, plenis ad postuma tempora velis:
Munere cui Diuûm licitùm MARIÆ *æquor arare,*
Et pulchras illic numerò sine carpere gemmas.
Fallor, an & certis fatalia nomina dantur?
Scilicet Oceanus MARIA *est, tu flumen, ab illâ*
Hauris quidquid habes, vt posteà gurgite pleno,
A quo fonte tenes, huic protinus omnia reddas.

F. Michaël Hoyerus Augustinianus, multis annis Scholarum Præfectus.

CALOA
POST STVPENDAM ILLAM SERENISSIMI PRINCIPIS FERDINANDI VICTORIAM S. VIRGINIS MARIÆ TRIVMPHO NOBILITATA,

per Statuam B. MARIÆ DE VICTORIA ibidem triumphali pompâ collocatam à Reu. admodum atque Eximio P. M. F. BARTHOLOMÆO DE LOS RIOS & ALARCON, Ord. Eremit. S. AVGVSTINI, S. Th. D. & Serenissimo Principi Cardinali Infanti à sacris Concionibus; in reparationem honoris Virginei, sacrilegâ combustione statuæ MARIANÆ per Wilhelmi Nassouij filium istic violati:

DESCRIPTA
A FRANCISCO VANDEN ENDEN
MEDICO ANTVERPIANO.

IAM Ducis ignaui probro Caloa Batauis
Cesserat, & latè per Flandrica rura pauorem
Sparserat exitij præsentis pessimus auctor,
Fortunâ nutante, Timor: citò vasa colonus
Componit, vitæque dies iam computat vrbis
Aduaticæ ciuis; nec spes super vlla relicta
Cernitur, humanâ si res libranda staterâ.
Non hæc sola mouent timidum discrimina vulgus;
Ipsi, queis prudens consedit pectore Consus,

Captâ Caloâ omnes omnia extrema timent.

Ipsi militiæ Proceres, dum corde volutant
Singula, vix tantis quæ sit medicina periclis,
Cum dubio statuunt animo: timet omne quod vrbi
Aduaticæ patriæque fauet; timet omnis, Ibero
Qui fidus sceptro, nobis communia carpit
Pabula, fertilibus quæ profert Belgica campis.
At non celsa metus Capitolia scandere cordis
Tunc potuit, FERNANDE, *Tui. Sic liber Olympi*
Vertex, horrifico quamuis concussa fragore
Inferiora sonent, nullius cuspide teli
Tangitur, & nullâ cineres turbantur ab aurâ:
Scilicet humanis excelsior. Omnia Princeps
Dispicit indagatque; nec est ignara pericli
Prouida mens, omni sed inexpugnata timori,
Quippe Deo fidens: etenim iam fama volatu
Attulerat certo, Diuis illata Caloæ
Bella, nec humano satiatam sanguine diram
Barbariem; Diuæ Matris (quis, talia fando,
Temperet à lacrymis?) statuæ subiecta ferebat
Ipsius à nato VVilhelmi incendia. Ductor
Agminis hic VVilhelmus erat, qui sacra secutus
Impia, sacrilegos natum formârat ad ausus.
Audieras, FERNANDE, *scelus; quaque omnibus antè*
Tam facilè obstiterat, subitò est commota tibi mens
Tristitiâ ingenti. Patiar? (vox prima doloris
Ista fuit) patiárne scelus? Priùs ista reuulsa
Corpore mutetur mendicâ purpura lænâ,
Et priùs infament captiuas vincula palmas,
Quàm patiar Diuam violari. Mancipor ipse
Seruitio insigni MARIAE: *Germanus vtrumque*
Imperio Oceanum frænans famulantia Diuæ
Colla dedit, manibusque gerit pia vincula, testes
Totum cum mundo domito seruire PHILIPPVM:
Et patiar mundi Dominæ, Fratrisque meæque,
Subdier arsuros ignes, statuamque MARIAE,
Quæ sacrum os vultumque refert, crepitante fauillâ
Absumi in cineres? Non hæc mandata petenti
Belgica Regna dabas, Frater: non illa propinans
Lac tenero documenta canebas Regia Mater,

vnus Princeps FERDINANDVS instar Olympi liber ab hoc motu & metu.

Prudentia, & spes in Deum, hoc ei præstat.

At sacrilegia ab hoste in Virginis Deiparæ statuam designata

generoso impetu animum commouent:

eâ maximè ratione, quòd tum ipse se professus sit mancipium beatæ MARIÆ Virginis, tum potentissimus ipsius Frater Hispaniarum Rex;

quodque eius cultum à Fratre & Matre habeat commendatum.

Mater non pietate minùs quàm sanguine cunctis
Altior, vna thoro non indignanda paterno.
Dixerat, & citò Concilium vocat: Impete toto
Nunc, ait, & toto Martis conamine agendum est.
Pro se quisque viri statuant, vel victa Caloæ
Mœnia, vel victi fatalem scandere cymbam.
Nec super hoc dubito, nostris victoria castris
Cælitus immitti gaudebit; quæritur, illi
Quæ sternenda via: huc alacres impendite, quidquid
Aut vsus docuit, longa aut meditatio suasit.
Auditur quid quisque ferat; cunctisque libratis,
Omnibus hæc tandem melior sententia sedit:
Si tribus aggressi Caloam partibus, omnes
Omnia conati summâ nitantur opum vi,
Nec cælo auxilium desit; fore prælia pugnæ
Ardua, sed quibus & certam sperare salutem,
Et decus ablatum fas instaurare Parenti
Diuinæ. Dictum, dictoque citantiùs omnia
Aptari iubet ad Martis certamina Princeps.
Non mihi tanta mei fiducia, tangere vt ausim
Facta virûm magnorum ingentia: nulla Camœnæ
Spes tantam exiguæ virtutem æquare canendo.
Ergo silet. Nec te decus immortale sonabit
Cantelme Italiæ; nec te Ledæa vibrantem
Tela, nouum Belgis sidus, qui Marchio Ledæ
Diceris, aut Clari præfers qui nomina Fontis
Hispanâ virtute Comes: vos perstitit inter
Belgarum librata salus, & gloria tanti
Principis è vestro verè mucrone pependit.
Hoc primum, duri cur dura pericula fati
Non timuisse iuuet: quamuis victoria Martem
Abnuat, euentuque cadat vaga Diua sinistro.
Scilicet hæc fatis restent solatia: Magnis
Immorior conatibus. Ast vbi læta secundo
Euentu adspirat fortuna, Deusque paratam
Porrigit auxilio dextram; tunc scilicet illa,
Quæ taciti in vobis colimus, lætique stupemus,
Roboris eduntur miracula, fama perenni
Quæ cælo insculpet titulis gentilibus, arma

Vocato ergo Concilio, non an pugnandum,

sed qua ratione vincendus sit hostis, exquirit.

Statuitur tribus simul partibus Caloam esse assiliendam;

idque Triumviris, Cantelmo, Marchioni de Lede, & Comiti de Fuenclara commissum:

ad gloriam eorum immortalem, licet res non successisset, fortissimè executioni mandatur:

Patria condecorans simili circumdata versu.
De tribus vnus erat: nec enim pronuntiet æquus
Arbiter, hic palmam tulerítne, vel iste, vel heros
Tertius: æquali certabant impete, & æquas
Fama dedit laudes; cuius non gratior vmquam
Cæsos, submersos, captos, vox vna Batauos
A Belgâ, Hispanâ, atque Italâ virtute ferebat.

pari eorum virtute, & gloriâ pari.

Insequitur, paribusque legit vestigia famæ
Passibus, abstergens lacrymas, & pectora replens
Lætitiâ, in risum facilis se Belgica soluit;
Et tota ad laudes Victoris versa, triumphos
Instruit. Arsuræ moles tolluntur in altum,
Dissita festiuis hostilia vt oppida flammis
Te scriptum FERNANDE *legant, timeantque legentes.*

Vnde Belgio lætitia, & festiui ignes.

Vndique gratatum concurrunt oppida, & omnis
Genua cui tetigisse datur, gratantia prudens,
Quæ molles faciant aditus, exordia sumit.
Hic memorat septem stratorum millia, at ille
Dinumerat captasque rates, vexillaque templis
Illata: horrisono tormenta sonantia bombo
Reddita commemorant alij: meminisse pericli
Quidam audent, viresque etiam laudasse Batauas
Securi. Ingenijs restat peragranda tuorum
Silua triumphantis virtutis, Belgica. Felix
Quicumque ad tantum seruaris munus ab astris,
Vt tibi FERNANDI *claros memorare triumphos*
Mandetur: nec enim poterat felicior vllis
Materies votis optari, lege solutâ,
Siue stilo cupias per laudes currere vincto.

Triumphatori Principi vndique congratulatio, & grata victoriæ commemoratio:

quæ, vt ceteræ Principis laudes, Historico eius relinquitur.

O felix, quisquis ille, tam felice materiâ!

Hæc speranda alijs, queis totum Helicona reclusit
Phœbus: ego, primâ vix dum qui parte receptus
(Christigenis prima est pietas, vbi thure Sabæo
Cælicolas semper veneratur, & instruit aras)
Tantùm visa canam; ne desis Virgo canenti:
Namque sacros tantùm memini vidisse triumphos,
Quos tibi Caloæ, Victore rogante, parauit
Ille, ille antiquæ præco pietatis Alarcon,
Quo dicente sacras FERNANDVS *pectore flammas*
Concepit toties, totusque accensus amore

Non sperat tanta tenuis hæc Musa.

Interim B. MARIÆ Virginis triumphum à M. F. Bartholomæo de los Rios & Alarcon, Ordinis Eremitarum sancti Augustini, Cardinalis Infantis Hispaniarum Concionatore, instructum canet.

Virgo

Virgo tui, famulâ ſuſcepit vincula dextrâ.
Hic ſimul ac pulſos FERNANDI *Marte ſecundo*
Accepit Batauos, notas ſe ſtrauit ad aras
Protinus, vnde bonos ſe nominis ipſa fatetur
Omine ſucceſſus largiri Virgo, precantique
Incidit è cælo pia mens. Violata Caloæ
Sacra per infames auſus, & crimine tantò
Ignibus iniectæ ſtatuæ, peperêre MARIA
Hanc magnam nobis obſtetricante ſalutem:
Quin ergo MARIAE *læti inſtauramus honores,*
Et violata nouis penſamus ſacra trophæis?
Audiat hæc Princeps, & plauſu gratior omni
Vox ea contigerit. Dixit, portuſque petiuit
Aduaticos, vbi fumus adhuc abſcondita celat
Littora, tam denſo flammas ingentia bombo
Tormenta euomuêre. Stat hac FERNANDVS *in armis*
Pulchrior obſeſſus nebulâ; circùm vndique fuſus
Horror, vt è placido rutilet Clementia vultu
Gratior. Extollens medijs ſic nubibus altum
Phœbe caput, lucem vicinâ intendis ab vmbrâ.
Omnibus intentos voluens per ſingula vultus,
Percipit acceſſus ſacri Præconis: Vt, inquit
Ipſe prior, bacchata, Pater, ſcelerata per omne
Quod ſacrum ſanctumque, ac inuiolabile, caſtâ
Relligio eſſe iubet, Caloæ eſt hæreſis! Ille,
Ille dolor primùm rebus ſperare ſalutem
Suaſit, & inſolitos animum ſuccendit ad auſus:
Nec fauor è Cælo, MARIAE *nec dextera pugnæ*
Abfuit; haud noſtris, quod plaudis, viribus actum eſt.
Dixerat, & prono fandi dat tempora nutu:
O Princeps, ô cura poli, terræque voluptas,
Bartholomæus ait (placido dicentis in ore
Lætitiæ fabricare ſuos Reuerentia riſus
Permittit, vultum faciliſque modeſtia ſoluit)
Quis tibi pro meritis dignas depromere laudes,
Vel poterit tantos non inferiore triumphos
Carmine gratari? Non ſi iungatur in vnum
Belgica tam varijs ſudans induſtria rebus,
Italiæ prudens ſollertia, acumen Iberi

Is pro Caloâ recuperatâ B. MARIÆ de Bono ſucceſſu, quam ipſe Bruxellis in templo S. Auguſtini collocauerat, gratias agens, cogitat de reparando ibi Virginis honore.

Hoc animo Antuerpiam contendit, Principem adit; qui inter fumos tormentorum, & belli horrorem,

inſtar Phœbi ſereniſſimus,

prior de ſacrilegiis hoſtium mentionem facit.

Ingenij, & quidquid collectum partibus orbis
Ad Belgas tua vel virtus spectanda, vel arma
Addiscenda vocant, possint aequare canendo
Tantum opus. Attoniti, fieri potuisse quod actum est,
Victores victique stupent. Tu numina Diuae
Agnoscis, Caelique, tuis non viribus, istam
Hostibus immissamque fugam, dirumque timorem.
Vertit eos Bellatrix Diua. MARIA *trophaeum*
De Batauis, ausus infames vlta, meretur.
Haec eadem si fortè tibi, Inuictissime, dictat
Exsuperans animo pietas, me cura manebit
(Quando alia ex alijs, glomerataque bella vocant te)
Posteritas vt grata sciat, te Virginis almae
Viribus hanc magnam Belgis peperisse salutem.

Pater, an possit Deiparae triumphum parare, rogat.

Annuit his facilis Princeps, breuiterque reponit:
Ergo age Caloae restaura gratus honorem
Ablatum Diuae, meque & victricia mecum
Arma illi supplex commenda. Concita tanto
Impete non ruit in praedam, data lora canum vis
Libera dum sentit, zelo quanto expedit omnes
Affectus animi, pendens in talia toto
Pectore vir semper. Iam iam Romana petuntur
Limina, vt admissi Indulgentia plena reatus
Conuocet instantis festi ad solemnia turbam.
Exin nota suo prudens Mechlinia caelo
Visitur, (hanc ligna in viuas animare figuras
Arte ferunt mirâ) victricis vt ora decorè.
Virginis exsculpat. Picturae Antuerpia, & omnis
Inuentrix nutrixque simul virtutis & artis,
Exprimit è viuis eadem ora coloribus. Inde
Gandauum petitur. Magni incunabula Regis
Hic sunt, hic nulli violanda sedilia magnae
Iustitiae; hic pietatis apex, quem vertice digno
Sustinet è magno demissum stemmate nomen
Triestius, & paribus Mitram virtutibus implet.
Illius infixum cordi versabat acutus
Maeror adhuc stimulum. Quid? sub ditione patratum
Sicne meâ crimen nullo pensetur honore
Virginis? His curis intentum laetus adiuit,

Postquam annuit Princeps,

omnes ille soluit affectus.

Româ impetrat Indulgentias plenarias:

Mechliniae Statuam B. MARIAE Virginis,

Antuerpiae picturam conficiendam curat.

Perillustrem ac Reuerendiss. Antonium Triestium Episcopum Gandensem rogat, vti auctoritate suâ pondus, & verò,

Omnia diſponens feſti ſolemnia, Alarcon ;
Et breuiter queſtus de crimine, Principis addit
Quàm pia mens, & quàm cupiat proſtrata Caloæ
Sacra inſtaurari : de paupertate pararit
Auxilij quidnam ipſe ſuâ, docet ; omnia ritè
Diſpoſita : hoc vnum reſtare, vt facta ſigillo
Approbet, & porrò faciendis præſtet honorem
Ipſe ſui, niſi rerum ingentibus anxia curis
Obſiſtat moles. Animos præſentia tanti
Præſulis adijciet populo ; gratumque MARIAE,
Gratum FERNANDO *obſequium præſtabitur. Ille,*
Nil opus eſt, inquit, verbis, decus addite caſtris
Auguſtiniadûm : prono calcaria ſubdis
Cordi ; quæque animo nondum perfecta dolebam,
Inſigni pietate paras. Mora nulla, quod illa
Ponderis inceptis potis Inſula iungere, quodque
Hoc caput auxilij, nulla hîc ſit cura, paratum eſt.
Lætior his dictis, cœpta acriùs vrget Alarcon
Sedulus, & pompæ patitur nil deeſſe futuræ.
Cynthius intereà ponto feſtinus Eoo
Extulerat lucem, quâ primùm Luminis orta eſt
Aurora æterni : fuit hæc addicta triumpho
Virginis, vt gemini conſpiret gloria Feſti.

ſi fieri poſſit, præſentiâ ſplendorem feſtiuitati addat.

Omnia addicit Reuerendiſſimus Dominus:

& ſolemnitas hoc modo inſtituitur die Natiuitatis B. MARIÆ Virginis.

Quis mihi nunc Helicona Deus, quis ſacra recludet
Limina, vt Aſcræâ perfundam pectora lymphâ,
Quæ fluat in faciles verſus, & carmine digno
Hunc, Caloa, canat, quo nobilitata triumpho es?
Lumine vix dubio luſtrabat tecta domorum
Merſus adhuc Titan, pietas iam limine ciues
Quemque ſuo excierat : ruitur denſo agmine ad omnes,
Quæ Scaldim pandunt, portas. Caloana petenti
Mœnia ſubſternit faciles Neptunius vndas
Scaldis, veliferos inter notiſſimus amnes.

Manè portæ omnes Scaldim ſpectantes à confertâ multitudine obſidentur.

Miſerat heſternam ſub noctem Rector aquarum
Firminus Tritona Deo, qui quanta parentur
Sacra, cui, à quantoque viro, ſermone decenti
Indicet, auratam diſponens flumine puppim.
Admittit pius amnis onus, placidæque paludis
In morem compeſcit aquas, æſtumque ferentem

Excierat eam publicata ſolemnitas.

Nauis regia Scaldi inuecta, à Domino Firmino de Lodoſa Claſſis

Diſponit

Disponit manè Caloana vt mœnia versus
Defluat in pontum; redeatque hoc ordine, turba
Vespere vt Aduaticum possit contingere littus.

Regiæ Præfecto; & æstus manè Caloam petentibus opportunus.

Ergo vt custodes nocturna pericula rident
Cardine conuerso portæ, ruit vndique vulgus,
Innumerasque replet puppes, quas nautica lucro
Intenta appulerat vigilantia: condita nusquam
Æquora comparent, nec iam latissima Scaldis
Tergora sufficiunt ratibus; populoque catinæ
Deficiunt. Ergo se turbæ sedula miscens
Hortatur Pietas metiri passibus æquos
Riparum campos: nec enim clementia cæli
Hoc vetat; & Diuæ exhaustum quodcumque laboris,
Templi quando sui visuntur limina, gratum est.
Excepta est pronis vox auribus: ordo, nec ætas,
Nec sexus prohibet, quin bis ter mille capessant
Per ripam passus. It longo tramite vulgus,
Inuersumque refert sub aquis mimi æquoris vmbra.

Portis apertis naues omnes (supra 200. fuisse aiunt) complentur; nec pauciores terrâ quàm aquâ faciunt iter.

Intereà sacris operatus ritè dicauit
Lignum, cui MARIAE *veneranda ars finxerat ora;*
Gandensis Præsul: defert Victoria nomen
Ipsa, suosque cupit MARIANIS *artubus artus*
Vestiri, atque vno celebrari numine, quando
Exitio potior non sit, nisi missa MARIAE
Imperio cingat victoris tempora lauro.

Sacris operatus Præsul Gandensis Statuæ benedixit, & B. MARIA *de Victoria* nomen imposuit.

Pergitur ad Scaldim, pictis vbi Regia puppis
Exspectat velis coniunctum ponderi honorem.
Hæc primùm Aduaticos tendentem visere campos
FERNANDVM *auratâ trabe vexerat. Inde minores*
Dedignata vsus, Dominam vectare prioris
Nunc gaudet Domini, bis maius sorte carinæ
Perfuncta officium: tunc diues Regia magni
Principis, at summæ nunc facta Ecclesia Diuæ.

Ea defertur ad nauim Regiam, quâ Serenissimum Principem FERDINANDVM primùm se inuisentem Antuerpia acceperat;

Namque vbi præcelsam in puppim se tollere primùm
Incipit, ars pretiumque sacrum penetrale laborant.
Fingere, quale reor Salomonica templa sacratis
Relliquijs Arcæque dabant. Attollitur ara
In medio; hæc sanctam renouati fœderis Arcam
Sustinet, & Cherub duplex circumsidet Arcæ

atque ibi in arâ decenter collocatur.

Nam

Nam Statuam MARIAE *cingunt, pietate coruscus*
Triestius hinc, illinc zelo flammatus Alarcon:
Anteriora tenent Primores vrbis: in altum
Conscendunt, tuba queis forti, vel tibia dulci
Respondet flatu; inferiùs tormenta magistros
Agnoscunt. Tuba discessus vbi namque cauato
Ære dedit signum, toto displosa tumultu
Dissiliêre, vrbiq́ue vale dixêre boando.
Extemplò simili castellum fulget in igne,
Et Diuæ gratatur iter. Non segniùs arma
E regione Caput prætendens Flandria sumit,
Festiuisque crepat bombis; Laurentiâ ab arce
Mox Anuersa tonans sua latè immurmurat vndis
Gaudia: fumorum voluuntur in æquore nimbi,
Eripiuntq́ue ratem terris, terrasq́ue carinæ.
Hos inter celsâ clangebat tibia puppi.
Mox tuba festiuo renouabat classica signo:
Dum rursum fumo in nubes abeunte carinâ
Emicat, Aduaticisque sui spectacula præbet
Magnificùm incedens, donec sese obtulit arci,
Cui dedit exoriens sol & Dea Velia nomen.
Huius, quanta patent, præcingit mœnia miles,
Non secùs instructus, quàm si nunc aspera Martis
Signa vocent, nisi quòd tetræ inserpentia fronti
Gaudia sæuitiem armorum superare laborent,
Gaudiaq́ue ingeminent festiuo tympana pulsu.
Hîc vt magnorum vis effera tormentorum
Immani bombo reboauerat, ilicet omnis
Dissiliit crepitu bombarda, nouosque per ictus
Fistula procudens longum de murmure murmur,
Conduplicat plausus. Nimis ô improuida semper
Lætitia, imprudénsque sui! nam turbine cæco
Disiicit exitium glandes mortemq́ue ferentes
Incautus per aquas miles, nec mille carinas
Ferri vndis reputat, vitas nec mille carinis.
Vt pia, quæ nusquam cultores deserit, illam
Præuidit pestem Virgo; qui proximus adstat
Aligerum alloquitur: Mens ô fidissima, honori
Obsequiosa meo, cernis quid fata minentur:

Vt tuba, & displosa in naui tormenta dant signum discessus; ex castro Antuerpiensi, ex Capite Flandriæ, ex arce S. Laurentij tormentis maioribus Virgo Deipara salutatur.

Nauis Regia inter fumos, perpetuò canentibus tubis & tibiis, peruenit ad arcem in Ostervveel.
Hîc miles in mœnibus dispositus,

post tormenta omnes bombardas ordine displosit, imprudénsque plumbeas glandes in nauigantes sparsit;

at Virgo Deipara, ministerio haud dubiè Angelorum,

I celer, & prohibe exitium, studiosaque cultus
Turba mei tutas fac sulcet marmoris vndas.
Quò tamen agnoscat se non sine numine nostro
Euasisse, sinas vestigia certa pericli.
Ille volat medias inter flammasque globosque.
Culminibus crepitant quàm multâ grandine nimbi,
Sic illi petiêre rates, infraque supraque
Delati: nulli sed fas intrare, nec vlli
Innocuæ turbare licet pia gaudia turbæ;
Oppositus forti dextrâ nam discutit ictus
Angelus, & iussus seruat quos Diua clientes
Dixerat. At tanti lateat ne muneris auctor,
Seruatique sciant operæ se magna tulisse
Præmia, Caloæ necdum licet arcibus Arcam
Mirandorum operum venerati, supplice vultu
Attigerint emptam generoso sanguine terram,
Permittit duplici monstrare pericula glandi.
Altera confertos inter denso agmine fertur
Murmure fatali stridens, puerique galerum
Perforat obstantem. Quis non conclamet, & actum
Jam putet? illa tamen, res mira! innoxia sedit
Carne super nudâ; collumque humerosque volatu
Præteriens, hæsit dorso, nullumque notauit
Exitij signum. Vestes rapit altera ab armo
Alterius, nullo delibans vulnere carnem.
Exoritur lætus iucundo murmure clamor,
Agnoscuntque manum Diuæ, propiusque triremi
Aduecti auratæ, MARIAM *venerantur, & ipsum*
Illæsum ostentant puerum, capitisque foratum
Tegmen, & intacto residens in tergore plumbum
Fatale. Hoc lætus Pater omine, genua MARIAE
Curuat, flammatoque preces de pectore fundit.
Quas inter, varios tormentorumque tumultus
Arcibus, ac ratibus, ripâque, atque aggere toto,
Nunc mixto nunc alternante fragore, sonantes,
Appulit ad MARIAE *placido vecta æquore puppis.*
Hanc arcem Diuæ gaudentem nomine prudens
Belgica littoribus posuit, Scaldimque tueri
Iussit, vicinam Gemmam, *sanctumque* Philippum

suos quidem exitio liberauit;

sed graue quod subierant periculum, vt grati essent, ostendit:

euentu mirabili,

qui pro miraculo est habitus.

Tandem inter varias salutationes ad S. MARIÆ arcem appulit Regia.

Auxilio

Auxilio iungens, toto ne flumine præceps
Decurrat Batauus, fortiſque Antuerpia ferro
Hoſtili pateat, ne diues VVaſia præda.
Hanc ſubeunt arcem læti, Statuamque reponunt
Templi adytis; longoque vocantes carmine Diuam,
Subnectunt titulis titulos, vt ſupplice Natum
Pro nobis voce exoret. nam talibus illa
Fertur delicijs Laureti capta, fauore
Iam ſtabili fixiſſe domum, quæ conſcia magni
Arcani humano veſtiri corpore Numen
Vidit, & intactam repleri Numine matrem.
Hæc inter denſo concurritur agmine, campis
Vndique collectæ fundunt ſe ad templa cateruæ.
Inde cohors legitur, quæ proceſſura decenti
Ordine, conſtanti Statuam ſtipet pede, ne quid
Inconſulta ruens pietas cæco impete turbet,
Et ne preſſa gemat nimio reuerentia zelo.
His manibus geſtare faces, & ſerta coronæ;
His datur à baculo ſublimi charta, MARIAE
Hinc referens ſtatuam, nomen ſolaribus illinc
Veſtitum radijs. Hæc ſunt vexilla triumphi,
Bartholomæus ait; medijs & millia ſparſit
Prodigus agminibus. Studio confuſa ruebant
Agmina: vel fruſtum laceræ tetigiſſe papyri,
Muneris inſtar erat. Magni ô ſecreta Tonantis
Conſilia! ô cæcis mortalibus abdita mentis
Diuinæ arcana! vt pronum, quæcumque videntur
Fortuito caſus vel fors adferre tumultu,
Eſt tibi materiam proprij ſtruxiſſe triumphi!
Sæpiùs id docti, nunc ipſi cernere poſſunt
Prodigium pietas queis afflat numine mentem;
Prodigij namque inſtar habet ſeruatus Alarcon.
Hunc turbâ creſcente premunt, atque impete toto
Aggere depellunt; inſtantum mole priores
Compacti, ſenioque grauem, multoque labore
Defeſſum affligunt terræ, pia nomina Matris
Voce ſalutantem. Quis non veniſſe ſuprema
Fata viro credat? feriunt, calcantque, ruuntque
Ex alijs alij. Non tot gemit ictibus incus,

Hîc expoſitâ in templo Statuâ, Litaniis Lauretanis decantatis,

Proceſſio ordinatur.

Primores circa Statuam collocantur facibus & Roſariis inſtructi.

Vexilla ſtatuam ac nomen beatæ MARIÆ Virginis referentia paſſim turbæ geſtanda dabantur: vnde ortus tumultus, in quo ipſe P.M. F. Bartholomæus de los Rios mirabiliter periculo liberatur.

Ætnæi dum se duro certamine fratres
Exstimulant; pectus tenerum quot calcibus vrgent
Lapsi, exurgentesque viri, rursumque labantes.
Intereà exoritur clamor: namque anxia mentes
Cura Patris stimulat, si iam concesserit vmbris,
Vitales an adhuc MARIAE *cum nomine spiret*
Ipse valens auras. Ergo constantia prudens
Quoscumque exemit turbæ, non digna ferentem
Cernere Alarconidem queis dat vicinia prati,
Auxilio subeunt: remouent instantia latè
Agmina, tendentes dextram. Sed, Nil opus istis
Subsidijs, ait, exurgens: descendit Olympo
Maior, maiores animos viresque ministrans,
Matre Dei mittente, fauor; nec vita superstit,
Si vestris, ciues, manibus seruanda fuisset.
Hæc ait, & latus vegetusque, stupente cateruâ,
Inceptum pertexit iter: cunctosque stupendo
Prodigio docet, in MARIAE *obsequiosus honorem*
Qui cadit, ex ipso lapsu reparare vigorem.

Intereà, profert vt maiestate suauem
Virgo triumphali vultum, siluere tumultus,
Omnibus ad Diuam versis; stant vertice Matris
Et Nati geminæ, decus Imperiale, coronæ,
Ambæ lucentes gemmis, candentibus ambæ
Argenti fusæ riuis, subfusca nitorem
Colligat vt radijs facies; neglecta decenter
Collo cæsaries errat, collectaque Ibero
More humeros bis palla tegit, dein fluctuat vndis
In terram latè varijs, pretiosaque adimplet
Fercula: quæ subeunt variæ pietatis honore
Præstantes, vnâque fide diuersa sequentes
Iura viri, quæ cuique suus dictamine sancti
Flaminis edixit vestisque & nominis auctor.
Fusa per extensos procedunt agmina campos,
Teque petunt, CALOA, *tuis iam penè ruinis*
Gaudentem, tali quæ restaurentur honore.
Et primi sacrata tui iam limina templi
Attigerant leucæ medio distantia, quando
Vixdum postremus MARIAE *descenderat arce*

Sedatur tumultus Statuâ prodeunte:

quæ geminis coronis Imperialibus argenteis, pålláque pretiosâ exornata,

gestatur à diuersorum Ordinum Religiosis.

Tanta autem confluxerat hominum multitudo, vt primi Caloam, mediâ leucâ distantem, peruenissent, antequam Statua procederet.

Ponè

Ponè sequens Diuam magno cum Præsule Alarcon:
Nec tamen angustis arctatur semita claustris,
Sed vaga libertas bis septem millia ducit
Per campos, campoque dein tot millia sternit,
Quo templum exsurgit; nec enim capit area turbam.
Non hîc commemorem, quàm dulci musica cantu
Intonuit, Statua vt templum populusque subiuit,
Nec quantâ pietate sacris operatus Alarcon
Sparsit in adstantes flammato è corde fauillas;
Nec prece quòd triplici solemnem finijt Hymnum,
Gratis pro triplici reddens sua vota triumpho,
Quæ ternâ cum clade tulit temerarius ausu
Primo hostis, languens successu, fine notandus
Infami. Hærebit Fastis cum clade soluta
Obsidio triplex, semperque notabitur annus,
Quo Bataui Galliique fugam toto orbe capessunt.
Nec cecinisse semel satis est tibi Magne triumphos
Virginis, Austriadumque piâ signare tabellâ
Historiam belli voluisti, obliuio ne qua
Arguat ingratos post sæcula longa nepotes;
Quam turba aspiciens, dudum iam corde paratas
Funditur in lacrymas, & largo soluitur imbre:
Namque videbat, vti sacratæ Virginis ora,
Prô scelus! infestis findat mucronibus audax
Militis hæretici manus impia, deinde fauillis
Injiciat. Præsens videt hæc ad crimina natus
Eductusque puer, dubiâ lanuginis vmbrâ,
Et formâ cultuque & gratiâ amabilis, imis
Visceribus ni dira lues, animoque recepta
Hæresis inficiat miserum, Superisque rebellem
Opponat. Quid agis puer, heu! miserande? quid illam
Robore & antiquo præstantem sanguine patrum
Turpiter infamas tam vili crimine dextram?
Ah serò, ad statuam Diuæ quos aggeris ignes,
In caput ipse tuum struxisse fatebere: sed nunc
Impietas te cæca trahit, fortunaque lætis
Ebria principijs; nec, quàm parat æthere ab alto
Vindictam læsum Numen, te cernere mentem
Hæresis excæcans sinit. En mucrone flagranti

Facilè ad quatuordecim millia ascendisse, erat fama.

In templo celebrauit P. M. Fr. Bartholomæus de los Rios & Alarcon, & Hymno *Te Deum* triplicem Orationem, ob triplicem solutam obsidionem, subiunxit.

Idem in summo Altari picturam locauerat,

in quâ Deiparæ statua ab hæreticis comburitur,

flammas suggerente VVilhelmi Nassouij filio.

 Instruit

Instruit è cælo FERNANDVM *Diua; colores*
Nam varij conabantur depingere flammas,
Pectore quas illi diffudit zelus honoris
Virginei, quando violatum Numen, & igni
Audijt iniectas statuas: de poplite supplex
Tendit vtramque manum cælo; describitur ore
Ingens ingentem fodiens animum dolor: iras
Lumina, frons iras, irasque fatetur anhelum
Cor, iras sunt penè locuta coloribus ora.
Talibus accensum, precibusque ardentibus astra
Pulsantem, vt tanti se criminis omine certo
Deligat vltorem Virgo, solatur Olympo
Diua ensem mittens, animosque ministrat vtrimque
Assistens lateri Paulus, magnusque Senatus
Petrus Apostolici Princeps, tutela Caloæ
Queis olim mandata, ipsique rogare videntur
Auxilium MARIAE. *Nec abest vindicta tabellæ;*
Nam statuæ flammas, & flammis scommata salsus
Qui puer adiecit, transactâ luce, sclopeto
Sternitur infelix, moriensque vltricia monstrat
Numina, VVilhelmoque patri maiora minatur,
Nî sapiat, Numenque pius, Regemque fidelis
Agnoscat. Ruit inde, ruit FERNANDVS *in arma*
Vindex, inque fugam ductorem atque agmina vertit.
Vndique proiiciunt clypeos, tenuisse Caloam
Iam nollent miseri; cursu vada cæca petuntur
Præcipiti frustrà, nec spes super vlla carinas
Soluendi limo infixas, vndâque carentes.
Heu quid agant? nil Martem iterùm tentare iuuaret
Iratis astris; irritatoque furore
Principis, astra, suos, Regemque & Numina, seque
Vno vlciscentis bello. Pars mergitur vndis,
Pars vitam redimit vinclis. Dum lumine lustrant
Singula, & adscriptos doceant qui singula versus
Intenti variis relegunt affectibus, infert
Se mediis scandens suggestum maxima verbi
Diuini tuba Ioannes, qui nomine nomen
Virginis expreßit, postquam Patris Augustini
Zonam, vnaque piæ complexus munera vitæ est.

Contra hæc Sereniss. Princeps FERDINANDVS vindictam exposcit, zelo & irâ feruidus.

Huic Virgo per Angelum ensem mittit, DD. Petro & Paulo hinc inde animos suggerentibus: alibi blasphemus Nassouij filius ictu sclopeti occiditur.

Deinde tota Caloana victoria adumbratur;

quam explicat subiecta epigraphe.

Dum hæc spectantur, concionem habuit P. F. Ioannes Maria Ord. Er. S. Aug.

Quis

Quis referat, quàm docta piis, quàm clara disertis
Miscuerit, quantos animis suggesserit ignes
Affectu insurgens? Paßim delicta fateri
Cernas prostratos, Dominique accumbere mensæ
Millia multa virûm. Sunt hi, Caloa, triumphi
Post fera bella tui; sunt hæc quæ morte tuorum,
Quæ misero exitio, quæ ferro, sanguine & igne
Totque malis emisse iuuat: tibi sacra profanis
Miscuit hostilis rabies, ea sacra Sacerdos
Augustiniades antiqua reduxit Alarcon
Auctiùs; & iunxit solatia magna profanis,
Distribuens plenis Cerealia dona canistris,
Isidis & nudam velent quæ munera carnem:
Sufficit his sumptus sibi parca, at diues in omnes
Paupertas, merito quam Rex sustentat honore.
His manè indultum studiis. Vix prandia vires
Reddiderant feßis, eadem repetuntur eodem
Sacra animo, resonat diuinis laudibus omne
Templum, deinde pio resonantia pulpita zelo
Schenckelio dicente gemunt: non doctiùs alter
AVGVSTINE *tuos vel sensus exprimit ore,*
Vel vitam exemplo. Claudit rursum omnia Alarcon,
Omnia qui priuis curarat sumptibus, ægrâ
Pauperie exonerans multos, rursúmque sigillum
Appendisse suum transacto Virgo triumphò
Visa: etenim memorant quamdam iam solibus vsu
Luminis orbatam ternis, dixisse MARIAE
Vota triumphali, tanto quæ scanderet arcem
Caloæ plausu, nec inania vota secutum
Euentum docuisse: fidem quibus adstruit, illis
Quod super examen factum, postrema probantis
Legitimè exspectat (sic iussum) oracula vocis.
Huic Isabella refert geminum Bergensis Olympo
Expertam sese munus: peruaserat artus
Nescio quæ, tacitísque lues constrinxerat omnem
Motum neruorum vinclis, atque insuper altè
Lepra tenax membris insederat. ipsa medelam
A plantis, herbísque, atque arte Machaonis omni,
Heu quoties petut, toties delusa receßit.

dein paſſim confeſſiones exceptę, & Communio diſtributa duobus omnino hominum millibus.

Poſt hęc eleẽmoſynam panum veſtiſque lineæ erogauit P. M.F. Bartholomæus de los Rios de iis quibus ipſe à Rege ſuſtentatur.

A prandio decantatis Laudibus dixit P.M.F. Petrus Schenckelius Ord.Eremit. S.Auguſtini: & iterùm eleẽmoſyna diſtributa.

Quæ omnia duplici euentu ſigillaſſe videturDeipara.

 Ergo

Ergo vbi victam arcem, victricem ſcandere Diuam
Audiit; exultans, Aliis inuicta triumphat
Hæc, ait, exemplo eſt Batauus: ſit lepra triumphi
Materia alterius: ſubitò me Martius ille
Accipiat campus quò tendit Virgo, ſalutis
Hæc ſpes vna mihi. Dixit, manibúſque ſuorum
Delata, vt cernit Statuam; ſplendore micantis
Aſtri quàm ſubitò nox æthere pulſa recedit,
Tam citò lapſa cadit toto de corpore lepra.

Iam ſol deuexo currum tardabat Olympo
Obluctatus equis, pelli ſe lumine fracto
Inuitum cælo lugens, & nauita turbam
Vrget aquâ creſcente, vndiſque ferentibus vti.
Ergo iterùm naues complent, remeantque, calore
Diuino pleni. Quoties ſua lumina vertunt,
Teque Caloa notant? quoties ſermone retexunt
Quidquid longa dies dederat ſpectare triumphi?
Hi Statuæ laudant vultus, hi dona metalli
Gemmarumque decus: ſunt queis, doluiſſe tumultus
Feſtiuos Batauis vicinis, vna voluptas.
Dumque aliis alij capiuntur, plurimus ille
Inualuit ſermo, quo tanti muneris auctor
Quæritur. Et vulgus, Fluit illi diues in arcam,
Quiſquis is eſt, inquit, fuluâ Pactolus arenâ.
Vel gratus magnis, vel de Magnatibus ipſe
Ni foret, haud tanto conſenſu tota moueret
Vndique ſe regio, caſtellum, vrbiſque Senatus.
His aliquis mediis ſermonibus interfatur:
Et quæ tanta viri potis ignoratio mentes
Obuelare? latétne etiam non notus Alarcon?
Ordinis ille decus præclari, maxima tanti
Quem fecit Princeps ISABELLA, *& maxima ſemper*
Qui geſſit, ſeu perplexis res Belgica nodis
Hæreret, facili flueret ſeu proſpera lapſu.
Vidimus hunc certis caput obiectare periclis,
Naſcentem vt belli peſtem reſtinguat in ipſo
Semine, reſtinctâque duces proſternere ouantem
Vidimus EVGENIAE *ante pedes. Sed quid? via factis*
Eſt breuis hæc enarrandis; obliuia ſolùm

Veſperi

domum rediens turba, vario ſermone de re geſtâ diſcurrit,

curioſeque de triumphi auctore inquirit.

Docetur quòd ſit P.M. F. Bartholomæus de los Rios & Alarcon, Ordinis Eremit. S. Auguſtini ſæpiùs à Sereniſſ. Infantâ ISABELLA negotiis grauioribus adhibitus,

qui in Galliis naſcentem belli tempeſtatem exſtinxit,

Tanta

Tanta ego demiror. Numquid Zantvlita recepit
Quingentas nuper vestes, queis prodigus idem
Contexit nudos? Numquid solatia Thenæ
Illatâ simili testantur imagine ciues
Accepisse suos? Numquid pia Belgica grato
Prædicat hunc animo sibi primùm vincula magni
Seruitij monstrasse; manusque ligasse catenâ,
Mancipij abiecto sublimem Virgini honorem
Vt præstet titulo, Regnum imperiumque MARIAE
Obsequio agnoscens? Et adhuc ignotus Alarcon?
Scilicet ille latet, quando licet. At modò tantus,
Quo Diuam pietas suasit decorare, triumphus
Non sinet vlteriùs tacitis inuoluier vmbris.
Sed neque delituit claro de stemmate magnum
Los Rios nomen, veterum quo facta parentum
Nomine mutarunt Gothicâ de gente Goterci;
Vel tunc præclarum nomen, quòd flumina fratres
Custodita rubras iussissent voluere lymphas
Sanguine feruentes hostili. Plura parabat
Dicere, & attenti se plura audire paratos
Monstrabant, ni quassa graui ratis impete nautam
Aduaticæ proram ripæ impegisse moneret.
Jamque aderat remis vndisque ferentibus vsa
Regia, & auulsum Caloâ, littore Alarcon
Aduatico exposuit: mirantum lumina tractu
Obseruant longo gradientem, & claustra petentem
Augustiniadûm, paruis vbi maxima Diuûm
Virtutem pietas magnam penetralibus abdit.

In Zantvliet 500. vestes lineas pauperibus militibus distribuit, Thenensibus statuam B. MARIÆ de Remediis simili solemnitate dedit, Sodalitatem Mancipiorum B. MARIÆ Virginis primus in Belgio instituit.

ac olim nomen Los Rios à defensis fortissimè fluminibus accepit.

Intereà nauis appulit; & P. M. F. Bartholomæus de los Rios & Alarcon ad Conuentum S. Augustini se contulit.

REVE-

REV^DO ADMODVM ATQ. EXIMIO PATRI

P. M. F. BARTHOLOMÆO DE LOS RIOS ET ALARCON

CHRISTI CRVCI AFFIXI IMAGINEM, ET STATVAS DD. APOST. PETRI ET PAVLI ARCI CALOANÆ INFERENTI.

MELPOMENE *sequeris rursum Caloana petentem*
Mœnia Alarconidem? rursum iuuat ire per agros
Sanguine potatos Batauorum, atque ossibus albos?
Annua compellit Pietas, inuitat Alarcon
Ipse salutiferum lignum, Diuosque reportans
Patronos, templi atque arcis queis cura tuendæ.
Ecce iterùm plenis se fundunt agmina portis
Aduaticis: iterùm quos pinguis VVasia nutrit
Ad gladium stiuamque viros, examine longo
Accurrunt grati; libertatemque receptam,
Hîc vbi nutârat, precibus firmare laborant:
Scilicet incaßùm nos defensura parantur
Arma, aiunt, frustrà Princeps reparare ruinas
In melius tentet, nisi muro firmiùs omni
Circumdet vallum Pietas. Hanc ecce Sacerdos
Augustiniades donis, statuisque paratis
Euocat: æquali plena Indulgentia passu,
Et patulo profusa sinu Miseratio tendit;
Has Diuas comitemur, erunt sua digna labori
Præmia: fòrs obtenta semel Victoria rursum
Inuiset natale solum, fecundaque partu
Virgineo terris obstetricante MARIA
Effundet Pacem: Diuos, patremque patratum
Cernimus: hîc pacis quidam meminisse sequestræ
Gaudent, & paribus similem sperare salutem
Principiis. O si! sic fati templa subibant
Caloæ, grati reddentes vota Tonanti.

FACVL-

FACVLTAS SVPERIORIS.

Magister Fr. HIPPOLYTVS MONTIVS *Finalensis, Ordinis Erem.* D. AVGVSTINI *Prior Generalis indignus, Reuerendo Patri Magistro Fr.* BARTHOLOMAEO DE LOS RIOS *eiusdem voti S.*

SAPIENTIA ea est, quæ velut fulgentissimum sidus in alto orbis fastigio ad rudem hominum plebem illuminandam constituitur, Prophetâ annuente: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Cùm ipse itaque in Augustiniano cælo tamquam sapientiæ astrum effulgeas, ne lucem sub modio contineamus, Libros sex de Hierarchiâ Marianâ à te studiosè elaboratos, tenore præsentium, & muneris nostri auctoritate, imprimendi facultatem elargimur, quantum ad nos spectat, & seruatis seruandis. Priùs verò quàm prælo committantur, duorum ex Ordine nostro Theologorum Patrum iudicium subeant, & censuram nobis ante excusionem transmittendam. Datum Firmi XIII. Nouemb. M.DC.XXXVI.

Fr. Hippolytus Montius Generalis indignus.

APPROBATIO CENSORVM.

TRADITVS est mihi iussu Reuerendissimi Patris Magistri Hippolyti Montij Finalensis, Prioris Generalis vniuersi Ordinis Eremitarum D. Augustini, liber inscriptus HIERARCHIA MARIANA, in sex membra seu alios libros minores diuisus, compositusque ab Eximio & admodum Reuerendo Patre Magistro Fratre Bartholomæo de los Rios & Alarcon, Ordinis Eremitarum D. Augustini Presbytero, S. Theol. Doctore Duacensi & quondam Professore, Capituli nuper Prouincialis eiusdem Ordinis in Belgio Diffinitore, Præsidente; nunc Serenissimi Principis Cardinalis Infantis Hispaniæ Ferdinandi Austriaci, nec non Exercitus suæ Maiestatis Catholicæ in Belgio Ecclesiaste disertissimo, &c. Quem vt legi, inueni in doctrinâ solidum, in materiæ diuersitate multâ gratissimum, fine pientissimum, dum altum illud beatissimæ Virginis & Matris Dei MARIÆ, Sponsæ SS. Trinitatis, cælorum & vniuersi totius Reginæ, in nos dominium, nostramque reciprocè laudabilem seruitutem, eamque nobis libentissimè amplexandam proponit, explicat, demonstrat: diuersis exercitiis variarum virtutum, suoque exemplo, homines ad Virginis singularis singularem amorem excitat: & eiusdem singulari exhibitâ pulchritudine animæ & corporis, adiunctis dotibus & præeminentiis, quibus ad Filium suum proximè accedit, in admirationem & stuporem vocat; & tum vel maximè, cùm explicat locis diuersis vtrùm & qualiter vna res cum Deo Virgo Deipara effecta sit. Quæ omnia dum facit hoc prænominato volumine, nihil Fidei Catholicæ, nihil moribus bonis assent contrarium. Ita testor

Fr. Petrus Damasus de Coninck Ordinis D. Augustini, S. Theologiæ Doctor & Professor.

Ego infrâſcriptus Almæ Vniuerſitatis Duacenſis Doctor, ac Profeſſor Theologus, legi magnâ cum attentione & curâ opus de HIERARCHIA MARIANA compoſitum, & in ſex Libros diſtinctum à Reuerendo admodum & Eximio Patre Magiſtro Fr. Bartholomæo de los Rios & Alarcon, Vniuerſitatis Duacenſis Doctore Theologo, Prouinciæ Colonienſis Ordinis S.P. Auguſtini in Belgio Diffinitore, ac Capituli Prouincialis nuper Præſidente, quondam Sereniſſimæ Claræ Eugeniæ Iſabellæ Belgarum Principis, nunc verò Sereniſſimi Principis Cardinalis Infantis Hiſpaniæ Ferdinandi Auſtriaci ordinario Concionatore, nec non Exercitus ſuæ Maieſtatis Catholicæ in Belgio Eccleſiaſte Generali. In quo Opere mirâ perſpicuitate, iudicij maturitate, ac ſubtili enarratione proponuntur & examinantur Hierarchiæ MARIANÆ tituli & fundamenta, ex doctrinâ ſanctorum Patrum; & Mancipatus MARIANI tota ad amuſſim norma & quaſi eſſentia explicatur. Et tandem, ſicut diuinus ille Theologus Dionyſius, deſcriptâ perfectiſſimâ cæleſti Hierarchiâ, de Diuinis nominibus, quaſi captum humanum tranſſcendens, ſcribere eſt aggreſſus; ſic deſcriptâ hîc in quinque primis Libris D. Virginis MARIÆ Hierarchiâ, de eius ſanctiſſimo nomine Liber ſextus inſtituitur: in quo videre licet miram eruditionem, magnam rerum varietatem, incredibilem lectionis ſuauitatem, altam MARIANI nominis profunditatem, latitudinem, & efficaciam: vnde Lector plurimùm ad Virginis MARIÆ cultum & amorem excitari, & ad eius Mancipatum adſpirare poſſit. Quare dignum prælo, omniumque commendatione & lectione, nihilque Fidei contrarium continere iudico. Datum die III. Maij M. DC. XXXIX.

Fr. Cyprianus de Lobel, S. Theol. Doctor, Ordinis S. P. Auguſtini.

Miris encomiis extollit Scriptura diuina, & curioſè deſcribit materiam, formam, dignitatem, & excellentiam throni Salomonis: *Non eſt factum*, inquit, *tale opus in vniuerſis regnis.* Non abſimili modo Eximius & Reuerendus admodum Pater Magiſter Bartholomæus de los Rios & Alarcon, S. Theol. Doctor, Sereniſſimi Principis Cardinalis Infantis Eccleſiaſtes, &c. hoc Opere ſuo Hierarchico MARIANO deſcribit nobilitatem, pulchritudinem, excellentiam, ceteraſque diuinas dotes ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ, quam Deus Pater in Sponſam, Filius in Matrem, Spiritus ſanctus in Sacrarium & templum ab initio & ante ſæcula elegit & prælegit; cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur, cuius gratiâ & patrocinio omnes indigemus. Itaque cùm hoc Opus tam ſit ſtylo, ſenſu, obiecto nobile & inſigne, nihilque contineat Fidei aut moribus bonis contrarium, meritò ad augendam Virginis gloriam, & fidelium ſalutem, geſtit videre lucem: quâ digniſſimum cenſeo hac XXX. Auguſti M. DC. XL.

Henricus Calenus S. Theol. Licent. Metropolitanæ Eccleſiæ Mechlinienſis Canonicus, Archipreſbyter Bruxellenſis, librorum Cenſor.

M. FR.

M. FR. BARTHOLOMÆI DE LOS RIOS

DE

HIERARCHIA MARIANA

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Quid ſit Hierarchia; & num adæquatè ſit à S. Dionyſio diuiſa.

Propoſitio Operis.

HIERARCHIAM ſcripſit CÆLESTEM & ECCLESIASTICAM Theologorum maximus S. Areopagita Dionyſius; ego HIERARCHIAM meditor MARIANAM; hoc eſt, ſi examinare quis velit, materiam ſumpſi, quamuis ipſi ingenio & virtute propemodum infinitis partibus inferior, ſine vllâ comparatione ſubliniorem multoque magis arduam ad intelligendum, illâ quam ipſe feliciſſimè tractauit, adiutus, vt fatetur, ſacris Scripturis, Apoſtolorum conuerſatione ac traditionibus, ac diuinis illuſtrationibus. Quæ ſcribendi auxilia cùm nobis vel deſint, vel non ita efficaciter ſuppeditentur, atque ipſi adfuerunt; profundâ humilitate atq; demiſſiſſimis precibus, quantum fieri poteſt, ſupplendus eſt eorum defectus: vt ſcilicet nos conuertentes ad eam cuius principatum deſcribimus, quæ *diuina ſapientia, vltrà quàm credi poteſt, penetrauit abyſſum; & quantum ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili fuit immerſa*; eam ſuppliciter exoremus, vt quod Hierarchiæ apud S. Dionyſium proprium eſt, mentem noſtram atque linguam purget, illuſtret atque perficiat: vt ſi non dignè de imperio eius loqui, aliquid ſaltem verosimiliter balbutire nobis concedatur. O Virgo ſacratiſſima, quam Matrem vocat illa *diuinitate tranſſcendens ac ſupereſſentialis mens vniuerſæ Hierarchiæ, ſanctimoniæque ac diuinæ functionis principium, & eſſentia, virtuſq; diuiniſſima* IESVS CHRISTVS Dominus noſter: à quo tu ineffabilia & arcana diuinitatis myſteria tam apertis manifeſtiſque edocta es rationibus, vt non tantùm ſacer hic noſter ordo, ſiue Hierarchia Eccleſiaſtica, poſt IESVM præcipuè fuerit tuis illuſtrationibus purgatus, illuminatus atque perfectus, ſed etiam ſupremæ Hierarchiæ cæleſtis ſpiritus, *qui primâ & præcellenti Dei vnione ſatiantur, & ad Deum immediatè per virtutem ordinemq; rebus omnibus ſuperiorem ſurriguntur*, admirabilibus modis à te ſint illuminati: hanc, precor, ſeruo & mancipio tuo præſta gratiam, vt facias lucem de tenebris ſplendeſcere, mentemque meam primùm à peccatorum ſordibus, deinde ab ignorantiæ tenebris purgatam, illuſtrationum diuinarum radiis illumines, per quos ipſa ſacri atque eminentiſſimi principatus tui excellentiam percipiens, eos ramquam ſpeculum mundiſſimum repercutiat, atque hierarchicâ ſubordinatione alios etiam illuminet, doceatq; ſublimem

Qua ſcribendi auxilia.

S. Bernard. Ser. Signũ magnum.

Imploratio opis Marianæ.

S. Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch. cap 1. § 1.

S. Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch. cap. 7. §. 2.

limem principatum tuum, atque absolutum in creata omnia imperium. Ita voueo, ita fore confido; atque hac nixus auxilij tui fiduciâ, incipiam primùm explicare quid Hierarchiæ nomine intelligam, vt Operis totius scopus clariùs deinde perspiciatur. *Est*, inquit sanctus Dionysius lib. de Cælesti Hierarchiâ cap. 3. §. 1. *Hierarchia, meo quidem iudicio, sacer ordo, scientia & actio, quæ ad Deiformitatem, quantum fas est, accedit, atque insitis sibi diuinitus illustrationibus, proportione quadam ad Dei subuehitur imitationem*. *Ordo* (quemadmodum optimè explicat P. Balthasar Corderius, cuius studiis debemus, quòd sanctum illum Doctorem, qui magno Theologiæ detrimento, ob versionis obscuritatem, à paucis legebatur, iam Latinè loquentem possimus intelligere) hîc idem est quod *potestas*, de quâ Apostolus ad Rom. 13. vers. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt* (scilicet *potestates*, vt Græcè repetitur) *à Deo ordinata sunt*. Scopus autem & finis omnis potestatis in definitione Hierarchiæ à S. Dionysio assignatur, ipsa Dei, quantum fieri potest, assimilatio, atque imitatio; ad quam necessaria est *scientia* vt dirigat, *actio* verò vt inducat. Iam ordo potestatis hic vulgò assignatur; vt prima Hierarchia sit potestas diuinitatis, quæ ταξαρχία dicitur; secunda & media sit Angelica & διακόσμησις, id est adornatio, vocatur ad similitudinem primæ potestatis facta, & sub primâ potestate constituta: tertia & vltima est humana, ad similitudinem Angelicæ facta, & sub eâ constituta, & per eam sub primâ.

Hierarchia definitio, secundùm S. Dionysium.

Eius diuisio.

De primâ quidem Hierarchiâ atque Hierarchâ summo Deo, *qui fons est vitæ, essentia bonitatis, vna rerum omnium causa trinitas, ex quâ per bonitatis redundantiam, & ipsum esse, ac benè esse rebus*; satis constat, eum esse supra omnia quæ fecit, infinitè infinities superexaltatum. Secunda verò, quæ est Angelorum, quomodo in tres Hierarchias subdiuidatur, quomodo inferiores à superioribus purgentur, illustrentur ac perficiantur, ducanturque ordinatâ subiectione ad finem, Hierarchiæ toti ac Hierarchæ summo propositum, Dei, quantum fieri potest, assimilationem, diuinè traditur à sancto Dionysio libro toto de Cælesti Hierarchia. Tertiam verò describit altero de Ecclesiasticâ Hierarchiâ volumine. In quibus duobus voluminibus, si intentum magni istius Theologi spectemus, nihil prorsus assignari potest quod vel desideretur, vel quod non sit in iis perfectissimum: cùm enim maximè indicare vellet, quàm conuenienter Deus ima per media, & media per summa, summa denique per semetipsum immediatè illustret, & ad se viis naturæ cuiusque conuenientibus abducat; ac proinde necessariam esse subordinationem, ac potestatem, ordinumque diuisionem, tam in Ecclesiâ militante in terris, quàm in Hierarchiis cælestibus; satis ei fuit ostendisse, quomodo Angelis modo *magis immateriato ac spirituali (non enim extrinsecus eos Deus ad diuina mouet, sed intelligibili ratione, atque intrinsecus purâ liquidaq; illustratione diuinissimam iis voluntatem irradiando) nobis autem, quod simplicius illis, collectimque præstitum, ex diuinitus traditis eloquiis, pro captu nostro, diuisibilium varietate, multitudineque signorum, sacrum ordinem, siue Hierarchiam in salutem, &* (vt loquitur) *deificationem vtrorumque concesserit*. At nobis totius creaturæ, sub capite eius increato Deo, sacram coordinationem maximè secundùm dignitatem, dominijque ac principatus excellentiam considerantibus, dubium oboritur, an nulla fuerit in subordinatione à S. Dionysio Hierarchia prætermissa; siue, vtrùm, tum quando nouum faciebat in terrâ Dominus, dicebatque, Ecce noua facio omnia, nihil fuerit in subordinatione ista innouatum: vt nimirum Deus primum, tres Angelorum Hierarchiæ alterum, humana deinde natura infimum locum occuper.* Dubitandi causa est, admirabilis ista naturæ humanæ duplex exaltatio:

S. Dionys. de Eccles. Hierarch. c. 1. §. 3.

Hæc si finis S. Dionysio propositus spectetur, est omnino sufficiens.

S. Dionys. suprà. §. 4.

At si tantùm spectetur dignitatis excellentia, dubium est, an nihil sit in diuisione omissum.

**Cùm neq; Dei Filius neque Dei Mater videantur turba adnumerandi.*

tatio: quarum prima est illa, quâ natura humana, in duabus personis diuinâ personalitate subsistendo, hominem Deum in vno supposito constituat; altera, quâ Virgo beatissima hominem Deum genuerit, verè ac realiter est Θεοτόκος, hoc est, Mater Dei, siue Deipara. Iam verò, cùm ipse S. Dionysius cap. 4. Cælest. Hierarch. §. 1. eam assignet subordinationis regulam: *Liquet igitur, naturas istas esse proximas diuinitati, quæ multipliciter eam participarunt:* videtur inferri, & Christum Dominum, de quo nullus dubitat, constitui debere in ordine aliquo sacri principatus sublimiori quàm ipsa Seraphim; & prætereà, diuinissimam eius Matrem non posse ad ceterarum Hierarchiam creaturarum reuocari: vnde fieret, eam constituere Hierarchiam quamdam superiorem Angelorum supremâ, quæ proinde admirabilem inferat eius principatum, ac singulare, quod deinceps examinabimus, dominium.

CAPVT II.

Virginem Deiparam constituere Hierarchiam per se singularem.

IESVS Dei Filius eâdem cum Patre Hierarchiâ continetur;

QVÆ iam mota sunt dubia de IESV CHRISTI Domini nostri ac Virginis Deiparæ loco in hierarchicâ ordinatione, quâ quidem agunt de IESV Dei Filio, opus non habent fusiore pertractatione; quandoquidem constet, quòd apud Deum trinum & vnum, vt Gerson loquitur, *Hierarcham summum, humanitas Filij sola sublimata sedet à dextris virtutis Dei per vnitatem suppositi*; vel, vt S. Bernardinus Tom. 3. Serm. 11. artic. 13. dicit, quòd *benedictus* IESVS *sedet à dextris Patris, id est in potioribus bonis paternis*, non magis à Patre diuisus gloriâ, quàm à Filio distinctus personâ. Quæ verò de sanctissimâ Virgine ac dignissimâ Dei genitrice Mariâ quæruntur, quòd ea nihil aliud sit quàm creatura, neque naturam aliam habeat quàm humanam, plus habent difficultatis: neque enim Deo æquari potest creatura, neque rursum

Gerson Tract. 4. super Magnificat.

creaturarum turbæ permiscenda videtur Mater Creatoris, maximè cùm iam dudum infinito penè differentiæ interuallo eam à creatis aliis diremerit S. Ioannes Damascenus Ser. 1. de Dormit. Virginis, dicens: *Dei Matris & seruorum Dei infinitum est discrimen.* Serui autem Dei sunt non tantùm homines, sed etiam Angeli; quorum non infima laus est, quòd sint *administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis.* Est ergo Damasceni sententia, infinitè Angelis omnibus Dei Matrem prælatam. Fidei hoc certitudine sigillat sanctus Anselmus de Excellen. Virg. cap. 4. *Tota*, inquit, *Christianitas nouit, quæ illam super omnes cælos exaltatam, & Angelicis choris prælatam certissimè credit*: & ita quidem prælatam credit, vt non tantùm veluti supremæ Angelorum Hierarchiæ caput eam agnoscat; sed ita, vt *Virgo sola constituat Hierarchiam secundam sub Deo trino & vno Hierarchâ summo: plus enim distat Virgo à Seraphim in dignitate & gloriâ, quàm Seraphim à Cherubim: sed Seraphim per excellentiam dignitatis ordinem habet superiorem ad Cherubim, ergo Virgo erit supra Hierarchiam Angelorum.* Ita S. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 29. §. 15. ex B. Alberto Magno; vrgetque iterùm argumentum: *Plus improportionaliter differt dominus à seruo, quàm seruus à seruo; sed omnes Angeli sunt administratorij spiritus, id est serui, & tamen inter eos diuersi ordines sunt: sed beata Virgo est Domina Angelorum, ergo & improportionaliter est supra Seraphim, & supra omnem Hierarchiam Angelorũ exaltata.* Quadrat hæc S. Antonini argumentatio cum S. Damasceni sententiâ; vnde sic confici possit conclusio ad eius gloriam, quæ nobis peperit salutem. Eâ proportione Virgo Deipara eleuata est supra omnes Angelorum Hierarchias, quâ distat Dei Mater à seruis Dei: atqui Dei Matris & seruorum Dei infinitum est discrimen; infinitâ ergo proportione illa est supra hos eleuata. Proportionem ipsam dat Sophronius in Serm.

Inter Matrem Dei & alias creaturas infinitum est discrimen.

Ad Hebr. 1. vers. 14.

Gerson Tract. 4. super Magnificat.

Vnde constituitur, quòd Hierarchiã faciat particularem.

de Assumpt. his verbis (istum enim auctorem constanter citabimus pro eâ oratione, quæ non rectè S. Hieronymo à multis tribuitur:) *Sicut in comparatione Dei nemo bonus; ita & in comparatione Matris Domini nullus perfectus inuenitur, quamuis virtutibus eximiis comprobetur.* Eat nunc mens humana, &, si potest, intelligat quid sit ipsa per se bonitas: quæ, teste S. Dionysio de Diuinis nominibus cap. 2. §. 1. *à sacris Litteris celebratur, totam essentiam diuinam, quidquid tandem sit, definiuisse atque explanasse. Quid enim aliud ex Eloquijs sacris cognoscimus, cùm ipsummet Deum tradunt se designando dixisse: Quid me interrogas de bono? nemo bonus, nisi solus Deus.* Vt tandem inueniat proportionem, quâ differt ille qui *sic essentiâ suâ bonus est, vt, tamquam substantiale bonum, bonitatem in omnia porrigat,* à Virgine Deiparâ, quæ, quantacumque est, nihil est aliud quàm participatio quædam originalis istius bonitatis; atque idcircò infinitè distat ab istâ essentiali atque substantiali bonitate, *quæ rebus omnibus pro cuiusque captu totius bonitatis suæ radios affundit:* cumque spatium illud distantiæ infinitæ suâ imbecillitate vtcumque dimensa fuerit, inueneritque gloriosissimam illam Virginem, illam excelsissimam Regum rerumq; Dominã, illam supereminentem cælorum Reginam, respectu Dei, eo in statu, in quo ipsa se considerabat, quando Angelo dicebat, *Ecce ancilla Domini*; vt nimirum sit magnum æternæ istius Maiestatis beneficium, quòd sibi velit vel à tali ac tanta humilis ancillæ submissione atque abiectissimi mancipij obsequiis inseruiri; tum scilicet reuertatur, & eâdem proportione meminerit, omnia cetera quæ creata sunt, ab ipsâ illâ Domini ancillâ distare, quâ ipsam vidimus Deo inferiorem: vt nimirum magnum sit Virginis in illâ priuilegium, si quod eorum, quamuis virtutibus eximiis præditum, in mancipium suum assumpserit. Optimè, meo quidem iudicio, hanc Virginis Deiparæ sublimitatem expressit familiarissimus eius alumnus S. Bernardinus Tom. 3. Serm. 3. de glorioso nomine Mariæ, art. 2. c. 1. *Certitudinaliter,* inquit, *tenendum est, quòd ipsa sit super omnem puram creaturam exaltata, tamquam per se implens & continens vnum integrum ac totalem statum.* Augusta profectò, si quæ fingi potest, ac plena maiestate hæc est Deiparæ species, *tamquam per se implens & continens vnum integrum ac totalem statum.* Quis mihi nunc ordinat rerum Hierarchias non satis æquâ distantes proportione, vt primum obtineat summus Hierarcha Deus, succedant Angeli, tertium deinde occupent homines? nec enim tanto interuallo serui abeunt à seruis, vt comparari possit eorum distantia cum illo spatio, quod infinitâ perfectionum capedine interiacet inter seruos & dominum. Ecce noua facta sunt etiam in cælis omnia, postquam hoc nouum fecit in terrâ Dominus, vt creatura Mater fieret Creatoris; occupatumque est medium infinitudinis istius spatium, quod interiiciebatur Deum inter atque Angelorum supremum, ibiq; constituta est Maria, *per se implens & continens vnum integrum ac totalem statum:* sic vt proportionaliter iam distent, Deus, Maria, creatura vniuersa, eâ scilicet proportione, vt Maria distet quidem infinitè à Deo, quia est creatura; rursumque infinitè supra omnes creaturas eleuetur, quia est Dei Mater, atque ita verè centrum sit rerum omnium, vnde æquales ducantur lineæ, siue ad illam incircumscriptam diuinitatis peripheriam, siue ad hanc creaturarum extremitatem: ipsaque firmiter ac incommutabiliter constituta in isto medio, impleat & contineat vnum integrum ac totalem statum, sic vt nullâ ratione sit Deus, propter naturæ limitationem, & omni ratione sit supra creaturas alias exaltata, propter singularem diuinitatis participationem: itaq; statum Deum inter ac creaturas impleat atque contineat Matris Dei; sintque tres rerum Hierarchiæ optimè inter se proportionatæ, prima Dei, altera Matris Dei, tertia seruorum Dei: quarum deinde singulæ

Eâ proportione Virgo Maria ceteris creaturis est maior, quâ Deo est minor: ἀνυπαγαθότης,

Matth. 19. vers. 17.

S. Dionys. de Diuinis nominib. cap. 4. §. 1.

ibidem.

Ac implet per se vnum totalem statum.

facta centrum inter Deum & creaturas.

Tres ergo Hierarchiæ sunt, Deus, Dei Mater, serui Dei.

Na subdiuiduntur optimà ad inuicem proportione.

singulæ suos in ordines distribuantur, cò magis à se inuicem distinctos, quò sunt imperfectiores; in quo rursum est videre insignem trium istarum Hierarchiarum proportionem. Nam Deus ens simplicissimum, nullius capax in se ordinationis, ordinis totius perfectionem per vniformem suam excedit essentiam: non quòd habeat in se omnia æqualia, sed quòd in ipso vnum sint omnia; sic tamen, vt propter imperfectionem nostram, infinitas in eo concipiamus perfectiones, easque, licet omnes absolutissimas, ita coordinemus, vt iam iustitiæ obtemperet misericordia, sæpiùs verò hæc iustitiam exoret; sapientia facienda concipiat, potentia concepta exequatur: ac simili in ceteris ratione arcanam illam atque nobis incomprehensibilem simplicitatem sine errore diuidentes, quia nihil diuisionis in ipsâ confitemur. In secundâ verò, seu Marianâ Hierarchiâ, licet vera realisque sit virtutum, perfectionum atque gratiarum diuisio, pluraque in eâ collecta reperiantur, quàm in creaturarum Hierarchiâ dispergantur; hoc tamen habet cum diuinâ similitudinis, quòd vna sit, cui omnis illa perfectio conuenit, solaque constituat statum integrum, cui alius ex multis constitutus personis non potest adæquari. Tertia verò Hierarchia, vti neque ex simplici vnâ perfectione, neque ex vnicâ personâ constituitur; ita varias habet in se hierarchias & choros, quibus à summo ad imum descenditur. Habet ergo Hierarchia Diuina vnum Hierarcham, indistinctis à se perfectionibus supra omnem rerum apicem constitutum. Habet Mariana vnicam Dei Matrem, distinctis priuilegiis ad creaturarum fastigium eleuatam. Habet vltima personas distinctas, per se diuisas in singulos, gratias Diuinæ Marianæque Hierarchiæ perfectionem vtcumque æmulantes. Fit ergo proportionatus à Deo ad Deiparam, ab hac ad creaturam vniuersam descensus; constituitque Virgo per se non tantùm Hierarchiam, quales inter Angelos multas distinguimus, sed integrum & totalem statum à creaturis omnibus diuersum. Admiratur Serm. de Natiuitate B. MARIÆ Virginis capite 2. Petrus Damianus: *Quid grandius*, inquit, *Virgine Mariâ, quæ magnitudinem summæ Diuinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? Attende Seraphim, & in illius superioris naturæ superuola dignitatem, & videbis quidquid maius est, minus Virgine, solùmque opificem opus illud supergredi.* Explicat iterùm, vt finem Capiti imponam, S. Bernardus Ser. de aquæductu: *Ne steteris*, inquit, *vel inter Angelos Virgo sancta; sublimius aliquid tuo sibi ministerio propinandum terra sitiens præstolatur; paullulùm cùm pertransieris eos, inuenies quem diligit anima tua. Paullulùm, inquam, non quia non incomparabiliter supereminent, sed quòd inter eum & ipsos medium nihil inuenias.* ideoque medium ipsa spatium occupauit.

CAPVT III.

Probatur, B. MARIAM *Virginem constituere Hierarchiam superiorem omnibus spiritibus Angelicis, quia omnium virtutibus pollet. Hic specialiter de tribus infimæ Hierarchiæ choris.*

HIERARCHIAS ordinauimus, ac supremum post Deum locum communi SS. Patrum suffragio Virgini Deiparæ dedimus; deinceps, quò magis pateat rectè tribui isti excellentiæ nomen hierarchicum, aliquot superiorum Hierarchiarum proprietates ex ipso S. Dionysio B. MARIÆ Virgini accommodabimus: requirit autem, vel maximè lib. de Cælest. Hierarch. capite 5. vt ordo superior inferiorum omnium perfectiones contineat. dicit enim: *Asserimus igitur, secundùm omnem sacram dispositionem, superiores quosque ordines, inferiorum quoque agminum illuminationibus virtutibusque pollere, postremos verò non item superiorum suorum consortes esse.* Vnde patet, superiorem quemque ordinem omnibus iis perfectionibus esse prædi-

Hierarchia superior cōtinet virtutes omnium inferiorum.

tum quæ sibi proximè inferiorem illustrant, ac præterea singulari quadam virtute pollere, quâ in gradu excelsiore constituatur, quæ à superiore suo etiam comprehendatur, ac rursum nouâ excedatur prærogatiuâ. Hoc in Angelis quidem fit subordinatâ quadam perfectionum gradatione; quòd eorum sit quasi in eodem genere excessus: idem verò si in Virgine examinare velimus, cùm illa Hierarchiam constituat infinitis rationibus cunctis Hierarchiis Angelicis superiorem, necesse est, inferiorum perfectiones supereminenti quadam ratione in illâ reperiri. Vrsit hoc argumentum iamdudum B. Albertus Magnus in Mariali c. 19. ex ipso S. Dionysio in hunc modum: *Dionysius de Cælesti Hierarchia sic ait iuxta sæpiùs redditam rationem: Ipsa quidem superfirmatæ dispositiones abundanter habent minorum sacras proprietates; ergo cùm sacratissima Virgo Regina esset, & superior omnibus cælestibus dispositionibus, ipsa habebat proprietates omnium abundanter.* ita ex statu superiore infertur, perfectiones eam possedisse inferiorum; nos contrà, ex perfectionibus statum ipsum sublimiorem astruemus. Propositionum enim conuertibilium vicissim altera ex alterâ concluditur. Assurgamus, quæso, paulisper, & terrenas cum pondere suo cogitationes relinquamus, vt, cum aquilâ Theologorum Areopagitâ Dionysio in altum sublati, inter Angelicas mentes de choro in chorum celeri alarum intellectualium remigio volitemus, singulorumque delibemus virtutem & excellentiam; vt cùm ibi inuenerimus quę captum nostrum tam longè superant, venerabundâ cogitatione assurgamus ad laudandam eam Virginem, quæ ipsos infinitâ dignitate excedit. Et infimæ quidem Hierarchiæ chorus vltimus est Angelorum; de quibus ita ait Doctor Hierarchicus: *Angeli omnes cælestium intelligentiarum ordines complendo terminant, vt qui nouissimè cælestes inter essentias Angelicam sortiti sunt proprietatem; adeòque præ superioribus istis, hoc rectiùs à nobis Angeli vocentur, quò magis ipsorum Hierarchia res euidentiores ac mundanas attingat:* sic vt minora Angeli nuntient, & homines ad diuinam cognitionem ducant, iis propinqui, & custodiæ singulorum deputati, cui se multiplici impendunt obsequio; tenent enim stantes ne cadant, lapsos subleuant vt surgant: nec ita peccantes deserunt, quin semper parati sint opem ferre, quando homines volunt: & quia hic ordo maximè nos tangit, breuiter effectus Angelicæ custodiæ ex sacrâ Paginâ, doctissimo Dionysij interprete monstrante viam, recensebo. Primus est, impedimenta boni & occasiones mali remouere, Exod. 33. v. 2. *Mittam Angelum præcursorem, qui eyciat Iebusæum.* Secundus, tentationes mitigare, Daniel. 3. vers. 49. *Angelus autem Domini descendit cum Azariâ & sociis eius in fornacem.* Tertius est, contra hostes visibiles adiuuare, 4. Reg. 19. v. 35. *Angelus Domini percussit in castris Assyriorum.* Quartus est, orationes nostras & eleëmosynas Deo præsentare, & pro nobis orare, Tob. 12. vers. 12. *Quando orabas cum lacrymis, & ego obtuli orationem tuam Domino.* Quintus est, viam ostendere, Tob. 5. vers. 20. *Ego sanum ducam & reducam.* Sextus est, in agendis docere; habes Zachariæ 2. de Angelo qui instruxit eum. Septimus est, seipsum & alia secreta reuelare, Tob. 12. vers. 15. *Ego sum Raphael Angelus,* &c. Octauus est, à peccatis arcere, Genes. 19. vers. 15. *Cúmque esset manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis.* Nonus, ad feruorem excitare, 3. Reg. 19. vers. 7. *Surge, grandis enim tibi restat via.* Decimus est, consolari, Tob. 5. vers. 13. *Forti animo esto, in proximo est, vt à Deo cureris.* Vndecimus, potestates contrarias arcere, ne tantum nocere valeant quantum vellent, Tob. 8. vers. 3. vbi Angelus Asmodæum ligauit. Duodecimus, de peccato increpare, Iud. 2. vers. 2. dixit Angelus populo Israël, *Cur hoc fecistis,* &c.

Iam si breuiter examinemus, quomodo Virgo Deipara supereminenter hoc

Et contrà, perfectiones omnium inferiorum probant Hierarchiã superiorem.

Dionys. de Hierarchiâ Cælesti c. 9. §. 2. *Angelorum munus.*

B. Maria Virgo idem præstat eminentiore quadam ratione.

hoc Angelorum officium expleat, & consequenter virtutem ad hoc requisitam eâdem præeminentiâ contineat; inueniemus, quòd licet ita altè, non tantùm supra nos sed omnes Angelorum choros sit exaltata; quòd tamen rebus nostris, etiam familiariùs Angelis ipsis, vt pia Mater intersit, ac deliciæ ipsius sint esse cum filiis hominum, eorum curam gerat, pro iis sit sollicita, eorum commodis studeat, non secùs atque si esset custodiæ eorum deputata; non vnius hominis in particulari, vt Angeli, sed capaci sollicitudine, vt S. Antoninus loquitur, custodiens vniuersaliter singulos, & singulariter vniuersos. Quòd si ad particularia descendere velimus Angelorum obsequia, omnia reperiemus Deiparæ erga vniuersos & singulos maiora, quàm eorum singuli alumnis suis singulis soleant præstare; quod, ne longiores hîc simus, facilè patebit, commemoratis Angelorum obsequiis, vbique obuias historias Patrumque sententias accommodanti.

De Cælest. Hierarch. cap. 9. §. 2. Archangelorum munus & virtus:

Secundus chorus est Archangelorum, qui, vt S. Dionysius ait, *Angelis decoro suo, atque ordinato, qui aspectum effugit, ducatu vnionis auctor existit*, &c. vbi dicit officium eorum esse, prophetias reuelare, & reuelationes, quas à superioribus accipiunt, inferioribus annuntiare, & per illos nobis. Secundùm S. Gregorium lib. 2. Moral. munus eorum est, de illis quæ pertinent ad promotionem fidei, & præcipuis mysteriis, vt de Natiuitate Christi, & similibus, homines reddere certiores. *Ita diuinissimus ille Gabriel*, ait cap. 4. §. 4. S. Dionysius, *Mariam erudiuit, quomodo in ipsâ diuinum illud ineffabilis Deiformationis mysterium consummaretur.* Etiam eorum esse sanctus Gregorius dicit, dæmones ab hominibus remouere. Quomodo istis perfuncta sit Virgo Deipara officiis, dubitari non sinit Ecclesia, quæ eam *Reginam* nominat *Prophetarum*; neque Patrum vnanimis consensus, qui dicunt eam admirabilem Apostolorum exstitisse Magistram, præcipuaque fidei mysteria aiunt à Virgine accepisse primitiuam Ecclesiam. Neque Angelorum quisquam, puto, certius poterat de mysteriis diuinæ Incarnationis dare testimonium, quàm illa, de cuius sanguinibus fuerat vir iste infans Deus & homo efformatus. Et si dæmonem pellunt Archangeli, Deipara eum non tantùm fugauit, sed etiam caput eius pedibus contriuit.

B. Mariæ Virgini etiam conuenit perfectiùs.

Principatuum cælestium præstantia.

Tertius chorus est Principatuum. *Nomen* autem *cælestium principatuum*, inquit sæpiùs hîc citandus S. Dionysius cap. 9. §. 1. *significat eorum, cum sacro quodam principalibusq́ue virtutibus conuenientissimo ordine, Deiformiter principandi atque gubernandi potestatem, nec non ad superprincipalem principatum totaliter se conuertendi, & ad ipsum alios quoque principaliter ducendi, ipsiusq́ue principificis formam principatus in semetipsis, quantum fas est, exprimendi, eiusdémque superessentialem ordinandi principatum, in principalium virtutum dispositione declarandi facultatem.* Principatuum ergo officium est, se ad Principatum superprincipalem conuertere, atque alios inferiores eò ducere. Sicut enim lucidus existit, ait Pachymeræ Paraphrasis, qui ad solem conuersus est; ita quoque Principatus, qui ad Principatum superprincipalem intuentur. Ad hos ergo pertinet vniuersale regimen, verbi gratiâ, vnius gentis vel regni ad Dei similitudinem manuductio: secundùm S. Gregorium quoque, eorum ministerium est, docere homines, exhibere reuerentiam vnicuique secundùm gradum suum. Horùm etiam est, promouere homines, vt non propter vtilitatem propriam, sed propter solius Dei amorem & honorem faciant iustitiam. Iam quis fuit Virgine Deiparâ magis conuersus ad Principem illum, cuius imperium super humeros eius? aut quis spiritu magis principali donatus fuerit eâ, quæ non tantùm prouincias & regna, sed orbem propemodum vniuersum debebat ad Principem regum terræ adducere: nam, præter rationem & constantem omnium Patrum traditionem, quòd

Etiam à Virgine Deiparâ superatur.

quòd meritis & precibus eius regna omnia conuertantur, quæcumque veræ fidei illustrantur radiis; infinitæ docent historiæ, eam mirificè fuisse ad multarum gentium conuersionem cooperatam. Docet verò, cuique secundùm gradum suum exhibere reuerentiam; quandoquidem sit vnionis & concordiæ & decentis subordinationis amantissima. Exemplo denique suo, quâ intentione nobis sit virtus exercenda, nobilissimè docet; cùm numquam sit ipsa boni aliquid ex formidine pœnæ aut præmij exspectatione operata, quin simul amore Dei purissimo ita vehementer moueretur, vt licet timor & spes abfuissent, fuisset tamen actio ipsa æque numeris suis omnibus absoluta. Continuit ergo Virgo Deipara eminentissimè primæ Angelorum Hierarchiæ perfectiones, omniumque perfectissimè est functa officiis. Nunc ad secundam Hierarchiam gradum faciamus.

CAPVT IV.

Etiam secundæ Hierarchiæ virtutes à Dominâ nostrâ possidentur.

AD secundam Spirituum cælestium Hierarchiam, vbi *Dominationes*, & *verè potentia diuinarum potestatum atque virtutum spectacula* obiiciuntur contemplanda, subuehente nos pientissimæ Dominæ nostræ auxilio peruenimus. Age ergo, & hîc breuiter cuiusque chori descriptionem audiamus, vt ad eam, quam scimus supra omnes Angelorum choros eleuatam, ex singulis assurgamus. Et *Potestates* quidem Dionysius, quem inter hæc sublimia nacti sumus gnarissimum ducem, ita describit cap. 8. §. 1. *Porrò sanctarum nomen Potestatum coæqualem diuinis Dominationibus Vrtutibusq; distributionem signat, & inconfusum diuinis rebus excipiendis ordinem, nec non intellectualis ac supermundialis potestatis dispositionem; quæ nequaquam tyrannicè in peius potentiæ suæ viribus abutatur, sed & ipsamet animo inuicto aptè ad diuina dirigatur, atque se sequentia benignissimè promoueat, & ad potentifica potestatis principatum, quantum fas est, accedat, eumdemq; prout valent Angeli, præclarissimis potestatiua virtutis suæ functionibus illustret.* Horum ergo munus, Angelos inferiores, quoad fieri potest, diuinæ potentiæ conformare. Virtutis verò est, quod potestate sibi connaturali rectè, sine vllâ ad tyrannidem inclinatione, Dei exemplo vtantur. O præclaram omnipotentis Virginis potentiæ imaginem! Imaginem dico: tantum enim potestas illius Angelicas omnes potestates superat, quantum rutilans ille luminis auctor adumbratam coloribus, aut certè exiguâ luce formatam sui imaginem excedit. Audi S. Petrum Damianum Serm. de Assumpt. ad illa verba, *Electa vt sol: Nihil*, inquit, *habuit spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet: multò enim altius aliquid habet claritas solis quàm lunæ; quia etsi illa minores stellas obscurat, non tamen penitus occultat; hic verò lucidiùs incandescens, ita sibi siderum & lunæ capit positionem, vt sint quasi non sint, & videri non possint. Similiter & virga Iesse, veri præuia luminis, in illâ inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumq; spirituum habebat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint nec debeant apparere.* Non apparent ergo Angelicæ potestates in conspectu huius solis Mariani: *Virgo enim*, inquit S. Bonauentura, *præ omnibus Sanctis potentissima.* Pro quo mox in Spec. cap. 8. citat S. Patrem nostrum Augustinum dicentem: *Nec dubium est, quia quæ meruit pro liberandis offerre pretium, possit plus omnibus liberatis impendere suffragium.* Et Richardus à sancto Victore ad illa Cantic. *Duo vbera tua*, &c. ait: *Credendum, B. Virginem tantum in hoc posse, quantum vtraque simul creatura; imò vtrâque potentior iudicatur, quia vtraque per hanc reparatur.* Ecce potestatem potestatibus maiorem: neque vllâ ratione potest malè aut duriter vti potestate suâ, quæ tota conuersa est in miseri-

Quid sint Potestates:

Quid Maria sit potestatis amplius.

misericordiæ viscera, sic vt tantùm valeat ad clementiam.

Est prætereà Potestatum cælestium, secundùm D. Georgium, munus, illos, qui in spirituali certamine desudant, confirmare, &c, ne regnum spirituale amittant, defendere. Ipsum B. MARIÆ Virginis exercitium, quo gaudet ludere inter filios hominum vt Mater deliciosissima, quæ nos infantes suos vacillantes manibus excipit, imbecillitatem nostram hostibus nos permittendo simul docet, simul firmat; vt ex agnitione imbecillitatis propriæ erudiamur ad cautelam, & à potentis manus auxilio accipiamus victoriam. Virtutes sic describit S. Dionysius vbi suprà, qui ceteros Angelorum choros, diuinissimè: *Sanctarum autem appellatio Virtutum, fortem quamdam & inconcussam denotat virilitatem, in omnes Deiformes earum actiones redundantem, ne quidquam admittant, quo ipsis insita diuinitus illustrationes imminutæ deficiant; quæ magnis viribus ad Dei nititur imitationem, neque motui diuino ignauiâ suâ deest, sed constanter ad superessentialem ac potentificam virtutem intuens, nec non ipsiusmet virtutis, quantum fas est, effecta simulacrum, ad eamdem quidem ceu virtutem principalem conuertitur; ad ea verò quæ posteriora sunt, virtutem iis suppeditando, Deiformiter dimanat.* In quæ sic commentatur Pater Balthasar Corderius: Virtutes sunt infatigabiles ad executionem faciendorum, & robustæ ad perceptionem munerum. Harum officium est, docere Prælatos vt facilè & perseueranter, quæ ad officium prælationis pertinent, exequantur, & ipsius onera sustineant patienter: item per istas miracula fiunt, & virtus faciendi miracula perfectis conceditur. Quis autem, vt verbis S. Dionysij insistamus, tam forti & inconcussâ virilitate seu robore fuit vmquam præditus, quod in omnes actiones redundaret, quàm illa quæ semper ex totâ habitus gratiæq; potentiâ operans, adeò illustrationes diuinitus sibi communicatas minui non siuit, vt in momenta singula incredibilibus augmentis creuerit, donec perfectissimum virtutis diuinæ effecta simulacrum, amoris castissimi atque ardentissimi virtute hinc translata sit ad superessentialem & potentificam virtutem facie ad faciem in gloriâ intuendam. Vnde muneris sui non immemor, beatos Augustinos, Ildephonsos, Bernardos, aliosque Ecclesiæ sanctæ Prælatos tam potenter instruxit ad munus suum facilè & perseueranter obeundum, & tam suauibus recreauit deliciis, quæ auferrent onerum, quæ prælatura adfert, sensum. De Virginis autem quoad miracula patranda supereminenti virtute dicendum foret, si dubium esset, vel an ipsa non plura patrarit, quàm reliqua simul triumphans militansque Ecclesia, vel an vllum patratum sit ab vllo, qui virtutem eam ipsi non tulerit singulariter acceptam.

Virtutes

vincit omni virtutum genere Deipara.

Pergo ad Dominationes, quas ita arcanus noster contemplator & diuiniloquus Doctor depingit: *Nomen quod sanctas designat Dominationes, existimo declarare absolutum aliquem & ab omni terrenâ vilitate liberum ad superna transitum, nullâque penitus tyrannicâ dissimilitudine vllo modo inclinatam, sed liberaliter seueram dominationem, quæ omni abiectâ seruitute celsior, omni deiectione superior, & ab omni dissimilitudine remota, verique dominatus, nec non principij dominationis iugiter auida, cùm ipsa se, tum sibi subdita ad genuinam eius similitudinem, quoad potest, beneficè transformat; & ad nihil eorum, quæ inaniter apparent, sed ad id quod verè est totaliter conuersa, Dominicæ semper Deiformitatis particeps existit.* Cùm Deo seruire regnare sit ac verè dominari, describit sanctus Dionysius Dominationum officium: quòd timore seruili deposito, in Deum moueantur, atque ei incessanter famulentur. Sanctus autem Gregorius addit, etiam esse earum munus, in bello spirituali instruere, qualiter oporteat prælationis officium exercere, & qualiter debeant subditis dominari. Diceres, Virginis Deiparæ dominatum describi, nisi scires in Angelis adumbrari eum potiùs quàm

Dominationes cælestes

ita excedit Virgo, vt mancipia ipsius ad eas referantur.

quàm definiri: describitur ergo coloribus suis mancipatus potiùs Marianus. Cùm enim huius Virginis esse mancipia sit plusquam regium, non video quem ad chorum Angelorum potiùs referenda sit quàm ad *Dominationes*; quas inde dominari dicit sanctus Dionysius, quòd omni abiectâ seruitute celsiorem, omni deiectione superiorem primæ Dominationi præstent famulatum, seq; erigant supra omnium inaniter apparentium appetitum, nemini eorum seruiant: quas conditiones, cùm suo loco ostensuri simus mancipijs B. MARIÆ Virginis esse proprias, tunc scilicet apparebit, quantum illa Domina supra cælestes *Dominationes* sit eleuata, cuius mancipia cum ipsis certant de dignitate. Quòd autem proprium sit Dominæ nostræ, æquè ac Angelicis Dominationibus, in bello spirituali & etiam temporali instruere superiores, quomodo debeant subditis dominari, vna est ex causis, cur mancipatum eius verè regium esse dicamus, Sodalitatemque mancipiorum regiam veluti proprio epitheto insigniuetimus.

CAPVT V.

Supremæ Hierarchiæ proprietates & virtutes Virgini Deiparæ conueniunt.

SED altiùs altiùsque paulatim per Angelorum choros, tamquam scalas quasdam mysticas, ad Dominæ Angelorum sublimitatem conscendimus: vos, quæso, mentes purissimæ, titubantem sæpiùs in viis tam arduis fulcite; tuque, ô Virgo sanctissima, cuius me honor & amor hæc magnificentiæ tuæ

Aeneid. 6. —— *limina tendere adegit*,

porrige, quæso, manum de celso maiestatis tuæ throno, vt per dispositos in septimo Angelorum choro diuinissimos Thronos sic liceat pertransire, vt solidæ innixus veritati, inde possim ad dignitatem tuam, quæ verè es Dei Thronus, contemplandam peruenire. *Thronorum porrò*, ait Areopagita cap. 7. §. 1. *sublimissimorum & excelsorum nomen denotat id quod ab omni terrenâ humilitate siue admixtione secretum est, quòdque ad superiora diuino studio fertur; nec in infimis vllis rebus habitat, sed totis viribus in eo, qui verè summus est, immobiliter firmiterq; hæret, diuinumq; aduentum sine vllâ motione atque materiâ recipit, ac Deum portat, officioséque ad ea, quæ diuina sunt, capienda propensum est.*

Throni portantur à Deo, & Deum portant.

Duabus, quantum capio, de causis huic choro Thronorum inditum est nomen. Prima, quòd ipsi supra res inferiores in eo qui est supra omnia ita immobiliter ac firmiter hæreant, vt sedere ac quiescere in ipso videantur. Altera, quòd Deus ipse admirabili maiestate ita ab ipsis portetur, vt Angelis inferioribus fiat conspectior & quodammodò venerabilior. Sursum corda, sursum ad Thronum illum tet venerandum, ad brachia ista, ad sinum, ad vterum MARIÆ Virginis, in quo iste, qui verè summus est, non per talem communicationem diuinæ suæ naturæ vt communicata Deus non existat, sed per suammet essentiam & substantiam ita incomprehensibiliter requieuit, vt cùm eum Throni illi cælestes istic adorarent, fateterentur se nomine suo indignissimos, si conferrentur cum eâ, quæ de corpore suo in ipso suo corpore Deo thronum tam admirabilem construxerat; si verò quæratur, quàm ipsa immobiliter in eodem Deo suo quieuerit, attingere oportebit stupendam MARIÆ Virginis supra omnes Angelos in bono constantiam: illi enim licet nec peccatorum somitem habuerint qui inclinaret, nec suggestionem externam quæ pulsaret, habuerunt tamen philautiam, quæ eos sollicitaret, faceretque eâ ratione vacillare, vt non prorsus securè quiesceret qui ab iis portabatur; multos enim re ipsâ ad fastum & superbiam extulit, elatos euertit, fortè omnes sollicitauit ingenitus suiipsius amor. At Virgo Deipara, præter fomitis totalem exstinctionem, præter suggestionis omnimodam amolitionem, etiam habuit quiddam quod innatam philautiam

Virgo eum portat magnificentius.

portatur securius.

ob nobiliorem impeccabilitatem.

tiam

tiam opprimeret, siue singularis Dei prouidentia, siue contemplatio assidua, siue denique amor Dei ardentissimus hoc fuerit, quod alibi disputabimus: habuit enim confirmationem in gratiâ prorsus similem illi, quâ Beati gaudent in patriâ per claram Dei visionem. quod manifestè ex Doctore Angelico colligitur, 1. Part. quæst 100. artic. 2. vbi ait: *Ex hoc enim creatura rationalis in iustitiâ confirmatur, quòd efficitur beata per apertam Dei visionem; cui viso non potest non inhærere, cùm ipse sit ipsa essentia bonitatis, à quâ nullus potest auerti, cùm nihil desideretur & ametur, nisi sub ratione boni: & hoc dico secundùm legem communem, quia ex aliquo priuilegio secùs accidere videtur, sicut creditur de Virgine Matre Dei.* Fuit ergo tam firmiter hæc Dei sedes collocata, vt numquam vacillauerit, nec commoueri omnino potuerit, hoc est ipsa firmissima, vt securè consideret in eâ Deus maiestatis, id quod Thronis Angelicis non contigit; qui tempore viæ suæ omnes fuerunt ita periculosè concussi, vt multi insidentem sibi Deum excusserint.

Cherubim toti sunt in cognitione diuinorum;

Transeo ad Cherubim: quorum nomen copiam lucis seu cognitionis diffusionem significat: de his verò auctor noster Hierarchicus suprà sic ait: *Declarat Cherubim eorum* qui primâ Hierarchiâ continentur *vim cognoscendi, Deúmque contuendi, & exuberantis capacitatem luminis, atque contemplandi in ipsamet primæuâ virtute diuinam venustatem, nec non sapientificæ traductionis artificium, quo ad inferiora donatam sibi sapientiam sine inuidiâ deriuant, atque transfundunt.* Notum est, Cherubim Ezechiel. 1. cap. plena oculis describi ob cognitionis abundantiam. & Pachymeres ait: *Cherubim intelligunt ac contemplantur diuinam claritatem, cognitione mouentur ad id quod verè est amabile, nec non illustrationem accipiunt à Deo per virtutes ipsis anteriores, & diuinam scrutantur pulchritudinem, in virtute nimirum primigeniâ, secundùm quam præ ceteris primo loco, vnà cum Thronis & Seraphim hauriunt apparitionem.* Sed quid dicemus de Virginis Deiparæ cognitione, cuius in vtero CHRISTVS, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ*, corporaliter requieuit? quæ, secundùm sanctum Bernardum, *diuinæ sapientiæ, vltrà quàm credi potest, penetrauit abyssum: vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* de quâ prætereà Andreas Cretensis Ser. 2. de Mariæ dormit. dicit: *Maria est fons, qui non potest exhauriri, diuinarum illuminationum. Quam introduxit Rex* ipse *in cellaria sua*, Cantic. 1. *Et quæ sunt*, inquit ipsa apud Rupertum in hunc locum, *illa cellaria Regis Dei? nimirum sacra mysteria, quæcumque continentur Scripturis sanctis: nihil enim à me abscondit, sed omni dulcedine suâ me inebriauit. Qui enim verbum suum, quod erat & est in corde suo mihi totum infudit, quomodo non etiam cum illo mihi omnia donauit.* Quam scientiarum copiam, quam diffusionem cognitionis habuerit illa, quam superasse contendimus ipsa Cherubim, Albertum Mariodidactum interrogemus; qui cap. 141. Marialis ait: *Decima conclusio ex prædictis omnibus, quòd Maria nullius rei propriè habuit ignorantiam.* habuit enim scientiam per se infusam, quâ res spirituales & à sensibus remotas per species proprias independenter à phantasmatibus agnoscebat. Ita sentiunt D. Bernardinus Senensis Tom. 2. Serm. 51. artic. 1. cap. 2. Gerson super Magnificat, Alphabet. 79. littera Q. P. Franciscus Suarez 3. Part. quæst. 37. artic. 3. disput. 19. sect. 3. P. Quirinus de Salazar de Immaculata Conceptione cap. 32. §. 3. num. 41. denique Albertus Magnus plurimis in locis, sed nominatim in Marial. cap. 132. & 149. qui etiam cap. 149. docet, eam incarnationis opus intuitiuâ & perfectissimâ cognitione ad horam agnouisse, & aliarum fortè etiam rerum supernaturalium claram & intuitiuam notitiam aliquando habuisse. Non capimus nos quidem, neque Cherubinorum neque

sed cognoscendi sublimitate victi sunt à Mariâ.
Ad Coloss. 2.
Serm. Signum magnum.

Angelorum intelligendi modum, quòd nimis sit supra imperfectam nostram phantasmatum speculationem eleuatus; sed ausim dicere, quòd Cherubim primi inter ipsos intelligendi fontes minùs etiam percipiant sublimitatem, & pænè diuinam cognitionis rationem, quâ Deipara luci isti inaccessibili fuit immersa. Sed hæc obscura nobis & inaccessa mysteria cognitionis omittamus, vt Seraphim ardentia videamus, & Virginis fauore sentiamus ardorem. Qui *incensores*, vel *calefacientes* ideò dicuntur, quòd bonitati infinitæ proximi primas hauriant amoris flammas, quibus ita inardescunt, vt nihil nisi ignis & amor ipsi videantur. S. Dionysius sic eos describit: *Perennem siquidem atque incessantem eorum* (qui primâ Hierarchiâ continentur) *circa res diuinas motionem, feruoremq́, & acumen, & efferuescentiam intentæ ac numquam intermissæ numquámve declinantis motionis, subditosq́, ad superna surrigendi, & ad consimilem feruorem re ipsa suscitandi inflammandíque, nec non coruscanter penitúsque conflagranter eos perpurgandi facultatem, & abscondi nesciam inextinctamq́, semper eodem modo se habentem, luciformem & illuminatiuam proprietatem, omnis tenebricosæ obscuritatis expultricem & aboletricem, nomen Seraphim luculenter designat.* Proprium est ergo Seraphim in amore Dei ardere, & alios ad incendium diuini amoris promouere, & ordinatè diligendi formam tribuere: & quia immediatè Deo iunguntur, idcircò principaliùs & perfectiùs in ipsis sunt Theophaniæ, & ad aliud extraneum amoris obiectum non diuertunt. Quid autem? an non plusquam Seraphinum describit sanctus Ildephonsus Serm. 1. de Assumpt. dum ait: *Beatam* MARIAM, *velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, & igniuit; ita vt in eâ Spiritus sancti flamma videatur, nec sentiatur nisi tantùm ignis amoris Dei*. Da huic magno Virginis sacellano verba, vt exprimat super Seraphicam Dominæ suæ charitatem, ne dicat, nihil aliud esse Virginem quàm amorem. Quis neget ferrum vbi incanduit, penitusque dococtum ab igne est, transiisse in ignem: explora visu, tactu experire, nihil præter ignem inuenies: exteriùs illud contemplare, intimas eius medullas peruade, nihil vmquam reperies, quod non in ignem transierit: eâdem inquit ratione, Virginem MARIAM Spiritus sanctus, diuinus ille ignis & charitas, totam decoxit, totam peruasit, totâ in ignem amoremq́; conuertit. In stuporem dabat hæc flamma diuini amoris Ecclesiasticæ Hierarchiæ Seraphinos, cælestibus illis, credo, amore non inferiores, quando ad Virginis Deiparæ exequias conuenerant. ait enim S. Ioannes Damascenus Orat. 2. de Dormit. Virg. inter alia quæ in Incarnationis mysterio lucent miracula, hoc in primis admiratos fuisse Apostolos, ac tum hymnis celebrasse: *Quonam pacto Virginis corpus, quod ex materiâ concretum est, atque ad fæni naturam accedit, huius claræ Deitatis ignem consumendi facultate præditum exceperit, atque auri instar purum exstiterit*. Sed nihil opus est verbis hanc Virginis supra ipsos Seraphinos charitatem probare, cùm id S. Anselmus cap. 4. de Excell. Virginis ex professo fecerit, ibique concludat: *Superat ergo omnes omnium rerum creatarum amores & dulcedines magnitudo amoris istius Virginis in Filium suum, & dulcedinis immensitas, quâ exultabat & liquefiebat anima eius in eumdem Dominum Deum suum.* Erigite ergo de terrenis cogitationibus animos, quicumque vos profitemini tantæ Virginis mancipia, vt supra omnem Angelorum sublimitatem euolantes, perennem & incessantem Dominæ vestræ circa res diuinas actum feruoremque, & acumen & efferuescentiam intentæ ac numquam intermissæ numquámve declinantis motionis consideretis; tum isti essentiæ, quæ post substantificum Dei principatum collocata, & quasi in vestibulo eius sita, creatam virtutem omnem tam inuisibilem quàm visibilem transscendit, omnesque Angelicarum Hierarchiarum Virtutes superemi-

nenter

Seraphim amore incandescunt:

B. Maria Virgo tantum non mutata in amorem.

Conclusio.

nenter complectitur, propriam quamdam & quasi Monarchicam Hierarchiam esse concedite.

CAPVT VI.

Quòd ratio specialis Hierarchiæ, quæ Virginem Deiparam in gradu tam sublimi constituit, consistat in imperio & absoluto in res omnes dominio.

VIRGINEM Deiparam per se Hierarchiam constituere diximus & probauimus, eamque propè tantum supra res omnes creatas extulimus, quantum prima & increata Substantia ipsam excedit; id modò restat indagandum, in quo consistere videatur ista dignitas Hierarchica, quam ipsi tam eminentem tribuimus. Fateor me, quòd sciam, ducem non habere in hoc itinere, qui apertè ita præcedat, vt eius pronuntiando verba, quasi per eadem incedere possim vestigia: quapropter diligentiùs inquirendum, an nusquam Scriptura quasi intento digito viam monstret, vel an nihil possimus è Patribus aut ratione colligere, quod nos in notitiam ducat tantæ excellentiæ. Et quidem Scripturam audio Psalm. 44. dicentem Deo, *Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* quibus verbis videtur non obscurè indicare quod quærimus. Cùm enim Propheta per medios Angelorum choros ad ipsum Dei thronum piâ contemplatione euolasset, tanto interuallo supra omnia quæ transierat vidit B. MARIAM Virginem eleuatam, vt respectu spatij interiacentis ipsi Deo propior videretur, quàm creaturis quas transscenderat: itaque reflectens ad tantæ præcellentiæ dignitatem, & accuratiùs prophetico spiritu Virginem intuens, fortasse præuidit quod sæculi nostri Theologus P. Franc. Suarez Tom. 2. in 3. Par. disp. 21. sect. 4. disertè affirmat, Deiparam scilicet habere in corpore singularem aliquem & admirabilem splendorem, vel aliquid aliud, quod sit veluti insigne regiæ dignitatis & diuinæ maternitatis, ac principatus & dominij in omnes beatos; ideoque admirabundus, *Adstitit,* ait Deo, *Regina à dextris tuis. Adstitit,* non par, sed proxima, Hierarchiam faciens à te & Angelis separatam. At qualis adstitit? Regina, Domina, Hera creaturarum omnium. ac si diceret: Iam non miror tam propè abesse à te creaturam illam, quam tu regio diademate cinxeris: nec enim poterat non eximi seruorum numero, quæ imperium debebat tam absolutum in creata omnia obtinere. Quod ergo primùm stupeo & adoro, est, quod Regina sit quæ tibi adstitit: hic enim, quantum video, est proprius & particularis ipsi dignitatis gradus. Pertransiui choros Angelorum sæpiùs, & distinctè eos perfectionibus vidi alios alijs præstare & præesse, sic vt inferiores à superioribus purgentur, illuminentur ac perficiantur; sed seruorum ac ministrorum istæc est inter se coordinatio, necessaria ad bonam domus istius cælestis œconomiam: potestatem itaque quamdam in se inuicem exercent, & pro istâ potestate auctoritatem obtinent maiorem, ac dona recipiunt ampliora, chorumque altiorem constituunt. At hæc quæ tibi adstat, aliâ prorsus ratione supra ceteros est eleuata: refulget enim in capite eius corona stellarum duodecim, regiam induta est trabeam ex solis splendidissimâ luce contextam, lunam habet sub pedibus: hoc est, vt ait [a] S. Antoninus, *Ecclesia non tantùm sub eius est patrocinio, verùm etiam sub dominatione & potestate.* [b] *Hanc Deus cunctæ secum creaturæ perenni iure dominaturam in throno gloriæ suæ collocauit.* [c] *Hæc omnes res creatas superat, omnibus dominatur operibus, super cælos cælorum extollitur* incomparabiliter; sed & circumdata est, prout Reginam decet, tantâ perfectionum, donorum priuilegiorumque varietate, vt omnia quæ per alios diffusa sunt, ipsa collecta possideat. Indicare ergo Propheta Regius videtur, Hierarchicam hanc Virginis dignitatem præcisè in regno eius atque imperio consistere; ideoque quam adstare

Nemo hoc in terminis sentiti;

sed indicat Scriptura:

eius interpretatio.

[a] Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 20. §. 2.

[b] Anselm. de Excell. Virg. c. 4.

[c] Damasc. Orat. 2. de Dormit. Virg.

Idem colligitur ex D. Antonino,

videbat Deo, Reginam appellat. Idem videtur fuisse S. Antonino sensus suprà, cùm ex eo quòd Virgo sit Domina, probat eam Hierarchiam constituere per se singularem: inutile namque erit argumentum, nisi in hoc quòd sit Regina & Domina, tantum sit dignitatis, vt eleuet ipsam ad statum istum Hierarchicum. Eadē videtur apertissima S. Bonauenturæ sententia in Speculo c. 6. vbi verba ista quæ habentur Esther 2. *Ducta est itaque ad cubiculum Regis Assueri, & adamauit eam Rex plusquam omnes mulieres, habuitq; gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni eius in capite eius.* sic applicat B. MARIÆ Virgini: *Ista*, inquit, *Esther Regina B. Virgo* MARIA *ducta est in cubiculum Regis æterni in assumptione, in cubiculum quietis æternæ, gratiam veri Regis habens super omnes mulieres, id est, super omnes intelligentias Angelicas, & super omnes beatas animas, vt sit in Mariâ gratia super gratiam omnium Beatorum: nam reuerà in capite eius Rex regum diadema regni posuit tam impretiabile, tam delectabile, tam mirabile, quod hoc omni linguæ inenarrabile, omni ingenio inscrutabile est.* Audis in quo ponat istam inenarrabilem & imperscrutabilem Deiparæ supra alios gloriam? quòd scilicet Rex regum diadema regni capiti eius imposuit: ideò Rupertus lib. 3. in Cant. 4. ista, *Coronaberis de cubilibus leonum & montibus pardorum*, sic exponit: *Coronaberis, vt in cælo Regina Sanctorum, & in terris Regina sis regnorum.* Ex quibus concludere possumus, ipsum illud, quod Virgo Deipara ceteris Hierarchijs habet in cælis excellentius, esse rationem imperij atque dominij, quod in creata omnia obtinuit die incarnationis; & cuius possessionem solemniter adijt gloriosissimâ luce assumptionis. quod ita exprimit S. Anselmus lib. de Excell. Virg. cap. 8. *Deus ipse huic pijssimæ Matri suæ de hoc mundo migranti occurrit, eamq; super omnes cælos exaltatam, cunctæ secum creaturæ perenni iure dominaturam in throno gloriæ collocauit.* Quod solidissimè ex nomi-

sancto Bonauenturâ,

& Ruperto.

nis ipsius etymologiâ probatur: vidimus namque Doctorem nostrum Hierarchicum, cuiusque chori Angelici descriptionem, profundamque naturæ ac virtutis singulorum contemplationem ex nominibus eorum traxisse. Quod argumentum ideò in re obscurâ iudicauit efficacissimum, quod non nisi diuinâ reuelatione cognita eorum nomina, sine dubio breui compendio explicent rei reuelatæ naturam Quis autem dubitat, an non maiori, si ita loqui fas est, cæli curâ ac studio inditum Matri Dei nomen, quàm eius famulis? quis ignorat, hoc minùs obscurè, quàm Angelorum nomina, fuisse reuelatum? quis denique non scit maiora hoc continere mysteria, quàm vllum omnino nomen quod vocatur in cælo aut in terrâ, post veneranda ista Dei & IESV Seruatoris nostri nomina? Igitur Doctor Angelicus Opusc. 8. de Plenitud. gratiæ Virginis, postquam vocasset Virginem totius sanctissimæ Trinitatis nobile triclinium, subdit: *Ideò conuenienter Maria Syriacè Domina interpretatur.* quæ verba non violentè eò trahi possunt, vt probare videantur quod intendimus: ex S. Dionysio namque habemus, eò quamque Hierarchiam nancisci locum sublimiorem, quò in eam immediatiùs Deo assistentem primæuæ Dei apparitiones & imitationes principaliùs deriuantur; & quò Deus magis in ipsâ, vt sic loquar, requiescit. Cùm ergo triclinium sanctissimæ Trinitatis Virginem appellat Angelus Doctorum; nónne id videtur dicere, familiariùs, suauiùs magnificentiusque in eâ Deum requiescere quàm in tribus Angelorum Hierarchijs? per quas cælum vniuersum factum est quasi vastissimum sanctissimæ Triados triclinium, tribus Hierarchiarum distinctis cubiculis, atque in singulis tribus diuersorum chororum lectulis excipiens sanctissimam Trinitatem iucundissimè epulantem: hoc est, per illustrationes diuinas omnia quodammodò conuertentem in suam substantiam, dum ea reddit sibi quàm fieri potest, simillima eâ similitudine

Probatur ex nomine Mariæ

magna etymologiæ in hac materiâ vis.

Quò quis propinquior, eò sublimior.

Triclinium sanctissimæ Trinitatis sunt Angelorum Hierarchiæ.

Magis particulare triclinium Mariæ;

tudine ac Dei imitatione quæ creaturæ permittitur. Quid ergo est, Mariam esse sanctissimæ Trinitatis nobile triclinium, nisi eam nobiliùs atque perfectiùs dictâ ratione Deum excipere, magisque conuerti in ipsum ac deificari, quàm omnis Angelorum toto cælo dispersa multitudo? Est enim ipsa cubiculum in interiore parte cubiculi; est triclinium siue cœnaculum Dei curiosiùs exornatum; illi Neronis simile, in quo ipse cæli cursum cum omnibus cælestibus luminibus ita de gemmis formauerat, vt mundum ibi totum pretiosiùs in paruo lucentem liceret epulanti intueri. Constituebat ergo Virgo Deipara veluti deliciosius Dei triclinium, Hierarchiam ceteris omnibus sine vllâ comparatione superiorem. Sed in quo consistebat præcipua eius dignitas? Audi. *Ideò conuenienter Maria Syriacè Domina interpretatur.* Ex nomine collige Hierarchiæ istius proprietates, prout ceterarum virtutes ex nominibus rimamur: *Maria* autem *Syriacè Domina interpretatur*; vt scias dominium absolutissimum in omnia esse, quod eam constituit in tantâ dignitate: ipsa namque Regi supremo ac dominorum omnium Domino immediatissimè coniuncta & aliquo modo vna caro, resq; vna cum ipso effecta, tam admirabili ratione participauit dominij istius excellentiam, vt non sit nisi Maria, id est, Domina, Regina, Imperatrix, & Monarcha, vt loquitur sanctus Antoninus 4. Part. tit. 15. cap. 22. §. 9. Et hoc est quod ei annuntiabat Gabriel Archangelus, dum diceret, *Aue gratia plena, Dominus tecum*; nô enim tam omittebat ex reuerentiâ nomen Virginis, quàm ex legationis officio interpretabatur: cùm enim nuntiaturus veniret ei summum illud mysterium, vnde omnis in ipsam dignitas, & ante omnia redundaturum erat hoc, de quo loquimur, dominium, eam nomine proprio & dignitatis titulo ita compellat, vt simul rationem det hierarchicam, cur ei nomen hoc titulusque conueniat. *Dominus tecum*, inquit: formalissimè loquitur. *Dominus*, quà Dominus, *tecum est*; hoc est, omnem rationem dominij, cuius pura creatura est capax, tibi communicat, ac ita absolutissimo titulo te Mariam, hoc est, Dominam omnium constituit. Hanc autem nominis Virginei voco rationem hierarchicam, quòd S. Dionysius Hierarch. Cælest. cap. 4. de Angelis dicat: *Hæ igitur sunt* (essentiæ scilicet) *quæ primariò & multipliciter Deum participant, & in primis ac multis modis arcanum Dei manifestant: quamobrem præ ceteris omnibus per excellentiam Angelicum cognomen meruerunt, quia ipsæ primùm à Deo illuminantur, & per ipsas nobis nostræ reuelationes transmittuntur.* Probat inquam ex modo sublimiori, quo Deum perfectiùs & citiùs quàm aliæ creaturæ participant, eas in Hierarchiâ constitui superiore, Angelorum nimirum, hoc est nuntiorum seu legatorum Dei; cùm per ipsos reuelationes atque illustrationes diuinæ ad nos transmittantur. Quid autem Gabriel? *Dominus*, inquit, *tecum*: tibi propinquissimus ac maximè vnitus omni vnione quâ possunt res diuinæ coniungi. Primò, spirituali, quâ Deus iungitur animæ. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo*, 1. Corinth. 6. Secundò, personali, vniendo portionem carnis Marianæ sibi in vnitatem personę. Tertiò, naturali, qualis est arboris ad fructum, & matris ad filium. Quartò, Sacramentali, quæ intercedit inter sponsam & sponsum: tu enim verè sponsa Christi, & Spiritus sancti. Patet ergo ex tot coniunctionibus, Virginem Deo esse propinquam, eumque maximè participare: quòd autem per illam nobis reuelationes transmittuntur, nobiliùs quàm per vllum Angelorum, patet quòd per ipsam nobis reuelatus est in carne personaliter, quem Angeli numquam poterant tali formâ concipere, multò minùs nobis reuelare: indicat igitur hoc verbo Archangelus, eam esse supra ipsas Angelorum Hierarchias eleuatam: in quo autem ratio ipsius hierarchica consistat etiam explanat, vt attigimus, quando Dominum cum ipsa esse dicit, formaliter ipsi communicando suum in creata omnia dominium.

simile Neronis cœnaculo.

Hoc est, Deus familiariùs in eâ quiescit;

ideò vocatur Domina.

Verba Dominus tecum, sunt nomen Mariæ,

& ratio hierarchica nominis.

Quomodo sint nomen.

Quare ratio hierarchica.

Deus quatuor modis cum Virgine.

CA-

CAPVT VII.

Hierarchicum B. MARIAE *Virginis imperium esse tale, vt nos non tantùm subditos, sed etiam mancipia eius constituat.*

BENE habet: iacta sunt altissima Operis totius fundamenta: Virgo Deipara supra omnes Angelorum choros ad Hierarchiam particularem est exaltata; eaque ipsius sublimissima dignitas, in imperio atque dominio constituta. Quid iam vlteriùs dissimulo, quin finem huius meæ scriptionis ac totius intentionem Operis apertè prodo? Iam per omnes Angelorum choros succollante Areopagitâ Dionysio volitaui, vt supra omnes Imperatricem, Reginam ac Dominam Mariam, in sede Maiestatis suæ, in throno gloriæ Filij Dei collocatam, atque sceptri loco quàm familiariter tam potenter innixam super Dilectum suum contemplarer: tempus est, vt inde ad nostram vilitatem & abiectionem per eosdem ac propemodum infinitos alios gradus descendam, vt sublimitatem istam, quam conuenienti magnificentiâ colere non possumus, debitâ nostri demissione adoremus. Adoremus, inquam, cultu hyperduliæ, qui neque Deo, quia maior est, neque creaturæ vlli, quia Virgini nulla par est, tribui possit; faciamusque ei magnitudini, quam Deum inter creaturasque omnes reliquas medium quemdam statum atque Hierarchiam singularem constituere dixi, medium inter vtrumque cultum, ac singularia quæ nulli extremorum conueniant obsequia. Hoc est: Agnoscamus nos, atque præstemus, quod verè sumus, tantæ Reginæ ac Dominæ non tantùm subditos, sed etiam seruos & mancipia; non quidem agnoscentes in eâ parem Deo sublimitatem, sed nos quantâ possumus inclinantes humiliatione: numquam enim tantùm nos demittemus, quin plus mereatur ista Dominæ nostræ dignitas. Huc, huc intentionem dirige, huc mentem præpara quisquis Hierarchiam Marianam contemplaturus accedis: hoc est, quod docere te volo, non vt dignitatem Virginis Deiparæ, quam solus capit qui de eâ natus est, tu comprehendas, sed vt pro capacitate & gratiâ, quam tibi Virgo Deipara impetratura est, luci ac splendori eius magnificentiæ immersus, hoc vnum addiscas, talem esse quam contemplatus es, vt meritò ei ab omni creaturâ humillimo mancipatu seruiatur: teque feruidâ pietate impellas, vt libenter inijcias pedem tuum in compedes illius, fiasque humillimum Virginis Deiparæ eiusque dulcissimi nominis MARIÆ mancipium: ad quod præstandum quàm multis grauibusque rationibus omnes obligemur, deinceps examinabimus, cùm titulos imperij atque dominij Virginis Deiparæ trademus. Licet enim, quod Almainus lib. de Potest. Eccles. cap. 8. tradit, aliquis possit esse Rex eorum, quorum non sit Dominus, & Dominus quorum non est Rex; & Aristoteles 1. Pol. cap. 3. dicat, Ius regium non esse dominatiuum: nihil enim est quàm iurisdictio temporalis, cuius actus sunt iusta præcipere, mala prohibere, &c. Dominium autem est ius vtendi re aliquâ in omnem vsum: est tamen eiusmodi Hierarchicum Virginis MARIÆ imperium, vt non tantùm per id vasalli, vt loquuntur, vel subditi constituamur, sed etiam serui eius atque mancipia. Est enim aliâ ratione Virgo mundi Regina, quàm ceteri Reges & Principes, & multipliciter aliâ; quæ diuersitas ex ipsius regnorum fundamentis est eruenda. Notum est omnibus prima politiæ humanæ rudimenta nô ignorantibus, Regem propter regnum, non regnum propter Regem esse: vnde illa nascitur in Regibus obligatio, quòd teneantur ex officio pro sustentatione, honore, obseruantiâ & tributis quæ à subditis accipiunt, vicissim curam & sollicitudinem circa commune bonum ipsis impendere; neque subditi, serui aut mancipia Regum sunt, sed potiùs ipsi coguntur subditorum commoditatibus deseruire. *An nescis,* dicebat filio suo Antigonus, *imperium honoratam esse seruitutem?* Contrà

Intentio totius Operis;

vt Mariam debitâ nostri ad mãcipatum demissione veneremur:

Dominium enim ipsius nos seruos eius facit:

aliter, atque aliorum Regum imperia, quĩ ipsi ferè sunt suorũ mancipia.

Ratio est; quia nos & mundus propter illam facti: trà verò in regno Dominæ & Reginæ nostræ non ipsa propter nos, sed nos propter illam facti sumus: non illa Regina facta, vt nos commodè regeremur, sed nos subditi illius creati, vt ipsa gloriosè imperaret. Stabilire oportet hanc veritatem; vnde maximus in Virginem honos, & maxima in nobis seruiendi obligatio oritur. Rabbi Haccados, Christo & Virgine sæculis aliquot antiquior, apud Galatinum lib.7.cap.1. *Ideò*, inquit, *mundum Deus creauit, quia viderat ex Israel excidendam petram sine manibus, puta beatam Virginem, ex quâ Messias proditurus erat, iuxta illud: Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Idem cap.2. alium ex eâdem disciplinâ Rabbinum Onkælos citat dicentem: *Propter sapientiam creauit Deus cælum & terram; hoc est, amore intemeratæ Virginis, quæ est mundi sapientia, creauit Deus hunc mundum, & amore Messiæ Filij sui, cui in diuinis sapientia attribuitur: non solùm amore Virginis conditus est mundus, sed etiam sustentatur. Ob scelera enim innumera, quæ mundani committunt, nullo pacto consistere posset; nisi ipsum gloriosa Virgo cum suâ misericordiâ & clementiâ pro nobis orando sustineret.* Et familiare erat Rabbinis, vocare Matrem Messiæ *primum hominem. Primum*, quòd dignitate omnes excelleret; quòd finis & scopus esset reliquorum; quòd in prædestinatione & decretis Dei fuerit initium viarum eius: quia, vt more suo curiosè & piè docet Suarez 3. p. tom.2. q.27.disput.1.sect.3. Mater à Filio non fuit disiuncta in electione diuinâ. Sed quid opus externis Rabbinorum auctoritatibus, cùm Andreas Cretensis clarè dicat: *Hæc est declaratio profundorum diuinæ incomprehensibilitatis: hic est scopus, qui excogitatus est ante sæcula.* & clariùs S. Bernardus Serm. 1. in Salue Regina: *De hac*, inquit, *& ob hanc, & propter hanc omnis scriptura facta est: propter hanc totus mundus factus est: & hæc gratiâ Dei plena est: & per hanc homo redemptus est: Verbum Dei caro factum est; Deus humilis, & homo sublimis.* Audis quàm eâdem assecueratione dicat mundum propter D. Virginem creatum esse, quâ verbum per illam carnem factum esse affirmat. Ideò S.Epiphanius eam vocat *cæli terræq́ mysterium*; ideò Bernardus alibi *negotium sæculorum* dicit: quia scilicet huc collineabant omnia sæcula, vt dignas huic Dominæ suæ præferrent figuras, quibus eam quàm possent exactissimè adumbrarent; ideò Deus videbatur tot dona & gratias in Heuam, Saram, Rebeccam, Rachelem, Iudith, Abigail, ceterasq; Testamenti veteris Heroinas dispergere, vt inde colligere possimus, qualis esset earum omnium collectarum in Virgine pulchritudo. Ideò Deus omnia creauerat, vt mundus hic mole quidem magnus, sed in Virginis comparatione, virtute exiguus, idea quædam esset istius microcosmi gratiarum, quem operum suorum maximum Deus per hunc materialem figurabat. S. Birgittæ Reuelationes id docent in Serm. Angel. cap.5. *Mundo itaque & creaturis omnibus præter solum hominem perfectis, & diuino aspectui cum pulchritudine reuerenter assistentibus, adhuc vnus minor mundus coram Deo cum omni venustate nondum creatus astabat; à quâ maior gloria Deo, & Angelis maior lætitia, atque omni homini eius bonitate frui volenti maior vtilitas quàm de hoc maiori mundo prouenire debebat.* deinde minorem hunc mundum Deiparam esse dicit. Age, inambulemus nonnihil in hoc cælesti paradiso, & passu vno aut altero ad verba illa perueniamus, vbi paullò inferiùs eadem Sancta sermonem ad Virginem dirigens, inter flores & fructus suauiter deliciari videtur: *Florigeris*, inquit, *ac fructiferis arboribus comparari possent opera tua: nam cum tantâ charitate ea factura eras, quòd plus omnium florum pulchritudine, & fructuum suauitate, Deum atque Angelos delectare debebant; præsertim cùm sine omni ambiguitate credendum sit, Deum in te ante tuam creationem plures virtutes præuidisse quàm in omnibus herbarum, florum, arborum, fructuum, lapidum, gemmarum seu metallorum generibus, quæ inueniri possent in totius mundi ampli-*

ita vt omnium sæculorum negotium fuerit eam adumbrare;

& mundi structura tantùm idea quadam sit Mariæ;

amplitudine: vnde non mirum, si Deus in te, ô minor munde, qui adhuc creandus eras, magis delectabatur, quàm de hoc maiori mundo. Iucundum foret hîc per Plinios, Dioscorides, Matthiolos; Dodonæos discurrere, vt quot ipsi florum, herbarum ac rerum naturalium virtutes animaduerterunt in magnâ hac rerum mole, tot nos multò efficaciores ostenderemus in illo microcosmo; qui MARIA dicitur; sed illis iam non est locus, redeundumque potiùs in viam, vnde nos argumenti suauitas penè abduxerat: quamuis hactenus non planè abiuimus; huc enim redit tota illa Virginis cum mundo comparatio, vt intelligamus materialem hanc machinam factam esse propter illam, quæ non materiæ mole, sed virtute & gratiâ illam superauit. Si enim *cæli enarrant gloriam Dei, eleuata est,* inquit Propheta, *magnificentia tua super cælos. Singularis magnificentia Dei,* inquit S.Bernardinus Senensis, *fuit Virgo: quia in eius exaltatione plus magnificatur, & etiam in eius humiliatione, deuotione, gratiarum actione, & omnium bonorum Dei fruitione plus ipsa magnificat Dominum, quàm omnes creaturæ aliæ simul sumptæ.* Vnde meritò eleuata dicitur super cælos. Si gloriâ Dei plena est terra: *Quidquid post Deum,* inquit S.Bonauentura, *pulchrius, quidquid dulcius, quidquid iucundius est in gloriâ, hoc* MARIA, *hoc in* MARIA, *hoc per* MARIAM *est.* Concludamus ergo, Reginam nostram & Dominam esse iure optimo B.MARIAM Virginem; sed Reginam, quæ non nostri causâ euecta sit ad imperium, sed cuius nos causâ editi sumus in lucem, ita vt omnis nobis viuendi ratio sit MARIÆ famulatus & seruitus. S.Ioannes Damascenus Orat. de Assumpt. *In cælo ac regijs sedibus sic Regina, Domina, Hera, ac verè Mater ac genitrix Dei deposita es.* Reginam dicit, ob politicum & ciuile imperium: Dominam, ob directum rerum omnium dominium: Heram, ob potestatem in seruos & mancipia, *ratione cuius verè & propriè* (verba sunt P. Salazar in Prouerb.cap.8.) *serui illi mancipati, vel*

Psalm. 18. v.1.

quæ est Dei magnificentia:

mancipia sub eius ditione constituta appellari debent, Angeli scilicet, homines, & dæmones. Cum ergo imperium illius multò in nos sit perfectius quàm Pharaonis erat in Ægyptios: qui cùm ei bona & agros, semetipsos præthereà vendidissent; habebat scilicet Rex non tantùm commune in omnes imperium, sed priuatum in singulos dominium: dicamus huic Reginæ nostræ cum Ægyptijs: *Salus nostra in manu tuâ est: respiciat nos tantùm* Domina nostra, *& læti seruiemus ei.* &; vt Hebræa dicunt; *Viuificasti nos* (nam propter te, vt ostensum est, vitam accepimus) *inueniamus gratiam in oculis* Dominæ nostræ, *vt simus serui eius.* nam pro magno beneficio reputabimus, si nos in seruitutem, & consequenter in curam ac prouidentiam tuam recipias: satius est enim tibi seruire; à te regi, à te pendere, quàm nostrâ libertate frui, nos regere, nostra curare, & nobis prouidere. Imperium itaque Regina nostra habet, quod nos ipsi mancipia constituat, ipsam verò super omnes Angelorum choros ad Hierarchiam particularem extollat. Igitur ad Hierarchiam B. MARIÆ Virginis stabiliendam, imperij eius varios titulos inquiram; quibus ijsdem cõfirmabitur, nos esse mancipia istius Reginæ, quæ tale tamque absolutum tot nominibus obtinet in creata omnia imperium.

huic ergo seruire, quauis libertate est melius.

CAPVT VIII.

Quòd B.MARIAE *Virginis imperium fundetur in maternitate Dei. Hîc nominatim, quòd Mater à Filio Rege potestatem regiam accipit.*

ILIADEM Homeri tam exiguæ inscriptam papyro, vt nuci includeretur, numquam sine admiratione commemorant Scriptores: verùm ego, tot volumina in laudem B. MARIÆ Virginis edita, tot scripta de ipsâ encomia, tot solutâ, tot vinctâ oratione recitatas panegyres duobus posse verbis includi, magis obstupesco. Includi propriè dico: cùm enim omnia collegeris, nondum vnicum ijs impleueris titulum his

Titulus MATER DEI, *omnia*

his verbis expressum *Mater Dei*: omnia enim ista capit, & quæcumq; in finem vsque mundi dicentur de Virgine, capiet verbum hoc *Mater Dei*. *Non est equidem quod me magis delectet*, inquit sanctus Bernardus Serm.4.de Assumpt. *sed nec est quod terreat magis, quàm de gloriâ Virginis* MARIÆ *habere sermonem*. & mox: *Tanto eam deuotionis affectu amplectuntur vniuersi, vt licet de eâ loqui gestiant omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso quòd dici potuerit, minùs gratum sit, minùs placeat, minùs acceptetur*. Hoc est studium omnium eorum qui lacte Virginis nutriuntur, vt in titulum istum admirabilem Matris Dei libentissimè commententur; sed hoc eos subinde auocat ab incepto, & mentem dubiâ formidine suspendit, quòd quidquid dixerint de titulo isto indicibili, eo ipso quòd dici potuerit, minùs gratum sit: *Cùm hoc solùm de beatâ Virgine prædicare, quod Dei Mater est, excedat omnem altitudinem, quæ post Deum dici vel prædicari potest*, vt ait S. Anselmus lib. de Excell. Virg. cap.2. Cùm ergo Mariam dixerimus mare gratiarum immensum, compendium operum Dei, miraculum gloriæ, honorem cæli & terræ, sanctissimæ Trinitatis electum domicilium, felicitatis nostræ principium, cæli portum, prodigium mundi, sæculorum omnium negotium, & omnia quæ dicta sunt aliis, & quæ indicta adhuc nouis Mancipiorum ipsius studiis relinquuntur; hoc fatendum est, quòd titulis hisce omnibus nondum expressum sit, quid sit esse Matrem Dei; cùm hoc solùm excedat *omnem altitudinem quæ post Deum dici vel prædicari potest*: mirabile verbum Θεοτόκος, id est, Deipara, vel Mater Dei; pro quo meritò tam animosè Ephesi tota pugnauit Ecclesia, quod scilicet omnem notat Virginis quocumque alio nomine exprimendam excellentiam. In Sermone Signum magnum sanctus Bernardus: *Quòd verum Deum*, inquit, *& Dei Filium genuit, vt idem ipse Dei atque hominis Filius, vnus omnino Deus prodiret ex Mariâ, abyssus est luminis, nec facilè dixerim, quòd vel Angelicus oculus ad huius sideris vehementiam non caliget*. Tanta charissimo huic Virginis alumno ad tituli, quo Virgo *Dei Mater* dicitur, intuitum lux oboriebatur, vt ad eam vel Angelicos spiritus cæcutire arbitraretur. Hic enim titulus sol est; à quo dum tot diuersis nominibus longissimisque Litaniis Virginem dilaudamus, quasi radios quosdam mutuamur: fons est, vnde omnes dignitatum Marianarum haurimus aquas. Quæ Patrum de admirabili *Dei Matris* titulo sententiæ hanc animo iniecerunt cogitationem: Si in maternitate Dei continentur omnia, si illa sol est vnde omnes radij, si fons vnde omnes omnium dignitatum riui defluunt; cùm stabiliendum Mariæ imperium atque dominium susceperimus, non erit vlla certior illud probandi via, quàm si rectà ad fontem, rectà ad solem nos conferamus, inquisituri, an vnde fluunt dignitates omnes ceteræ, inde etiam absolutissimum Mariæ in creata omnia dimanet imperium, quod nos non tantùm subditos ipsius, sed etiam famulos & mancipia constituat. Quam disputationem priùs quàm ingrediar, suppono tamquam satis iam à probatissimis Theologorum probatum, & disputatum doctissimè ab Alphonso Mendoza nostro Relect. de vniuersali Christi dominio: quòd Christus Dominus non tantùm quà Deus, sed etiam quà homo habuerit primò spirituale imperium in omnes homines, quod attinet ad gratiæ, salutis ac redemptionis finem; idque imperium eum passionis suæ merito fuisse adeptum: licet enim ratione diuinitatis ad eam dignitatem euectus erat, vt posset sibi animas subiicere, & à diaboli imperio ad suum transferre; tamen per suæ passionis meritum re ipsâ transtulit sibique subiecit: fuit ergo hoc actuale imperium ei non liberaliter à Patre donatum, sed meritis retributum. Habuit prætereà Seruator noster, vti secundò suppono, supremam potestatem in omnes Reges & Principes, quod spectat ad regimen temporale &

B. Mariæ Virginis encomia complectitur & excedit:

cum Ephesi Patres propugnant:

Angeli non capiunt.

Origo est omnium titulorum:

videndum ergo, num etiam sit imperij & dominij.

Suppono primò, Christum habuisse spirituale imperium:

Secundò, habuisse politicum in omnes Reges & regna.

& politicum; ita vt posset quibuscumque regnis vel præesse, vel quos lubebat præficere, Reges pro arbitrio mutare, omnibus quamcumque volebat reipub. formam imponere, non id quidem ex electione, neque ex humanâ successione, sed primò vnctione istâ diuinitatis, quâ humanitas eius tamquam oleo delibuta, non tantùm in Sacerdotem & Pontificem, sed etiam supremum Regem & Imperatorem consecrabatur; adeò vt nutui ipsius iure naturali parere deberent omnes omnino Magistratus. Secundò, ratione redemptionis & infiniti eius meriti, quo meruit talem exaltationem nominis sui, vt in nomine IESV omne genu flectatur: vnde etiam patet, hoc imperium sublimioris fuisse ordinis, quàm ea sunt iura quibus ceteri homines imperant; medium enim fuit inter hæc & illud immensum Dei in creata omnia imperium: habebat enim in femore, id est, in humanitate suâ scriptum, ***Rex Regum, & Dominus dominantium***; magis dignitate eleuatus super ipsos Reges & Dominantes, quàm illi sunt supra subditos suos. est enim ***Princeps Regum terræ***. Suppono, tertiò, habuisse Christum directum & vtile dominium in res omnes omnino creatas, atque de iis potuisse arbitratu suo disponere sine cuiusquam iniuriâ, idque ratione eiusdem vnionis hypostaticæ, quæ ipsi non tantùm sanctitatem, sed dignitates etiam admirabiles & iura conferebat. Atque hæc omnia de Domino nostro IESV Christo satis iam multis Theologorum sententiis & rationibus sunt comprobata, ita vt superuacaneum sit, aut his adferendis, aut illis citandis inhærere: tantùm aduertendum, inde confici, eum Regem, Dominum & Herum omnium esse, nos vicissim, non tantùm ei in spiritualibus & politicis subditos, sed etiam rem eius atque peculium, ac stricto iure mancipia & esse, & dici posse. Quod neruosissimè affirmat sanctus Bernardus lib.3. de Consideratione ad Eugenium Papam, dum ait: *Dispensatio tibi credita est, non data possessio; non tu ille, de quo Propheta, Et erit omnis terra possessio eius.* Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat, & iure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris: possessionem sibi vendicare ait iis titulis, quibus strictissimo iure constituimur res eius & peculium. quod tam magnificis verbis inculcat Scriptura, vt mirum videatur reperiri potuisse Theologos qui hoc negauerint. Matth.28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ.* Ioan. 13. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Luc. 10. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Psal.2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: reges eos,* &c. & Psal.71. *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* quæ verba nullatenus de Salomone, sed tantùm de IESV Christo Seruatore nostro dici existimat generosa S. Augustini soboles Alphonsus Mendoza, doctus sub tanti Patris disciplinâ animosè pro Christi regno decertare. Rursùm Zachar. 9. dicitur: *Ecce Rex tuus venit tibi, & dominium eius à mari vsque ad mare.* Paulus ad Hebr.1. *Quem constituit heredem vniuersorum.* Hæc de Filio Dei, vt dixi iam, certissima; vt autem eadem probentur de Virgine Dei Matre, non multis est opus, cùm liquidò constet, iura, dignitates dominiaque Filij omnia transire ad Matrem. Quidam hîc textum lib.1.ff. de Senatoribus opponunt, vbi legitur: *Consulares feminas dicimus Consularium vxores. Adijcit Saturninus etiam matres: quod nec vsquam relatum est, neque vmquam receptum.* Vlpianum, qui hîc Saturnini sententiam refutat, sequuntur Bartholus & Petrus Ancharranus in cap.1. ad finem secundi Notabilis de cognatione spirituali, & alij non ignobiles Iuristæ, dicuntque, non matribus sed vxoribus concedi istam communicationem dignitatis. Sed nihil agunt: habemus enim quæ istis Iurisperitorum legibus opponamus firmiores naturæ leges; per quas certum est, filij honorem & dignitatem ad parentes adscendere. Sed ne rebus certissimis tenebras

Tertiò, habuisse directum & vtile in res omnes dominium.

Tituli istius dominij;

ex Scripturis probantur.

Pleraque Filij iura transeunt ad Matrem:

si non iure ciuili;

at iure naturæ:

bras offundamus, distinguendi sunt tres modi, quibus aliqua dignitas filiis acquiritur. Vel enim à naturâ ipsâ sceptrum & corona alicui, vel à repub. porrigitur; estque vel natus Rex, vel electus: tertius modus est, cùm virtute, arte vel armis ea sibi acquirit, iisque imperat quos vel debellauit, vel quoquo modo iustè sibi subiecit. Quidquid primo vel vltimo modo acquirit dignitatis filius, non sibi tantùm, sed etiam parentibus acquirit: nam quando eligitur à repub. vel Optimatibus, tantum accipit quantum ipsi deferunt, nec alius de eâ participat, præter eos quibuscum eam voluerunt electores esse communicatam. Ceterùm, parentes crescere iisdem gradibus, quibus filij ascendunt, si philosophari volumus, ratio euincit: cùm enim dignitas illa, quæ patris est, supra filium sit naturalis, fundeturque in eo beneficio, quod semper exigit gratum ex pietate honorem, non destruitur iste patris ad filium respectus vllâ filij dignitate; imò nullis filij beneficiis primi istius beneficij debitum exstinguitur, quod, teste Philosopho, in excellentiâ consistit. Rudiùs paullò & etiam fusiùs hoc est deducendum, quod ingerere possit admirabiles de dignitate Matris Dei conceptus. Lib. 8. Ethic. cap. 11. cùm non iustitiam inter subditos & Reges, neque inter parentes & filios, sed amicitiam intercedere docuisset Philosophus, postquam de subditorum obsequio egisset, ita loquitur: *Amicitia paterna beneficiorum magnitudine differt. Est enim pater causa essendi, quod maximum esse certum est, & enutritionis & eruditionis; vnde natura pater filiorum imperium obtinet. Hæc autem amicitia in excellentiâ consistit; propterea honorantur ipsi parentes: & iustum igitur in his non est, sed quod efflagitat dignitas.* Vbi hæc mihi docere videtur: primò, respectum istum, qui patrem inter filiumque existit, fundari in beneficiorum maximo: secundò, eum non esse iustitiæ quamdam obligationem, quam possis certo numerato pretio exsoluere; non esse præterea gratitudinis debitum, quod possis vel pari beneficio expungere, vel maiori superare; sed esse quamdam excellentiæ patris supra filium relationem, filiumque semper patri debere quod exigit dignitas eius, quam ipse numquam possit exæquare, cùm semper maneat ea patris respectu eius excellentia. An beneficium dando æquare possit filius, cùm ipsa dandi potestas patris sit munus; vel an vinci beneficio possit, cuius beneficium est ipsum quod vincitur; alibi fortè disputabimus. Quod huc facit est, ex nullo filij in patrem beneficio deleri eam dignitatis relationem, nec fieri posse vt pater filio debeat eam, quam ipse patri numquam non debet plenam obseruantiæ pietatem: vnde necessariò sequitur, imperium & regnum filio naturale vel armis aut arte acquisitum, siquidem patri sit communicabile, eo ipso quod filij est communicari: cùm enim iure naturæ filij imperium obtineat, obtinet illo mediante in omnes ipsi subiectos eamdem auctoritatem. His adde inculcatam à Philosopho, & alibi à nobis probandam patris & filij identitatem; ex quâ non minùs rectè puto nos conuincere posse omnia filij ad parentem spectare, quàm Iurisperiti ex eâdem probant, quòd licet heres, quamdiu paruus est, nihil differt à seruo, sit tamen dominus omnium. Non puto laborandum iam est, vt ostendam, quæ de paternâ dignitate & imperio diximus, eadem Matri conuenire, ei præsertim, quæ Filio tam admirando prodigio Patris & Matris præstitit officium, maximè cùm sanctus Ambrosius in cap. 2. Lucæ ad verba, *Erat subditus illis*, dicat: *Quid enim magister virtutis, nisi officium pietatis impleret; non vtique infirmitatis, sed pietatis ista subiectio est.* Audis officium seu debitum pietatis? rationem attende, cur dicere audeat, Christum, quem diuinitas omni Regum & Principum soluebat subiectione, patriâ potestate non fuisse exsolutum: non vtique infirmitatis, non seruitutis illiberalis, sed pietatis, sed libertatis, sed ingenuitatis ista subiectio est. Concludimus

quod dictat, patrem semper maiorem esse filio.

Deinde idem est filius cum patre; eorumdem autem idem est ius.

Eadem dici possunt de matre.

Præsertim de Matre Dei, in cuius potestate erat Christus.

mus ergo, B. MARIAM Virginem propriè atque in omni verborum ac iuris rigore Reginam esse totius vniuersi; quia Mater est Regis summi, regnum istud non electione, sed iure naturali consecuti: ipse enim in hoc natus est, MARIA in hoc peperit; nec magis mirum hanc pariendo quàm illum nascendo tantum acquirere dominium. Audi Athanasium Serm. in Euang. de B. Virgine: *Quia ipse Christus Rex est, & Dominus; Mater qua eum genuit, & Regina & Domina verè censetur.* Audi & D. Ioannem Damascenum lib. 4. de Fide c. 15. *Itaque gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominam parit, hoc enim* MARIÆ *nomine significatur; verè enim rerum omnium conditarum Domina effecta est, cùm Creatoris Mater exstitit.* & Oratione 2. de Assumpt. *Oportebat Dei Matrem ea qua Filij erant possidere, atque ab omnibus rebus conditis vt Dei Matrem adorari. Quamquam enim semper ita comparatum est, vt hereditas à parentibus ad filios deuoluatur; nunc autem (vt eruditi cuiusdam viri verbis vtar) sursum sacrorum fluminum fontes fluunt. Etenim Filius Matri res omnes conditas in seruitutem addixit.*

CAPVT IX.

Maternitatem Dei secundùm se, siue per se, causam esse imperij, & absoluti in creata omnia dominij.

NATVRÆ ipsius lege, à filio ad matrem transire dignitatem Reginæ vel Imperatricis, si ille cum iure imperandi nascitur, vel id posteà virtute suâ acquirit, iam probabamus: verùm ampliùs quiddam hoc Capite asserimus, Matrem scilicet Dei, non tantùm isto quasi hereditario iure regnum à Filio accipere, sed etiam ratione dignitatis propriæ, suppositâ nimirum tantâ maternitate, id obtinere: adeò (rei explicandæ causâ ita philosophandum est) vt si istud vniuersorum dominium, quod modò Virgini tribuimus, dignitas quædam esset, quæ formaliter non posset Christo Domino conuenire, qualis est verbi gratiâ hæc ipsa, esse *Matrem Dei*, & in diuinis esse *principium sanctissima Trinitatis*, & interim non repugnaret eadem dignitas Virgini Deiparæ; dico, quòd eo ipso quo Mater Dei existeret, ei conueniret illud ipsum imperium vniuersorum, quod illam constitueret absolutam rerum omnium Dominam, nos eius seruos atque mancipia. Scio tritam non esse scriptis eorum qui anteà idem senserunt hanc orbitam; sed audendum est aliquid ad honorem & gloriam illius, quæ numquam satis honoratur: neque longè exorbitare videbimur, si quemadmodum solidè ab iis regnum Christi adstruitur, qui id fundatum sentiunt in diuinitate humanitati sociatâ per vnionem, quæ non tantùm sanctitatem, sed dignitates etiam maximas Christo conferebat. Puta, quòd illum formaliter Sacerdotem sacrorum habentem supremam potestatem effecit, quòd illum à seruitute eripuit, quòd eum regno donauit, quòd à subiectione omnis humanæ potestatis exemit, quòd omnes res humanas dominio eius subiecit ac mancipauit; ita nos affirmemus, maternitatem Dei in se dignitatem tantam esse, vt eam non solùm tot gratiæ & gloriæ priuilegia, quot iam à piissimis Deiparæ cultoribus accuratiùs sunt enucleata, sed ipsum etiam cæli terræque imperium consequatur. Probari id posset verbis Nicetæ in Confessione sua, cùm à Saracenismo ad fidem Catholicam bonus transfuga se recepit: *Sanctam præterea Virginem, quæ illum in carne pepererat, Dei propriè vereq. Matrem esse credo & confiteor, eamdemq., vt reuerà Dei qui homo factus est, Matrem, atque idcircò & Reginam omnis creaturæ diuinâ gratiâ effectam adoro & veneror.* Vbi notandum, quòd veluti fidei dogma hanc sententiam pronuntiet, quòd sit Regina omnis creaturæ Deipara. Secundò, quòd immediatam causam istius imperij assignet ipsam maternitatem. Possunt etiam in hanc sententiam citari omnes SS. Patres, qui affirmant, beatam MARIAM Virginem ideò Reginam esse

Dignitas Maternitatis Dei hoc Capite asseritur.

Probari posset ex Patribus.

esse cæli & terræ, quia Mater Dei fuit. v. g. Ioannes Damascenus lib. 4. de Fide orthodoxâ cap. 15. vbi ait: *Maria rerum omnium conditarum Domina effecta est, cùm Creatoris Mater exstitit.* Non adfero ceteros, quòd sciam vix è verbis posse conuinci, hoc illos indicare voluisse, quod hîc assero: cùm explicari possint de eâ communicatione imperij, de quâ Capite superiore egimus. Solidiùs ergo sic agam: Cùm maternitas ratione sui dicat moralem cum filio identitatem, vt Aristoteles lib. 8. Ethicor. cap. 11. affirmat; dicet etiam maternitas Dei ratione sui moralem cum Deo identitatem. Vnde fit, vt eo ipso quo Mater Dei est, moralia omnia gloriæ, dignitatis, imperij, magnificentiæ Dei ipsi conueniant, cuius persona eius est capax: in quo enim est identitas, in eo est proprietatum & denominationum communicatio: atqui identitas Matris & Filij est moralis; igitur omnium moralium est communicatio. Iam verò hæc est moralium omnium in Deo mensura, vt omnem dignitatem & superioritatem eum formaliter habere dicamus, cuius eâ ratione habendi natura diuina est capax: ad eamdem ergo mensuram, exigenda est omnis dignitas & superioritas Matris moraliter eiusdem cum Deo. Igitur si, vt supposuimus, aliquâ de causâ repugnaret, Christum habere formaliter illud, quo de agimus, in creata omnia imperium, Mariam autem id habere non repugnaret: esset illa hoc ipso, quo Mater Dei existeret, omnium Imperatrix, Regina, Domina & Hera: atqui tunc non acciperet hoc imperium tamquam hereditario iure à Filio; non ergo eo solùm iure ipsi de facto conuenit, sed etiam ratione ipsius maternitatis secundùm se. Atque hoc est quod Hugo Carnotensis in Tract. de Laudibus D. Virginis dicebat: *Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico quàm eamdem.* communis enim foret, si ipsa imperium idem, quod Filius habet, possideret tantùm sibi ab ipso communicatum; nunc autem est eadem vtriusque gloria, hæc scilicet, quòd neuter vllo careat dignitatis gradu, quem possibile est eum habere.

Sed solidiùs probatur primò, ex Matris & Filij identitate.

vnde sequitur gloria identitas.

Sed non exiguum etiam robur sententiæ huic dabit ipsa dignitas maternitatis considerata secundùm se: hæc est enim dignitas immensa, longè omnes alias excellentias & prælationes transcendens, personamque eam, cui conuenit, quodammodò ex numero creaturarum eximens, ac Principem, Reginam, heredem ac Dominam earum constituens; cui propterea cultus debeatur hyperduliæ, quo cum nullus alius, qui creaturæ defertur, potest comparari: est consanguinitas cum ipso Deo, eaque proxima & arctissima: est honor incomparabilis & incomprehensibilis, per quem beata Virgo eleuata est, factaque quasi ordinis diuini; vt eumdem Deum habeat Filium sibi consubstantialem in humanitate, quem Deus Pater sibi habet ὁμόιον & consubstantialem in diuinitate. Quare sicut dicit ei Deus Pater: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* sic idem ei dicere potest B. MARIA Virgo. Magna profectò & ineffabilis dignitas, quia prorsus incomprehensibilis: homines non sciunt, Angeli non intelligunt, non capiunt Cherubim, non penetrant Seraphim, quid sit, posse Filio Dei dicere: *Filius meus es tu.* Numquam in cor hominum, numquam in intellectum Angelorum ascendit, quid sit, esse Matrem Dei; quid sit, maternitate Deo quodammodò superiorem ac Filio Dei venerabilem esse, parere & gignere Deum, Deo dare suam substantiam, suam essentiam, suum corpus, suam carnem & sanguinem; ac proinde Deum habere debitorem, habere ius maternum, hoc est, potestatem & auctoritatem in Deum veluti suum infantem & prolem, habere subditum vt Filium, à Deo vocari Matrem, coli vt Matrem, amari vt Matrem, obseruari vt Matrem, id est, coli ab eo honore propè diuino, qui pietas vocetur; Deum subiici illi subiectione ipsâ etiam seruili, si quæ est, pleniore & efficaciore quàm scilicet filij debent parentibus. Et mirabimur hanc tantam tam-

Secundò, ex dignitate maternitatis secundùm se.

Psalm. 2.

tamque incomprehensibilem dignitatem, quæ ratione sui dicat tam multas prærogatiuas, etiam adferre summum in creata omnia dominium? mirandum id ego arbitrarer potiùs, si tam alta tamque sublimia possent sine isto dominio subsistere: nam si honor filiorum pendet ab honore matris, quomodo poterit honor tanti & tam essentialiter Regis filij consistere, si Mater eius, hoc ipso quod Mater eius est, non sit omnium Regina, Domina, & Hera? An verò turpe erit Regi habere matrem se indignam, vilem & abiectam; & turpe non erit Deo, si Matrem habeat se indignam, nec iis ornatam dotibus, quæ Deum decent? Liberat eum hac notâ S. Bonauentura in Spec. cap.8. ait enim: *Mater Domini, Mater & Virgo, Mater est dignissima; ipsa est Mater quæ tali Filio est decentissima*. Et Matris Dei donum obstupescens S.Bernardus exclamat Homil. 1. super Missus: *Vtrimque stupor, vtrimq; miraculum; & quòd Deus feminæ obtemperet, humilitas absque exemplo; & quòd Deo femina principetur, sublimitas sine socio.* Vide Doctorum Ecclesiæ aquilam tantæ dignitatis splendorem vix recto obtutu sustinentem: *Quid dicam*, inquit, *pauper ingenio? cùm de te, quidquid dixero, minor laus est quàm tua dignitas meretur. Si cælum te vocem, altior es: si Matrem gentium dicam, præcedis: si formam Dei appellem, digna existis: si Dominam Angelorum vocitem, per omnia te esse probaris.* Et S. Methodius Virgini gratulabundus, *Euge*, inquit, *quæ debitorem habes eum qui omnibus mutuatur: Deo enim vniuersi debemus, tibi autem etiam ille debet*. Minus autem est, subiectam habere creaturam omnem, quàm Deum debitorem: si ergo illa maternitati immediatè conuenit dignitas, non est ei hæc posterior deneganda.

Quæ non potest esse digna tali Filio, nisi habeat annexum imperium.

S.August. Serm.35. de Sanctis.

CAPVT X.

Si imperium & dominium Virgini Deiparæ alio titulo non conuenisset, liberaliter id ei tribuisset Filius.

SERVI fidelis partes sunt, domini sui honori & commodis, quà ius fasq; permittunt, vbique studere; sed quibus honor obtigit vt Regibus seruiant, eorum tum eminet fidelitas, quando de regno aut imperio Domini sui agitur; tunc enim eos videas non tantùm laborem & industriam adhibere, sed etiam sanguinem & vitam impendere, vt sarta tecta seruent eius cui ministrant iura & dignitatem; quòd omnibus persuasum sit, turpiter eum vitam ducere, cuius gloriosè profuso sanguine potuit Regis sui imperium stabiliri. In imperio & dominio constitui Hierarchicam Virginis Deiparæ sublimitatem; ei nos seruorum & mancipiorum, vt posteà latiùs probabo, gloriosâ humilitate ministramus: mirum ergo non videatur cuiquam, quòd vndique stabiliendo imperio eius atque dominio rationes conquiram: vtilissimè namque iudico ei rei meam desudare industriam, cui gloriosissimè & libentissimè sanguinem darem, stabiliendo scilicet Virginis Deiparæ imperio: quod iam naturali & quasi hereditario iure ei asserui; deinde ex intrinsecâ maternitatis tantæ dignitate ei conuenire monstraui. Iam aliâ id indagans viâ, vix sum iter mandatorum Domini ingressus, & statim quarta semita occurrit, vnde recurram ad Dominam nostram, nouo ei titulo imperium atque dominium rerum omnium absolutissimum gratulaturus. Quartum enim præceptum sic habet: *Honora patrem tuum & matrem tuam*, &c. quod si ab eo obseruatum fuerit, qui non venit soluere legem, sed adimplere; constabit Virgini Deiparæ rerum omnium dominium, si alio iure ad eam non pertinuisset, liberaliter à Filio donatum fuisse. An lege hac strictè obligatus

Vndique quærenti firmamenta Mariani imperij.

Occurrit quartum præceptum Decalogi.

tus fuerit Christus Dominus, qui propter coniunctam in eodem supposito diuinitatem omni videtur obligatione exsolutus, hîc non disputo; loco tamen suo docturus, eum potestate maternâ exemptum non fuisse: neque magis admirandum videtur, Deum hominem Matri suæ lege gratitudinis obnoxium esse, quàm eumdem beneficia tot tamque ingentia recipere ab eâ potuisse. Vtut enim de obligatione statuerimus, de voluntate & facto constat; cùm de se ipso profiteatur, quòd non venerit soluere legem, sed adimplere; cùm posuerit se normam ac regulam omnium actionum nostrarum; cùm denique obseruandæ legis diuinæ tam perfectam ideam semetipsum nobis exhibuerit, vt numquam, abstractâ speculatione, talem nos imaginari possimus, qualem in actionibus eius omnibus reperiemus: vnde constat, eum præceptum hoc, quemadmodum cetera, ita integrè sanctèque obseruasse, vt citiùs legi aliquid quàm actionibus eius defuerit. Audiamus ergo quid lex præscribat, vt, quid hinc consequatur, deinde videamus: *Honora*, inquit, *patrem tuum & matrem tuam*. Sensu communi priuatus esse putabitur, qui non videt, honorandi vocabulo amorem, reuerentiam, obedientiam & sustentationem contineri: nihil enim horum parentibus denegari potest, quin statim contra debitum iis honorem peccetur; neque sufficit ea quaquâ ratione iis impendi, sed ita fiat necesse est, vt appareat, filium eos actione suâ honorare; adeò vt obedire eis non sit satis, nisi promptitudine & alacritate suâ, obedientia ipsa parentibus exhibeat honorem: sustentare eos nihil est, si sordida & coacta sustentatio ignominiâ condiat quæ iis præbentur fercula. Vnde sequitur, licet omnibus idem honor parentibus deferendus imperetur, non tamen eadem hoc præcepto omnibus præscribi officia: nam mediocri quâdam sustentatione gregarius ciuis honorabit patrem suum, quem Senator, aut opulentus mercator, eâdem turpissime infamabit. Quod ergo in omni de officiis iudicio vsu venit, vt personarum rerumque attendantur circumstantiæ, antequam statuatur, an muneri suo quis satisfecerit, hîc in primis est attendendum; vt iudicari possit, debuisse Filium Deum ex officio, & hoc legis diuinæ præcepto, Matrem suam cæli terræque non tantùm imperio, sed etiam dominio condecorare. Beatus Chrysologus ita discurrit: *Tolle radium à sole, & non lucet; riuum à fonte, & desiccatur; ramum ab arbore, & arescet; membrum à corpore, & putrescet: sic separa filium à deuotione paternâ, & iam non est filius:* non secus ipsum esse filij à pietate erga parentes dependere existimat, quàm lumen solis à radiis, humorem fontis à riuo. Quatenus ergo quispiam à pietate erga eos qui se genuerunt descîscit, eatenus se filium eorum esse negat; argumento certissimo, Dei Filium, qui se gloriatur esse & dici Filium hominis, nullatenus potuisse à pietate erga Matrem suam deficere, cùm minimus hac in parte defectus sit abnegatio ipsius maternitatis ac propriæ filiationis: quid autem faciendum ei fuerit, vt ab officio erga Matrem non deficeret, præscribit Ecclesiasticus c. 7, 29, & 30. *In toto corde tuo honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris: memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis, quomodo & illi tibi.* Diis, parentibus, præceptoribus paria reddi non posse, veterum cômunis erat sententia; quâ animabant homines, vt quanto possent studio in gratitudinem erga eos incumberent, quorum beneficium numquam erant adæquaturi. De Deo & præceptoribus in præsentiarum omitto; de parentibus hîc alia videtur Ecclesiastici sententia, qui impossibile non præscribit, quando de filiis dicit: *Retribue illis, quomodo & illi tibi*. Si quidquid præstiti patri, etiamsi magnum est, infra æstimationem paterni muneris est; quia non essem, si non genuisset, vt quidam volunt: quomodo Syracides hoc ipsum adfert pro stimulo, vt paria reddamus parentibus? *Memento*, inquit, *quoniam nisi per illos natus*

quòd Christus exactissimè obseruauit:

Quid eo præcepto præscribatur?

diuersa diuersis imperari officia:

Qui autem non præstat officium, se negat filium.

Id sapiens definit paritate retributionis;

natus non fuisses: & retribue illis, quomodo & illi tibi. Alacriorem futuram existimat pietatem, si ad reddēda beneficia, cum vincendi aut saltem æquandi spe venerit; & excitaturum se putat fortiùs iuuenum animos ad pietatem, si parentes inter liberosque honestam ponat contentionem, dederint maiora, an receperint: & sanè difficile est de ceteris pronuntiare, tantum esse parentum in filios beneficium vt exæquari non possit: nam si quis patrem seruauit, & ad summam dignitatem prouexit, & fecit principem vrbis suæ; nec tantùm rebus à se gestis nobilitauit, sed ipsi quoque gerendarum ingentem ac facilem, nec tutam minùs quàm gloriosam materiam dedit; honores, opes & quidquid humanos ad se rapit animos, congessit, & cùm supra omnes staret, infra patrem stetit; an ille nondum exæquauit beneficium vitæ, quam parens dedit ipsi cum feris & animalibus communem? At de MARIA Virgine liquidò constat, tanta eius in Filium esse beneficia, vt ipse ea non potuerit vllâ, quæ in hominum potestate est, munificentiâ compensare: eleuat enim parentum in filios merita, quòd vitam voluptatis suæ causâ, aut certè per voluptatem iis dent, quòd nescientibus & nihil sentientibus, quòd rationis expertibus eam tribuant: quòd eam tribuant ipsi, nescientes bonine an mali futuri sint quos producunt; quòd denique sciant, se ad miserias vitæ huius innumeras, & dubium, an ad supplicia sempiterna gignere filios suos: quibus in maternitate Deiparæ tam sublimiter respondent contrariæ conditiones, vt beneficium eius in Filium supra omnem imaginationem mortalium attollant: neque enim per voluptatem carnalem concepit, quæ Virgo peperit; cumque, missâ cælitus legatione, requisitus fuerit eius consensus, sciens volensque hunc ipsum Filium concepit, quem sanctum Sanctorum fore præsciret, quem gloriosa donandum animâ ab ipso conceptionis instanti cognosceret, quem tam præclaris rebus gestis immortalem Redemptoris gloriam consecuturum non ignoraret; quem deniq; non hominem tantùm sed etiam Deum fore cognitum haberet: adeò vt quidquid habuit CHRISTVS gratiæ, gloriæ, dignitatis & felicitatis, MARIÆ censendum sit beneficium, cùm omnia à voluntate eius consensuque tempore incarnationis dependerint. I nunc, & blasphemâ interpretatione dic, ingratum fuisse erga Matrem suam Dei Filium, si ipsi non omnia quæ potuit dederit; à quâ plura acceperat, quàm ipsi vicissim posset conferre. Occurrit quod Valerius Maximus de Decio narrat, quem pater Imperator cùm vellet in suum locum subrogare, à filio audiit: *Vereor, ne si fiam Imperator, dediscam esse filius: malo non esse Imperator, sed humilis filius, quàm Imperator & filius inde notus: imperes pater, meum erit parere imperanti.* Non est verendum, ne Filius hic propter dignitatem sui erga Matrem officij obliuiscatur; sed existimandum potiùs, quòd cùm per Matrem haberet, quòd esset cæli terræque Imperator, eamdem dignitatem cum eâ communicarit, omniaque sua filiali obsequio ipsi tradiderit. *Pasce, ô fili,* inquit S. Ambrosius, *parentes: illi debes quod habes, cui debes quod es.* Si debebat Matri quod habebat, sine dubio tradidit ei strictum in res omnes dominium, prout id ipse possidebat. Ita conueniens fuisse etiam dicit S. Ioannes Damasc. Orat. 1. de Natiu. Virg. & 2. de Assump. *Decet enim,* inquit, *Dei Matrem ea quæ Filij sunt possidere, & ab omnibus adorari.* Maluisset ergo cum Decio IESVS CHRISTVS non esse Imperator, quàm imperio Matris non recordari. *Qui dixit,* ait Hippolytus, *honora patrem & matrem, vt decretum à se promulgatum obseruaret, omnem gratiam Matri & honorem impertit.* Cuius rei figuram habebat in Salomone; quam explicat, ac coronationi B. MARIÆ Virginis applicat S. Bernardinus To. 3. Ser. 11. ar. 2. quod mysticè figuratum fuit 3. Reg. 2. vbi scriptum est, quòd surrexit rex Salomon in occursum matris suæ, & adorauit eam, & sedit super thronum suum;

quæ, si alij fortè possibilis.

Christo certè fuit impossibilis.

Quæ enim minuunt parentum erga filios,

eorum contraria augent Mariæ erga Christum beneficium.

Vnde sequitur, Christum Matri dedisse quæcumque potuit.

Poterat autem dare regnum; & dedit.

Eius rei figura in Salomone.

suum; positusque est threnus matri regis, quæ sedit ad dexteram eius. Vbi contemplare mirificam obuiationem, quia surrexit Salomon in occursum matris suæ; mirificam adorationem, quia adorauit eam; altissimam sublimationem, quia positus est thronus matri regis; immediatissimam coniunctionem, quia sedit ad dexteram eius. Surrexit igitur gloriosus IESVS in occursum suæ dulcissimæ Matris, &c. quod ita fecit honorificè & liberaliter, vt appareret, eum qui tanta acceperat à Matre suâ, ipsam hoc tanto imperio tamque amplo dominio honorare: non autem apparuisset honor, si eam vel pauperi regno vel magno cum vllâ restrictione præposuisset.

CAPVT XI.

Alius ex iure naturæ titulus qui nos constituat Deiparæ Virginis mancipia: quòd ipsa sit in familiam sanctissimæ Trinitatis adlecta.

Naturaliter sumus Dei mancipia.

EXTRA controuersiam hîc esse suppono, infinitam Dei excellentiam, bonitatem & beneficentiam, vnde particulares in nobis creationis, conseruationis, redemptionis ceterarumque obligationum tituli oriuntur, ita nos ei reddere obnoxios, vt necessariò illi infimo atque humillimo seruitutis generi subiiciamur. Ille enim per essentiam omnium Dominus, nos è contrario ex intrinsecâ essentiæ nostræ ratione serui; & ita serui, vt ne quidem cogitatione fingi possit quidpiam, quod non sit, eo ipso quòd creatura est, omni ex parte diuinæ eius Maiestati obligatum: quo dato, iactum ego existimo, solidissimum Mancipatus beatæ Virginis fundamentum, quo probemur ex ipsâ rei naturâ ita ei obligati, vt nec ipsa renuntiare valeat dominio, nedum mortales possimus nos eius subducere seruituti. Hoc enim ipso, quòd Deo ita obstricti sumus, eâdem etiam seruitute subiecti sumus Deiparæ Virgini, eo iure, quo mancipium heri, non eius tantùm, sed heræ etiam filiorum filiarumque, ac matris herilis constituitur mancipium: non quòd eamdem latriæ obseruantiam, quam Deo exhibemus, MARIÆ debeamus, sed quòd eo ipso quòd Domini facti sumus mancipia, Dominæ subiiciamur, vt omne id ipsi præstemus obsequij, cuius eius dignitas capax est, & quod nihil deroget Domini seruitio; prout in rectè ordinatâ familiâ, naturâ ipsâ suos distinguente auctoritatis gradus, fieri videmus. Non iam dico, quia hæc eius voluntas est qui omnia nos habere voluit per MARIAM, tamquam ex solo Dei mandato hæc in nobis oriatur obligatio; sed, nullo interueniente mandato, nos affirmo B. MARIÆ Virginis constituros mancipia, ex eo quòd illa in ipsam sanctissimæ Trinitatis familiam tam admirabiliter sit adlecta, constitutaque Patris æterni Filia, Filij Mater, & Spiritus sancti Sponsa. Quæ tres diuinæ personæ cùm in vnâ indiuiduâ substantiâ sint Dominus noster vnus Deus, sequitur, ex Dei in nos dominio, triplici istâ nos obligatione Virgini subiici, quâ mancipia coguntur matri, sponsæ, ac filiæ herili famulari. Propter hosce autem titulos, gratissimum est B. MARIÆ Virgini illud pietatis exercitium, quod, ut horum titulorum honorem, in tres Orationes Dominicas & duodecim Salutationes Angelicas distributum, *corona* vocatur *duodecim stellarum*; quòd inter legendum eas Salutationes ruminentur quatuor priuilegia quibus nominatim Pater suam filiam, quatuor item quibus Matrem Filius, & totidem quibus Sponsam Spiritus sanctus, tamquam clarissimis immortalitatis luminibus dignatus est exornare. Studio enim ac æmulatione quâdam videntur hæ sanctissimæ Trinitatis personæ certatim dona congessisse, vt Dominam nostram redderent suâ maiestate dignissimam, antequam tribus illis magnificentissimis titulis eam in familiam suam admitterent, & proximo à se gradu omnia ei subiicerent. Pluribus de his priuilegiis & donis agemus, quando fusiùs hoc pietatis exercitium expli-

Virgo est Filia, Mater, Sponsa Dei.

qua est Maria.

Hinc gratissimum est corona duodecim stellarum obsequium.

Quibus Virgo fuerit à sanctissimâ Trinitate priuilegiis exornata.

explicabimus, idque mancipiis obnixè commendabimus. Interim certamen istud in ornandâ Dominâ nostrâ non ineleganter attingit sanctus Bernardus Sermone de sancta MARIA, cuius initium est, *Aue: Sancta quoque Trinitas*, inquit, *Virginem sibi sanctificauit, hospitium mundissimum sibi præparauit: neq; enim Pater abesse potuit, vbi eius Spiritum & Filium cooperari voluit. Quacumque enim Pater facit, hæc eadem similiter & Filius facit: nec enim Filius potest à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. De Spiritu quoque legitur: Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Pater ergo in consecratione Virginis exhibuit claritatem, Filius humilitatem, Spiritus sanctus charitatem. Pater lumen exhibuit rationis, Filius cinerem humilitatis, Spiritus sanctus oleum dilectionis. Pater exhibuit potentiam, Filius sapientiam, Spiritus sanctus omnium virtutum gratiam. Pater auctoritatem contra peccatum, Filius humilitatem contra mundum, Spiritus sanctus charitatem erga Deum & proximum. Filius carnis mortificationem, Spiritus sanctus compunctionem, Pater cælestium contemplationem. Filius docuit eam diuina operari, Spiritus sanctus amare & amari, Pater cælestia contemplari. Filius eam erudit, Spiritus sanctus eam euehit, Pater eam perficit. Filius eam purificat, Spiritus sanctus eam pacificat, Pater eam honorificat*. Hactenus sanctus Bernardus, qui more suo mellitissimè deliciatur, dum Domini hospitio & triclinio, à sanctissimâ Trinitate sanctificato & consecrato, beatam MARIAM Virginem comparat; & id quod dicebamus, eam scilicet in familiam sanctissimæ Trinitatis transscriptam esse, pulchrè confirmat: *Sanctissima Trinitas*, inquit, *Virginem sibi sanctificauit, hospitiumq; mundissimum sibi præparauit*. prouerbium hoc Sapientis exponens: *Sapientia ædificauit sibi domum*. Ne abire videamur à proposito, notanda sunt illa Geneseos verba, *Et ædificauit Dominus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem*.

Nominatim quòd sit in hospitium seu domum eius consecrata.

Prouerb. 9.

Genes. 2.

vt non incongruè domus sanctissimæ Trinitatis dici putetur, quam Matris, Vxoris, Filiæ in eius familiâ personam gerere diximus. *Benè*, inquit sanctus Ambrosius in Hexaëmer. *ædificauit* dixit, *vbi de mulieris creatione loquebatur; quia in viro & muliere domus videtur plena quædam esse perfectio. Qui sine vxore est, quasi sine domo sit, sic habetur: sicut enim vir publicis officiis, ita etiam mulier domesticis ministeriis habilior æstimatur.* Quid ergo fecit sanctissima Trinitas Virginem MARIAM sibi in domum ædificatura, id est, in Matrem Sponsamque suam assumptura? Quemadmodum (ita loqui videtur sanctus Bernardus) domus istæ quæ Deo inter materialia ædificia reseruantur, eximuntur numero possessionum ciuilium, sanctificanturq; ac consecrantur Deo soli, & inter peculium eius numerantur: sic beata MARIA Virgo ædificanda in domum sanctissimæ Trinitatis, atque in eius transscribenda familiam, ab eâ sanctificata & consecrata est, rebusque ceteris exempta; ita vt iam cum iis neque leges, neque consuetudines, neque aliud quidpiam habeat commune, sed tota alterius ordinis sit, tamquam Domina & Regina, diuino sibi communicato iure reliquis imperitans. *Costa*, inquit Glossa interlinearis, *ædificata in mulierem, vt mulier ipsa domus gubernandæ exemplar esset*. O dignitatem, ô sublimitatem istius mulieris, quæ assumpta in sanctissimæ Trinitatis familiam, domus illius gubernandæ exemplar est! Dubito an pronuntiandum sit, quod licet verissimè dicatur, tamen vix à tenuitate ingenij nostri concipitur, quî dici valeat. Sed quid obstat, quin audacter dicamus id, quod iam dudum S. Brigittæ reuelauit ipsa Virgo; de quâ cùm summa dixerimus, numquam sublimitatem laudum eius attingemus: lib. 1. Reuelat. cap. 42. ait: *Anima & corpus meum puriora sunt sole, & mundiora speculo. Vnde sicut in speculo viderentur tres personæ, si astarent; sic in puritate meâ videri potest Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Paullò

Siue, quod idem est, Materfamilias sanctissimæ Trinitatis effecta;

quæ est gubernandæ domus exemplar:

Paullò superiùs dixerat: *Ita vt nulla sit virtus in Deo, quæ non fulgeat in me.* & alibi: *Puritas, quam Deus mihi concessit, tanta est, vt recipiens radium diuinæ perfectionis, eum tam perfectè repræsentet, quàm est possibile eum à purâ creaturâ repræsentari.* Vide, an non ipsa gubernandæ domus Dei exemplar sit, in quâ sanctissima Trinitas tamquam in speculo relucet, ea perfectione quâ possibile est eam à creaturâ repræsentari, & quæ tamquam in compendium contractas omnes eius continet perfectiones? An non eò collineabat S. Andreas Cretensis Sermone de Assumpt. quando de D. Virgine pronuntiabat, quòd esset *prima natura proximè accedens ad Deum*? & S. Bonauentura quando aiebat: *Maria in tantum Deo proxima fuit, tantâque sanctitate resplenduit, & sic in summum bonorum omnium culmen ascendit, vt creatura aliqua non vnita Verbo, nec perfectior nec maioris boni capacior sit.* Quid mirum, si in gubernandâ domo sanctissimæ Trinitatis vicariam præstet operam, quæ, præter Matris auctoritatem, Sponsæ iura & Filiæ indulgentiam tam exactè possidet omnem eius perfectionem? S. P. N. Augustinus Sermone de Assumptione Tom. 10. D. Virginem alloquitur hoc breui elogio: *Si formam Dei te appellem, digna existis.* Scripsit quondam ad ipsum Augustinum Hieronymus in hæc verba: *Certè quidquid dici potuit, & sublimi ingenio de Scripturarum sanctarum hauriri fontibus; à te dissertum est.* Ego profectò, versâ nonnihil sententiâ, ad eumdem dicere possem: Certè quidquid dici potuit, & sublimi ingenio de Mariæ sublimitate pronuntiari, vnico isti verbo à te inclusum est. Quid enim est Dei formam appellari B. MARIAM Virginem, & dignam esse quæ appelletur? Versa quantumcumque vis istud formæ vocabulum, dignam MARIAM reperies quæ eo compelletur. Vis Deum formam & quasi secundam aliquam ideam assumpsisse, quam potissimùm intueretur, quando, veluti prudens paterfamilias, dona cælestia distribuebat vnicuique prout ipse volebat? *Si hanc Dei formam appelles Mariam, digna existit.* Vis Deum creatum speculum quoddam intueri, in eoque formam suam contemplari? *Si hanc formam appelles Mariam, digna existit;* cùm ipsa S. Brigittæ reuelauerit, non posse à purâ creaturâ meliùs Deum repræsentari, quàm ipsa eum referat. Vis denique, tamquam in cerâ molli, perfectionum & maximè dominij diuini impressum sigillum, exactissimam sui formam reliquisse? *Si hanc quoque Dei formam appelles Mariam, digna existit:* nam perfectiones Dei in ipso sunt tamquam in prototypo ac solidâ materiâ ex auro vel ære indelebiliter impressæ; eædem autem in MARIA, veluti in molli cerâ, quæ mutationi ex se & corruptioni sit obnoxia, quæque formam omnem à priori sigillo accipiat, sunt expressæ eâ similitudine, vt, nisi subtilissimi sint ac diuinarum rerum patientissimi oculi, facilè in errorem inducantur, adeò vt Collyridiani iam dudum ad tantum splendorem cæcutierint; cumque obtusiore mentis acie hanc intuentes distinctionem non animaduerterent, diuinitatem in ipsa Virgine residere imprudenter affirmarint: quorum, vt error perniciosissimus, ita admiranda aquilæ tam acuti visus, atque erat Areopagita Dionysius, vacillatio, qui, nisi tanto splendori fidei nubem opposuisset, non procul à cæcitate abfuisse se ipse testatur magistro suo Apostolo scribens: *Testor qui aderat in Virgine Deum, si tua diuinâ mente concepta non me docuissent, hanc verum Deum esse credidissem.* Imò Angeli ipsi non satis intuentur acutùm, teste diuo Anselmo, vt distinguant hanc à diuinitate sublimitatem: ideò enim ascendisse ante Virginem in cælos ait Dominum, *ne forsassis, Domine* (ita Christum alloquitur) *Curia tua veniret in dubium, cui potiùs occurrerent, tibi videlicet Domino suo, tunc primùm regnum tuum in assumptâ carne petenti, an ipsi Dominæ suæ, in ipsum regnum iam suum materno iure effectum ascendenti.* Ex quâ similitudine hîc non aliud

imò Dei forma est Maria.

ita vt non nisi fidei lumine distinguatur à Deo.

aliud

aliud efficere intendo, quàm optimè ab Ecclesiæ linguâ S. P. nostro *Dei formam* vocari, quæ Deitatem tam exactè expresserit, eamdemq; vlteriùs non malè, secundùm Glossam interlinearem, gubernandæ domus illius exemplar dici, cui vt Mater, Sponsa & Filia præest; proindeque seruos omnes & famulos debere rerum faciendarum omittendarumq; normam ab illâ petere, tamquam ab eâ Dominâ, cui ipsi immediatè subiiciantur: *Probam enim mulierem* (Philosophi lib. 2. Oeconomicorum cap. 1. lex est) *omnibus quæ sunt intus dominari oportet, curámque habere omnium, secundùm scriptas leges.* & inferiùs: *Matrisfamilias vita, totius domus est regula.* Ratio data est à D. Ambrosio superiùs: *Sicut enim vir publicis officiis, ita etiam mulier domesticis ministeriis habilior æstimatur.* Etiam in Virgine, sine Patrisfamilias iniuriâ, maiorem hanc reperiri posse aptitudinem existimo, rebus domesticis, & maximè seruorum officiis, inuigilandi. Nam si, quod à Patribus sæpè refertur, consideremus Deum, licet Paterfamilias sit, simul etiam Iudicem esse, vix decens reperiemus, vt ipse domesticis seruorum defectibus, qui necessariò frequentes occurrunt, tam familiariter intersit: Virgo autem, quæ, quanta quanta est, tota misericordia est, mandata insinuat suauiùs, & defectus videt patientiùs; & quando puniendi forent, apud Iudicem intercedit decentiùs: vnde singularis omnium exoritur in Dominam beneuolentia, quæ singulos exstimulat, vt alacriùs deinde mandata accipiant, & promptiùs exequantur; hoc est quod suprà in Oeconomicis citatus subiungit Philosophus: *Viro quidem indecens videtur, ea scire quæ intra domum fiunt.* Certè cùm nulla decentiùs ordinata sit familia, quàm illa sanctissimæ Trinitatis, in quam Virgo MARIA Matris & Sponsæ & Filiæ herilis titulo transscripta est, & ipsa proba sit Materfamilias, seseque, ex Philosophi præcepto, iis *virtutibus inanimauerit quæ ad œconomiam spectant, pergátque laudabiliter rebus domesticis præesse*; non est dubium, quin ei Paterfamilias amplissimam administrationem illius auctoritatis concesserit, quam illi, postquam Matrem & Sponsam suam fecerat, denegare non potuit. Sic ergo constitutam imaginari oportet sanctissimæ Trinitatis familiam, vt Deus, qui Patrisfamilias locum in eâ tenet, publicis rebus, quas femina attingere non potest, sit occupatus: ille enim immensitati, infinitudini, æternitati naturæ suæ immersus, illam intelligendo, amando, honorando, totum sese ita quodammodò exhaurit, vt, nisi infinitæ forent, quas impendendo numquam expendit, potentiæ nullæ deinde superessent ad res ceteras curandas: quare non imbecillitati suæ cauens, sed familiæ suæ decori & honori Sponsæ suæ prouidens, quidquid extra se curandum erat, id ad MARIAM reiecit; cumque, intrinsecis suis, siue feudalibus bonis, crescere non possit, lucro omni, quod accidentaliter ei potest accrescere, Matremfamilias præfecit; ideoque, absoluto in seruos ac mancipia sua dominio, sic eam voluit vti, vt gratias, dona, priuilegia & thesauros cælorum omnes in eos liberè expenderet, prout iudicaret ad rem augendam, hoc est, ad Dei suamque promouendam gloriam expedire. Poterit hîc suaui contemplatione excurrere Lectoris pietas, vti Matremfamilias omnibus numeris absolutam concipiat, quæ viro prudentissimo, regiis negotiis occupato, nupserit; ac tum auctoritatem ipsius in res omnes domesticas, seruosq; ac ancillas, consideret, vt fiduciâ particulari ad omnium Dominam gradum faciens, infinitum quodammodò eius expendat in creata omnia imperium: vbi copiosissimam reperiet piis affectibus segetem, cuius iam nobis vtilissimas spicas legendi non est tempus; cùm intellectu conuincendo occupati, hoc tantùm in præsentiarum agamus, vt Lector intelligat, eo ipso quo Virgo assumpta est in Patris Filiam, Filij Matrem, & Spiritus sancti Sponsam, datum ei esse absolutum in omnia imperium, quod nos ipsi

Cunctis negotiis domesticis præest,

& immediatum est eius in seruos, hoc est, creaturas omnes imperium.

Deo maioribus negotiis quodammodò distento.

ipsi eodem titulo facit mancipia & famulos, quo Dei immensæ potestati subiiciebamur: non quòd vtrique debeatur eadem cultus submissio, sed quòd vtriq; eadem præstanda sit obediendi promptitudo, eâ ratione quâ, ductâ domum Sponsâ, omnia herilia mancipia ei tenentur famulari. Quâ sententiâ optimè probatâ, manet Hierarchica dignitas MARIÆ, creaturis omnibus exemptæ, atque ad statum, cùm Deus esse nequeat, diuinum planè ac singularem exaltatæ, qui medius sit inter Deum ac creaturas omnes; Matris scilicet familias in amplissimâ sanctissimæ Trinitatis domo, ac consequenter Reginæ ac Dominæ vniuersorum.

Hierarchiam Mariæ probat, quod sit sanctissimæ Trinitatis Materfamilias.

CAPVT XII.

Item iure naturæ conuenit D. Virgini imperium, ob immensam supra creata omnia excellentiam.

BODINVS lib. 1. de Repub. cap. 5. acerrimè oppugnat eam consuetudinem, quam multi etiam Christianorum, maximè in Hispaniâ, seruant, quâ homini homo mancipatus strictâ seruitute subiicitur. Rationum eius Achilles est, quòd ex iurisperitorum sententiâ ea seruitus directè naturæ legibus aduersetur. Quid enim magis contrarium rationali naturæ fingi potest, quàm sanum insano, doctum indocto, prudentem stolido, bonum malo subiicere? contendit propterea morem istum prorsus inter homines abrogandum, nec permittendum vllâ ratione vt inualescat. Non disputo, quàm debilibus illud argumentis euincere contendat, quæ acutissimè infirmat Ordinis nostri ornamentum, & nuper Hispaniæ totius oraculum M. F. Ioannes Marquez in Gubernatore Christiano lib. 1. cap. 2. sed, verso in contrarium argumento, quàm ille naturæ aduersari affirmat, eum qui doctrinâ, sapientiâ cæterisque pollet naturæ & gratiæ muneribus, subiici alteri qui iis omnibus destituatur, tam ego contendo naturæ ipsi consentaneum esse, vt ea quæ perfectione excellunt, aliis minùs perfectis auctoritate quadam regendi præsint; nec enim alterius quam naturæ ordinatione in vastâ hac mundi machinâ corpora cælestia quò altiora perfectioraque sunt, eò influentiis suis & motibus plura inferiora regunt: & quæ inter bestias viribus plus valent, dominatum quemdam exercent; nec enim leo fortissimus belluarum ad vllius pauebit occursum, cùm omnes eum timeant ac venerentur. Cuius, nisi naturæ instinctu, homini, præstantiori visibilis creaturæ parti, omnia cetera famulantur? Et si ad ea mentem conuertamus, quæ oculis nostris naturæ eorum præstantia subduxit, naturalis est ista inter Angelicos spiritus dispositio, quâ inferiores Hierarchicâ ac cælesti politiâ parent superioribus: imò quid est, quod ipsis suis legibus naturam vniuersam Menti isti subiecit, cuius perfectionum quidquid in naturâ est bonitatis, vix extrema quædam resonantia est, vt S. Dionysius loquitur, nisi hoc ipsum, quod cùm infinito interuallo omnia excedat, omnia debeant excellentię ipsius infimæ seruitutis obseruantiam? Arbitror enim cum Theologorum subtilioribus, vel hoc titulo remanente, licet omnes reliquos mente præciderimus, permanere Deo æquè absolutum in omnia atque iam ei profitemur dominium; vnde iam ad rem nostram licebit argumentari: Si ex infinitâ Dei supra creaturas excellentiâ rectè infertur tam excellens eius dominium, si creaturarum inter se distincti gradus tam strictâ seruitute irrationalia ratiocinantibus subiiciunt, vt omni mancipatu inferior eorum sit famulatus; si inter Angelos qui superiores sunt, habeant promptissimos voluntatum suarum executores eos qui perfectione vel naturali vel supernaturali ipsis cedunt: profectò, si ostenderimus, quòd nec Seraphim Angelorum postremos, nec homines bruta tantum excedunt, quantum Domina nostra creaturis omnibus excellit, etiam hoc euicerimus, iure naturæ maiorem nos illi debere seru-

Sunt qui abolendum morem censent capiendi homines in mancipia: L. Libertas. §. De Statu hominis.

quia per eum sæpè contra naturam excellentior minùs excellenti subiicitur.

Contrà ergo consentaneum naturæ, vt excellentiora præsint:

patet ex ipsâ naturæ dispositione.

ἦχημα ἐσχάτων. De Diuinis nominibus, c. 4. §. 20.

seruitutem quàm illa sibi inuicem præstant: & quantò propiùs ad infinitatem quamdam excellentiæ Marianæ supra creata omnia accesserimus, tantò magis ad eum mancipatum quem Deo præstamus, eum qui Virgini debetur, admouerimus.

Maria autem ita excedit omnia,

Quid ego hîc optem linguas hominum & Angelorum? quamuis enim vtrisque locutus fuero, multùm tamen de laudibus MARIÆ deteram, si præsumpsero eius supra creata omnia excellentiam attingere. Quid? ipsam interrogem? frustrà. Nam præterquam quòd vix aliud ab humilitate eius audiamus, quàm, *Ecce Ancilla Domini. Respexit humilitatem ancillæ suæ*. plus mihi videtur Virgini MARIÆ capacitatis fuisse ad suscipiendam dignitatem, quàm facultatis ad exprimendam eius magnitudinem; cùm præcipuus eius Encomiastes sanctus Augustinus audacter affirmet, ne quidem eam intelligere potuisse, quanta esset. Diceres zelotypiâ quâdam Deum supra omnem intelligentiæ capacitatem extulisse Sponsæ suæ dignitatem, vt solus frueretur eâ, quæ ex perfectâ eius comprehensione capi potest, voluptate. Hinc Virgo, cùm maximè sese ostentat, *Fecit*, inquit, *mihi magna, qui potens est*. indicans, mensuram dignitatis suæ esse naturæ capacitatem relatam ad Omnipotentis potentiam; sic, vt etiam respectu illius magna sint quæ accepit. ac si diceret: Nemo facilè quænam ego sim, aut quid mihi Omnipotens fecerit, intelliget, nisi qui ingenio suo potuerit vires illius dimetiri, cui non est impossibile omne verbum. Nullum enim est verbum, aut titulus alicuius dignitatis, qui non conueniat ei, de quâ verè potest hoc verbum pronuntiari, quòd sit Mater Dei, & quòd in eâ & ex eâ Verbum caro factum est. Euolauimus cum aquilâ Euangelicâ, succollante nos Virginis carmine, ad summam eius dignitatem: hîc ergo simus, & quibus possumus eam oculis intueamur; oppositâ tamen fidei nube, & prætensis sanctorum Patrum sententiis, ne nimiâ luce cæcutiamus. Nam istæc excellentia est quasi infinita; quia non potest esse Mater Filij excellentioris quàm Dei: sicuti, proportione seruatâ, humanam Christi naturam vnitam esse Filio Dei hypostaticè, est dignitas infinita, quia vniri non potest excellentiori supposito quàm diuino. Non possum certiùs hoc quàm Angelici Doctoris sententiâ comprobare: is enim 1. Part. quæst. 25 art. 6. ad 4. ita ait: *Dicendum quòd humanitas Christi ex hoc quòd est vnita Deo; & beatitudo creata, ex hoc quòd est fruitio Dei; & beata Virgo ex hoc quòd est Mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus*. Angelo huic accinit Theologiæ Seraphim S. Bonauentura in Speculo B. MARIÆ Virginis lect. 10. aliàs cap. 8. vbi ait: *Mater Domini, Mater & Virgo, Mater est dignissima. Ipsa est Mater, quæ tali Filio est decentissima. Ipsa Mater est, cui talis Filius decentissimus fuit. Ipsa est, quâ maiorem Deus facere non posset. Maiorem mundum posset facere Deus, maius cælum posset facere Deus; maiorem Matrem quàm Matrem Dei non posset facere Deus*. Etiam nomine ipso infinitatis vtitur Dionysius Carthusianus de Quatuor nouissimis artic. 19. vbi agens de Sanctorum in cælis gaudio, quod capiunt ex aspectu Virginis Deiparæ: *Gaudent*, inquit, *præsertim in eâ, & de eâ, & de eius excellentiâ & honore; eò quòd ipsa sit Mater veri Dei, comparentalis Deo Patri, eumdem Filium habens cum eo: quod est dignitas quodammodò infinita*. Sanctus Anselmus lib. de Excell. B. Virg. cap. 2. dicit: *Quamuis hoc solum de sanctâ Virgine prædicari, quòd Dei Mater sit, excedat omnem altitudinem quæ post Deum dici vel cogitari potest*. Omnibus antiquior est S. Proclus Archiep. Constantinop. qui apud S. Ioannem Damascenum Epist. de Trisagio in hanc proloquitur sententiam: *Nihil in mundo cum Dei Genitrice Mariâ comparandum est. Res omnes conditas, ô homo, cogitatione peragra, ac perspice, an quidquam sit, quod sanctam Dei Genitricem æquet, vel superet. Terram vndique lustra,*

vt à solo Deo comprehendatur:

est enim dignitas eius quasi infinita

mare

mare circumspice, aërem inuestiga, homines animo perscrutare, virtutes omnes ab oculorum sensu remotas cogitatione complectere; ac vide, an in omnibus rebus conditis sit vllum eiusmodi miraculum vt MARIA. Mirabiliùs autem cunctis Petrus Damianus Tom.2. Sermone 44. qui est 1. in Natiuitate beatæ MARIÆ Virginis, eam dignitatem exprimit: *Quarto modo*, inquit, *inest Deus vni creaturæ, videlicet* MARIÆ *Virgini, identitate, quia idem est quod illa. Hîc taceat & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis & dignationis immensitatem. Dominus tecum, inquit Archangelus. Habitat in Angelis Deus, sed non cum Angelis; quia cum illis eiusdem non est essentiæ. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illâ, cum quâ vnius naturæ habet identitatem*; eo modo quo mater & filius sunt vna caro, & prætereà quasi vna persona ciuilis: multò magis quàm vxor & maritus, de quibus Genes. 2. *Erunt duo in carne vna*. Augustè hoc exprimit more suo S. P. N. Augustinus Tom.9. Tractat. 8. lib. de Assumptione beatæ MARIÆ Virginis cap. 5. vbi ait: *Caro* IESV, *caro est* MARIÆ; *& multò specialiùs quàm Ioseph Iudæ, ceterorumque fratrum eius, quibus dicebat: Frater enim & caro nostra est. Caro enim* CHRISTI *quamuis gloriâ resurrectionis fuerit magnificata, & potenter super omnes cælos ascensione glorificata; eadem tamen carnis mansit & manet natura, quæ suscepta est de* MARIA. Ex hac autem identitate procedit ista superiùs à nobis tacta dignitatis gloriæque identitas, quam profert Arnoldus Carnotensis in Tractatu de Laudibus Virginis: *Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quàm eamdem.* Hanc autem excellentiam vel inde solùm colligunt & comprobant, quòd sit Mater Dei. vnde S. Bernardinus Senensis Tom. 2. Concionum Sermone 51. artic. 3. cap. 1. ait: *Clarè intelliget quòd omnis dignitas & perfectio inclusa in hoc, quod est esse Matrem Dei, tam mente quàm carne comprehendatur in eo: quod quidem transscendit in merito in infinitum, quidquid aliud sub Deo homine cogitari vel dici potest.*

Genes. 37. vers. 27.

oritur hæc ex maternitate Dei.

Quemadmodum enim ex vnione humanitatis CHRISTI cum Verbo, colligimus naturali quadam consecutione datam esse illi infinitam gratiam capitis, & impeccabilitatem, & omnem rationem merendi & satisfaciendi pro hominibus, tamquam Mediatori & Redemptori; & omnem scientiam & cognitionem eorum vsque ad cogitationes; denique omnia charismata tantò vberiùs & excellentiùs quàm aliis, quantò excellentiùs nomen capitis hereditauit quàm membra, & nomen Filij quàm ministri eius Angeli vel homines: sic etiam dicendum, naturali quâdam consecutione beatæ MARIÆ Virgini ex Matris dignitate immensam quamdam gratiam conuenire; quam S. Bernardinus Senensis suprà citatus ita exprimit, vt beatam Virginem admirabili isto consensu, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum,* meruisse dicat omnem eam gratiam. verba eius sunt: *Hæc autem Virgo in illo admirando consensu meruit totalem fomitis exstinctionem, dominium & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum, spiritus cunctarum scientiarum, interpretationes sermonum, spiritus prophetiæ, discretiones spirituum, operationes virtutum: meruit fecunditatem in Virginitate, maternitatem Filij Dei: meruit quòd sit stella maris, porta cæli, & super omnia, quòd regina misericordiæ nuncupetur, ac talis nominis consequatur effectum.* Prætereà facta est Dei gratiâ impeccabilis, aduocata, mediatrix & redemptrix omnium hominum: & indita est illi cognitio eorum omnium requisita; & tantò copiosior charismatum & donorum affluentia, quantò præstantius est Matris nomen quàm serui. *Matri*, inquit sanctus Cyprianus Sermone de Natiuitate CHRISTI, *plenitudo gratiæ debebatur*. Si ergo tantæ dignitatis & excellentiæ sit B. MARIA Virgo, ex eo quòd Mater Dei sit effecta,

quemadmodum Christi dignitas oritur ex vnione hypostaticâ.

Quanta B. MARIA Virgo consensu in maternitatem Dei meruerit.

effecta, vt quidquid alibi bonum, quidquid pulchrum, quidquid sanctum, quidquid amabile in singulis dispersum est creaturis, id omne simul vnitum reperiatur in illâ; sequitur, nos isti excellentiæ cultum debere & obsequium; & cultum obsequiumque eò submissius, quò dignitas eius & excellentia est maior. Cum igitur nihil fingi possit sublimius istâ dignitate, necessarium est, vt ad imum, qui inter homines dari potest, seruitutis gradum, qui mancipiorum est, descendamus; vt si non parem dignitati ipsius obseruantiam, saltem non indignum obsequij nostri testimonium deferamus. Neque opus est iam Angelorum inter sese inæqualitatem, hominum & brutorum animantium differentiam ad mensurandam excellentiam Virginis adhibeamus, cùm illa, quantaquanta sit, terminis aliquibus concludatur, Virginis autem à nobis distantia immensa sit: quandoquidem ad eam imaginandam, per vastissimam dignitatis diuinæ infinitatem cogitationem extendere oporteat, vt semper fateamur, quantumcumque inde Matri eius applicuerimus, licet infra Deum sit; quod ipsi competit tamen hoc ipsum numquam cogitatione, quæ diuina non sit, posse comprehendi: ac proinde magis absolutum Virginis in nos esse imperium, quàm hominum sit in bruta, promptioremque nostram esse debere erga nutus ipsius obseruantiam, quàm inferiorum spirituum est erga sibi superiores. Si quibus fortè hic excellentiæ titulus non tam stricti iuris obligatione videatur nos cogere, vt Virgini mancipemur, quàm conuenientiâ quâdam & honestate ducere, vt non inuiti faciamus quod infinitis aliis nominibus debemus: vt iis pugnam, totamque, quæ super eâ re posset institui, disputationem remittam, hoc ipsi nobis vltrò concedent, titulum hunc maximè facere ad persuadendum Sodalitatis nostræ mancipatum, quem cupimus, vtpote voluntarium, amoris esse plenissimum: quapropter etiam de corporis animæque ipsius excellentiâ nonnulla tractabimus, tum quòd non parum excellentiæ isti, de quâ iam egimus, addat decoris; tum quòd communi homines persuasione libentiùs seruiant illis, in quibus vident cetera naturæ dona gratiâ quâdam formæ commendari.

Infimâ mancipiorum submissione colenda tanta excellentia,

quæ superat omnem creaturarum inter sese excessum.

CAPVT XIII.

Beatæ MARIAE *Virginis pulchritudinem & formam dignam fuisse imperio.*

TOT sacrorum & profanorum sapientum aduersus formam pulchritudinemque declamationes pæne mihi persuaserant, ne in commendationem Dominæ nostræ eam deprædicarem, aut saltem ne in re tam fragili fundarem aliquem solidissimi imperij eius titulum: *Formæ* enim *nitor vernalium florum velocitate fugacior*, inquit Boëtius; & iam dudum in Prouerbium vertit Sapiens: *Fallax gratia & vana est pulchritudo.* Sed tum alia multa, tum vel maximè prudentissimi Samuelis Prophetæ exemplum reuocauit animum, ne eam commendationem omitterem: vnde si non solidissima, certè sensibus nostris vehementer accommodata trahitur principatus commendatio: ipse enim Israelitici populi animum dispositurus, quo lubens admitteret electum à Deo Regem, quòd *altior* esset *vniuerso populo ab humero & sursum*, suauissime insinuabat: *Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* exemplo inquam nobis, ne in proponendo Reginæ ac Dominæ nostræ suauissimæ imperio, formæ commendationem negligamus: quæ si vel corporis vel mentis oculis cerneretur à nobis, raperet captiua corda nostra; eique nos vltrò amoris compedibus deuinciremus, nulli in posterum, nisi tantæ pulchritudini seruituri. Nec indecorum est capi hac formâ, quâ se Sponsus ille cælestis ante nos captum fuisse, non diffitetur: *Vulnerasti enim cor meum Soror mea Sponsa*, inquit,

Licet fragilis sit forma,

Lib. 3. de Consol. Philosophiæ.

Prouerb. 31

proponitur tamen à Samuele in commendationem Regis:

1. Reg. 10.

& captus est Virginis pulchritudine Dei Filius.

inquit, *vulnerasti cor meum*; vel, vt alij legunt, *Eripuisti cor meum mihi*, aut, *excordasti me*. non indigna est occupatio, laudes illius pulchritudinis celebrare, quam toties Sponsus idem commendat: Tota pulchra es amica mea, tota pulchra es. *Ipse præconium dicit dilectæ*, inquit Hugo Victorinus Sermone de Assumptione Virg. Tom. 2. *à quo laudari tantò maius est, quantò eum in laude cuiusquam falli minùs quàm possibile est. Auctor pulchritudinis & iudex veritatis ipse speciem commendat, & approbat charitatem. Ipse se amare fatetur, quam fecit amabilem; & amari se gloriatur ab eâ, cui dedit dilectionem.* Longum foret affectus captiui amoris recensere, infinitum diuinas panegyres retexere, impossibile amoris ectases attingere, quas passus est raptus pulchritudine tam eximia Dei Filius: solus ille, prout merebatur, eam amauit, qui solus pulchritudinem ipsius quanta erat percepit; quâ visâ exclamat: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*. Profectò, si tanta vis diuinæ istius pulchritudinis, vt sic captiuet diuinum cor Sponsi castissimi; vt, cùm se expedire quodammodò cuperet, non posset; nihil magis ad rem facit, quàm eum Sodalibus titulum proponere seruitutis, quo rapientur ad ei lubentissimè obsequendum: nam S. Areopagita Dionysius de se fatetur in eâ Epistolâ quam citat Dionysius Carthusianus Sermone 2. de Natiuitate Virginis: *Tantus ad præsentiam Virginis me splendor circumfulsit exteriùs, & pleniùs irradiauit interiùs; tanta in me omnium odoramentorum superabundauit fragrantia, vt nec corpus infelix nec spiritus posset totius ac tantæ felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit spiritus meus, tantæ gloriæ maiestate oppressus. Testor qui aderat in Virgine Deum, si tuâ diuinâ mente concepta non me docuissent, hanc verum Deum esse credidissem*. vt deficit, vt rapitur, vt ad humillimum ei præstandum obsequium commouetur, quam à Deitate vel proximo gradu distare existimat? Communis erat omnibus ad fidem conuersis olim ista deuotio, vt flagrarent incredibili quodam B. MARIAM Virginem conspiciendi desiderio. Testis est sanctus Ignatius martyr Epist. 1. ad Ioannem: *Desiderabamus aspectum huius cælestis prodigij & sanctissimi spectaculi.* & secundâ Epistolâ addit: *Vniuersis admiranda & cunctis desiderabilis: quem enim non delectet videre eam & alloqui, quæ verum Deum de se peperit, si nostræ sit fidei & religionis amicus?* Si videre erat in primitiuâ Ecclesiâ, passim ad pedes Virginis affusos Christianos; si omnes ei suos consecrabant affectus, omnes eius laudes deprædicabant; si omnes eam videndi, adorandi, laudandi tenebantur desiderio; si nemo erat religionis & fidei Christianæ amicus qui ista pulchritudine non capiebatur: quomodo Sodalis, seruus & mancipium erit B. MARIÆ Virginis, qui non magnifacit hanc eius considerare pulchritudinem? quam nemo vmquam vidit, qui non amauit; nemo considerauit, qui non aliquâ eius luce fuerit illustratus. Fateor quidem ego, me sacro quodam horore concuti; & tacitâ veneratione calamum hunc suspendi, quoties eum assumo, vt partem aliquam pulchritudinis illius attingam quæ cælum & terram detinet admiratione; sed non eadem est contemplantis & scribentis ratio. Præterquam enim quòd multa tacitâ mentis adumbratione nobis ipsis repræsentamus, quæ non est facile æquè viuaciter verbis exprimere; dum quis se ad Virginis pulchritudinem contemplandam accingit, quòd benè erga eam affectus sit, consciusque tenuitatis suæ, nihil de laudibus eius deterit, quamuis parum de formâ assequatur; imò facilè voluntatem pio affectu ad vlteriorem cultum venerationemque impellit, quam ei intellectus proponebat: in scribente omnia aliter eueniunt; licet enim ipse optimè affectus sit, cùm non sibi scribat, videtur ideò laudem MARIÆ in periculum abducere, quia multi iudicaturi sunt, vix quidpiam ampliùs de formâ ac pulchritudine

Captus fuit & sanctus Dionysius.

Sanctus item Ignatius, & tota primitiua Ecclesia.

Quæ differentia describentis formam B. MARIÆ Virginis, & eamdem contemplantis.

eius posse dici, quàm ille attulerit, qui eius rei causâ otium sibi & in illo calamum sumpserit. Quapropter ego cum religiosâ istâ protestatione rem ita reuerendam aggrediar, quòd cùm sciam nihil me posse adferre, quod vllatenus speciem eius & venustatem possit adumbrare, eâ necessitate materiam hanc attingere, quòd videatur non posse à suscepto opere segregari; zeloque etiam aliquo adduci, vt vanæ formæ idololatris viam ostendamus, quâ possint (si non omnem illis amor insanus mentem excusserit) meliorem speciem animo suo amandam proponere, quàm cui hactenus sacrilegâ fuerunt seruitute mancipati.

Quâ cautione & intentione de eâ scribam.

CAPVT XIV.

Causa pulchritudinis Marianæ est eius Filius.

Bonitas est in centro, pulchritudo in circumferentiâ:

QVI diuinus vbique est Plato, numquam splendidiùs abditæ scientiæ suæ euibrat radios, quàm dum de pulchritudine in Timæo philosophatur hac breui, sed amplissimi sensus, gnome, *Bonitas est in centro, pulchritudo in circumferentiâ:* quam Plotinus sic interpretatur, vt existimet, bonitatem moralem esse quæ in animo tamquam centro resideat; pulchritudinem autem, formam illam seu speciem corpoream, quæ in extimâ corporis circumferentiâ præcipuè consistit. Alij diuiniora eum speculatum putant, Deum scilicet, qui ipsa sit bonitas, ita rebus omnibus inesse, vt tamquam centrum medium earum occupet, vnde lineas quasdam eiaculetur, quæ ductæ per diuersas creaturarum naturas, in exteriori quodammodò circumferentiâ eam constituant, quam omnes intuemur, pulchritudinem. Linea, verbi gratiâ, vt sic hanc sententiam illustremus, est incorruptibilis ac purissima cælorum substantia: lineæ sunt tot illustres siderum orbes; lineæ sunt aureum solis lumen, lunæ argenteus splendor, & gemmea stellarum claritas, ignis item ardor, subtilitas aëris, aquarum liquor, viror camporum: lineæ sunt deniq; diuitiæ mineralium, abundantia fructuum, animalium fecunditas, & perfectio Angelorum. Si quis difficultatem explicationi huic opponit è S. Iustino Martyre, qui Dialogo contra Thryphonem Deum describit, *cuius centrum vbique est, circumferentia nusquam*; eò quòd singulis rebus etiam minimis, ac minimis singularum partibus ita sit intimè præsens, vt omnia tamquam centrum occupet, & nullis tamen limitibus circumscribatur, quòd spatio claudi nullo possit eius immensitas: hunc inpræsentiarum accuratiùs non refutabimus, cùm hîc non dicamus, pulchritudinem istam, quæ ex lineis è centro euibratis consurgit, diuinitatis esse peripheriam; sed tantùm affirmemus, ex earum omnium conspiratione exsurgere quidpiam, quod cùm magnâ sui parte corporeum sit, veluti sub figurâ imaginamur haud dubiè sphæricâ, cùm idem sit opus longè perfectissimum. Sed hæc mittamus; vel potiùs eò traducamus; cuius explicandi gratiâ tam insignem Platonis sententiam citauimus: *Bonitas*, inquit, *est in centro, pulchritudo in circumferentiâ*. Sic intelligo, vt rationem pulchritudinis, quæ in circumferentiâ seu in exteriori superficie B. MARIÆ Virginis apparet, esse existimem in centro latentem bonitatem, adeò vt hæc illius mensura sit, negarique non possit, quin pulcherrima fuerit, quæ ipsam bonitatem centro suo continuerit. *Nouum fecit Dominus super terram; femina circumdabit virum:* dicit Ieremias. En centrum, membris virgineis tamquam peripheriâ suâ circumdatum; en bonitatem ipsam, quam cæli cælorum capere non poterant, angustis virginei corporis terminis circumscriptam. *Bonitas ergo in centro est.* quid sequitur? *pulchritudo in circumferentiâ*. & pulchritudo quidem formæ & sanctitatis: *Ista*, inquit Propheta Ezechiel 43. *est lex domus in summitate montis: omnis finis eius in circuitu Sanctum Sanctorum est: hæc est ergo lex domus.* Vidésne domus illius, quæ in summitate montis consistit,

hoc est, Deus in medio creaturarum; hinc illa pulchra:

vel potiùs, Deus in medio Virginis; hinc illa tam formosa.

Ierem. 31.

stit, circumferentiam esse Sancta Sanctorum? domus autem huius habitatorem, qui in conclaui eius tamquam in centro resideat, indicat alius Propheta: *Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium.* in quæ verba Hugo Cardinalis: *Beata*, inquit, *semper Virgo est domus Domini.* cuius sine dubio lex est, omnis finis eius per circuitum Sancta Sanctorum, siue decor & pulchritudo sanctitatis; formam verò externam exprimit in Apocalypsi suâ dilectus Christo discipulus: *Signum magnum*, exclamat, *apparuit in cælo.* haud dubiè circulum aliquem nouum describturus nobis est diuinus iste Astrologus; audi: *Mulier amicta sole, luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Perfectum eam claudere circulum notat S. Bernardus in Sermone super iis verbis: *Luce*, inquit, *undique circumfusa:* supernè stellæ rutilant, infernè luna suum emittit splendorem, circumquaque Sol spargit radios, tota peripheria lucet; *luce vndique circumfusa est.* At vnde tanta pulchritudo in circumferentiâ est? Idem Apostolus dicit: *Erat paritura: bonitas in centro erat:* iam conceperat illum qui Zachariæ 2. dixerat, *Ego ero ei murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius. Verbum*, inquit S. Ioannes, *caro factum est.* Virtus, bonitas, gloria centrum vteri Virginei occupauit: & statim *vidimus gloriam eius*: apparuit in circumferentiâ splendor ignis & pulchritudo tam insignis, cui astra, Luna & ipse Sol, fons & origo luminis, nequeant æquiparari: atque hæc prima fecundissima origo est totius quam mox declarabimus in Virgine pulchritudinis, ipsa scilicet diuina bonitas habitans in centro eius, hoc est ab ipso conceptionis instanti spiritualiter in mente, & posteà etiam corporaliter in ventre.

Isaiæ 2.

Apoc. 12.

Ioan. 1.

CAPVT XV.

Triplex assignatur pulchritudinis species, negatiua, positiua, & motiua; omnibus excellit Domina nostra: hic nominatim de negatiuâ & positiuâ.

DISTINGVIT in tres species pulchritudinem, quem iam laudauimus, Plato; quibus ita Latina quidam accommodarunt vocabula, vt positiuam vnam, alteram motiuam, tertiam negatiuam appellent: & negatiuam quidem eam, quæ cùm ipsa per sese nihil pulchritudinis addat personæ, omnem tamen ab eâ aufert turpitudinis notam. Positiua in iis conquirendis laborat, quæ vulgò pulchritudinis vocabulo intelliguntur: ipsa enim debitâ proportione membra componit, frontem expandit, supercilia inflectit, aperit oculorum orbes, eosque viuo quodam accendit radio; tum nares suâ polit concinnitate, purpurâ genarum illecebrosè maxillarum candorem tangit, & gratiâ mediocritatis oris temperat hiatum, dentes candidissimos examussim gratiosâ attondit æqualitate, muricem labris, manibus ebur, pectori niuem adspergit; denique corporis totius colorem suauitate, staturam vitâ, membra omnia miro, quem à se inuicem trahunt, decore exhilarat. Motiua autem, quæ tertia pulchritudinis pars est, nomen habet ab occultâ quâ pollet affectus mouendi virtute: est enim vis quædam in aliquibus occulta, qualem erga ferrum magneti inesse docet experientia, vt corda moueant, voluntates inclinent, captiuent affectus, oculos rapiant, omnia denique ad sese impetu vehementissimo trahant; atque hisce tribus virtutibus absolui putat perfectam pulchritudinem diuinus ille Philosophus. Quæ si B. MARIÆ Virgini accommodare velimus, & hæc in ipsâ tam perfecta inueniemus, vt sola iis prædita fuisse videatur; & tam multa prætereà, vt necessarium futurum sit, vel noua quærere vocabula quibus ea

Pulchritudo negatiua in quo consistat.

in quo sita sit positiua.

Quid motiua prætereà addat.

Omnibus prædita erat Virgo Deipara.

exprimamus, vel potiùs verbo fateri, diuinam hanc esse formam, in qua minimum est, adimpleuisse præscriptam ab acutissimis ingeniis pulchritudinis mensuram. Quam breuissimè dilectæ speciem metitur Sponsus dum canit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Tota*, inquit, *pulchra es*; quis non videt positiuam? *amica mea*, motiuam insinuat; & *macula non est in te*, negatiuam declarat. Incipiamus à negatiuâ, quæ pulchritudinis totius basis est & fundamentum. Explicat carmen illud amœbæum Cantic. 1. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, ecce tu pulcher es. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* nomine Sponsi Hugo Victorinus: *Ego totus pulcher, quia totum quod pulchrum est, in me est. Tu tota pulchra, quia nihil quod turpe est, in te est.* Vel Momi ipsius oculis formam istam contemplandam obiicias, nihil in illa turpe, nihil reprehensibile inueniet. Frustrà per longissimas ridiculorum satyras discurram, vt catalogum eorum defectuum contexam, quos illi theonino dente impingunt iis quæ sibi de formâ nimiùm fuerunt blanditæ: quibus si non reuocarunt ad modestiam superbientes, risui saltem exposuerunt defectuosam arrogantiam; vt scilicet post singulorum descriptionem hoc profitear, Virginem eo defectu caruisse: hoc enim nihil aliud esset, quàm eam, cùm omnes recensere impossibile sit, de iis accusare qui recensiti non fuissent; meliùs ergo cum sponso generaliter concludimus, *Macula*, siue, vt S. Ambrosius traducit, *reprehensio non est in te*. & cum Richardo: *Nihil quod turpe est, in te est*. Magna sanè laus, quâ nullam puto verè potuisse gloriari ex iis quas mundus sibi posuit idola vanitatis & nequitiæ; imò nec vllam ex iis quas Scriptura nobis exhibuit, quia figuræ erant Dominæ nostræ, pulcherrimæ simulacra honestatis: sed vitiis caruisse, nihil est in eâ, in quâ parum est quidquid in omnibus admiramur virtutis. Consistebat ergo positiua eius pulchritudo, Primò, in admirabili & eximio decore corporis, qui ex debitâ eius quantitate & qualitate, ex eleganti membrorum dispositione & proportione, & ex coloris venustate consurgebat. Deinde, in augustâ quâdam specie & consonantiâ virtutum, modestiæ, verecundiæ, mansuetudinis, & similium, quæ maximè ex animo se foras produnt in corpus. Tertiò, in eo quòd amoris ignis & mentis candor lucerent in vultu eius; vt quæ puritatem Angelicam & charitatem Seraphicam haberet in corde, vultum etiam haberet Angelicum. Quartò denique, in splendore quodam cælesti, quo vel semper, vel certè sæpiùs collustrabatur, & in suaui quodam odore, quem carnem eius spirasse, ex Dionysij Epistolâ dicebamus. *A planta pedis*, inquit alter Dionysius lib. 1. de Laudib. Virg. art. 35. *vsque ad verticem capitis, nihil penitus fuit in Virgine, neque in corpore, neque in animâ indecens, reprehensibile, indecorum; imò totum fuit diuinæ sapientiæ circino formatum, pulcherrimè circumcisum ab omni superfluitate, plenissimè ac speciosissimè operatum. Nempe, sicut Christi humanitatem, propter eius personalem cum Deo vnionem, decuit omni perfectione naturæ & gratiæ in termino excellentiæ præfulgere: ita ipsius Genitricis personam, post Vnigeniti sui humanitatem, oportebat in omnibus sic ornari; quoniam post hypostaticam in Deo coniunctionem, non est alia tam vicina, vt vnio Matris Dei cum Deo Filio suo.*

Quoniam mancipiis scribimus, quæ magnoperè delectantur dominorum ac dominarum imaginibus, si eos beneuolos & tales habuerint, qualem ille apud Menandrum seruus, qui herum suum dilaudans, *Mihi*, inquit, *ciuitas est, & confugium, & lex, & iustorum iniustorumq; omnium index dominus meus; huic soli me viuere oportet*. non omittam hîc pulcherrimam B. MARIÆ Virginis apud Nicephorum lib. 2. Hist. cap. 23. ab Epiphanio descriptam effigiem. verba Nicephori sunt: *Sacratissimæ Deiparæ mores, formæq; & staturæ eius modus talis, inquit Epiphanius: erat in rebus omnibus honesta & grauis, pauca admodum,*

Cant. 4.

Hugo Victorinus Serm. de Assumpt.

nam omni vitio carebat.

S. Ambrosius lib. 1. de Virg.

Et nullo carebat eorum

qua formam commendant.

Quoniam verò serui delectari solent bona hera imagine:

effigiem do beatæ MARIAE *Virginis.*

modum, eâque necessaria, loquens: ad audiendum facilis, & perquàm affabilis: honorem suum ac venerationem omnibus exhibens: staturâ mediocris (quamuis sint, qui eam aliquantulùm mediocrem longitudinem excessisse dicant) *decenti dicendi libertate aduersus homines omnes visa est sine risu, sine perturbatione, & sine iracundiâ maximè. Colore fuit triticum referente, capillo flauo, oculis acribus, subflauas & tamquam oleæ colore pupillas in eis habens: supercilia ei erant inflexa & decenter nigra; nasus longior, labia florida & verborum suauitate plena; facies non rotunda & acuta, sed aliquantò longior; manus simul & digiti longiores: erat denique fastus omnis expers, simplex, minimeq; vultum fingens, nihil mollitia secum trahens, sed humilitatem præcellentem colens: vestimentis, quæ ipsa gestauit, coloris natiui contenta fuit; id quod etiamnum sanctum capitis eius velamen ostendit; & vt paucis dicam, in rebus eius omnibus multa diuinitùs inerat gratia.* Cui descriptioni mirificè conuenit imago illa à S. Lucâ depicta, quæ Romæ in sanctâ Mariâ maiore singulari pietate colitur; imò nec illa disconuenit, quâ æui nostri Rhetor facundissimus Nicolaus Caussinus suauissimis verborum coloribus depinxit, vt ostenderet, sacræ eloquentiæ non deesse materiam, quando volucri atque incitatâ oratione luxuriari cupit in mulierum laudibus. sic enim lib. 10. Eloquentiæ sacræ & humanæ Virginem Deiparam describit: *Sed neque naturæ bonis erat destituta: nam forma quadam in ea diuinitas perstringebat aspectus: frons pudica, verecundiæ sedes, molliter assurgebat: subnigris & arcuatis superciliis emicabant dulces oculorum faculæ: quæ quàm forsitan in intimum pectus numinis penetrarent, quis ignorat? nasus venustissimè incuruus castigatam frontis columellam faciebat: labra subtilia, mitis facundia & cælestium gratiarum receptacula, magna sermonis affabilitas, summa incessus modestia, vultus sine mollitie decorus, sine fastu grauis, in perpetuo sereno positus, exundantem de cælo vim lætitiæ vix capiebat.*

Qualis fuit etiam à S. Lucâ coloribus,

à Patre Caussino verbis depicta.

Certè videtis (vos alloquor piissima Deiparæ mancipia) *quam elegis vobis Dominus, quoniam non sit similis in omni populo: formosior*, Epiphanius ait, *ipsis Cherubim & Seraphim, & omni exercitu Angelorum. Eximia pulchritudo*, Virginem compellat Andreas Cretensis, *à Deo sculpta statua, rectè descripta, viui archetypi imago.* & Georgius Nicom. exclamat: *O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum, ô Dei genitrix pulchrorum omnium summum ornamentum! Pulchritudinem, seu speciem totius humanæ naturæ*, vocat S. Ioannes Damascenus. Mirabilis Patrum in hac exprimendâ pulchritudine conspiratio: singulas admiror & veneror sententias, & in singulis excellentem quamdam pulchritudinis Marianæ excellentiam adoro; vnam tamen D. Andreæ inter ipsum hyperduliæ actum ruminandam excerpo: *A Deo*, inquit, *sculpta statua, rectè descripta, viui archetypi imago.* Iucundum est, in Oratione plus quam ante ducentos annos in S. Germani habitâ à Cancellario Parisiensi, videre pientissimè luxurians viri doctissimi ingenium, quando naturam inducit coram S. Spiritu sollicitam & satagentem, non tantùm vt colligat in vnum quidquid in res tot tamque variè formosas dispersérat, sed etiam vt expromat quæcumque nondum vlli communicata in secretioribus thesauris suis absconderat; nec minùs volupe est, cernere virtutes sese ei certatim offerentes, vt Patri æterno Filiam, Filio Matrem, ipsique Spiritui sancto Sponsam numeris omnibus absoluant. Accedit puritas ipsa, vt manibus suis materiam corporis adaptet; prouidentia, vt organizet; gratia, vt animet: deinde partes singulas singulæ sibi deposcunt. Charitas formando cordi, prudentia concinnando cerebro insudat: pudor frontem operit, affabilitas labia suauitate aspergit: honestas sibi in genis sedem deligit; modestia & Virginitas toto corpori gratiam & decorum affundit: denique, quod Boëtius de viro Deo consecrato affirmat, *Viri sacri corpus virtutes*

Sanctorum Patrum de pulchritudine eius encomia.

In Orat. de Laudib. Virg.

In Orat. de Dormit.

Orat. de Oblat. B. MARIAE.

Serm. de Natiuit. B. Virg.

Expenditur, quod sit à Deo sculpta.

Virtutes certatim eam concinnarunt:

Libr 4. Consol. prosa 6.

virtutes ædificauerunt; ita pulchrè in Virgine formandâ verum esse ostendunt, vt ipsæmet perfectioni, quam fabricauerunt, concedant, attonitæ, quòd tam amicâ conspiratione talem produxerint: quæ cùm ex omnibus sit conflata, singulas longissimè antecedit. Doctissime hæc, vti dicebam, à Gersone disputantur, & non sine voluptate quâdam à seruis B. MARIÆ Virginis commemorantur; sed ad Dominæ laudem honorificentius, & ad mancipiorum recordationem iucundius est quod Cretensis affirmat, ipsum naturæ auctorem virtutumque omnium largitorem Deum operi huic peculiariter manum admouisse: neque alterius artificis manibus elaborari potuit tam diuina pulchritudo, quàm illius qui & naturæ defectus supplere potuit; & cùm super omnes naturæ vires gratiam largiatur, etiam hoc voluit gratiarum virtutumque omnium mundo proponere miraculum. O quis mihi hîc explicet, quo sensu tota sanctissima Trinitas vires, vt sic loquar, vniuersas conuocauerit, vt in sacratissimo D. Annæ corpore corpusculum Dei genitrici conformaret: quo enim, Deus bone! quo pectus diuinum titillabatur gaudio, quando cor MARIÆ fingebat, quod futurum erat iam extra figuram, verissimum altare thymiamatis; ideò constructum, vt exhalaret perpetuos odores sanctitatis? quâ animus perfundebatur voluptate, quando sanctuarium illud ædificabat, quod sibi delegerat in habitationem tam peculiarem? quàm iucundâ occupatione cerebri illius cauernulas distinguebat, in quibus formandi erant ij conceptus, ad quorum subtilitatem nulla potuit vmquam, quæ non esset nisi creatura, aspirare? quàm grato labore locum præparabat, in quem Seruator mundi primùm erat excipiendus; dum hepar præparabat, vnde sanguis in venis difflueret, qui formando homini Deo inseruiret; dum vbera rotundabat, quæ Deum lactarent; dum brachia extendebat, quæ toties amplexarentur; dum genua nodabat, quæ sustinerent; dum oculos terebrabat, qui semper intuerentur; dum labia purpurabat, quæ oscularentur? quis neget singulari opificem exhilaratum fuisse inter operandum delectatione, quòd tam bellè res ipsa procederet, vt nemo posset eam, nisi qui faciebat, dignis laudibus celebrare? Adiungi potest huic contemplationi etiam ista consideratio, quòd corpus hoc animæ præpararetur, omnium quas Deus, vnicâ Filij eius exceptâ, creaturus erat perfectissimæ, & quæ editura erat operationes post theandricas Christi omnium nobilissimas. Ab operationibus enim & animæ perfectione, corporis Adami pulchritudinem probat diuus Thomas 1.Part.quæst.91.artic.3.& S.Ambrosius lib.2.de Virg. ait: *Bona quippe domus, in ipso vestibulo potest cognosci.* Adiungi potest & illa, quòd cum constet, nihil fingi formosius posse eo qui erat speciosus formâ præ filiis hominum, Matrem eius eâ fuisse pulchritudine, à quâ omnes faterentur, plurimùm illam perfectissimam traxisse.

imò sanctissima Trinitas corpori eius formando incubuit.

Eò diligentiùs, quòd tali anima præparetur,

Et quòd inde sumi debebat exemplar speciosi formâ præ filiis hominum.

CAPVT XVI.

Quomodo tertiâ pulchritudinis specie, quæ motiua dicitur, Virgo Deipara excelluerit.

RESTABAT motiua pulchritudo, quæ est vis occulta trahendi ad sese intuentium animos, quam formæ inesse nimiùm testatur vilissimorum mancipiorum caterua, qui fœdo Cypridis iugo collum submiserunt: vix enim vspiam se species aliqua paullò ceteris formosior ostentauit, quæ non vel captiuet affectus, vel excitet lasciua desideria eorum qui eam incauti intuentur; nihil in Virgine simile, & tamen vis erat in ipsâ omni humanâ potentior, quâ omnes pelliciebat ad sese amandum, & secum amplexandum Angelicam puritatem. Res mira, sed irrefragabilibus confirmata auctoritatibus, neminem vmquam oculos coniecisse in Virginem, qui inde concupiscentiæ aliquam flammam conceperit; & contrà, omnes qui eam intuebantur,

Inest vis damnosa mouendi pulchritudini;

sed Mariâ mouebat ad castitatis amorem.

bantur, incredibili castitatis amore inflammatos fuisse. Testantur id D. Ambrosius lib de Instit. Virg. cap. 7. diuus Thomas in 3. Distinct. 3. quæst. 1. art. 2. ad primum, Alexander Alensis 3. Part. quæst. 49. memb. 3. art. 1. D. Bonauentura in 3. Dist. 3. 1. Part. artic. 2. quæst. 3. Gabriel quæst. 2. artic. 3. & alij, quos longum foret recensere. Imò quid aliud mysterij hæc Canticorum verba abscondunt, *Pulchra vt luna, electa vt sol*, quàm stupendam istam, de quâ agimus, tam miræ pulchritudinis virtutem? nam quid dicemus? si electa erat vt sol; quare non etiam solem adæquauit pulchritudine? An putamus, ad maiorem perfectionem Matrem suam elegisse Deum, quàm postea ipsi impenderit? absit. quid ergo dicit? *Pulchra vt luna, electa vt sol*. non defectus est, sed exaggeratio perfectionis: nam sol quò lumine splendidiore illustrat, eò calore ardentiore infestus est; luna verò nocturnum quoddam frigus ita lumini suo adiungit, vt æstus diurnos temperet, omni ex parte non tantùm vtilis, sed etiam grata. Si ergo perfectionem Virginis contempleris, Solem eam pronunties, cuius lumini nihil vmquam se potuit comparare; si verò de iis, quæ pulchritudinem comitantur, qualitatibus agatur, Lunam dicas, quæ ardores libidinis non excitat, sed exstinguit. Narrat ad vigesimamseptimam Septembris in Annalibus Surius, Elzearium Comitem & Delphinam, par lectissimorum ac sanctissimorum coniugum, qui corporis sui Deo Virginique Deiparæ consecrauerant integritatem, eo fuisse erga se inuicem amore, vt amorem castitatis alter ab alterâ conciperet, & rursus hæc ab illo in puritate confirmaretur, ita vt etiam Angelum castitatis suæ custodem virum illa suum appellaret; & hic (quis crederet, nisi dictum viri sanctitas confirmasset?) dicere soleret, etiam tum, cùm eodem cum sponsa sua lecto vteretur, eò tutiorem suam sibi esse castitatem, quò propiùs à corpore eius sanctissimo distaret. Profectò iniurius est Virgini, quisquis vllum castitatis

Habuit hoc priuilegium castitas Delphinæ respectu Elzearij:

quidni & puritas B. MARIAE Virginis?

priuilegium mortalium cuipiam concessum existimat, quod non sit illi perfectione quadam supra alios pænè infinitâ donatum. Habebat ergo eam pulchritudo ipsius vim, vt in tuto collocaret intuentium puritatem; siue ex fomite in ipsâ extincto id proueniret, siue ex modestiâ quadam & morum grauitate plusquam Angelicâ; siue ex peculiari gratiarum ipsius priuilegio, quæ ex ipsâ, tamquam ex fonte natiuo, perpetuò fluerent ad proximos: siue ex eo, quòd pulchritudo eius magis diuina quàm humana non posset alterius generis affectus excitare, quàm cuius ipsa erat originis: siue denique, quòd esset ipsi virtus pro pulchritudine, quemadmodum de Ioanne Cœnobiarchâ Epist. de Trisagio Damascenus affirmat; & disertissime de Virgine dicunt SS. Gregorius Neocæsariensis & Basilius: hic Homiliâ de humanâ Christi generatione, *ex sanctitate compactam carnem*; ille vero, *pulchritudinem corporalis sanctitatis* eam appellitans. Sed istud in hoc miraculo maximè admirandum, non seuerâ quadam austeritate viguisse istam prouocandæ castitatis virtutem, sed ita fuisse amabilem, vt, teste, quem suprà citauimus, S. Ignatio, *omnes desiderarent aspectum huius cælestis prodigij & sanctissimi spectaculi*. & S. Anselmus exclamet: *O pulchra ad videndum! ô admirabilis ad contemplandum! ô Virgo mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis!* Denique S. Bernardus ita loquitur: *Specie suâ & pulchritudine in cælis cognita, cæli ciuium in se prouocauit aspectum, ita vt Cælestis Regis animum ad sui concupiscentiam inclinaret*. Vide quanta virtus mouendi affectus in eâ, quæ homines, quæ Angelos, quæ Deum in sui rapiat amorem, & omnes sibi imperioso dilectionis robore subiiciat. Habuit ergo tres istas pulchritudinis species, quas ex Platone distinguebamus, negatiuam, positiuam & motiuam Virgo Deipara; & ita multis habuit insignes priuilegiis, vt si acutiùs distingueremus, multas prætereà in eâ reperiremus species: sed hæc sufficient, ad osten-

Non tamen seuera erat, sed blanda & deliciis plena.

Homil. 4. super Missus.

F

ostendendam pulchritudinis eius excellentiam, vnde pateat, formam eam dignam fuisse mundi totius imperio; quæ cognita fuit à nemine, qui non statim factus pulchritudinis eius castissimum sit mancipium. Concludo sanctissimi Patris nostri sententiâ, qui nusquam non prodit admirabile suum quod de Virgine conceperat iudicium, & vbique feruentem erga eam demonstrat affectum: hic Serm. de Incarnat. sic exprimit triplicem quam commemorauimus pulchritudinis distinctionem: *Tu tota pulchra, tota formosa, tota delectabilis, & tota gloriosa: tu maculâ nullâ fuscaris, tu omni decore vestiris, tu omni sanctitate ditaris: tu super omnes virtutes sancta in carne, tu cunctas feminas vincis pulchritudine carnis, & omnes Angelicos spiritus excellentiâ sanctitatis.*

CAPVT XVII.

Exhortatio ad Sodales, Oratio ad Virginem, & quædam de animi virginalis pulchritudine.

ITE, ite nunc Sodales, & omnem perituram pulchritudinem, quæ morbo euanescit aut vetustate, ex animo deponite; huic vos seruos, huic vos mancipia consecrate, huic omnes corporis & animæ vires impendite, hanc cum singulari quodam eius amatore compellate: *Virgo ornatissima, Virgo sole serenior, astris lucidior, Virgo melle dulcior, & balsamo suauior, Virgo rosis rubicundior, & liliis candidior, vltra omnem pulchritudinem decora, vltra omnem honestatem gratiosa.* Nam quemadmodum corpus Christi, quod Deus supernaturaliter per seipsum formauit, est perfectissimum atq; pulcherrimum in naturâ, quod fieri potuit secundùm statum viæ; sic corpus tuum, ô Domina, ad hoc immediatè ordinatum, fuit pulcherrimum secundùm statum viæ quod natura per se operans facere potest. Quid si & hoc addidero, potuisse quidem Deum illustrius aliud corpus fabricare; sed tuum pulchrius facere

Blosius in Precul. piis, Endologiâ 4. Aue Maria.

Ex B. Alberto Magno.

Corpus beata MARIAE Virginis non potuit esse pulchrius.

non potuisse; siquidem *pulchrum*, ait S. Basilius in Psalm. 44. *est membrorum dispositione, & harmonia gratiâ vigens*; non potuit autem nec commodiorem ordinem, nec proportionem nobiliorem, nec meliorem gratiam in illis membris tuis mortalibus adiicere. Quàm ergo pulchra es, & quàm decora, charissima Domina mea in deliciis tuis! pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia, oculi columbarum, & vox tua dulcis, & facies tua decora: ostende mihi faciem tuam, & sonet vox tua in auribus meis: tanta est enim aspectus tui gratia, vt etiam his quos aspicis integritatis & virginitatis gratiam conferas; tanta vocis tuæ dulcedo, vt mortuis ad vitam, peccatoribus ad veniam, quòd vox tua semel in auribus eorum sonuerit, sufficiat. Ego captus & vulneratus sum, Domina, in vno oculorum tuorum, quo me semel aspicere dignata es, vt aliqua ratione pulchritudinem tuam cognoscerem: vt vidi, vixi, & à me ablatus est error, quo post vanas errabam pulchritudines; quas tuo aspectu omnes omnino ex animo delere cupio, & tibi soli seruire. Erúntne, ô Domina mea, tot abiecta Veneris mancipia, qui se nescio cuius fœditatis seruos profitebuntur, & ego non ero libenter pulchritudinis tuæ mancipium? Absit, absit, Domina mea: qui aliud quàm te amat, te non vidit; qui tibi non mancipatur, te non cognoscit. Ostende mihi, quæso, faciem tuam, vt magis magisque te cognoscam, & magis te diligam. Vtinam, Domina mea, foret mihi hominum disertissimorum atque Angelorum eloquentia! vtinam Poëtarum omnium facundia! vtinam omnia instrumenta tangendi iucunda scientia! vtinam musicorum omnium in ore meo resonaret harmonia! Non ego Cupidinem Praxitelis, Dionysij statuam, Occasionis aut Narcissi imaginem cum Callistrato; non Orphea, Linum, Memnona, Meleagrum cum Philostrato; non Theagenem cum Heliodoro, non venustatem muliebrem cum Aristenero; sed hoc quadraginta

Hæc pulchritudo sola amanda.

sola laudanda.

termè

fermè sęculorum opus, quæ inter mundi tuamque natiuitatem fluxerunt, hanc corporis tui gloriam, hanc viuam & spirantem pulchritudinis imaginem, in quam meliori quodam pollice incubuit Deus, vt esset in arce rerum humanarum posita, quæ omnibus suspicienda proponeretur, oratione solutâ & vinctâ describerem, fidibus & voce semper decantarem, omnesque quà possem mortales ad mancipatum tantæ venustatis pertraherem: digna enim prorsus est ista species, eo quod obtinet, totius vniuersi imperio. Quòd si ex vultu hoc & decore membrorum colligere velimus, quantus illa cælestis spiritus habitator intrauerit, poterimus per hæc lineamenta quodammodò rimari eius dignitatem; solet enim natura magnis mentibus domicilia corporum digna metari: quâ in re hoc possumus certissimâ ratiocinatione summatim colligere, Deum, qui corpoream speciem Deiparæ voluit perfectissimum pulchritudinis esse simulacrum, ei mentem infudisse, quæ esset ipsa perfectio sapientiæ & sanctitatis, & quæ cælesti miraculo cum primo creationis instanti summa esset, semper tamen cresceret: vnde iam tanta spiritualis existit pulchritudo, vt si eam mentibus intueamur, etiam inuiti & reluctantes traheremur ad seruiendum Heræ tam speciosæ, ac Dominæ tam amabili. Sic enim, secundùm diuum Gregorium, *electorum animæ omne humanum genus, quod in terrâ secundùm hominem conuersatur, suæ pulchritudinis decore transscendunt*; vt si oculis corporeis, quod affirmat S. Catharina Senensis, percipi posset pulchritudo animæ virtutibus ornatæ, nullus futurus esset, qui non libenter pro singulis animabus in tam specioso & amabili statu conseruandis mortem oppetere paratus esset. Quid dicemus de spirituali pulchritudine beatæ MARIÆ Virginis? Collige quidquid decoris, pulchritudinis, amabilitatis elucet in quibuslibet corporalibus rebus: quod lucet in sole, lunâ, stellis; quod fulget in auro, gemmâ, vestibus; quod ridet in hortis, quod splendet in palatiis, quod placet in imaginibus, & confla in vnum decorem quidquid vbique natura dispersit, quamuis immensus & incomprehensibilis videatur; non tamen perueniet ad eum splendorem, quem anima accipit etiam à minimo gratiæ cælestis gradu. Nunc mente assurge, & collige rursus omnes omnium Sanctorum gratias & virtutes, qui fuerunt vmquam & erunt vsque ad finem mundi, & nondum peruenies ad B. MARIÆ Virginis sanctitatem: censent enim iam passim Theologi, ad gratiam & gloriam Deiparæ omnem collectam in vnum Sanctorum virtutem non posse aspirare. Iam puto ego, ex virtutum gratiarumq; collectione, secundùm ea quæ de corporis pulchritudine diximus, venustatem quamdam existere spiritualem, quæ singulis in Sanctis eò est maior, quò ex aptiore virtutum proportione & veluti harmoniâ existit; vnde sequitur, eam in Virgine esse perfectissimam, cùm numquam meliùs virtutes consonent, quàm tum cùm omnes habentur in summo gradu. Benedicta sis in æternum sanctissima Trinitas vnus Deus; Pater, quòd Filiam tuam tot donis cælestibus, Fili, quòd Matrem tot gratiis, Spiritus sancte, quòd Sponsam tot monilibus exornaris: benedictus sis, iterumque benedictus Deus meus, quòd mihi ex naturâ meâ seruo & mancipio Dominam talem præparaueris, cui, ob tantam corporis & animi pulchritudinem, suauissimum sit & honorificentissimum famulari. Benedicta sis, Domina mea, supra Patriarchas omnes quos fide, supra Prophetas quos scientiâ, supra Apostolos quos zelo, supra Martyres quos patientiâ, supra Confessores quos humilitate, supra Virgines quas innocentiâ superasti: benedicta supra omnes; quia multæ filiæ sibi congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas: quare tu sola mereris vt omnes tibi seruiant & famulentur.

Quanta in illa anima pulchritudo.

Libro vlt. Moralium.

Sur. in eius Vita.

Modus assurgendi ad eam contemplandam.

Doxologia Deo & Virgini ob tantam pulchritudinem.

CAPVT XVIII.

An nobilitas sit titulus regnandi: & quænam sit vera nobilitas.

Sapientes quidam negant:

SVNT, qui non tam meliore luto corpus, quàm feliciore ingenio animum formatum habentes, ægrè se sinunt opinionum vulgarium æstu abripi; & in ferendâ de rebus sententiâ non quid dicatur attendunt, sed quid sit dicendum: hi, cùm de nobilitate incidit sermo, eam gaudent verbis plurimis eleuare; & si ea tamquam regni titulus obtendatur, interrogare solent, quid tantum inesse possit fumosis imaginibus, aut cariosis fœdisque ad puerorum terrorem statuis, vt ab iis quærendum sit quisnam viris sit imperaturus; vel quid maiores, quorum non tantùm vita exstincta, sed pænè oblitterata memoria est, nepotibus conferre possint, vt ipsi viuis cum regiâ dignitate & debitâ maiestate præsint. Cùm nemo in nostram virtutem vixerit, nec quod ante nos fuit nostrum sit; imò cùm altiùs insurgunt, omnem istam, quæ ex maioribus petitur, nobilitatem rescindunt, aiuntque: Eadem omnibus principia sunt, eadem origo. Nemo altero nobilior est. Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte primâ ædium collocant; noti magis, quàm nobiles sunt: alioquin si ad vetera reuocas, nemo non ab eo est, ante quem nihil est. Deinde à primo generis humani parente, vsque in hoc tempus, perduxit nos ex splendidis sordidisque alternata series. & Plato aiëbat, *Neminem Regem non ex seruis esse oriundum, & neminem seruum non ex Regibus.* Omnia ista longa varietas miscuit, & sursum deorsum fortuna versauit. Vel dic, quidnam tandem aliud sit nobilitas? vel quid habeat, vnde trahat aliquam apud cordatos venerationem? nam sanctus Basilius ait: *Prouerbium est, omne fieri per antiquitatem nobilius.* huic apponi posset, non prouerbium, sed veritatem esse experientiâ comprobatam, omne quoque per antiquitatem fieri obscurius. Si S. Hieronymum audimus dicentem, *Nobilitas mundi nihil aliud est quàm inueterata diuitiæ*; iam quidquid de vanitate, incertitudine, indignitate diuitiarum declamatur, isti nobilitati opponemus. *Quid est nobilitas*, interrogando definit Nazianzenus, *nisi vetus sanguis?* Sed iam diximus, quod omnibus nobis totidem ante nos sunt, eademque vetustate sanguis omnium corruptus magis quàm commendatus. Si claritatem sanguinis dicas nobilitatem esse, non Annales, sed Medici consulendi sunt, cùm hanc sanitas præstet sæpè in obscurissimis defæcatissima. Hæ sapientum interioris notæ de nobilitate sententiæ.

Rationes cur negent.

Variæ nobilitatis definitiones excussæ.

Alij contrà affirmant.

Alij contrà nobilitatis magnam rationem habendam esse censent, dicuntque, quòd non sine ratione sacra sit posteritati magnarum virtutum memoria; nam esse plures bonos iuuat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat: imò hoc debere nos aiunt virtutibus, vt non præsentes solùm illas, sed etiam ablatas è conspectu in posteris colamus. An enim virtute præditorum quascumque reliquias & simulacra christianè venerabimur, & viuas spirantesque eorum imagines non colemus? an mortuam corporis eorum particulam capiti venerationis causâ imponemus, & decisam à corpore eorum meliorem partem, factamq; in animam viuentem, dubitabimus nobis tamquam caput imponere, vt regat gubernetque eos qui tantæ virtuti non appropinquarunt? Quemadmodum enim viri isti magni egerunt, vt non in vnam ætatem mortalibus prodessent, sed beneficia etiam sua post se relinquerent; ita & nos non vnâ ætate grati esse debemus. Quas magnorum virorum contrarias in speciem sententias ne longâ oratione inuicem opponamus, tandemque vix statuere possimus, quid beatæ MARIÆ Virginis nobilitati sit tribuendum; ante omnia inquirendum est, quænam sit vera nobilitas, cui honorem & imperium

quòd filij sint veluti reliquiæ parentum.

rium meritò dicamus cum auctoribus grauissimis competere. Videtur enim rerum materialium, & hominis ipsius adinstar, formâ & materiâ, aut potius corpore & animâ quodammodò esse composita nobilitas: forma autem, seu anima præcipua compositi pars, vnde vita, decor, & ipsum eius est esse, in nobilitate est virtus, & animus supra communem mortalium conditionem fortunamque exsurgens; cui veluti materia aut corpus substernitur longa notaque maiorum series eâdem virtute excellentium, quæ veluti annulus est aureus, cui propria virtus vt gemma pretiosissima inseritur. Cùm autem homines vanissimè materiale nobilitatis arripuerint, eoque plerumque glorientur, veram nobilitatem ignorantes: ampliùs dico, cùm ne quidem materiam eius cognouerint, sed ei maiorum seriem potentiâ, diuitiis ceterisque fortunæ crepundiis pueriliter exornatam substituerint; factum est, vt morum magistri acriùs aliquando nobilitatem sint insectati, eamque contemptui quodammodò habuerint, intelligentes istam nobilitatem, quam imperiti colunt & suspiciunt: quæ sola, per se sumpta, vel nullius, vel sanè non magni est pretij, sed viuificata & animata propriâ virtute ac maiorum imitatione nullam habet pretio suo parem æstimationem; cùm & maiores claritatem à sequenti luce accipiant, & virtus nepotis ab eorum splendore vehementer illustretur: quemadmodum puro & micanti auro sapphirus aut adamas purior inolescit, nec tantùm dat, sed etiam accipit ab annulo lucem.

Nobilitas constat formâ & materia.

Forma est virtus propria;

materia virtus maiorum illustra.

Homines autem materiam solam arripiunt, imò ne veram quidem materiam:

hinc vituperatur ea nobilitas à sapientibus;

vera autem laudatur.

Quâ notatâ nobilitatis compositione facilè intelligi & explicari possunt ij vel SS. Patres, vel Philosophi, qui nobilitatem videntur in solâ virtute propriâ constituere: isti enim non ignoratione veri, sed corrigendi docendique causâ hoc ita affirmant; quòd scilicet nec illa maiorum series, quæ omnibus est communis, claris obscurisque permixta, nec maiorum virtus, multò minùs, vt vanissimè carnales homines delirant, maiorum diuitiæ, honores, imperia, ceteraque, quæ stulti admirantur, constituant nobilitatem; sed quòd virtus sit eius anima, sine quâ fieri vt nobilitas existat non magis potest, quam vt homo sit, qui animâ careat: qui verò de nobilitate, quæ est coram Deo, loquuntur, eamque definiunt solam esse virtutem, præscindentes omnem ei ad maiores aliosque virtute præditos relationem; per metaphoram, meo iudicio, de nobilitate loquuntur, explicandique sunt, ac si dicerent: Licet homines plerumque dignitates, imperia ceterosque eminentiæ gradus, quando distributiuam iustitiam sequuntur, nobilitati, hoc est, antiquæ virtuti conferunt; Deus tamen in præmijs conferendis non id quod maiores gesserunt, sed tantùm propriam cuiusque virtutem respicit, adeò vt nobilitas, hoc est, ratio dandi præmia apud Deum vnica sit virtus: quæ apud homines non sola virtus est, sed nobilitas, hoc est, vti suprà definiuimus, virtus propria, antiquâ maiorum suorum virtute illustris. Facilè ergo nunc sanctus Ambrosius intelligitur Epist. ad Celantiam scribens: *Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum; seruum & nobilem de moribus pronuntiat. Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus.* & Nyssenus Gregorius, dum ait: *Religio nostra nescit personas.* hoc est, neminem excludit, omnes admittit, cuiuscumque sint status aut conditionis, vt in eâ vitam æternam consequantur. An verò in hieropoliticâ atque etiam hierarchicâ gubernatione Ecclesiæ, & in promotione personarum ad dignitates Ecclesiasticas, alterius cuiusdam nobilitatis debeat vel possit haberi ratio (quemadmodum passim fieri videmus) alterius est loci & temporis. Solet huc etiam adferri præclara S. Ambrosij in sextum Genesos annotatio: ibi enim cùm altiùs Scriptura intonuisset vers. 9. *Hæ sunt generationes Noë*; tamquam longam auorum seriem enumeratura subdit: *Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit.* vbi

Nobilitatem in solâ virtute consistere, quid significet.

Quâ ratione verum sit, nobilitatem coram Deo esse solam virtutem.

De nobilitate Noë.

vbi S. Ambros. lib. de Arcâ & Noë c. 4. *Noë*, inquit, *non genere, sed iustitiâ laudatur: probati enim viri genus, virtutis prosapia est; quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt.* Sed posteaquam B. MARIÆ Virginis nobilitatem ostenderimus, fortè aliud quidpiam inueniemus, vnde pateat, hîc narrari maximam Noë nobilitatem, non secundùm eam; de quâ nunc agimus, metaphoram, sed in ipsâ verbi proprietate. quod idem valebit in plurimis Patrum sententiis, quæ alioqui viderentur de solâ virtute per se sumptâ intelligendæ.

CAPVT XIX.

Omnes nobilitatis humanæ tituli reperiuntur in Virgine, & alia prætereà diuina nobilitas.

Gloriatur de nobilitate suâ Virgo.

DICIT & quodammodò gloriatur de se apud Ecclesiasticum Virgo cap. 24. vers. 10. *In omni terrâ steti: & in omni populo, & in omni gente primatum habui: & omnium excellentium & humilium corda virtute calcaui. Hisce*, inquit Rabanus, *omnibus demonstrat Sapientia* (nos hîc, præeunte sæpiùs Ecclesiâ, de Virgine sumimus) *amplum & vniuersale suum herile ius, dominium & fortitudinem*, &c. infrà vers. 16. dicitur: *Et radicaui in populo honorificato.* & rursum vers. 17. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion.* quibus nobilitatem suam commemorat: dicitque se nobilissimarum istarum arborum adinstar, quæ montes amant, & virtute mirâ omnes alias excellunt, plantatam esse in monte, id est, radices suas misisse in populo honorificato, vnde traxit originem; vt ceteros inter homines excellat,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi;

vt ostendat, non tantùm imperium & dominium iustè datum sibi esse propter ceteras prærogatiuas & excellentias, sed etiam conuenienter propter nobilitatem: neque Scriptura tam ambitiosè totam eius genealogiam proponeret, nisi magnum existimaret in verâ nobilitate consistere Virginis ornamentum. Nec ab hominum communi opinione abimus, si propter nobilitatem veram deferamus Dominæ nostræ imperium; cùm ipsi etiam ob solam maiorum virtutem, quæ non est adæquata nobilitas, sæpiùs putent deferendas esse dignitates. *Nam Ciceronem filium*, Seneca ait, *qua res Consulem fecit, nisi pater? Cinnam nuper qua res ad Consulatum recepit ex hostium castris? qua Sextum Pompeium, aliósque Pompeios, nisi vnius viri magnitudo? tanta quidem, vt satis altè omnes suos etiam ruina eius attolleret. Quid nuper Fabium Persicum, cuius osculum etiam impuri vitabant, sacerdotem non in vno collegio fecit, nisi Verrucosi & Allobrogici & illi trecenti, qui hostium incursioni pro Repub. vnam domum obiecerant?* Si tanto in honore apud omnes est parentum virtutibus rutilans euanida & cadaucrosa maiorum nobilitas, quantâ in veneratione apud nos esse debebit viua spiransque, & omnium maxima, omnium verissima, & verbo, talis MARIÆ nobilitas quæ omnium aliarum obscuret splendorem? de quâ breuiter hoc dici ostendique potest, nihil esse inter omnia nobilitatis ornamenta, quod ei non sit cumulatè tributum. Quid enim mihi, vt à leuissimis exordiar, longam maiorum seriem ostentas? cùm nemo certiùs, nemo longiùs possit per omnes generationum ordines stemmata sua euoluere, quàm Beata hæc Virgo suum ad primum vsque parentem omnium deducit. Vis eorumdem auorum splendorem? Ex benedicto Patriarcharum semine, ex præclaro Prophetarum germine, atque sacrâ Sacerdotali stirpe, generosâ quoque & Regali progenie, hæc inclyta virtutis Dei virga processit, quæ singularissimum florem meruit germinare. Nam per decem istos legis naturæ Atlantes, mundique primùm fundari columnas, ad Patriarcharum dignitatem, qui Dei populum amplificarunt fecundâ sobolis multitudine, non

eamq; diligenter narrat Scriptura.

Falsa nobilitas sæpè causa regiminis.

Lib. 4. de Benef.

Cur non erit apud nos omniũ verissima & maxima nobilitas?

quâ nemo plures,

nemo illustriores famâ

non interrupto ordine sanguis eius diffusus est: inde nouo splendore in Prophetis, in populi Principibus ac Iudicibus emicuit: posteà à sacerdotis summi affinitate lucem accepit, donec nouâ quatuordecim Regum tinctus est purpurâ; quorum aliqui non tantùm ad populi sui vtilitatem, sed ad mundi totius stuporem regnauerunt. Sed parua sunt hæc, vt ante definitum est; ab antiquitate decora, nisi verâ virtute maiorum magnitudo fuerit sigillata. Rectè mones. Sed qui hanc voluerit contendere in Virginis genealogiâ desideratam fuisse, ei ostendendum fuerit, quæ austerior diuturniorque vspiam fuerit pœnitentia, istâ, quam Adamus pænè per decem sæcula exercuit: ostendendum fuerit, quis pietate Enos antiquior, quis innocentiâ Enoch amabilior in terrâ sit repertus: ostendendum fuerit, quis perseuerantiæ integritate Noë, quis pietatis erga parentes libertate Sem, quis fidei firmitate Abrahamum superauerit: denique, ne hîc hæreamus; ostendendum fuerit, quis in obedientiâ perfectior quàm Isaac, corde liberalior quàm Booz, mansuetudine omnibus charior quàm Dauid, sapientiâ profundior quàm Salomon, zelo ardentior quàm Ezechias: denique, quis vitæ probitate irreprehensibilior fuerit quàm Ioachim & Anna, sanctissimi nobilissimæ Virginis parentes: Iam si alia nobilitatis capita percurramus; vnum iura suppeditant L. fin. C. de Incolis: *Mulieres honore maritorum erigimus, & genere nobilitamus.* nam totum feminarum genus à nobilitate virorum quodammodò absorbetur, aut potiùs femina virili stirpi & stemmati inseritur, vt censeatur eiusdem cum viro nobilitatis. Quis ergo Virginis nobilitatem, quam à sponso suo Iosepho trahit, verbis, quis eam, quam à Spiritu sancto accepit, cogitatione vllâ poterit attingere? Nam Iosephus antiquitatem stirpis, titulis & stratagematibus illustrem, fulgentem purpurâ & coronâ maiorum ei communicat: adfert prætereà tot sæculorum continuationem, quæ singula fuerunt tamquam scenæ tot egregiorum actuum quibus decessores ipsius mundi fastos consignarunt; his omnibus tamquam omnium nobilissimus succedit ipse, cùm ideò ceteris data sit nobilitas, vt eam per sæculorum successionem ad eum deducerent, ipséque eam sponsæ suæ communicaret: Sed altiora superiorisque sunt ordinis quæ alter eius sponsus ei dat nobilitatis ornamenta: *Non est*, inquit Latinus morum præceptor, *quod te isti decipiant, qui cùm maiores suos recensent, vbicumque defecit nomen illustre, illicò Deum fingunt.* Ego dico, me posteritatem non decipere, cùm beatæ MARIÆ Virginis Dominæ meæ nobilitatem cælestem atque diuinam esse pronuntio: non quòd nomen illustre in genealogiâ eius deficiat, per quod non interruptâ serie ad ipsa mundi exordia stemma suum deducat; sed quòd supra omnem natiuitatis splendorem tam admirabili ratione Deus eam nobilitauerit, vt sponsus eius verissimè existere dignaretur; vnde sequitur, ipso iure omnem diuinitatis ei communicatam esse nobilitatem. Clarè enim Imperator dicit: *Mulieres honore maritorum erigimus, & genere nobilitamus.* Libet tacitæ cogitationi cuiusque relinquere propè infinitæ dignitatis excellentiam, quâ tali à sponso Virgo fuit nobilitata; quàm eam verbis inferioribus declarare. Itaque ad alium nobilitatis Marianæ fontem pergo, quem etiam designare potiùs quàm describere est animus. Nam rursum lege vnicâ de præpositis laborum Iura dicunt: *Immunitate digni sunt, quos nostri lateris comitatus illustrat.* illustrari & nobilitari homines indicat ex conuersatione domesticâ cum Principe. Quid ergo dicemus de nobilitate MARIÆ, quæ triginta tribus annis ita familiariter conuersata est cum Principe regum terræ, vt ei omnia gerulæ, nutricis & matris officia exhibuerit? Atque huc reuocari potest ista Patriarchæ Noë nobilitas; quam Scriptura magnificè proponit; dicens: *Hæ sunt generatio-*

nes

aut virtute numerat auos.

Nulla sponsis sancto Iosepho

& Spiritu sancto nobilioribus nupsit.

Lib. 3. de Benef.

Nulla conuersatione familiariore cum Deo est vsa.

nes Noë. *Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit*, Aures nostras, ait S. Chrysostomus Homil. 23. in Genes. *Ipse quadam impleuit, quasi genealogiam eius narratura, & quis eius pater fuerit, & vnde genus duxerit: sed relictis illis omnibus, tandem ait, quòd in iustitiâ & perfectione cum Deo ambulauerit.* tamquam si diceret: Neminem adeò nobilem vmquam reddidit natiuitas, quàm Noë summa cum Deo conuersatio & familiaritas. Hinc Nyssenus Gregorius *vnam nobilitatem necessitudinem cum Deo existimat*. atque ita intelligi possunt, qui nobilitatem in virtute constituunt cum Deo: illam autem conuersationem non secùs supplere defectus natalium, quàm eam supplere solet stipatus regij lateris ceteris mortalibus. Verè ergo dicitur, quòd ad vbera virtutis nutritur vera nobilitas, quodque eius lacte suppleatur, quod deest à natalium sanguine, ex eo quod illustret generis obscuritatem radiis diuinitatis; & eum, qui caret longo nobilium parentum ordine, nobilitat illustrissimâ Dei conuersatione. Videmus ergo, vndecumque titulos nobilitatis examinemus, nulli aut omnes simul aut singulos tam excellenti gradu conuenire quàm Virgini Dominæ nostræ, cùm illa sit tot, tam antiquorum, tam illustrium maiorum Filia, tam insignium sponsorum Sponsa, & tam singulari ratione cum regum Rege conuersata. E quibus nobilitatis titulis posteriores quidem duo, quoniam diuinam quamdam habent dignitatem, inæstimabilis sunt pretij; ita tamen vt reperiantur maiora, possitque splendor iste, quantuscumque sit, non dico obscurari, sed aliquatenus sequenti splendore obumbrari: at verò priores omnes, quæ antiquitatem, splendorem, sanctitatem maiorum ambitiosiùs ostentant, quasi astra inferente se sole, ita posteriore luce non obscurantur tantùm, sed prorsus exstinguuntur. Rem totam Scriptura significat Cantic. 1. vers. 10. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento, dum esset Rex in accubitu suo*. hæc enim coniunctim legunt SS. Patres secuti Septuaginta, qui sententiam vertunt: *Similitudines auri faciemus tibi cum stigmatibus argenti, quoadusque Rex fuerit in accubitu suo.* quod alij ex Hebræo dicunt, *Imagines masculinas faciemus tibi.* quibus nihil vetat hanc aptare interpretationem: Nos rigidissimo iure serui tui, ô Virgo Sponsa, ad hoc professi tuum mancipatum, vt omnes vires omnemque industriam nostram in te laudandâ & exornandâ impendamus, exordientes à mundi principiis opus nostrum, pulcherrimas tibi construemus porticus prouidentiæ, beneuolentiæ, fortitudinis, ceterisque diuinorum attributorum columnis per tot sæcula sustentatas, atque in iis imagines masculinas, totam ex ordine maiorum tuorum seriem collocabimus; vt ostendamus quantam tibi singuli nobilitatis lucem contulerint. Stabit Abraham nixus in spem contra spem; stabit Isaac sublato fasce, ne tardet obedire in mortem festinabundus; hîc Iacob cum Deo luctabitur; isthic Iudas suis sceptra & imperia dispartietur; alibi Dauid mansuetudinem, Salomon sapientiam, Iosias pietatem ostentabit; inueniet suum iustitiæ Ezechias, inueniet pœnitentiæ Manasses locum; implebunt vndique venerabilem diuinitate locum sacra æternitati capita pronis tot Patriarcharum, Iudicum, Prophetarum Regumque imposita ceruicibus, vt adoratione ostendant vni tibi magnitudinem suam debere, atque in te gloriam suam se omnem refundere. *Liber generationis* IESV CHRISTI *filij Dauid, filij Abraham*, &c. *En similitudines auri*, vel, vt alij, *imagines masculinas*, quas sæpiùs cum Euangelistâ percurremus: nam gloria filiorum patres eorum. Sed quousque tandem hisce operibus distinebimur, quamdiu hisce imaginibus insidabimus? *Hæ enim*, inquit Homil. 2. in Cant. Origenes, *quæ per amicos sponsæ facta sunt similitudines & imagines, non in sempiternum mansura promittuntur, sed tempus eis statuitur*

Hi tamen tituli vel obscurantur,

vel prorsus delentur

tuitur ab illis dicentibus, quoadusque Rex sit in accubitu suo. hoc est, quoadusque inter brachia Virginis residentem videbimus Regem Regum, & audiemus, *de quâ natus est* IESVS: hoc enim verbo tota ista auorum magnificentia vilescit, ab isto Sole toti isti splendori tenebræ offunduntur. Audiamus S. Petrum Damianum Sermone 2. de Natiuitate: *Beata* MARIA *licet de generosâ sit patrum stirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentissimum nobilitatis genus, qui de illâ est nouo nascendi genere procreatus, & per clarissimam sobolem omnem humani stemmatis excedit nobilitatem: clara proauorum titulis, sed incomparabiliter clarior generositate prolis; filia siquidem Regum, sed Mater Regis Regum.* Stringit breuiùs sanctus P. N. Augustinus: *Nobilitas nascentis in virginitate parientis, & nobilitas parientis in diuinitate nascentis.* & S. Ambrosius lib. 2. de Virginib. *Quid splendidius eâ quam splendor elegit? quid nobilius Dei Matre?* Hæc nimirum est ista nobilitas quæ Curiam totam cælestem in stuporem dedit; ideoque dum primùm Virgo cælum & solium suum ascenderet, inter tot tantáq; quæ in ipsâ erant mirabilia, hanc potissimùm admirabantur, dicentes: *Quæ est ista, quæ ascendit quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Sol Persis erat hieroglyphicum nobilitatis, Romanis luna, Assyriis cælum illustribus stellarum flammulis distinctum: omnia iungunt Angeli, vt ostendant in hac Dominâ se gentium omnium venerari nobilitatem; cumque apud omnes receptum sit, non aliunde clariorem nobilitatem petere quàm à virtute bellicâ, adiungunt eam etiam in hac omnibus præcellere, cùm non sapientissimi tantùm Imperatoris gloriam, sed exercitus optimè à prudentissimis Ducibus ordinati virtutem adæquauerit. Concludamus nunc ergo, dicamusque: Si in verâ nobilitate tanta sit laus, vt priuatum hominem Regibus venerabilem, & Regem subditis cunctis pænè adorandum faciat; si homines, quibus graue est alterius potestati subiici, soleant miseriam suam hac ratione solati, quòd non subiiciantur ignobili domino; quid nobis in hoc mancipatu non erit, nolo dicere solatij, cùm nulla sit miseria, sed gaudij, quòd isti Dominæ subiiciamur, à cuius diuinâ nobilitate pænè infinita redundant in nos bona? quàm submissâ pietate summitatem sceptri ipsius venerabimur, quia gestatur à tam nobili manu? Certè si lex à naturâ lata est, aut si adhuc ab hominibus esset ferenda, vt nobilissimus in ceteros haberet dominium; non alteri, quàm cui modò paret Virgini, cælum & terra subiiceretur. Generosos ergo concipiamus animos, Sodales, nec degeneremus à cogitationibus dignis tam nobili capite, cuius volentes paremus imperiis; abiectisque vilium ac terrenorum hominum cogitationibus, grata tam nobili generosæque Imperatrici concipiamus vota: nec patiamur, vt quorum est gloria regi à tantâ nobilitate, iis seruiles nescio cuius concupiscentiæ inclinationes turpissimè dominentur.

à nobilitate quam accepit à Filio.

Cant. 6. vers. 9. quam stupet Curia cælestis.

CAPVT XX.

Noui tituli dominij MARIANI *& nostri Mancipatus orti ex facto, de quo primùm agimus, est emptio: eius celebrandæ varia ratio.*

QVA ratione, vel ex Filij dono, vel ob resultantes ex Dei maternitate varias perfectiones, meritò euecta fuerit Virgo Deipara ad statum illum hierarchicum, qui tribueret ipsi creaturarum omnium imperium atque dominium, hactenus examinauimus. Restant tituli quidam ex ipso facto petiti, qui non minùs ei stabiliuit dominium, quàm nos docent humillimum nostrum mancipatum. Nemo enim fuit vmquam vllo titulo mancipium alicuius aut seruus, qui non in B. MARIA Virgine multò excellentiore prærogatiuâ repertus, nos illi arctissimâ seruitute subiiciat. Nam si antiquissima repetamus,

tamus, & moris istius initia, quo perditâ omni libertate quidam ad mancipij vilitatem abiiciuntur, inuestigemus; vel iusto bello captos, vel pecuniâ emptos, vel denique criminis conuictos reperiemus fuisse eos, qui iustè seruitutem eam seruierint. De singulis deinceps, sed primùm de emptione agemus; non quòd naturæ ordine sit primus seruos acquirendi modus, sed quòd veluti notissimus videatur ante alios tractandus. Primi autem, qui seruis coëmptis vsi sunt, Chij perhibentur: qui posteà à Mithridate subacti, & propriis seruis vincti traditi, atque in Calchorum regionem deportati, locum prouerbio fecerunt, *Chius dominum emit*. Interim mos vendendi atque emendi seruos breui tempore tum ad ceteras nationes, tum etiam ad Romanos peruenit: apud quos vti non vna erat vendendorum ratio, ita varij in vsu fuerunt loquendi modi, ab ipsâ venditione desumpti. Primus erat quem exprimit Iuuenalis:

Qui primi seruos emerint.

Et præbere caput dominâ venale sub hastâ.

Quid sub hastâ venire.

Erat enim hasta venditionis signum: vnde ad nostra vsque tempora mos dimanauit desigendi præcelsam in foro perticam, indicem nundinarum solemnium & liberarum. Quòd si rationem indagemus cur hasta in auctionibus adhibita sit, videtur hæc non imperitè reddi posse: quòd cùm hasta fortitudinis symbolum esset, significarent eâ Principes se fortiter rerum suarum auctoritatem defensuros; vel quòd hastâ, gladio, armis, bello denique quæsita tanti facerent, vt quæcumque his mediis parta forent, etiam homines in bello capti, fierent acquirentium; sic vt hastâ in venditionibus vterentur in signum irrefragabilis dominij & proprietatis: vt ergo ostenderent res venditiias iure & legitimè ad se pertinere, neq; posse ab aliquo fraudem emptori parari, adhibebatur ab auctoribus siue venditoribus hasta, velut tutissimum iuris Gentium signum. Hinc *subhastare*, & *sub hastâ venire* transierunt in vsum sermonis Latini. Dicebantur etiam *sub coronâ venire* mancipia: vel quòd coronâ redimita stabant, vt quidam interpretantur; vel, vt alij, quòd militum eos corona custodiæ causâ ambiret. Solent prætereà pileata vendi ea mancipia, pro quibus nihil venditor præstabat, quòd per se eminerent, & pileo libertateque essent dignissima. At cretatis vel gypsatis pedibus quæ adstabant, infimæ notæ, ac trans mare aduecta erant mancipia.

Quare ea in auctionibus adhibita.

Sub coronâ venire quid sit.

Item pileati & cretati vendebantur.

Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis,

inquit Iuuenalis. Quòd autem præco, qui venalium pretium faciebat, staret in edito lapide, cumque probi improbiq; serui circumsisterent, cœpit in vilissimum quemque iactari prouerbium, vt *de lapide emptus* diceretur: quod Cælius Rhodiginus lib. 25. c. 22. interpretatur tamquam si esset de rupe Tarpeiâ, vnde serui scelerati præcipitabantur, redemptus; sed priori explicationi fidem facit Plautus in Bacchid.

Quid de lapide emptus.

O stulte, stulte, nescis nunc venire te;
Atque in eo ipso adstas lapide, vbi præco prædicat.

Alius prætereà fuit solis Romanis vsitatus mos, seruos, resque ceteras, quæ mancipi addicebantur, acquirendi: peragebaturque iis quas iam commemorabo formulis & solemnitatibus. Primùm enim opus erat libripende, & quinque testibus ciuibus Romanis puberibus; quibus præsentibus, is qui mancipium accipiebat, æs tenens ita loquebatur: *Hunc ego hominem ex iure Quiritum meum esse aio: isq; mihi emptus est hoc ære aneáque librâ*. deinde ære percutiebat libram, æsque dabat ei, à quo accipiebat mancipium, pretij loco. Ita referunt Boëtius lib. 3. Topic. Sigonius de Antiquitate c. 11. Atque hoc erat mancipationis ius: quo non solùm vendebantur prædia vrbana & rustica sita in Italico solo, verùm etiam serui & quadrupedes, quæ dorso collóve domantur, feris exceptis. Ceterùm, abalienatâ iam re, auctor siue venditor nexu se obligabat emptori siue mancipi, ad rem ei perpetuò præstandam in hunc modum. Stipulatur ab

Mos Romanorum per æs & libram vendendi.

ab auctore manceps: Dare spondes? quo respondente, Spondeo; dicis causâ spondentem obligabat & nectebar. atque ius *mancipi* & *nexi* apud Latinos ferè coniungi solent. Loquitur de hac formâ vendendi Cicero in Oratione pro Murenâ: *Quòd si in iis rebus repetendis qua mancipi sunt, is periculum præstare emptori debet, qui se nexu obligauit*, &c. Quo in loco præstare periculum, est mancipi siue emptori cauere, casu quo res vendita à tertio quodam per euictionem vindicetur: siquidem euictio significat etiam recuperationem eius rei per Iudicem, quam aduersarius iure legitimo acquisiuerat. Quòd si igitur quis vellet mancipi siue emptori rem, quam hoc iure Quiritium emerat, eripere; debebat eum venditor siue auctor defendere, aut, sicut hodie loquimur, manu tenere.

Vnde ius mancipi & nexi.

Erat prætereà alius rerum (inter quas serui) vendendarum ritus, qui in iure *Cessio* vocatur. Cessio verò tali fiebat modo. Apud Prætorem populi Romani, is cui res in iure ceditur, rem tenens ita vindicat: *Hunc ego hominem iure Quiritium meum esse aio*. Cumque ita vindicauerit, Prætor interrogat eum qui cedit, an contrà vindicet? quo negante, aut tacente, ei qui primò vindicauerit rem Prætor addicit: idque legis actio dicitur. Sigonius de Antiquit. iur. Roman. cap. 11.

Quid in iure Cessio.

Non prætereunda hîc sunt cetera quæ solent inter vendendum occurrere, vt semel antiquitatis ritus expediamus. In primis aduocandi erant Ædiles, penes quos olim omnium venalium cura & cognitio. Durant. lib. 1. cap. 10. legem venditoribus edicturus: *Titulus seruorum singulorum, vt scriptus siet, curato*: ita vt intelligi rectè possit, *quid morbi vitijq́ cuique siet, quis fugitiuus, errove siet, noxáve solutus non siet*. Gellius lib. 4. cap. 2. Meminit eiusdem edicti Vlpianus libro 1. de Ædilit. edict. & Paulus I. C. & ante omnes Cicero lib. 3. Officior. vbi ait: *Qui enim scire debuit de sanitate, de fugâ, de furtis, præstat edicto Ædilium*. Titulos igitur serui omnes gestabant; qui venum ibant; in quibus quid morbi vitijque cuique esset, quæ conditio inscribebatur. Excipiendi sunt, vt suprà tetigimus, pileati, quos impositus pileus satis commendabat. Itaque, secundùm Ædilitium hoc edictum, solebant seruorum venditores de eorum sanitate promittere. Stipulabatur enim emptor sanum esse; idque stipulanti venditor spondebat. Quòd si spondentis suspecta erat fides, gagatis lapidis odore sanitatem explorari consueuisse Apuleius tradit in Apologet. Testatur enim Plinius lib. 36. c. 19. gagatem fonticum morbum deprehendere, & suffitu detegere comitiales; vti docuerat ante enim Dioscorides. Ceterùm, morbus fonticus apud veteres dicebatur morbus vehementior, vim grauiter nocendi habens, vt docet Gellius lib. 20. cap. 1. Tam autem diligenter venditios examinabant, vt vestimenta etiam detraherent, ne qua vitia corporis laterent. Testatur Seneca lib. 9. Epist. 81. *Mangones*, inquit, *quidquid erat quod displiceret, aliquo lenocinio abscondebant. Itaque ementibus ornamenta ipsa suspecta erant; nudari iubebant, & ipsum sibi corpus ostendi*. & lib. 2. de Benef. *Detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant*. & Claudianus lib. 1. in Eutrop.

Vendendis tituli appendebantur.

excepti pileati.

Emptor seruorum valetudinem explorabat vel gagate.

Nudatus quoties Medicum dum consulit emptor,
Ne qua per occultum lateat iactura dolorem.

vel nuditate & nitidi tatibus.

Fiebat autem hæc nudatio ad emptorum libitum in omni sexu. Colligitur ex Senecâ lib. 1. Controu. 2. vbi Publius Vinitius sacerdotem, de quâ ea Controuersia excogitata est, ait nudam in littore stetisse; ad fastidium emptoris omnes partes corporis & inspectas & contrectatas fuisse. Addo, præcone venales prædicante solitos fuisse seruos saltare & currere; ipsa nimirum agilitate & celeritate sanitatem & corporis valetudinem significare cupientes, vt sic emptores allicerent. Propertius:

vel saltu & agilitate.

At quorum titulus per barbara colla pependit
Celati medio cùm saliere foro.

Ceterùm, non morbos solùm sed & vitia publicari oportebat; puta mendacem esse, aleatorem, furacem, ebriosum. Atque satis hisce ex antiquitate repetitis prolusum est isti titulo, qui nos emptionis iure Mancipia beatæ MARIÆ Virginis constituit; vt deinde sine controuersiâ constet, nos omni iure Virgini mancipatos.

CAPVT XXI.

Homines fuisse diaboli mancipia: sex grauissima mancipatus istius mala.

SERVOS nos & vilissima diaboli mancipia per primorum parentum culpam constitutos fuisse, qui probari sibi desiderat, vult prima Christianæ fidei rudimenta edoceri: neque tam clementem ac liberalem seruiuimus seruiturem, quin flagrorum vibices, sæuissimi dominij stigmata & verberum cicatrices etiamnum satis nos admoneant, qualis tyrannus fuerit, cuius carcerem vltrò subiueramus: qui nos scilicet gratiâ Dei spoliatos, maledictionibus coopertos, exclusos hereditate patriâ, veluti abiectissima mancipia carceri inclusit, præcisâ spe omni euadendi. Repeto sex grauissima illa mancipatus istius mala non tam breui oratione perstringenda, ne breui eorum pereat apud ingratos memoria. Primùm enim gratiâ diuinâ spoliabamur. Philonis Iudæi lib. 2. Allegoriar. legis Moysaicæ, & Magni Gregorij Registri lib. 6. cap. 195. sententia est, cui libens hîc subscripsero; quòd mors ista, quæ parentes nostros statim à peccato consecuta est, non sit aliud quàm gratiæ diuinæ ab animâ separatio. Detur enim morti corporeæ quantumuis horrenda species, nemo pictorum coloribus, nemo oratorum verbis eam facier tam fœdam tamque terribilem, quàm est mors isthæc animæ, quæ ipsam priuat eâ quâ solùm viuit & spirat gratiâ: hanc sequitur fœtor & horror, & longa corruptionum caterua sibi inuicem per muruam internecionem succedentium: hanc comitatur imporentia ad actiones omnes meritorias: hanc stipat fœtidissimum malarum consuetudinum agmen: hæc denique animam, quam suâ spoliauit animâ & vitâ, prædam dæmonibus obiicit, & conscientiæ vermibus tradit depascendam: hæc est terribilium omnium terribilissimum, cuius cogitatione & memoriâ nihil homini deberet accidere acerbius, nihil formidabile magis. Vti namque Dei gratiâ obarmatus non habet quod timeat aut reformidet; ita qui eâ est spoliatus, non video quî possit vel ad punctum temporis sine maximis ex timore anxietatibus consistere; præsertim cùm mortem hanc exceperit alterum non inferius malum. Statim enim tot in hominem detonuerunt maledictionum fulmina, vt non inueniret locum vllum, vbi tutus ab eorum ictibus delitesceret; aura namq; quam spirabat, terra quam calcabat, cibus quo vescebatur, aqua quam potabat, erant ita maledictionibus plena, vt non tam pascerent, quàm punirent; non tam reficerent, quàm inficerent. *Omnis creatura*, ait Apostolus, *ingemiscit & parturit.* Quomodo hominem voluptate aliquâ solidâ perfunderet, cùm propter ipsum damnata sit ad gemitus perpetuos, doloresque non inferiores doloribus parturientium, donec partum istum abortiuum in visceribus suis statim à conceptione per gratiæ priuationem mortuum, per sui destructionem effundat in infernum: non aliud fuit signum diuini in hominem furoris manifestius, quàm quod non eum tantùm, sed quidquid eum vllâ ratione contingeret, tam acerbis maledictionibus onerauerit. Ita solent Reges eos qui læsæ maiestatis conuicti sunt, non tantùm vitâ priuare, sed eorum etiam domos euertere, agros vastare, prolem exscindere, ne qua maneat tam diræ pestis memoria, vel ne aër rerum, quas sceleratis manibus retigerit, afflatu inficiatur. Sed non constitit hîc hominis rei miseria: fuit enim prætereà hereditate lautissimâ sibi à Deo præparatâ deiectus; cuius priuationis acerbitatem cùm nondum satis viuaciter per-

Sex mancipatus diabolici mala.

Primum, exspoliatio diuinæ gratiæ,

qua erat mors primorum parentum.

Secundum, maledictionum cumulus in hominem, & propter ipsum in omnes omnino creaturas.

Ad Rom. 8.

Tertium, exheredatio, cuius figura erat exilium à paradiso:

persentisceret, eam edoctus est figurâ miserandi è paradiso exilij, quod eum non figuratis sed verissimis atque atrocissimis excruciabat doloribus. O diram rerum commutationem! ô luctuosissimam omnium, quæ vlla exhibuit vmquam tragœdia, catastrophen! ille dux generis nostri, qui mox erat incola paradisi, animalium omnium cum absolutâ potestate dominus, regium in motem trabeâ innocentiæ circumdatus, Dei Angelorumque familiari conuersatione socius, cinctus deliciis, quas terra, aqua & aër ei sponte suâ affatim administrabant, ac destinatus vt terram sanctâ posteritate repleret, quæ mortis dolorumque omnium ignara de hac in æternam felicitatem erat transitura: ille inquam princeps creaturarum omnium, & velut quidam in terrâ Deus, omni nobilitate exuitur; infamis, rebellis, &, quod omnium malorum est compendium, peccator declaratur, à subditis suis omnibus deseritur, & cum miserâ coniuge pelle infami coopertus, quæ vtriusque tegebat ignominiam, in exilium, (Deus bone! vnde, & quò?) ex paradiso, in omnium miseriarum abyssum agitur. O miser & miserabilis Adam, quid tandem fiet de te exule & profugo, non solùm à paradiso, sed etiam à conspectu Domini, cuius iram & indignationem tibi consciuisti? nescis ah, nescis, quónam vsque iustus eius furor desæuiat: sed nimis iam citò disces brachij eius fortitudinem & grauitatem, quando creaturas omnes videbis armatas in vltionem sui Creatoris, nullumque dabunt signum veteris notitiæ, nisi vt vindicent tuam contra communem Dominum rebellionem. Angeli, anteà ad tuam defensionem parati, iam præparant se vt exequantur seuera in te Curiæ cælestus edicta. Ecce tibi à tergo vindex Cherubinus, magis flagrante diuini honoris zelo, quàm romphæâ ardenti terribilis. O triste longumque vale, quod te iam æternùm dicere oportet habitationi isti amœnissimæ, postquam es damnatus vt vescaris pane tuo in sudore vultus

hoc autem cum statu felicitatis confertur.

tui! ô cogitationem acerbam, quæ te dies noctesque excruciabit exclamantem, O paradise, ô deliciarum domicilium, ô arbor, ô fructus vitæ saluberrimæ, ô quies, ô voluptas, ô Angelorum conuersatio, ô Patris Dei amicitia, ô protectio plusquam paterna! quid ex vobis omnibus, imò quid pro vobis Adamo relictum est nisi labor & dolor, nisi fames & sitis, nisi discordia & bella, nisi pestis & sterilitas, nisi morbi & mortes? Hoc comitatu ad seruitutem, inde ad carcerem & desperationem ducebatur. Nam de seruitute disertè ait S. Petrus 2. cap. 2. *A quo quis superatus est, eius & seruus est*. Ergo à peccato & diabolo superatus homo, eorumdem seruus constituebatur. Quis nunc tyrannorum istorum crudelitatem, quis mancipatus vilitatem, quis indignitatem seruitij poterit vllâ cogitatione attingere, nedum oratione explicare? Fateor quidem, non legitimo hominem captum bello: sed hoc ipsum aggrauat seruitutis ignominiam, quòd se, vltrò ab optimo ac legitimo Domino profugus, tam vili pretio in seruum & mancipium tam sæuis tyrannis vendiderit, Diuinâ iustitiâ eodem vtente in transfugam tortore, quem ipse sibi dominum elegerat: eâ nimirum conniuente, diabolus paulatim assumpsit talem in omnem posteritatem hominis dominatum, vt iam passim mundi principem se iactaret, & à miseris mortalibus vsurarum vsuras exigeret, cogens eos ob vnum peccatum admissum mille alia perpetrare, quæ eadem seueritate puniebat, donec biberent sicut aquam iniquitatem, & in profundum inferni submergerentur. Addita est deinde huic seruituti quinta miseria, quòd libero cæli aspectu ac blandissimâ veritatis luce priuaret mancipia sua diabolus, eaque detruderet in carceris tenebrosi obscuritatem; quam regionem & vmbram mortis appellat Isaias Propheta; in quâ densissimâ ignorantiæ caligine palpantes, magis semper infigebantur in limo profundi. Vnde summa inter desperationem tristitia, quæ

Quartum, erat seruitutis indigna acerbitas.

Quintum, captiuitas & carceris obscuritas.

Sextum, status melioris desperatio.

quæ fuit omnium malorum clausula: dum nimirum hoc solum inter cimmerias illas tenebras viderent, quòd nullus pateret malorum exitus; & quòd, licet ipsa se quanta erat humana natura omnium creaturarum ope adiuta impendisset, immolassetque millies in captiuitatis istius redemptionem, nihil proficeret. Hic erat naturæ nostræ status, quò per primorum parentum inobedientiam reciderat: hæc deploranda seruitus, quæ nos ad vilissimum diaboli mancipatum abiiciebat; ita miserè venumdati eramus, vt faceremus malum in conspectu Domini, vt laborantes & lassati in viâ iniquitatis ageremur semper in circuitum, de labore in laborem, de peccato in peccatum, donec æternus nos tandem labor comprehenderet. O miseram seruitutem, ô deplorandum generis nostri mancipatum!

CAPVT XXII.

Fuisse homines à tam graui seruitute pretio persoluto non tantùm à CHRISTO *Seruatore nostro redemptos, sed etiam à Virgine* MARIA *corredemptos: id quod hic SS. Patrum testimoniis probatur.*

ABIERANT sponte suâ homines in tam acerbam, sicut iam commemorauimus, seruitutem, seq; mancipia peccatò ac diabolo addixerant; statuissetque eos Deus sub tam crudeli dominio veluti noxæ deditos in perpetuum deserere, nisi fuisset qui persoluto pretio ius in eos coëmisset, quod deinde consertâ manu sibi à tyranno iustissimis armis vindicauit. Audis duplicem Redemptori titulum esse dominij: primum emptionis, quòd legitimo hero pretium nostri appenderit: alterum belli, quòd cruento prælio fugitiuos iniusti possessoris manibus eripuerit. Quâ in re nemo dubitat, quin ideò amantissimo nostri Domino IESV CHRISTO omnia debeamus officij genera, quòd eius seruitio propriè ac stricto iure simus mancipati.

CHRISTVS Dominus nostri pretium persoluit:

vnde emptionis titulo in nos nostráque omnia ipsi dominium.

Neque est quòd id probemus vlteriùs, cùm vel hoc argumentum sit peremptorium aduersus eos Theologos, qui negant habuisse eum temporalium omnium bonorum dominium, quòd non potuerint omnia nostra in eius non venire potestatem, in quam nos ipsi deuenerimus; ita vt meâ quidem sententiâ vi redemptionis sic illi simus obnoxij, vt nos nostraq; omnia illius facta sint propria, neque nobis vlla facultas relicta sit, quâ possimus in rem aliquam dominium acquirere, quin res illa eo ipsò quo nostra sit, etiam fiat illius, cui nos stricto iure sumus mancipati: non quòd negem verum hominum in res suas dominium, sed quòd agnoscam dominium aliquod omnia ista transscendens eius, qui cùm possideat stricto iure omnia, nobis ea vel dimittit, vel saltem permittit possidenda. Imò quid inde absurdi, quæso, si diceremus, id quod vocatur apud mortales dominium, nihil esse aliud quàm voluntarium quemdam vsumfructum, concessum ab illo, qui cùm vitæ necisque absolutam habeat in nos potestatem, potest vti mortuis ita etiam viuis omnem auferre possessionem, & dare cui ipse voluerit? non secùs atque paterfamilias seruis pro suâ voluntate res suas committit administrandas, cum prohibitione, ne quis illis inuitis iisdem vtatur. Nam quòd obiici posset, hac ratione furtum omne, non in homines qui domini vocantur, sed in CHRISTVM admitti, cùm eius sit res propria, facilè dissoluitur; cùm fur in istâ sententiâ contra vtrumque peccet, CHRISTVM scilicet Dominum, quòd rem eius eo inuito contrectet; & contra eum cui CHRISTVS commisit rei suæ quasi vice-dominium, cùm ius ille habeat vsumfructum illum prout sibi traditus erat retinendi: quæ sententia vel ideò maximè arridet, quòd per illam clarè videatur, quomodo mundus hic vniuersus datus sit CHRISTO in hereditatem, vt scilicet eum ipse tamquam paterfamilias administret,

Ideóque proximo facta iniuria fit CHRISTO.

ministret, cuius omnes sunt serui qui in eo negotiantur: clarè etiam explicatur, vnde fiat, vt quidquid vni ex minimis fit, CHRISTO fiat; quia scilicet rei eius propriæ & mancipio ipsius fit: qui enim benefacit equo, domino benefacere dicitur. & tandem clarè etiam apparet, quàm iustè CHRISTO accinete possimus, Tu solus Dominus; nimirum cuius nos omnes simus mancipia, & qui iure optimo possideat quidquid eius nos dispensatione nostrum vocamus. Hæc cùm de CHRISTO Domino nostro satis sint certa, non video, quare etiam non possint de Dominâ nostrâ MARIA Virgine affirmari: non eâ solùm ratione quâ suprà probauimus, cum eâ omne Filij dominium fuisse communicatum, sed specialiter hoc emptionis & redemptionis titulo; adeò vt, licet B. MARIÆ Virginis mancipia non essemus, quia ipsa est Mater Dei, essemus tamen, quia nos persoluto pretio coëmit: quam rem priusquàm explicemus, adducenda sunt Patrum sanctorum nobiscum ita loquentium testimonia, vt deinde non tam sensum nostrum, quàm illorum diuinas vel reuelationes vel sententias explicare videamur. Ordine præeat, qui omnes excellit ingenio, Pater noster sanctus Augustinus, cuius testimonia omnia, quòd simul antiquitatem, subtilitatem, doctrinam & pietatem adferant, cùm præ ceteris sint æstimanda, tum hac in re, quæ pietatem eius erga Virginem tenerrimam, & sapide doctam contra stolidum Nouatorum fastidium demonstrat, diligenter sunt audienda. Sermone ergo 18. de Sanctis ita Heuæ MARIAM Virginem opponit: *Mater generis nostri pœnam intulit mundo; Genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Auctrix peccati Heua, auctrix meriti* MARIA. *Heua occidendo obfuit*, MARIA *viuificando profuit: illa percussit, ista sanauit.* & iterùm: *O beata* MARIA, *quis tibi dignè valeat iura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluet, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum inuenisti?* & infrà: *Quia tu spes vnica peccatorum, per te speramus delictorum veniam; & in te, Beatissima, nostrorum est exspectatio præmiorum.* & Sermone 15. de Tempore: *Facta est* MARIA *restauratio feminarum, quia per ipsam à ruinâ primæ maledictionis probantur esse subtractæ.* & quæ sequuntur. Succedat huic altera Ecclesiæ Dei columna D. Hieronymus, aut certè Hieronymo coætaneus Sophronius, qui Epist. de Virginis Assumptione ita loquitur: *Nec enim dubium est illam, quæ meruit pro liberandis ferre pretium, posse liberatis impartiri suffragium. Nostra inter hæc oratio iugis ad Dominum dirigatur, vt qui pro honore nominis sui viscera illa quæ sanctificauerat intrauit, prosit nobis ad remedium, qui per illam se nobis dedit in pretium.* atque idem in eâdem Epistolâ: *Veneremur salutis auctricem, quæ dum auctorem suum concepit de cælo, nobis redemptorem præbuit in terrâ.* Sanctus Ioannes Damascenus Oratione 1. de Natiuitate: *Ob Deum in vitam prodiisti, vt orbis vniuersi saluti administrandam te præberes.* Innocentius III. Pontifex Sermone 2. de Assumptione: *Quod damnauit Heua, saluauit* MARIA. Accedat his Richardus à S. Victore cap. 26. in Cant. vbi de B. MARIA Virgine dicit: *Omnium salutem desiderauit, quæsiuit, & obtinuit; imò & salus omnium per ipsam facta est, vnde & mundi salus dicta est.* Magnifica sunt S. Ephræm Oratione ad Virginem epitheta: *Per te reconciliati sumus Deo. Tu captiuorum redemptio, tu omnium salus. Aue pax, gaudium & salus mundi; aue mediatrix gloriosissima, aue vniuersi terrarum orbis conciliatrix.* Sed nescio an Latino Sermone æquare potero, quam S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus veritati admiscet dulcedinem, dum Sermone de Dormitione beatæ MARIÆ Virginis ita loquitur: *Nemo saluatur nisi per te, ô Deipara: nemo liberatur à periculis nisi per te, ô Virgo puerpera: nemo cælesti*

Simili emptionis titulo Domina est nostri nostrorumq. Virgo MARIA.

Probatur ex S. Augustino:

ex aliis SS. Patribus

lesti aliquo munere donatur nisi per te, ô Deo charissima. Numquam absoluam, si præclarissima Parrum testimonia recensere pergam, quibus vel cum Anselmo eam promeruisse dicunt, vt reparatrix perditi orbis dignissimè fieret; vel cum S. Bernardo sic eam alloquuntur: *Meritò in te respiciunt oculi omnis creaturæ; quia in te, & per te, & de te, benigna manus Omnipotentis quidquid creauerat, recreauit*. vel cum Chrysologo, Angelos mirari affirmant, quòd omnes homines vitam meruerint per feminam: vel denique eam totius humani generis mediatricem; aut nostræ salutis causam; aut etiam cum Dionysio Carthusiano lib. 2. de Laudib. Virg. art. 9. *mundi saluatricem* appellant. Omissis ergo ceteris, vnicâ Bernardi sententiâ finem citandi faciam; is Serm. Signum magnum sic ait: M A R I A *omnibus omnia facta est, omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi; captiuus redemptionem, æger curationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam*. Nos ergo *tantam habentes impositam*, vt Apostolus loquitur, *nubem testium*, audacter beatam M A R I A M Virginem, *mediatricem, reparatricem, salutis nostræ causam, sæculorum restauratricem, vitæ auctricem*; & vlteriùs, *mundi corredemptricem*, C H R I S T I *in salute nostrâ operandâ adiutorium*; & quod ex omnibus, vt mox patebit, sequitur, *Dominam nostram & Heram*, cuius nos sumus empta mancipia, appellemus: vbi neminem crassè adeò vel de beatâ M A R I A Virgine, vel de nobis sentire existimo, vt satisdando, aut satisfaciendo de condigno pro culpâ, salutem nostram vel eam procurasse, vel nos id affirmasse putet, cùm hoc Filio eius fuerit proprium. Proinde non est, quòd hîc intonet quispiam istâ S. Ambrosij Epistolâ ad Ecclesiam Vercellensem: I E S V S *non egebat adiutore, qui omnes sine adiutore seruauit; vnde & dicit: Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber*. neque ista Prophetæ Isaiæ cap. 14. *Deus iustus & saluans; & non est præter me*. vel Oseæ 13. *Ego Dominus Deus tuus, & Saluator non est præter me*. rursumque ex Isaiâ 63. *Circumspexi, & non erat auxiliator; quæsiui, & non fuit qui adiuuaret; & saluauit mihi brachium meum, & indignatio ipsa auxiliata est mihi*. Scimus enim C H R I S T V M Dominum nostrum non ex necessitate; sed ex merâ dignatione misericordiæ Matrem in societatem tam sublimis tituli assumpsisse: & dudum in sancto Bernardo legimus; quæ istis obiectionibus opponamus. Sermone Signum magnum: *Et quidem sufficere poterat* C H R I S T V S: *siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est; sed nobis bonum non erat hominem esse solum: congruum magis vt adesset nostræ reparationi sexus vterque; quorum corruptioni neuter defuisset*. & infrà: *Opus est*, inquit, *mediatore ad mediatorem istum; nec alter nobis vtilior quàm* M A R I A, *quæ salutis antidotum & viris & mulieribus propinauit*. Virginis ergo & nostri causâ factum est, quòd assumpserit C H R I S T V S in reparando genere humano adiutorium simile sibi; ne scilicet vel illa tantâ gloriâ, vel nos tam gloriosâ careremus Dominâ: neque superiora Patrum testimonia efflagitant, vt dicamus, Virginem ex condigno redemptionem nostram operatam fuisse: & (quod mox patebit) satis carum nostri pretium illa soluit, vt mancipia eius constituamur, quamuis de condigno pro nobis non satisfecerit.

De Excell. Virg. c. 9.

Serm. 2. de Pentecoste.

Serm. 142.

Ex sancto Bernardo.

Non quòd satisdederit, aut satisfecerit de condigno; quod solius est C H R I S T I,

vel quòd necessaria eius ad redemptionem opera;

sed quòd ab eo in societatem fit assumpta tam magnifici operis.

C A P V T XXIII.

Prima ratio propter quam Virgo Deipara nos emisse & corredemisse dicitur.

P R I M A M rationem, cur salutis nostræ auctrix ac reparatrix generis humani dicatur Virgo M A R I A, suggerit Doctor Angelicus 3. Part. quæstione 30. artic. 1. his verbis: *Nam per Angeli annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanæ naturæ in spirituali illo matrimonio inter Filium* D E I *& humanam naturam*.

Quia à consensu ipsius pendit nostra redemptio.

Mirabilia

Mirabilia verba sunt, *exspectabatur consensus Virginis*, prolata a Doctore tam admirabili; nec tantùm loco, vt ille ait, totius humanæ naturæ, sed etiam ratione particulari ipsiusmet Virginis: quod pulchrè explicat Guilielmus Petit super illud Cant. *Fauus distillans labia tua:* vult enim Deum misisse Gabrielem ad Virginem, *vt ei mysterium incarnationis & redemptionis panderet, atque eius consensum flagitaret: nolebat enim Omnipotens carnem sumere ex ipsâ, non dante ipsâ, sicut sumpserat de dormiente, & non dante Adam vnde formauit Heuam. Ad futuræ Matris excellentiam non tantùm ex ipsâ carnem sumere, sed etiam ab ipsâ volebat. & ideò propter Virginis consensum dulcissimum dicitur Cantic. 4. Fauus distillans labia eius.* Hæc ex Guilielmo apud Martinum del Rio in Cantic. 4. *Ad futuræ*, inquit, *Matris excellentiam non tantùm ex ipsâ carnem sumere, sed etiam ab ipsâ volebat.* Optimè verissimeque: nulla enim mihi Virginis Deiparæ augustior fingi posse videtur species, quàm illa deliberantis cogitantisque, qualis esset ista salutatio, quâ ei Archangelus salutis damnationisque generis humani offerebat arbitrium. Magna res acta in cælo fuerat: sedente enim pro tribunali æternâ Dei Maiestate, Misericordia & Iustitia super miseri Adami facinore magnis contentionibus perorauerant; longum foret disertissimas vtriusque orationes proferre, quibus hæc seueram exposcebat vltionem sceleris, illa veniam delicti precabatur: quibus auditis, cùm res omnium diuinorum attributorum consultata esset sententiis, tandem tota est increatæ Sapientiæ permissa suffragio; quæ ita partis vtriusque rationes sapienter expendit, vt cùm iusta omnia flagitasse profiteretur Iustitiam, sustineret tamen nihil iniqui petiisse Misericordiam: quare mirum in modum extollens eam quæ parcendum contendebat, nihil derogauit sorori, quæ exigebat vindictam: tandemque dignam se pronuntiauit sententiam, parcendum esse homini, sed ita, ne quid patiatur Iustitia; proinde inuenisse se medium quo ipsa Vindicta fieret Misericordiæ prodigium, & quo clementissimè Deus indulgeret, dum etiam supra meritum puniret: vt sic Misericordia & Veritas obuient sibi, & Iustitia & Pax se inuicem exosculentur. Et inhiantibus cunctis difficillimæ inuentionis explicationi, modum suggessit, quem nulla, quæ diuina non est, excogitasset sapientia, nulla, nisi infinita exequeretur potentia: Ipsâ, inquit, carne humanâ me induam, vt in me totus Iustitiæ furor desæuiat: homo quippe pro hominum peccato patiar; & quòd diuinâ subsistens hypostasi Deus erit, qui patietur homo, patiendo rigori Iustitiæ satisfiet, ac stupendum in modum Iustitia ipsa velificabitur Misericordiæ; quando sæuissimè castigando peccata peccatoribus parcet. Applaudebant omnes sapientissimæ inuentioni qui consilio intererant, iamque auebant videre rem tam admirabilem, vt Deus homo homines reconciliaret Deo, necteretque vinculo indissolubili Iustitiam & Pacem. Verùm res vnica etiamnum morabatur totius vota sanctissimæ Trinitatis, cùm nulla inter filias Heuæ existeret, quam non infami peccati cauterio signasset inimicus, cuique turpissimi mancipatus notas non inussisset; fingenda erat nimirum nasciturо Redemptori Mater, quæ nulli subiecta infamiæ, iis prætereà polleret virtutibus, iisque niteret ornamentis quæ Dei Matrem decerent: ad cuius prætereà excellentiam pertinebat, ne ab inuitâ caro sumeretur, quæ deinde erat dirissimis pro mortalium salute cruciatibus obiicienda. Itaque pergit Sapientia: Voluntas eius per Legatum erit exquirenda, an nimirum velit in meam de se incarnationem consensum præbere; ac proinde rei totius summa ad consilium eius erit deferenda. Reuertamur iam oratione & mente ad Dominam nostram cogitantem qualis esset ista salutatio; hoc est, de totâ generis humani redemptione deliberantem. Deus immortalis, quodnam fuit illud tuum de Virgine

Faciebat autem ad excellentiam Deiparæ, ita ipsi permitti redemptionis nostræ arbitrium.

Litigante namque super hominis punitione Iustitiâ & Misericordiâ diuinâ,

lis tota fuit Virginis Deiparæ voluntati permissa.

Quanta hoc in Virgine dignitas.

ne iudicium, vt rem tantam, tam admirabili ſapientiâ à te inuentam, tanto ſtudio à ſanctiſſimâ Trinitate deſideratam, tam auidè expetitam à mortalibus, volueris eius deliberationi permittere! O incredibilem Virginis deliberantis maieſtatem! Sponſus erat iam inde ab omni æternitate Filius Dei, humanam naturam ſibi mirum quanto ardore coniungi expetierat: iam tempus nuptiarum aduenerat, conſenſu opus eſt Virginis; hunc ambitioſè adornatâ legatione exquirit. Legatus Domini ſui voluntatem expoſuit: num admittenda ſit, Virgo deliberat. Tot miſeriis preſſa miſerabilis noſtra progenies, tot votis, tot lacrymis redemptionem expetierat: iam Virgini commiſſum eſt, vt ſtatuat, vtram in partem videtur, an ſaluandi ſimus, an ſine redemptore æternis omnes addicendi miſeriis. Rem pro dignitate exponit S. Bernardus Homil. 4. ſuper Miſſus: *Exſpectat Angelus reſponſum; tempus eſt enim vt reuertatur ad Deum qui miſit eum: exſpectamus & nos, ô Domina, verbum miſerationis, quos miſerabiliter premit ſententia damnationis: & ecce offertur tibi pretium ſalutis noſtræ; ſtatim liberabimur, ſi conſentis: in ſempiterno verbo facti ſumus omnes, & ecce morimur; in tuo breui reſponſo ſumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur. Hoc ſupplicat à te, ô pia Virgo, flebilis Adam cum miſerâ ſobole ſuâ exul de paradiſo; hoc Abraham, hoc Dauid, hoc ceteri flagitant ſancti Patres: patres ſcilicet tui, qui & ipſi habitant in regione vmbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus prouolutus exſpectat; nec immeritò, quando ex ore tuo pendet conſolatio miſerorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, ſalus denique vniuerſorum filiorum Adam totius generis tui. Da Virgo reſponſum feſtinanter. O Domina reſponde verbum, quod terra, quod inferi, quod exſpectant & ſuperi. Ipſe quoque omnium Rex & Dominus quantum concupiuit decorem tuum, tantum deſiderat & reſponſionis aſſenſum, in quâ nimirum propoſuit ſaluare mundum. & cui placuiſti in ſilentio, iam magis placebis ex verbo; cùm ipſe tibi clamet è cælo: O Pulchra inter mulieres fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipſe te faciet videre ſalutem noſtram.* Hoc deguſtato melle S. Bernardi aperientur mentis oculi, vt videamus inſerentem ſe plenâ luce S. P. noſtrum, de eodem conſenſu Virginis auguſtiſſimè differentem intelligamus. Sermone enim 17. in Natali Domini, qui eſt Sermo 21. de Tempore, ſic alloquitur Virginem Deiparam: *Expandat nunc fides ſplendentis vteri pulchra tentoria, obumbret virtus, ſpiritus ſibilet naturali calore depulſo, tenuis Virginem aura refoueat, & fluente refrigerio ſpiramentis caleſtibus ventiletur, aluus Virginalis ſertis verecundiæ coronetur. Flammeus ibi roſæ fulgor anhelet, albens lilium candicet, mollis viola rutilet, purpurei ſpargantur flores, & vario nitore depictus Chriſti thalamus exornetur. Reſponde iam Virgo ſacra. Vitam quid tricas mundo? aſſenſum tuum Angelus præſtolatur, inde eſt quòd nuntius iſte moratur. Iam audiſti, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, vt prolem gignas, & virginitatem non perdas. Ianua cæli quondam per Adam clauſa iam ſonuit, per ipſam nuntius iſte proceſſit. Deus in portâ eſt, Angelum quem moraris exſpectat. O beata* M A R I A, *ſæculum omne captiuum tuum deprecatur aſſenſum, te Deo mundus ſuæ fidei obſidem facit, per te parentum ſuorum iniurias abſtergi deprecatur. Ipſe prior qui offenſus eſt miſit; clauſtrum, quod iniquitas noſtra cælo infixerat, reſerauit. Eſt nobis aditus, ſi aſſenſus tuus fuerit commodatus. Et nobis ſuccurris, & tibi: quia nobis pœna ſuccuſſit, & tibi nuptias Filio ſuo in tuo thalamo Pater præparabit. Deus in ipſis ſponſalibus gaudiis relaxat, quidquid eum offenderat mundus. O & tu Angele, tanti Regis nuntie, & ſecreti diuini legate, qui ex palatio Imperatoriæ Maieſtatis indulgentiam reddis criminoſis, vitam mortuis, & pacem ſacram attuliſti captiuis, vrge Virginem, non de Dei munere diffidentem, ſed de muneris magnitudine cogitantem.*

Faue

Faue partibus sæculi, conscius secretorum cæli: lætabuntur socij tui, si negotium inueris mundi. Nos à vestro consortio impietatis mucro diuisit; per vos de reditu nostro tractatur. Inspice squallentem nostri carceris miseriam, & loquere festinus ad MARIAM: *Vsquequò moraris, ô Virgo, nuntium festinantem? Intuere Deum in cæli me vestibulo sustinentem, responde verbum, & suscipe Filium. Da fidem, & senti virtutem. Pande sinus roseos Virgo perpetua; fides tua modò aut aperit cælum, aut claudit.* Poterátne maiori vel claritate vel pietate dici, quòd causa redemptionis nostræ sit Virgo Deipara? Vide quàm suauiter blandiatur, quàm fortiter suadeat, quàm sollicitè Angelum adhortetur, quàm humiliter Virginem deprecetur, vt impetret consensum istum MARIÆ, à quo dependet instauratio totius orbis. Ecce autem gratum eius pro accepto beneficio animi affectum: Sermone 18. de Sanctis ait sanctus Pater noster Augustinus: *O beata* MARIA, *quis tibi valeat iura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluet, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum inuenit?* Assensui ipsius imputat, quòd salutem recuperauerimus: auctrix ergo salutis nostræ, & generis nostri corredemptrix dici potest illa, cuius libero voluntatis arbitrio permissum fuit, an pretium redemptionis nostræ solueretur. Quamquam non isto solùm consensu fundata putamus tot Patrum testimonia, cùm tot alijs modis redemptioni nostræ cooperata sit, vti sequentibus Capitibus videbitur.

CAPVT XXIV.

Secunda ratio propter quam B. Virgo MARIA *nos emisse & corredemisse dicitur.*

VT æstimemus inæstimabile redemptionis beneficium, ait sanctus Petrus: *Scientes quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* Sed an non Virgo Deipara dicere potest: De meo accepit, vt traderet vobis? Si enim CHRISTVS nummus fuit pretij tanti, vt millies orbi redimendo sufficeret; ego materiam illi conficiendo suppeditaui, quæ imagine Dei & figurâ substantiæ eius, vnde tantus ei valor accessit, deinde fuit in officinâ vteri mei signata. Illud ergo quod auro & argento omni pretiosius emendis ac redimendis nobis impendendum erat, MARIA dedit. *Melior est enim fructus meus*, inquit ipsa Prouerb. 8. v. 19. *auro & lapide pretioso.* Margaritâ profectò & vnione pretiosissimo opus erat in lytron generis nostri, vbi eum reperiremus. Plinius lib. 9. cap. 35. de conchis agens; *Has*, inquit, *vbi genitalis anni stimulauerit hora, pendente sese quadam oscitatione impleri roseido conceptu tradunt, grauidasq́; postea eniti, partumq́; concharum esse margaritas pro qualitate roris accepti.* qui vniones allambentis vi fulguris citiùs concrescunt, & celeriùs Ioue tonante pariuntur, vt Ælianus lib. 10. cap. 13. testatur: Ὅταν ταῖς κόγχαις ἀπογυμνώσαις ἐπιλάμψωσιν αἱ ἀστραπαί. quod emblematicè conceptui Virgineo applicans S. Ioannes Damascenus Oratione 1. de Natiuitate, *Lætetur*, inquit, *mundi mare: in ipso enim concha gignitur, quæ cælitus ex diuinitatis fulgetro in vtero concipiet, & Christum ingentis pretij vnionem pariet.* Vel, si mauis, quemadmodum in sapphiri visceribus nascitur lapis sanè pretiosus, & ipso qui genuit pretiosior, lucidus & splendens carbunculus; ita ex Virginum gemmâ MARIA natus est ille lapis pretiosus, qui pretium fuit inæstimabile redemptionis nostræ. Legunt quidam locum Prouerb. citatum *Melior est auro & topazio.* De hoc autem lapide S. Ambrosius in Psal. 118. & cap. 21. Apocalyp. hæc affirmat, eum aureo simul & æneo colore fulgere; reperiri verò in candidis alabastri fodinis, vbi eruitur, omnia latè magno splendore collustrare; si curiosius expoliatur,

1. Petr. 1. vers. 18.

Quia si redempti sumus nummo, MARIA *conficiendo suppeditauit materiam.*

Si vnione, ipsa concha est, qua eum peperit:

Si carbunculo, ipsa sapphirus est, in quo nascitur:

Si topazio, ipsa alabastrum vnde eruitur.

poliatur, ſplendorem & gratiam amittere. Nónne vides quaſi digito monſtratum pretium ſalutis noſtræ, quod in candidiſſimis & caſtiſſimis MARIÆ viſceribus inuentum, aureo diuinitatis, humanitatis æneo fulget decore; erutum verò notitiæ ſuæ vndique ſparſit lucem, iis autem, qui nimiâ curioſitate eius ſcrutantur myſteria, non lucet. Vbi reperiremus lytron captiuitatis noſtræ, niſi in iſtâ conchâ puriſſimâ, in iſto ſapphiro pretioſiſſimo, in iſto alabaſtro candidiſſimo? Apage hinc Conſtantini, cui ominoſæ infantiæ ſordes Copronymo nomen fecerunt, blaſphemam ſimilitudinem; qui crumenam auro plenam oſtentans, quanti ea facienda eſſet ſuos interrogabat: cùm illi permagni eam æſtimaſſent, effusâ pecuniâ vacuam eam rurſus ſuſtollens, quid verò iam de eâ ſentirent interrogauit, illisque nihil vacuo corio tribuentibus reſpondit: Idem de Virgine iſtâ, quæ pretium redemptionis mundo effudiſſet, faciendum iudicium: tum ſcilicet quantiuis eam pretij fuiſſe, quando geſtabat illum, qui ſolus rebus omnibus ſuum dedit pretium; verùm poſteaquam eum effudiſſet in lucem, nihil eam retinuiſſe, quo mulierculis ceteris præcelleret. contra quem egregiè exclamat ſanctus Bernardus citatus à Richardo à ſancto Laurentio lib. 3. *O diues in omnes & ſuper omnes Maria, de cuius ſubſtantia pars aſſumpta, totius mundi ſuffecit ſoluere debita. Grandis in vſus proprios remanſit diuitiarum copia; quarum aſſumptio redimere & reſtaurare potuit vniuerſa.* Nam in primis in eo vehementer errabat bruta hominis impietas, quòd pretium rerum ſenſu carentium cum dignitate, quæ eſt inter ea quæ ratione vtuntur, omni ratione componeret; cùm certum ſit apud eos, qui cum pudore rationem nondum omnem perdiderunt, pretia rerum non ita gigni in rebus vt altera hanc alteri communicet, ita vt pretioſius quid fieri poſſit, quod rem pretio æſtimabilem vel tetigerit, vel continuerit: dignitates verò, quæ benè fundatæ ratiocinationis vehiculo ſæpiùs latiùs propagantur, iiſque tantùm conueniunt, quæ rationis vſu donantur, ſæpiùs ab vnâ re alteri communicari, quòd eam vel tetigerit, vel produxerit, vel certè aliquâ ratione commercium quoddam cum eâ habuerit. Secundò, in eo hallucinabatur, quòd non videret, aliud eſſe, pretium veluti burſam continere & effundere; aliud, Deum hominem, qui mundi futurus erat pretium, de ſuis viſceribus producere, & liberâ ſuâ voluntate redimendis impendere. Tertiò, non videbat cæcus ille & dux tanti agminis excæcatorum, quòd CHRISTVS redemptor noſter res erat & peculium B. MARIÆ: pertinebat enim ad eam, veluti Filius ad Matrem, eratq; pars MARIÆ, vtpote caro de carne eius, & os de oſſibus eius: vnde ſumma eius dignitas, rem tantam, ac erat Deus & homo, poſſidere; & ſummum eius in nos beneficium, eum nobis producere, nobis alere, & educare. Non fuit ergo pretium redemptionis noſtræ ex Virgine tamquam è crumenâ deſumptum, ſed reuerà ab illâ tamquam res eius nobis exhibitum; vnde ſumma in eâ dignitas, maxima in nobis obligatio exoritur: flagitium enim eſt in nobis, ſi veluti mancipia illi non ſeruiamus, quæ tantum ad redimendos nos pretium exhibuit. Quare execrantes hæreticæ prauitatis blaſphemias, cum SS. Patribus laudes concinnemus iſti ſalutifero Virginis vtero, quæ nobis non tamquam burſa ſenſu omni carens pretium alienum effudit; ſed rationalis creatura, de ſe formatum, ſuumque Filium, nobis in lytron noſtræ captiuitatis obtulit. O verè beatus venter, ô benedictus vterus, qui tam admirabiliter portauit & protulit ſalutis noſtræ pretium! Ille enim pharmacopeia eſt, in quâ ſalutis noſtræ medicina ſecundùm vires ac diſpoſitionem ægroti compoſita eſt. Hortus concluſus eſt, vnde proſilijt fons aquæ viuæ ad irrigandum cor humanum, aliàs æternâ ſiccitate damnatum. Tabernaculum myſticum eſt, ſiue diuinum ſacrarium, in quo ſummus Pontifex IESVS CHRISTVS, ſacrificaturus Patri ſuo pro ſalute

Non autem, tantùm crumena eſt, qua pretium continuit, & effudit:

vbi notatur multiplex error Copronymi:

& dantur meliores vteri Virginei comparationes, & encomia.

lute mundi, vestibus se induit nostræ mortalitatis. Chartophylacium est, in quo chirographum peccati fuit diffractum; vel, vt alius, in quo signata est charta nostræ libertatis: vel denique, vt loquitur B. Proclus in Concilio Ephesino, *vbi Verbum antea incorporeum, corpus carthaceum elementorumq́; figuras induit.* Archiuum est, in quo manet Testamentum reconditum, quod Deus nouiter conscripsit in fauorem generis humani. Denique Aula regia est, in quâ facta est Deum inter & hominem reconciliatio, paxque publicè conscripta est. Meritò omni laude & gratiarum actione ventrem istum benedicimus; nam *omnium bonorum initium*, vt S. Ioannes Damascenus loquitur, *medium & finis, securitas item & confirmatio in illâ feminis experte conceptione, in illâ diuinâ inhabitatione, in illo denique à labe omni remoto partu posita fuit.* Sed tertium corredemptionis modum videamus.

Orat. 1. de Dormit.

CAPVT XXV.

Tertia ratio propter quam beata MARIA *Virgo nos emisse & corredemisse dicitur.*

Quia voluntariè Filium suû, quem tamquam rem propriam possidebat, pro nobis sacrificauit.

QVÆ superiùs de iure materno B. MARIÆ Virginis in Filium stabiliuimus, huc in primis reuocanda sunt: vis enim omnis Capitis huius fortior exsurget, si ante omnia statuamus rem quamdam Virgini propriam fuisse Dei Filium; ita namque intelligetur illa admirabilis sancti Antonini sententia, quam ipse 4. Part. titul. 15. cap. 20. §. 11. ita disertè conscribit: *Quod dicitur Rom. 8. de Patre æterno Christi, id & de Matre ipsius temporali dici potest: Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, scilicet passum voluntate & affectu: & quomodo non etiam cum Filio illo nobis omnia donauit pertinentia ad recreationem nostram?* Quis neget, voluntatem istam Patris æterni causam fuisse salutis nostræ; non tantùm quia sine illâ facta non fuisset salus, sed vel maximè cùm CHRISTVS esset Dei, vt Euangelista dicit, quòd eum Deus tradiderit pro nobis omnibus istis tormentis excruciandum, vt copiosa esset apud eum redemptio: ergo, infert sanctus Antoninus, negandum non est, etiam Virginem MARIAM fuisse salutis nostræ causam, cùm & ipsa eumdem Filium suum voluntariè pro nobis tradiderit, & cum eo omnia pertinentia ad salutem nostram; quia ab ipso tota nostra est salus, & omnia media ad eam necessaria. Nobilis ad hanc rem est D. Bernardi sententia in Serm. Signum magnum: *Redempturus humanum genus, pretium vniuersum contulit in* MARIAM. non, vt antè contra Copronymi impietatem disputabamus, veluti in crumenam tantum; sed cùm creatura rationalis possessionis capax esset, & verè Mater existeret Filij redemptoris, contulit in illam pretium redemptionis nostræ, id ei dando in possessionem propriam. de Filio enim dicit prima mater viuentium, *Possedi hominem per Deum.* quòd filius sit parentis possessio, & quasi supellex. Hunc ipsa deinde Filium voluntariè Patri sacrificando pro salute nostrâ, redemptioni profectò singulari ratione cooperata fuit: sic scilicet ait sanctus Bonauentura in verba illa Ioannis, *Sic Deus dilexit*, &c. *Sic* MARIA *dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* & Gerson in titul. 2. de Canticordio 3. part. Alphab. sic habet: *Erige cordis aures ad voces spiritus sui, dum proprium Filium, dum dilectum oris sui, viscerum quoque suorum & votorum consensit crucifigi pro redemptione nostrâ, dans nobis illum vtique cum gaudio & exultatione, quæ summam superabat carnis angustiam; alioquin qualiter impleßet quod dicitur, Hilarem datorem diligit Deus?* De hilaritate posteà videbimus; de voluntate iam id quærendum restat: cùm triplex ad redemptionem nostram voluntas concurrerit, Patris æterni, tamquam Regis atque Monarchæ absolutissimi dantis Filium; deinde Filij Dei vnigeniti, tamquam Pontificis summi intrantis

Triplex ad redemptionem nostram concurrit voluntas, Patris, Filij, & Matris.

sanctuarium, ad effundendum Sanguinem suum, & semetipsum sacrificandum hostiam pro peccato; ad extremum Virginis Deiparæ, tamquam matris & sponsæ eum tradentis, & veluti sacerdotis eum sacrificantis; quid si (liberæ enim sunt cogitationes, vt ea etiam perscrutentur quæ fieri non potuisse cognoscunt) quid si, inquam, aut Patris aut Filij voluntas defuisset, quid operata fuisset voluntas hæc Virginis, quam iam dicimus etiam causam extitisse salutis nostræ? Rectè enim, quid singulæ causarum ad vnum effectum concurrentium præstent, cognoscitur, si, quid solæ conferrent, consideretur. Primum ergo dico (vtcumq; alij sentiant) voluntatem Matris Dei, quâ ipsa Filium suum tradidit pro nobis, ita magni fuisse momenti atque efficaciæ, vt si nulla intercessisset voluntas Patris, Materque eodem isto Dei nostrique amoris actu, quo de facto voluit, mortem Filij sui pro salute mundi decreuisset; decretum illud CHRISTO Domino suffecturum fuisse, vt omnia ista, quæ nostri causâ adiit tormenta, perpeteretur. Probanda res hæc non est iis qui sciunt, nullam fingi posse obedientiam filij alicuius erga parentes suos adeò promptam, adeò fortem, adeò sine vllâ mandatorum exceptione vniuersalem, quàm fuit illius erga Matrem, qui veniebat legem istam, ***Honora patrem tuum & matrem tuam***, ita adimplere, vt virium creatarum non esset aliquid perfectionis superaddere. Iam quis dubitat, quin filij extiterint plurimi, aut (si adeò sterilis magnarum virtutum per primi parentis inobedientiam terra hæc maledicta fuerit) quin saltem exsistere potuerit filius aliquis ita parentibus suis obediens, vt si pro suâ aut patriæ salute, vel certè pro ingenti aliquo bono, cui vita honestè impendi posset, illi mortem imperassent, non esset recusaturus? Non dubitemus ergo, cùm de Matris Deiparæ constet voluntate, de Filij Dei erga eam obseruantiâ. Constat, inquam, de matris voluntate; illam enim Tractat. de Laudibus ipsius

Quid sine Patris voluntate effectura fuisset MARIAE voluntas.

ita exprimit Arnoldus Carnotensis: ***Omnino tunc erat vna Christi & Mariæ voluntas, vnumq; holocaustum ambo pariter offerebant Deo; hæc in sanguine cordis, ille in sanguine carnis: vnde communem in mundi salute cum illo effectum obtinuit***. quasi per transennam notetur hic, quòd dicar communem obtinuisse MARIAM cum Filio effectum, vtique redemptionem nostram. Hæc autem, de quâ hic agit, erat voluntas Virginis Deo Patri cum Filio obediens; eiusdem autem Filio quasi cum maiestate imperantis. Voluntatem sanctus Bonauentura expressit his verbis: ***Nulla posteà creatura ita per amorem Dei ac per amorem nostrum exarsit, quæ amantissimum Filium suum, & vnicum, quem mulier plus se ipsâ amabat, nobis dedit, & pro nobis obtulit.*** Dare & offerre superioritatis atque dominij est: imò ipse Filius satis indicare videtur eam Matris suæ voluntatem, cum Patre suo in se tradendo ad mortem conspirantis. Vtrumque enim in cruce compellans, tamquam extraneos ideò alloquitur; quòd se non tamquam Pater & Mater, sed tamquam extranei obtulissent ad redimendos homines, quos vtique videbantur quodammodò magis in ordine ad hunc effectum diligere. Ad Patrem itaque ait: ***Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?*** ad Matrem verò: ***Mulier, ecce Filius tuus.*** Nusquam Patris aut Matris amantissima nomina, sed veluti querelæ: de Patre, quòd eum sine vllâ consolatione dereliquerit; de Matre, quòd Ioannem, atque in eo genus mortale, pro Filio agnouerit; pro quo nempe se voluntariè tot cruciatibus traderet. Voluntas ergo fuit Matris vt traderetur; quæ suffecisset vt Filius idem vellet, absque vllo Patris æterni præcepto. Sed, quoniam in eo sumus, iterùm peto, quid si Filij ipsius voluntas expressa non esset? vide quid Matri tribuam. Tanti enim voluntatem eius facio, vt existimem ex eâ Filij voluntatem satis fuisse interpretandam; eâ ratione quâ modò ex parentum voluntate infantium baptizandorum voluntatem interpre-

Duplex MARIAE voluntas in tradendo Filio; vna Patri obediens, altera imperans Filio.

Quid sine Filij voluntate effectura fuisset MARIAE voluntas.

terpretamur. Non dico, istam interpretatiuam voluntatem (siquidem esse posset) satis futuram ad meritum nostræ redemptionis; sed ostendo dignitatem voluntatis maternæ, dum affirmo, ex eâ Filij voluntatem eo casu aucupandam. Quamquam pænè iniuriam facio tam nobili Virginis sacrificio, qui eius dignitatem ex suppositionibus impossibilibus rimari cupiam, cùm possim ex grauissimis eam capitibus demonstrare: nam quinque ferè sunt quæ solent augere alicuius pretium oblationis; personæ nimirum quæ facit, & cui fit res oblata; difficultas quæ in offerendo occurrit; denique affectus, & voluntas quâ res tota peragitur: quæ operæ pretium est breuiter hîc percurrere. Et personæ offerentis dignitatem proponit sanctus Anselmus alibi citatus, dum ait: ***Virginem eâ puritate, id est gratiâ, decuit nitere, quâ maior sub Deo nequit intelligi.*** Fingendi nobis facultatem concedit hic auctor, vt, postquam astrorum influentias, herbarum potestates, gemmarum arcanas & quasi in adyto naturæ reclusas vires contemplati fuerimus; postquam cælos cogitatione, maria oculis, terram pedibus perlustrauerimus; postquam empyreum Dei thronum mente ingressi, tot pretiosos viuosque lapides suis quosque aptatos locis, tot Sanctos, tot Angelos venerati fuerimus; atque ex omnium naturalium supernaturaliumque virtutum splendore dignitatem vnam composuerimus, tum illam fingamus in immensum excrescere, ac toties seipsam nouâ claritate intendere, quoties nouâ contemplatione possimus in eam mentis aciem dirigere; nondum, ait D. Anselmus, nos ad illam gratiam & dignitatem peruenturos, quâ maior sub Deo nequit intelligi. Et ne vni Anselmo credamus, accedat mellifluum sancti Bernardi testimonium, vt in ore duorum stet tam sublime de Virginis dignitate verbum. ille, Sermone habito àd illa verba Signum magnum, sic ait: *Iure ergo Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam Dei sapientiæ, vltrà quàm credi valeat, penetrauit abyssum; vt, quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Nihil his addo, ne tantam laudem humiliore explicatione imminuam: si verò in stuporem nos vertant dicta de Virgine tam sublimia, id humili admiratione confiteamur; cùm plus ipsa possideat, quàm omnes creati intellectus simul iuncti possint capere, plus eam de se tam dilectis suis famulis reuelasse, quàm mediocritas nostra possit intelligere. Quantum faciat personæ dignitas ad sacrificij valorem, sanctus Paulus affirmat, dicens CHRISTI Domini nostri sacrificium ex hoc capite tanti fuisse valoris, vt non posset Pater eum respuere: ***Exauditus enim est pro suâ reuerentiâ***, Hebr. 5. vers. 7. Neque sinunt Theologorum eruditissimæ contentiones dubitare, qui in eo omnes consentiunt, vt satisfactionem ac meritum passionis Dominicæ hinc dicant pretij fuisse inexhausti, quòd personæ dignitas esset infinita. Alterum caput erat persona cui sacrificatur; tertium verò res oblata: quod vtrumque Matri fuit cum Filij sacrificio commune: nam eidem Patri Deo sacrificabat, & eumdem Dei Filium offerebat; vnde infinitatem quamdam sapiebat hæc oblatio. Sequitur deinde difficultas in re offerendâ, ac voluntas offerentis: si enim hæc gaudio quodam sit delibuta, fit vt res immolanda minùs ei adhæreat, sed liberaliter quasi de glabro corde prosiliat, tam facili separatione, tamquam si numquam illi proprietate vllâ connexa fuisset; in quo tantò plus laudis est & gratiæ, quantò arctius vinculum erat quo cordi annectebatur id, quod Deo immolandum ab eo separatur, vnde difficultas exoritur. Maximum in donis beneuolentiæ signum. Mirabile amoris ingenium plurimi facientis, si is, cui nihil boni ipse non cupit, ægrè sibi ideò fecerit, vt suum vicissim amorem contestetur! quam difficultatem cùm in hoc Virginis sacrificio verbis & cogitationibus omnibus maiorem habeamus, tum demum liberalitatem eius & gaudium in donando admirabimur, quando

Ex quinq. capitibus æstimatur valor sacrificij.

Hic expenditur sacrificantis dignitas.

Is cui offertur & res oblata est Deus.

Quàm libenter & quâ difficultate quid offeratur ponderandum.

quando dolorem, qui simul animum eius diffindebat, considerauerimus; vt tandem, si non ad iustam lytri, quod Virgo pro nobis obtulit, æstimationem, saltem ad profundam offerentis venerationem, & voluntarium corredemptricis nostræ mancipatum, perueniamus.

CAPVT XXVI.

Quarta ratio propter quam B. MARIA *Virgo nos emisse & corredemisse dicitur.*

Quia summos in passione Filij dolores fuit perpessa.

APVD sanctam Birgittam libro 1. Reuelat. cap. 35. sic loquitur Domina nostra de se & Filio suo: *Cùm nasceretur ex me, sensi ego quòd quasi dimidium cor meum nasceretur, & exiret ex me; & cùm ipse pateretur, sensi quòd quasi cor meum patiebatur: sicut enim illud quod dimidium est extrà, & dimidium intrà, & si illud pungitur quod est extrà, æquè sentit dolorem quod intus est; sic ergo, cùm flagellaretur & pungeretur Filius meus, quasi cor meum flagellabatur & pungebatur.* Non est quod reuelationibus istis auctoritatem verbis nostris conciliemus, cùm, præterquam quòd Concilio Constantiensi probatæ, & ab omnibus, qui aliquem pietatis gustum habent, ambabus, vt aiunt, vlnis sint receptæ, sæpè occulta sub verbis simplicibus latentia mysteria tantam earum concitent admirationem, vt omnibus clarè pateat à diuiniore aliquâ mente eas fuisse dictatas: patebit hoc luce meridianâ clariùs, licet id iam non agamus, si illud quod maximè agimus, ex suprà allatis verbis confirmari ostenderimus. Schema enim proponit clarissimum, quod mente perceptum, ingentia illa, quæ in doloribus Marianis latent mysteria, pænè oculis exponit vsurpanda. Et in primis, cur gaudio exhilaretur Virginis puerperium, vbi tantis partus omnium filiarum Heuæ cumuletur doloribus, perspicies, si consideraueris à ceteris quidem discindi partem aliquam intimè illis vnitam, vnde dolor iste oriatur; à Virgine verò nihil abstrahi, sed partem cordis eius alteram nasci, non diuisam ab illâ, sed ideò arctiori charitatis vnione coniunctam, quòd cernere & intueri iam ei liceat eam quæ anteà castissimis vteri penetralibus claudebatur. In passione verò si cui tanti atque mox proferam dolores fidem superare videantur, is memor sit, esse cordis Mariani partem alteram, quæ manibus impiorum tradita, dirissimisque excruciata suppliciis tandem infami ligno suffigitur. Nimis enim humiles de amore Deiparæ Virginis cogitationes animo voluit is, qui nondum concipit, quomodo illa Filio arctiùs per charitatem vnita fuerit, quàm cor vniatur corpori, & anima cordi. Hinc iam mirum non est quòd S. Ioannes Damascenus lib. 4. de Fide orthodoxâ cap. 15. dicat: *Beata Virgo, quos in partu dolores effugerat, passionis tempore sustinuit.* quod piè sanctus Bernardus lamentabatur: *Nunc soluis Virgo cum vsurâ, quod in partu non habuisti à naturâ: dolorem pariendi Filium non sensisti, quem millies replicatum Filio moriente passa fuisti.* non Poëtice, sed verè dicit, *millies replicatum:* ludus enim sunt partus dolores præ illis quos Virgo perpessa est, quando ille Beniamin suus, id est, *Filius dexteræ* & benedictionis, Filius risus & gaudij factus est ei *Benoni*, id est Filius doloris, Filius lacrymarum & fletus, Filius mœroris & angustiæ: partus dolorem *millies replicatum*, inquit Bernardus, *sensisti.* Tantos Rebecca in partu sentiebat dolores, vt quæ filios morte suâ coëmere desiderauerat, iterùm filiis ipsis vellet hos cruciatus redimere: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Causa tam intensi doloris reddita ei fuit à Domino: *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur.* de Virgine autem MARIA inquit Rupertus: *Proinde quia verè ibi dolores parturientis, in passione vnigeniti omnium nostrûm salutem beata Virgo peperit.* Omnes gentes & nationes erant in vtero ipsius, omnium ipsa salutem parturiebat; toties ergo partus dolores

CHRISTVS enim qui patiebatur erat pars cordis Mariani.

Partus dolores millies replicatos Virgo tolerauit:

Genes. 25. vers. 22.

vers. 23.

Lib. 13 in Euang.

dolores sensit, quot vmquam erant homines nasciturí. *Non habuit hæc mulier*, inquit Rupertus, *hanc pœnam, vt in dolore pareret, quando infans sibi natus est; sed nunc dolet, cruciatur, & tristitiam habet, quia venit hora eius, illa videlicet hora propter quam concepit*. Ideò enim conceperat, ideò pepererat, vt vnà cum Filio hos ipsa perpessa labores, nos Deo pareret; & diaboli seruitute ereptos, nos sibi & Deo assereret. Piissimum erat Tobiæ monitum: *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius: memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te*. Liceat mihi verbis illis vniuersum hominum genus & singulos eorum sigillatim affari: Honorem habebis Matri Dei, quæ salutem tuam tibi, & te Deo pariendo facta est Mater tua, & omnibus diebus vitæ tuæ illi ex animo seruies: memor enim esse debes, quæ & quanta tormenta passa sit propter te. Si Stephani saxa, Laurentij craticulam, Petri crucem, Pauli gladium perpessa fuisset ob salutem Virgo sanctissima; cuius perfidiæ esset, te beneficij oblitum seruitutem eius recusare, quæ tam carò te emisset? At D. Anselmus lib. de Excell. Virg. cap. 5. sic eam alloquitur: *Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leue fuit, aut potiùs nihil, comparatione tuæ passionis*. Eat nunc aliquis, & omnes equuleos, pectines, vncos, rotas, omnes gladios, cruces, ignes, omnia tormenta, omnia supplicia, omnes mortes in vnum conuocet, per quas omnium tyrannorum furor in Christianos desæuiit: *Leue*, inquit Anselmus, *aut potiùs nihil, comparatione tuæ passionis*. Neque obscura aut difficilis est rei huiusce ratio: in primis enim facilè iam hoc conceditur ab iis qui aliquando piæ huius Matris erga Filium amorem complexati sunt attentiùs, eam omnes omnino creaturas superasse diligendo; ita vt ex omnium coniunctis cordibus tanta non erumperet amoris flamma, quantum erat vnius Mariani cordis incendium. Iam verò lib. 21. de Ciuitate cap. 26. affirmat sanctus Augustinus: *Ex earum personarum amißione, quæ nobis necessitudine aliquâ sunt coniunctæ, tantum necesse est vrat dolor, quantum hæserat amor*. Ecce vim huius argumenti: Sanctorum quique, exempli gratiâ, Laurentius plus Dominum suum IESVM quàm semetipsum diligebat; igitur, ex D. Augustini sententiâ, si Dominum suum iis tormentis quibus ipse affectus, ante oculos suos excarnificari & tandem occidi vidisset, tantò plus illi ex dilecti sui morte, quàm ex proprio supplicio doloris obuenisset, quantò plus eum quàm semetipsum amabat. Addantur autem Laurentij craticulæ, S. Stephani lapides, & simul Laurentij amori protomartyris eiusdem charitas adiungatur; iterum scilicet, magis de CHRISTI ante oculos suos lacerati doloribus, quàm de vtroque isto supplicio contristabitur; quia nimirum etiam S. Stephanus plus quàm se CHRISTVM diligebat: cuius amor adiunctus illi qui anteà S. Laurentij cor incendebat, facit vt plus adhuc ex CHRISTI morte, quàm ex geminato suo supplicio doleat. Idem erit, si Petri crucem, si Pauli gladium, si omnium Martyrum supplicia in vnum ingerantur Laurentium, si modò amor eius erga Dominum suum IESVM toties ex illorum accrescat amoribus: habuit autem amorem istum beata MARIA Virgo multis etiam partibus perfectiorem, quàm ille futurus erat ex omnium Martyrum affectibus conflatus; & vidit ante oculos suos Filium suum ea patientem tormenta, quibus omnia comparanda non sint Martyrum supplicia: plus ergo ipsa doloris in passione Domini perpessa est, quam omnes omnino Martyres. imò *leue*, vt aiebat D. Anselmus, *& potiùs nihil est quidquid illi sustinuerunt, comparatione passionis Deiparæ*. quia leuis est omnium amor, si cum Virginis & Matris amore conferatur. Dictis adiunge, amoris magnitudinem Martyribus fuisse pœnarum imminutionem, Virgini autem dolorum incrementum. Nam qualis solatij putas esse in doloribus cùm omnia acerba patiaris, tum illud recordari,

In Euang. lib. 3. c. 16.

Tobiæ 4. vers. 3. & 4.

omnium Martyrum dolores in vnum conflatos sustinuit;

imò maiores; quia illis amor minuebat tormenta, Deiparæ augebat:

recordari, te pati pro eo, quem ita ex animo diligas, vt paratus sis multò etiam grauiora pro eo tolerare: at Virgo quò plus amabat, eò dolebat acerbius, quòd eum pati videret; pro quo ipsa maluisset omnia ista subire tormenta. Leue, & quasi nihil fuisset Virgini, imò gaudio & voluptati fuisset, si pro dilecto Filio suo potuisset omnia omnium Martyrum supplicia exsorbere. O acerbi supplicij inaudita vis! ô cogitatione omni grauius tormentum, cui solatio fuisset, quidquid malorum potuit omnium tyrannorum crudelitas excogitare! *Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, Mater dolorosa? cui exæquabo te, & consolabor te*, Virgo Mater Dei? *magna est enim velut mare contritio tua*. Ecce enim omnia dolorum *flumina intrant in mare, & mare non redundat. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea. Pulchræ sunt genæ tuæ*, lotæ tam pio & frequenti lacrymarum imbre, *sicut turturis* iam viduæ dilectum suum diligentis. Audio magno aquarum fragore decurrentia omnium dolorum flumina ad MARIAM. *Quot enim dolorum flumina Filium obruere videbantur, tot in viscera Matris intrabant.* quod Filius ipse Dauidis ore fatetur: *Omnia excelsa tua & fluctus tui super me transierunt*. ac si diceret: Pater æterne, nullum est flumen amaritudinis, nullum doloris, quod in me non direxeris; excepi libenter, sed non me solùm illa flumina inuaserunt, quippe inuaserunt & Matrem; non in me hæserunt, sed transierunt in Matrem. id quod CHRISTVS disertè Patrem rogauerat: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*. non dicit, *transeat me calix iste*, sed, *transeat à me. In eo enim quod se transit, ipse ille à molestiâ transeunte excipitur: qui autem, vt à se transeat, rogat, non, vt ipse prætereatur, orat; sed vt in alterum, id quod à se transit, excidat.* Transiuit ergo calix iste in MARIAM: ad locum enim vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterùm fluant. Exiuerat à MARIA Virgine passibilis CHRISTI caro; inde redit ad eam tota eius passio, vt rursum ad illum fluat, Filiumque quodammodò obruat compassionis affectu. *O dolores inexplicabiles! ô ineffabilis reciprocatio sancti amoris! Filius patitur, & intus valdè compatitur Matri; Mater Dei verò compassa est patienti Filio. Tantus nempe impetus passionis Domini* IESV *fuit, vt quasi torrens ipsum impleret patientem; quia, teste Psalmistâ, de torrente passionis in viâ bibit; vt sic* CHRISTO *impleto in Matrem flueret compatientem, quâ similiter impletâ ad Filium redundaret inundatio amaritudinis & mœroris.* Benè ergo dicit, *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* Septuaginta vertunt, *Equo, vel equæ meæ assimilaui te*. Vulgaris est ista rubri Maris cum CHRISTI sanguine comparatio, per quem ille nos deducens à Pharaonis infernalis seruitute liberauit; sed vulgaris non est comparationis huius, quam Cant. 1. Sponsus adfert, intellectus. Vbi notandum est, Deum pugnasse contra Pharaonem inter attonitos suspensi æquoris fluctus, illique in curru sublimi ex aduerso gloriæ potentiæ suæ quadrigis vectum occurrisse. quod indicat Habacuc Propheta c.3. *Qui ascendes super equos tuos: & quadriga tua saluatio.* Ad rem autem nostram. Currus, quo in Mari rubro sanguinis sui aduersus tartareum Pharaonem Ægypti, siue confusionis Regem, pugnauit, est diuinitas quæ cum diabolo confligebat, quando eius humanitas patiebatur, & rubrum sui sanguinis mare voluebat; per quod hominibus licuit ex diabolicâ seruitute ad terram promissionis transire. Currus iste diuinitatis generis humani vehebat saluationem; trahebat & laborabat equus vnus CHRISTI humanitas, & laborabat vehementer, vsque ad sudorem, vsq; ad sanguinem, vsque ad mortem: quæritur equa, quæ simul huic iungatur currui, quæ simul trahat generis humani saluationem, & in mundi redemptione cooperetur. Quid Sponsus, *Equo meo assimilaui te amica mea.* nolui vt mea humanitas sola laboraret pro

Threnor. 2. vers. 13.

æquales ergo dolores habuit cum Filio.

Eccle. 1.

Cant. 1.

Primò, quia omnia dolorum flumina transibant ad illam.

Arnold. Carnotensis.

Psal. 41.

Hilarius lib. 10. de Trinitate.

D. Bernardus Hom. supra Stabat.

Secundò, quia veluti equa cũ CHRISTO trahebat currum salutionis humanæ.

pro mundi redemptione, illo tempore quando aduersus infernalis Pharaonis equitatum depugnabam; sed te feci, ô Mater mea, similem equo meo, vt cum humanitate meâ laborans & patiens traheres saluationem, simulque mundum redimeres. *Equo*, inquit, *meo assimilaui te*, iugo eidem te subieci, & ideò humanitati meæ te similem feci;

Ne malè inæquales veniant ad aratra iuuenci.

Similem in doloribus, similem in patientiâ, similem in effectu, vt omnia quæ ego de condigno, tu de congruo mereretis; vt sicut ego satisfaciendo, tu impetrando salutem humanam procurares. Quâ in re hîc maximè noto dolorum æqualitatem: cùm enim omnibus omnium Martyrum tormentis tantò maiorem Virginis ostenderimus tristitiam, hoc restat, vt eam cum IESV CHRISTI doloribus comparemus. Quorum similitudinem omnia mihi indicare videntur. *Transeat*, inquit Seruator, *calix iste*; idem ille, non alius, transeat à me in Matrem. Et Simeon non tantùm instrumenta doloris, sed etiam subiecta eadem facit: *Tuam*, inquit, *ipsius animam pertransibit gladius*. Tuam, iam non tuam, sed ipsius; imò tuam, quia ipsius; tuam inquam eamdem illam, quæ & ipsius animam, siue animam tuam, quæ cum ipsius animâ vna est facta, pertransibit vnus idemq; doloris gladius. Ipsa hoc Virgo in sanctæ Birgittæ Reuelationibus indicat: *Dolor* CHRISTI *erat dolor meus; quia cor eius erat cor meum. Sicut enim Adam & Heua vendiderunt mundum pro vno pomo; sic Filius meus & ego redemimus mundum quasi vno corde*. Medium enim cor eius, vt suprà dicebamus, extra eam erat in cruce, altera pars corpore eius continebatur: transiuit autem ab vnâ parte in alteram, à CHRISTO ad MARIAM; & ita cor eius totum & totam eius animam pertransiuit gladius. Idem enim dolor vtramque eius partem confodiebat. *Vulnera* CHRISTI *morientis*, dicit S. Bernardus in Lamentatione, *erant vulnera Matris dolentis*. Fit sæpè vt musicorum instrumentorum tanta sit concordia, vt tacto vno alterum resonet: & quæ concordia potest esse maior, quàm cordis MARIANI cum Filio, vt mirum non sit, hoc percusso, in illâ eumdem doloris sensum existere? Vox illa, quæ à rupis alicuius concauâ repercussione redit ad aures loquentis, non alia est, sed eadem quæ fuerat emissa: fit enim, vt, monte vicino aliquo & prærupto excepta, reddatur qualis venerat. *Mons* est Virgo sanctissima, *præparatus domus Domini in vertice montium, & eleuatus super colles*. *Mons*, inquit Dauid, *in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem*. Præruptus erat & concauus mons ille tempore passionis, tot lacer doloribus, tot exhaustus lacrymis; vnde facile strepitum flagrorum, stridorem compedum, fragorem ossium, sonitum clauorum & malleorum ipsa accipiebat, & veluti echo passionis eadem reddebat. Audi, an non stans iuxta crucem, dum Filius exclamat, *Sitio*, illa reddat vocem eamdem, eodem animi ardore, eâdem salutis nostræ cupiditate pronuntiatam? quid posteà? Ioanni dicebat CHRISTVS, *Ecce Mater tua*; reddebat echo MARIÆ, *tua*; & inde tuos persentisco dolores. *In manus tuas*, exclamat IESVS, *commendo spiritum meum*; & iisdem saucia doloribus, vsque ad mortem afflicta Mater, respondet corde & ore, & magis te ipsâ, *spiritum meum*: nam *qui adhæret Domino*, & qui tali vnione adhæret, *vnus spiritus est*. Hoc est quod per Prophetam suum Iob decimosexto capite imperabat Dominus: *Terra ne operias sanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus*. A te terra hoc peto, ne sanguinem meum abscondas, ne dolores meos tegas, ne clamorem meum suffoces; sed adsit mihi in passione meâ terra illa benedicta, quæ nullo proscissa aratro dedit fructum suum, quæ excipiat sanguinem, vt corde eius acceptus distilletur in lacrymas; excipiat dolores meos, vt mecum patiatur; excipiat vocem meam, vt eam tamquam echo reddat,

Tertiò, quia subiecta dolorũ, cor scilicet & anima, erant ipsi eadem cum CHRISTO.

Quartò, quia vt mons excelsus reddebat echonem tormentorum CHRISTI.

Isaiæ 2.

Mich. 4.

Psal. 67.

1. Cor. 6.

reddat, & inclamet fidelium auribus post me; vt si quis Filio compassus non fuerit, illum Matris misereat eadem omnia mecum sustinentis. Imò, quid si cum Doctore Seraphico dicere audeamus, *Hac maiorem dolorem habuit quàm Saluator, qui tot sustinuit*; putásne fidem hæc inueniet oratio? Fidem certè illi faciet tanta auctoritas, etsi nos fugiat, quæ illum permouit ratio tanta pro Virgine audendi; cum humilitate confiteamur, plura inter familiaria spiritus colloquia longo temporis vsu communicasse seruis suis Virginem MARIAM, quàm quæ primo mentis intuitu nos ad tantam nondum admissi familiaritatem possimus intelligere.

Imò magis Virgo sensit dolores quàm Filius.

Interim ad sustentandam sententiæ istius veritatem hoc aduertendum, non semper ex inflicti vulneris paritate parem redundare ad animum dolorem, sed esse robur quoddam mentis quo armatus homo resistit doloris incursibus, ac veluti repercutit vim teli irruentis; vt quamuis eâdem sensuum externorum læsione in diuersos duorum animos contorqueatur, minùs tamen eum penetret, qui maiore sit constantiâ obarmatus: non secùs atque corpora illa minùs ab ingruente vi externâ læduntur, quæ vel membris durioribus compacta, vel armis fortioribus cincta fuerint. Iam illud dubitari non potest, licet eâ animi constantiâ tempore passionis Virgo fuerit, ad quam cælum & terra obstupesceret, quin Filij eius fuerit infinitis partibus maior; vnde factum sit, vt quamuis cruciatibus ille fortè vehementioribus quàm Mater eius torqueretur, minùs tamen istis angeretur, minúsque perturbaretur, ac consequenter minùs quodammodò doleret, quàm ea quæ tantò robore prædita non erat; ac secundùm hoc dicendum foret, non plures quidem dolores habuisse Virginem, sed magis eorum vim percepisse quàm Filium. Sed in aliam nos sententię istius explicationem vocat piissima Arnoldi Carnotensis contemplatio: *Omnino tunc erat vna* CHRISTI *&* MARIÆ *voluntas, vnúmque holocaustum pariter offerebant Deo; hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis.* Quàm graphicè corredemptricem nobis iste depingit, *vnâ voluntate vnum holocaustum pariter offerebant? Ad restaurationem generis humani*, ex sancti Bernardi & veritatis ipsius sententiâ, *sufficere poterat solus* CHRISTVS; *sicut omnis sufficientia nostra ex ipso est.* Addo, sufficere poterat vnica Sanguinis ipsius guttula, vnica ad Patrem deprecatio; sed voluit ille perfectissimum Patri suo holocaustum offerre, vt copiosa esset apud eum redemptio, totúmque hominem in omnibus suis facultatibus doloribus excruciatum Deo immolare: quo posito decreto, non tantùm *congruum erat, vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset*, sed etiam necessarium. Licet enim CHRISTVS pateretur in corpore & animâ; nam *inundauerunt aquæ tormentorum vsque ad animam eius*; fuit tamen in ipso pars animæ superior, quæ clarâ Dei visione fruebatur à tormentis immunis: nec enim lucem istam poterant obtenebrare dolorum nubes, nec gloriam illam vlla vis tormentorum imminuere; vnde *voluit Matrem sibi adesse in doloribus, vt ex his quæ oculis foris cerneret, intus animo vulneraretur; vt sic* CHRISTI *passionis & redemptionis quoque particeps fieret & cooperatrix*: siue, vt ex se & Matre suâ etiam illâ animæ in parte læsâ, quam ipse gerebat inuulnerabilem, vnum fieret holocaustum, atque completa non tantùm ad necessitatem, sed etiam ad abundantiam voluntatis suæ, generis humani redemptio. Quis iam dicere cum Seraphico Doctore reformidabit; *Hæc maiorem dolorem habuit quàm Saluator, qui tot sustinuit*; cùm omnia quæ CHRISTVS in corpore & inferiori animæ suæ parte passus est, hæc in nobilissimâ illâ & superiore animâ tolerauerit? Ludit idem hic Doctor mirificè circa hæc animæ eius vulnera, & tamquam Seraphim mysticum hoc telum amoris vibrans, Virginem circumuolitare videtur. *Stabat,* inquit,

Primò, quia CHRISTVS *fortior quàm Virgo.*

In Tract. de Laudibus Virg. Tom. 1. Biblioth.

Bernard. Sermone de Assumptione.

Bernard. suprà.

Secundò, quia Virgo passa est in totâ animâ, CHRISTVS *verò non.*

Lansper. Hom. 48. de Passione.

S. Bonauentura in Cursu de compassione beatæ MARIÆ, lect. 1.

In Stimulo amoris cap. 4.

inquit, *iuxta crucem* IESV *Mater eius. O Domina mea, vbi stas? numquid iuxta crucem? imò in cruce cum Filio cruciaris; ibi enim crucifixa es secum.* Pendebat ergo ibi non tantùm Filius, sed etiam Matris anima, quæ maximè erat sensitiua eâ in parte quâ Filium tangere non poterant tormenta. Pergit noster Seraphim: *Quod ipse in corpore, tu in corde es passa; nec non singula vulnera per corpus eius dispersa in tuo corde generaliter sunt vnita; quia nempe tuam ipsius animam gladius pertransiuit. Tu Domina in tuo corde es lanceata, tu amaris clauis inclauata, tu spinis coronata, tu illusa & exprobrata, tu contumeliis & maledictis affecta, tu etiam felle & aceto potata.* & rursum veluti crucifixam atque immolatam pro genere nostro sic alloquitur: *O dulcissima Domina, cur iuisti immolari pro nobis? numquid non sufficiebat nobis* CHRISTI *passio, nisi crucifigeretur & Mater?* Cetera, quæ ipse affectus plenissima subdit, omitto, vt tandem Caput hoc Senensis Bernardini sententiâ concludam, qui eâ ratione nobis Virginis dolores describit, vt iam infra omnem belluarum inhumanitatem amandandus sit, qui iis non commoueatur: *Tantus*, inquit, *fuit dolor Virginis; quòd si in omnes creaturas, quæ dolorem pati possunt, diuideretur, omnes subitò interirent.* Et tamen hæreticis illis non assentimur, contra quos agit sanctus Irenæus 2. contra Hær. qui putabant, Virginem MARIAM hic præ doloris magnitudine letale passam esse deliquium, vereque mortem oppetiisse; ac deinde vi sanguinis CHRISTI, quo aspergebatur, fuisse resuscitatam; erroremque suum confirmabant ex illo Cant. 8. vers. 5. *Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* quamuis dolorem tantum fuisse non negemus, qui eam millies exstinxisset; cùm sanctus Bernardinus affirmet eum ad omnes creaturas enecandas suffecisse. O admirabile, ô stupendum inter tot mortis tormenta vitæ miraculum! quo fortè maius non fecit omnipotens illa dextra; quæ, quidquid tetigerit, conuertit, dum vult, in animam viuentem. Neque enim tantum est de lapidibus suscitare filios Abrahæ, quod in testimonium omnipotentiæ tamquam rem difficillimam Seruator adferebat, quàm vnicam Abrahę filiam, inter ea tormenta, quæ in omnes diuisa creaturas, cunctas extinguerent, seruare incolumem. Sed nimirum hoc erat mysterium toties repræsentatum in lege, vt pro leprosis alter passerculorum gladiolo percussus occumberet; alter, postea quam sanguine socij fuisset aspersus, dimitteretur. Decumbebat à capite ad calcem leprâ conspersus magnus ille Adam mundi totius lectulo coëxtensus; offerebatur pro emundatione sacrificium: ecce duo passerculi, vel potiùs columbæ, vt eos Hom. 47. appellat Macarius, CHRISTVS & MARIA; ille vitam inter tormenta deponit, hæc largiter aspersa sanguine viua dimittitur, vt in longos sine compare viuat dolores. O Domina mea clementissima, quis non studiosissimè famuletur tibi, cuius tu obsequia tanti coëmeris! O Sodales, ô pia tantæ Virginis Mancipia, recogitate, quòd non corruptibilibus auro vel argento ipsa vos à captiuitate & infami dæmonis mancipatu redemerit, sed isto dolore; qui si in omnes creaturas diuideretur, omnes subitò interirent. Quis hîc præfractâ adeò ceruice reperietur, qui, licet ardua quædam ac difficilia in mancipatu Virginis essent obeunda ministeria, dicere auderet, Non seruiam? quis adeò erit ingratus, & immemor beneficij, vt etiam dubitare eum contingat, an satis iusto titulo Dominæ istius addictus sit mancipatui, quæ tanto illum pretio coëmit? Recordemur, si quando lassari videamur nobis in eius seruitio, recordemur pretij, recordemur istius doloris; cuius si minima ad nos particula pertingeret, subitò occideremus; statuamusque cum animo nostro ita constanter Virgini, cui tot titulis debemus obsequium, famulari, vt neque dolor, neque morbus, neque paupertas, neque aduersitas aliqua, neque mors ipsa nos sit à mancipatu eius diuulsura.

S. Bonauentura suprà.

Tom. 1. Serm. 6. art. 3. c. 2.

Virginis dolores diuisi in omnes creaturas, omnes extinxissent;

ipsa tamen iis non est extincta.

MARIA *passerculus sanguine conspersus, qui dimittitur.* Leuit. 14.

CAPVT XXVII.

Circumstantiæ aliquot ex quibus grauitas dolorum colligitur, qui beatam MARIAM *Virginem tempore passionis exercuerint. Adiungitur quinta ratio, propter quam Virgo nos emisse ac corredemisse dicitur.*

MAGNITVDINEM doloris, quem Virgo passionis tempore sustinuit, Capite superiore summatim declarauimus ascendenres per diuersas Patrum senrentias, easque suis quà licuit illustranres rarionibus; hoc aurem Capire circumstantias quasdam considerabimus, quæ cùm soleant quantumuis leuem dolorem acrirer inrendere, licebit tandem aliquâ rarione statuere, quo sensu tantus, atque mox probauimus, dolor Virginis Deiparæ menrem afflixerit. Nam in primis, cùm sola anima sit, quæ quacumque ex causâ doleat, fit, vt ea quæ corpori infliguntur, pigriùs & obtusiore sensu ad eam deferantur; quæ verò ipsam immediatè tangunt, acutiùs punganr, quòd vis doloris nullo inreriecto corpore hebeterur. Credere hæc poterunt Scripturæ, acerrimam doloris vim per immediarum animæ contactum exprimere solitæ, qui numquam sunt internis doloribus excruciati; qui verò eos experti sunt aliquando, iis etiam intelligere licebit quæ dicimus. Nam Psalm. 104. Regius Propheta, vt Iosephi graues afflictiones declararet, *Ferrum*, inquit, *pertransiit animam eius.* ac si diceret: Licet occisus à fratribus non sit, nolire ideò existimare, inferiores eum passum esse morte dolores; ferrum enim, quod corpori pepercit, animum eius pertransiit hoc sensu atrociore, quo propiùs ipsam doloris tangebat sedem. & de hoc ipso, quem conremplamur, Virginis cruciatu propherans Simeon, *Tuam*, inquit, *ipsius animam doloris gladius pertransibit.* de quo sanctus Anselmus de Excell. Virg. cap. 5. *Verè pertransiit animam tuam gladius doloris, qui tibi amarior fuit doloribus cuiusuis corporeæ passionis.* tacebat enim non diuisionem carnis, sed diuisionem animæ & spiritus.

Prima circumstātia, animi dolores grauiores quàm corporis;

dolores autem Virginis erant animi.

Altera circumstantia vehementer intendens Virginis dolorem, est ingenij, quo prædita erar, acumen, & rum naturalis, rum supernaruralis cognirio rerum quæ gerebantur. Verè hic dicerer Sapiens: *Qui addit scientiam, addit & laborem.* Habet enim nescio quam ex rei narurâ connexionem sentiendi facilitas cum ingenio; vt etiam Physiognomici ex delicatâ corporis consticurione, quę facilè & acrirer sentiat quantumuis paruum dolorem, arguanr ingenij subrilitatem; tamquam viuacitatis sit indicium, quòd anima semper excubet, ac statim cirerur ad quemliber attactum: Virgo aurem, ingenio post Filium suum mortalium omnium subrilissimo prædita, maximam habebar de Filij sui dignirare, & indignirare rei ac hominum ingratitudine notiriam; vnde concipi non poreſt ab iis qui tanro ingenio non sunt, neque vllâ ratione ad rantam Dei cognitionem aspirarunt, quanro eam atrocissimi illius cruciatus rormenro affecerint.

Secunda, ingenij acumen auget dolores;

Eccle. 1, 18

que Virgo prædita erat subtilissimo.

De amore eius vehementi, qui rertia est circumstantia exaggerans, suprà ex occasione locutus sum; hîc tantùm addo, vt viam sternam concipere volenti aliquâ ratione magnitudinem passionis MARIANÆ, amorem eius tantum fuisse, vr si licuisset ei minimum rormenrorum vel iniuriarum quod patiebatur Filius inferni cruciatibus redimere, quòd ridens & gaudens descendisset ad inferos, vt tantillum dilecto suo præstaret solarij. I nunc, & sume calculos, vt computes, quantum amor dolorem rot cruciatuum inrenderit, qui minimo eorum inferni tormenta postponeret. *Constat*, inquit Sophronius de Assumptione, *quia plus omnibus dilexit, proptereà & plus doluit; in tantum, vt animam eius totam pertransiret & possideret vis doloris, ad testimonium eximiæ dilectionis.* Primò dicit amorem auxisse dolorem; deinde verbis emphaticis explicar,

Tertia, qui plus amat, plus dolet.

MARIA tota amoris erat, & ideò tota fuit etiam doloris.

plicat, in quantum eum auxerit; *in tantum*, ait, *vt animam eius totam pertransiret vis doloris*, nihil in eâ inractum relinqueret; nulla esset in eâ potentia, nulla facultas, nulla cogitatio, quam non penetraret acerrimus dolor, nec penetraret tantùm, sed etiam possideret, vt iam sui iuris vix esset anima: sed quemadmodum tota amoris erat, ita iam tota ex amore fieret doloris. Qui dolor vel inde maximè accrescebar, quòd vnicè cuperet eadem tormenta, quæ Filius patiebatur, corpore suo excipere, nec posset. Sentiebat ergo omnia Filij tormenta in animâ suâ; quia eum, qui patiebatur, ita vehementer amabat, & nouum rursum sentiebat tormentum, quòd eadem corporaliter non daretur perpeti. Quibus omnibus circumstantiis si tandem accedat temporis longitudo, rursum in immensum augebitur dolor: neque enim cum Domini passione cœpit, neque cum eâ desiit tristitia & angustia spiritus quæ affligebat Dominam nostram; nam ex quo facta est Mater Dei, simul fuit Mater doloris: cùm enim spiritu prophetiæ præuideret, maximè post seueram Simeonis denuntiationem, Filij sui mortem, numquam mentem eâ vacuam habuit. O quoties inter lactandum Filium medias infantis delicias interrumpebat lacrymis, dum recordabatur, aliquando fore tempus quo ille acerbissimâ tostus siti exclamaturus esset, *Sitio*, sine vllo maternæ charitatis solatio! quoties manus pedesque inuoluens fasciis, cogitabat quàm crudeliter aliquando clauis essent perforandi! quoties tenellula fouens membra, Ah dicebat, quàm atrociter aliquando hæc virgis discindentur pro scelere populi mei! O vtinam, inquiebat, vtinam, Fili mi, hæc tua foret Patrisque tui sanctissima voluntas, vt mihi liceret hæc pati & mori pro te! O quis mihi det, saltem eadem pati tecum, vel ideò vt sentiam, quàm tibi erit acerbum ita excarnificari, discamque perfectè compati tibi! Hæc erant ante Filij passionem Matris vota, ista continua eius occupatio; sed postea-

Quarta, duratio temporis aggrauat tristitiam.

Virgo inter materna obsequia passionis recordabatur:

post Filij mortem semper de eâ Mater cogitabat.

quam completa erant & consummata omnia, quæ scripta erant de Redemptore, vidissetque ante faciem suam extingui lumen oculorum suorum, & vitam suam mori, putâsne vllum temporis punctum istâ recordatione vacuum eam habuisse? Pro peccatis Christus mortuus erat semel; Mater verò momentis deinde singulis mortis istius recordatione moriebatur: corpore frequentissimè passionis loca sacrosancta visitans, & animo numquam ab ipsâ passione diuulsa. Qui hanc temporis circumstantiam, qui reliquas doloris Mariani conditiones expenderit, qui eius magnitudinem ex capite superiore repetierit, difficultatem tantam agnoscet in oblatione huius Virginalis sacrificij, vt fidei supernaturalis opus sit habiturus auxilio, vt assentiatur rem tantam à Virgine perfici potuisse: præsertim cùm negari nullâ ratione possit, quin istis doloribus, isti tristitiæ, isti ineffabili cordis tormento permixtum fuerit ingens quoddam gaudium, quod efficiebat vt alacriter omnia pateretur, ac liberaliter Patri offerret pro nobis Filium; id quod etiam non mediocriter augebat meritum oblationis. Quis crederet hæc duo extrema coniungi posse in Virginis corde, nisi vidisset maternitatem & virginitatem eius coniuncta in corpore? In Canticordio tit. 2. 13. par. Alphab. sic ait Gerson: *Erige cordis aures ad voces spiritus sui, dum proprium Filium, dum dilectum oris sui, viscerum quoque & votorum sensit crucifigi pro redemptione nostrâ, dans nobis illum vtique cum gaudio & exultatione, quæ summam superabat carnis angustiam; alioquin quomodo implesset quod dicitur, Hilarem datorem diligit Deus?* Numquid Tigrim fluuium imaginaris in Armeniâ tantâ velocitate Arethusam lacum secantem, vt impermixtas cum aquis eius vndas efferat in mare? Quid aliud est consolationis istius solidæ impetus, qui salsissimas tristitiæ peruadens aquas, quæ omnium dolorum flumina in animam Deiparæ effuderant, impermixtus & inconfusus peruadat in cælum

Tantis doloribus admixtum fuisse gaudium.

supra Tigris fluuij inter salsas aquas dulcedinem:

suprà Æt-na flammas inter niuem.

cælum vnde erat deriuatus? Vertex Ætnæus omnibus Physiologis semper fuit admirationi: qui licet honorificis tonet ruinis,

Æn. 3. vers. 571.

Interdúmque atram prorumpat ad æthera nubem
Turbine fumantem piceo, & candente fauillâ,
Attollatq; globos flammarum, ——

& totus in ignes & flammas abire videatur; tamen

Scit niuibus seruare fidem, ——

ita vt in ipso

Perduret glacies tanti secura caloris.

Admirabile.

Sed an non magis Theologi stupebunt diuinam hanc mentem Virginis, quæ tota nix & glacies præ tanto dolore, flammas tamen habebat lætitiæ & gaudij, quibus holocaustum hoc blandissimè offerebat. *Erant in eâ simul dolor & gaudium*, inquit Abulensis in cap. 9. Deuteron. quæstione 4. *vtrimque magnum, sed satis vnum alteri concordabat*. & explicat causam vtriusque: *Virgo*, inquit, *in tempore passionis ex charitate magnâ, quâ eam repleuerat Spiritus sanctus, ardenter diligebat salutem humani generis. Cùm ergo eum vidit patientem, admirabiliter consolabatur, quia certissimè videbat redemptionem generis humani factam: dolebat tamen acerbè, quia videbat tenerrimum illum iuuenem* CHRISTVM IESVM, *quem ipsa conceperat, ipsa lactauerat, quem magis diligebat quàm animam suam, ita vt pro eo mori elegisset, si licuisset*. Mirentur alij ignem cum niuibus, amara cum dulcibus, omnia denique contraria cum suis iungi contrariis; nihil ego vmquam magis admirabor, quàm hanc gaudij dolorísque coniunctionem, atque admirabilem resolutionem Virginis, quâ potuit libenter Filium suum morti tradere. Nouerat enim ipsa Deum esse, quem genuerat; Deumq; Filium suum supra creata omnia diligebat, eum colebat; eius honori, commodo & vtilitati ita studebat, vt nihil illi fingi posset iucundius, quàm Filio suo quibuscumque officiis deseruire: interea loci vrget redemptio humani generis, agitur vt

Vnde ortum tantum Virginis in dolore gaudium.

nostri causâ consentiat, vt Filius tradatur tortoribus, flagelletur, conspuatur, spinis coronetur, crucifigatur denique, atque per cruciatus dirissimos morte acerbissimâ enecetur; quid hîc aget Mater Deipara? Fateor, ita nos dilexit, vt Filium suum tradiderit pro nobis; non tamen id affirmare audeam, quòd eum tradere potuisset, vel ausa fuisset, nisi admirabilem intellexisset Patris eiusque voluntatem: nec enim siuisset eam amor, neque permisisset reuerentia vmquam hac de re cogitare; sed postquam Patrem ita velle cognouit, tunc scilicet exortum est in pectore eius stupendum secum duellantis amoris certamen. Deus enim erat, de cuius vitâ agebatur; hunc autem ita super omnia Virgo diligebat, vt nihil ei posset aduersi contingere, quod ipsi non qualibet morte grauius doleret: rursúmque, erat Deus; cuius voluntatem esse videbat, ne Filio suo parceret, sed voluntariè eum traderet pro nobis: & Deum iterùm sic amabat Virgo, vt nulla eius voluntas esse posset, quam illa non summo gaudio exequeretur. *Erant ergo simul dolor & gaudium*; & quia hoc ex Dei obedientiâ, illud ex Dei passione oriebatur; *vtrimque magnum, sed satis vnum alteri concordabat*. Quam concordiam non valdè mirabere, si causam spectes; stupebis autem, si vno tempore, vno in pectore fuisse ita magnum consideraueris, vt neutri par esse posset vlla alia creatura; nec Virgo fuisset nisi potenti eius manu confirmata, qui eam volebat in re tam arduâ, atque est redemptio generis humani, sibi esse sociam.

Quinta ratio, quâ nos Virgo corredemit:

An non licebit hisce certissimis titulis, propter quos partem in redemptione nostrâ habere dicitur Virgo Deipara, etiam illum addere, qui magnâ mihi videtur probabilitate posse affirmari? quòd nimirum ipsa Filium suum ad redimendum genus humanum sæpiùs sit adhortata verbis ac rationibus tam efficacibus, vt si possibile fuisset illum more nostro in proposito suo vacillare, aut de Patris voluntate adimplendâ dubitare, sufficeisset Suadæ istius oratio

quòd Filium ad redimendum nos sit cohortata.

ad confirmandum hominem, corroborandamque voluntatem, ne à præcepto sibi dato deficeret. Me non primum hoc suspicatum fuisse ostendit melliflui Doctoris sententia Serm. Signum magnum: *Fidelis*, inquit, MARIA, *quæ salutis antidotum viris & mulieribus propinauit. Illa enim Heua ministra seductionis, hac propitiationis: illa suggessit præuaricationem, hæc ingessit redemptionem*. Vbique Heuæ MARIA opponitur. Certum est autem, quàm perniciosa fax illa exstiterit in illo incendio, quo tota orbis terrarum machina conflagrauit; æquè ergo certum habeamus, non minùs contulisse MARIAM ad salutem, quàm Heua molita est ad perniciem: hæc autem ministra seductionis, in maligno illo sacrificio infelix popa fuit nostræ perditionis; MARIA autem ministra & sacerdos nostræ propitiationis: Heua afflata mortifero serpentis sibilo suggessit præuaricationem; MARIA impleta Spiritu sancto ingessit, ac sæpiùs inculcauit quà orando quà adhortando redemptionem. Regula est autem, quam natura ipsa dictauit, eum qui efficaciter rem aliquam suadet, culpâ non vacare, siquidem mala sit; si autem bona, eumdem venire in laudis ac præmij, quod eam consequitur, participationem: sic homicidam vocamus, atque vt talem punimus, qui homicidium alteri persuaserit; vitam autem etiam illi referimus acceptam, qui consilio auctor fuit vt seruaremur. Iam verò, dubitare, an efficaciter pectus Filij mouerint creberrimæ Matris de orbe redimendo exhortationes, hominis est Matrem illam & istum Filium prorsus ignorantis: nam quòd Filius hoc idem habebat à Patre in mandatis, quòd ipse eò sponte suâ inclinabat, facit, vt tantò plus valerent apud eum Matris sapientissimæ suasiones, quas gaudebat ita cum suâ Patrisque sui voluntate conspirare. Vt ergo redemptionis & coëmptionis hunc titulum concludam, paucis ad extremum Mancipia Virginis Deiparæ adhortabor; vt non pœniteat tam felicis commutationis, quâ non exierunt à seruitute, sed mutarunt dominium: cùm enim anteà peccato & diabolo, quibus nulla tyrannis excogitari potest crudelior, fœdissimè manciparentur; à CHRISTO Redemptore nostro ac Virgine coëmpti, transierunt de istâ seruitute in libertatem filiorum Dei ac Deiparæ Virginis: sic tamen, vt tota hæc libertas consistat in præstando illis promptissimo famulatu: nam famulari huic Regi & huic Reginæ, regnare est; & inter eius mancipia computari, plusquam regium. Primùm ergo gratias agant Matri ac Filio, quòd eos tam turpi seruitute liberauerint; deinde, quòd liberatos non destituerint sine hero aut herâ, tamquam oues sine pastore, sed quòd sibi eos asseruerint, vt iis honorificentissimum impendant mancipatum.

In quo Heuæ fuit opposita.

Ad Mancipia adhortatio.

CAPVT XXVIII.

Secundus titulus dominij MARIANI *& nostri mancipatus ortus ex facto; quia bello ab illâ capti, & seruati ad seruiendum.*

IMPERATOR in Instit. de Iure person. lib. 4. §. 1. docet iure gentium inductam seruitutem, dum victores hostibus bello captis, quos occidere poterant, vitam condonarunt; hinc mancipium dictum est quasi manu captum, & seruus quasi seruatus ab hoste, vt inquit S. August. 19. de Ciuit. c. 15. Qui modus in seruitutem redigendi quos bello superauerant ita vulgaris erat, & ius inde exortum ita gentibus omnibus commune, vt S. Petrus inde tamquam à re certissimâ fortissimum sumat argumentum, dicens: *A quo enim quis superatus est, huius & seruus est.* quod S. Augustinus legit, *A quo enim quis deuictus est, huic & seruus & addictus est.* Satis ergo tantis auctoritatibus probatum manebit, nos Deiparæ Virginis nouo, eoque iustissimo atque antiquissimo titulo esse mancipia, si ostendero, nos ab eâ fuisse in prælio superatos: quæ res cùm vetustissimam generis nostri seruitutem tangat, altiùs nonnihil est repetenda,

Mancipij & serui etymologia.

2. Petr. 2. vers. 19.

S. August. super illum locum.

Ostendit ex victoriâ in bello ortum dominium.

vt clariùs appareat, non metaphoricè aut quodam ad pietatem accommodatitio sensu, sed verè & realiter nos esse B. MARIÆ Virginis mancipia; proindeque rem miram non esse, si per Sodalitatis institutionem hortemur omnes, vt profiteantur id sese esse, quod sine maximâ impietate nemo de se potest inficiari. Iucunda non erit istius prælij commemoratio, in quo turpissimè victi fortunas, virtutem, robur animi & corporis, sanitatem, libertatem, nos denique ipsos summo cum dolore amisimus; est tamen hîc necessarium aliquam eius facere mentionem, vt possimus maiore cum voluptate istius conflictus recordari, in quo Domina nostra gloriosissimè triumphans pretium victoriæ habuit nostram libertatem; nusquam certiùs quàm in suo mancipatu conseruandam. Res verò ab ipso veritatis Spiritu sæpiùs in Scripturis enarrata hunc ferè in modum accidisse videtur. Acies binas capitali inter se odio dissidentes inter ipsam rerum molitionem summus Agonotheta Deus in hanc vniuersi arenam induxerat: stabat hinc natura humana multiplici armaturâ, ac præcipuè iustitiæ originalis loricâ, satis aduersus ictus omnes munita; inde verò apostata angelus signa explicarat, vnico conflictu de rei summâ cum homine experturus: vix editor post laboriosam theatri instructionem in ipsâ cæli orchestrâ quiescens signum extulerat, probaturus quâ fide & fortitudine pro Creatoris sui auctoritate homo confligeret, cùm ecce tibi callidissimus hostis noster, astu magis quàm viribus fidens, serpentis personam induit; aggreditur, suscipiens cum sexu deteriore colloquium. Quid verbis opus? certatur, femina vincitur, feminam vir sequitur; & per vtriusque ignauiam, nos miseri miserrimæ seruituti mancipamur. O luctuosam rerum humanarum catastrophen! qui cum Angelis certabamus de felicitate, nunc diabolicæ subiecti tyrannidi non viuimus, sed turpissimam & qualibet morte deteriorem agimus seruitutem. *A quo enim quis deuictus est, huic & seruus & addictus est*. Non est huius loci casum miserandum aut verbis describere, aut ei seris lacrymis indulgere; iacta est alea, iugum subeundum: non quæras quàm graue aut ignominiosum, res ipsa loquitur. Rationali creaturæ subeundum est iugum peccati. Heu qui mox gemitus, qui ploratus exauditi! quàm amarè perditæ libertati affusæ lacrymæ, dum inter numellas & compedes suspirat captiua mortalitas ad recordationem pristini status! Contemplatus hanc humani generis conditionem qui omnia perspexerat Sapiens, vehementer & ipse suspirans, simul vnde spes libertatis affulgeret, ostendit: *Mulierem*, inquit, *fortem quis inueniet?* Ah nimis imbellis, nimis effeminata fuit illa mulier, quæ prima partes egit totius humanitatis, & tam luctuoso posteros damnauit mancipatu! Sed quamuis res omnis deperdita; video tamen, si instauretur prælium, quanta spes detur restitutionis. Conuenit, quoniam victi fuimus per mulierem, per eamdem hostem nostrum ferocissimum debellari. Verùm si ita de manu feminæ pendet & nostra omnium salus, & innocentiæ restitutio, & de hoste victoria; necesse est vt fortis prouideatur, quæ ad tantum opus possit esse idonea. Sed *mulierem fortem quis inueniet?* ac ne hoc quæsiisse putent desperando, subdit prophetando; *procul & de vltimis finibus pretium eius*. hoc est, non vile, non paruum, non mediocre, non denique de terrâ, sed de cælo; nec de cælo proximo terris pretium fortis huius mulieris, sed à *summo cælo egressio eius*. Hac ratione suspirabant & anhelabant ad hanc mulierem, quotquot ante eam verè sapientes sentiebant iugum seruitutis, quod impositum erat ceruici eorum; & legebant quidem serpenti dictum: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum*. vnde certò instaurandum rursum prælium colligebant, & fore iam vt victoria stet à muliere, satis certò ominabantur; sed curiosiùs tum mulierem illam videre, tum victoriâ

Perdidit autem homo primum cum diabolo cõflictum.

Prouer. 31.

Hinc mira pugna per mulierem instauranda expectatio.

Genes. 3. vers. 15.

riâ illius mutatâ in ſeruitute perfrui geſtiebant: quem autem non duceret prælij iſtius auidiſſima exſpectatio, in quod omnia conſpirabant quæ poſſunt ad curioſitatem ſpectandi certaminis alicuius concurrere? Solet enim vel certantium diſparitas, vel rei, de quâ certatur, magnitudo, vel denique modi, quo certamen ineundum eſt, inſolentia, vehementer acuere eorum, qui ſpectaturi ſunt, auiditatem. Quotieſcumque enim Goliathi & Dauidis recordamur, quid amabò tam ſuaui cupiditate titillat animum, vt etiamnum toti rapiamur, tamquam ſi præſentes ſpectemus inſolentem iſtam monomachiam; niſi quòd hinc puer, inde verò carnea iſta moles poſita ante oculos, ſummam adferant ex pugnantium inæqualitate voluptatem? Dum verò audimus tres Romanorum Horatios totidem Samnitum Curiatiis opponi, non ita excitaremur ſpectandi ſtudio, niſi ſciremus fratres hoſce ictibus ſingulis totius ſuæ Reipub. fortunam librare. Denique dum Gedeon cum trecentis viris infinitam Madianitarum multitudinem prælio ſuperat, magis tubæ iſtæ, lampadeſque in vaſis fictilibus, ac modus præliandi rapit nos in ſtuporem rei inſolentis, quàm quæcumque res alia quæ conflictum fecit admirabilem. In certamine verò, in quo propugnatrix generis humani Virgo MARIA melioribus auſpiciis prælium aggreſſa eſt, quid, quæſo, horum non fuit, ſupra omnia quæ omnibus retrò ſæculis acciderant ſingulare? Quæ enim maior inæqualitas fingi poteſt, quàm iuuenem Virgunculam nequiſſimo veteratori, imbecillitate carnis humanæ circumdatam feminam nequitiâ ſpirituali armatis poteſtatibus, vnam infinitæ multitudini opponi? Quis hic ſpemque metumque inter dubius vincendi ſtudio non exclamet? O MARIA, *non eſt tibi colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem*, qualis Iudithæ, Eſtheri, Debboræ, fortiſſimis feminis, quondam fuit; *ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cæleſtibus.*

In quâ tria quæ reddunt pugnam admirabilem: pugnantium inæqualitas; rei, de quâ certatur, magnitudo; nouus pugnandi modus.

Ephes. 6. verſ. 12.

Audi cui opponaris aduerſario, vt ſollicitè induas armaturam Dei, vt poſſis ſtare aduerſus inſidias eius, quibus tam turpiter ceſſit prima generis noſtri parens & interemptrix: ſi enim natura iſtius hoſtis quæritur, ſpiritus eſt; ſi ſpecies, eſt inuiſibilis; ſi indoles, nequiſſimus eſt & malitioſiſſimus; ſi poteſtas, eſt mundi dominus, & mortales cuncti eius mancipia; ſi ars & fraus, eſt princeps tenebrarum, per tenebras & inſidias aggreſſurus; ſi locus, ſuperior eſt, ex aëre & cælo irruet: huic tu homo viſibilis, indolis candidiſſimæ, humillima & ſimpliciſſima in terrâ noſtrâ loco non ſatis fido obuiàm procedis. Attende quæſo tibi, ô Virgo; res enim agitur, quâ maior concipi non poteſt, neque excogitari: agitur ſalus noſtra, tam miſerè primo conflictu hactenus deperdita; agitur liberatio totius humani generis, quod gemit ſub immiti ſeruitute: agitur honor & exiſtimatio tua, agitur gloria Filij tui, maiori ſtudio quàm mundi totius ſalus procuranda. Benè habet: aduerſarium non timet mulier fortiſſima; quanta res agatur, prudentiſſima intelligit: non temerè de re tantâ iactabit aleam, neque timidè congreſſum declinabit. *Accinxit* enim *fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum; fortitudo & decor indumentum eius.* & ſola conſiſtit tamquam caſtrorum acies benè ordinata. *An non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt præter morem armaturâ omni fortiorem inſtructam contra ſe procedere feminam, feminam fortem, ad bellum doctiſſimam; cuius enſis ſuper femur eius propter timores nocturnos; in circuitu eius acies valida ſpiritualium virtutum ſuo ſe inuicem ordine tuentium?* Timor & tremor ſuper aduerſarios venerunt, & dixerunt ad primum eius conſpectum: Ecce pluſquam Heua hæc, caſtra Dei ſunt hæc, fugiamus Iſraëlem; nimis enim magna potentia pugnat pro eo: ſed iam non erat integrum fugere, inſtabat bellatrix noſtra, & præcipitem toto orbe agebat hoſtem, nunc gladio,

Qualis diabolus: qualis MARIA in eum pugnatura. Quid prælio iſto agatur.

Prouer. 31.

Quomodo Virgo armetur.

Bernard. in Deprec. ad Virg. Tom. 2. Operum.

nunc dextrâ, nunc verbo solo, nunc per se, nunc per Filium ingeminans ictus: nec mora vlla aut requies; sed quàm frequenti sub grandine sonant domorum culmina, tam densis ictibus pulsat & versat semiuictum & fugitiuum hostem Amazon & bellatrix nostra fortissima.

CAPVT XXIX.

Arma B. Virginis, innocentia & castitas: his duello & bello diabolum est aggressa.

Iob 38.

INTERROGAT curiosiùs Propheta Iob: *Numquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti? quæ præparaui in tempus hostis, in diem pugnæ & belli?* Pugnam & bellum distinguit: credo, per pugnam singulare duorum certamen intelligit; quod duellum, tamquam duorum bellum, vocamus; per bellum verò, concursum duorum exercituum, qui aduersis & infestis cornibus in mutuam ruunt perniciem. Vtroque enim congressa Amazon nostra, ex vtroque victoriam retulit singulari cum diabolo certamine ipso conceptionis instanti; explicatis verò signis, toto deinde vitæ tempore. *Numquid*, iam interrogat Propheta, *ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti? quæ præparaui in tempus hostis, in diem pugnæ & belli?* Quæcumque vidistis & videbitis in mundo certamina, præludia sunt istius diei, qui verè est *pugnæ & belli*, quando draco non præliabitur cum Michaële & Angelis suis, sed cum Muliere & Filio eius. Quibus autem Deum armis instructurum putatis Mulierem hanc, quam exponet tam periculoso certamini? Scis quòd *stellæ manentes in ordine & cursu suo, aduersus Sisaram pugnauerunt*: quòd ignitis de cælo iaculis prostrauit incolas Sodomæ, & ciuitatem eorum subuertit: quòd tam diuersis modis elementa omnia misit in Ægyptiorum perniciem: quòd denique, ad perdendos omnes peccatores terræ, armabit omnem creaturam in vltionem. Omnibus hisce vsum, vel vsurum Deum noscis in hominum perniciem; quid putas præparabit illi Imperatrici, quæ omnium propugnabit salutem? *Numquid ingressus es thesauros niuis?* Ingressus es fortè varia Imperatorum & Ducum armamentaria, & ipsam bellicam Dei supellectilem iam produxi; est tamen cubiculum vnum secretum ab aliis in interiore parte palatij, vbi arma præparata sunt, quæ nemo vidit, nemo imaginatus est, antequam iis induta prodiit Amazon nostra, congressura contra diabolum: sunt autem vestimenta innocentiæ candida instar niuis, sunt tormenta & iacula, sed omnia nitentia mirâ castitatis & puritatis albedine instar grandinis: hæc neque homo excogitauerat, neque diabolus ipse præuiderat tanto impetu in se torquenda; alioquin numquam subiuisset pugnæ aleam sine vllâ spe victoriam reportandi: ideoque illi præparanti se ad prælium, victoriamque, vt superbissimo est ingenio, certissimam sibi pollicenti; Iobus Propheta vel tum in spiritu gloriam propugnans Virginis, vt temperaret diaboli iactantiam, *Numquid*, ait, *ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti?* feliciter tibi cessit pugna, quam cum Adamo per Heuam commisisti, & exuisti genus nostrum ditissimis originalis innocentiæ spoliis: omnes vides imbelles & inermes prodire sine candidissimâ & fortissimâ loricâ innocentiæ, ideoque certam & perpetuam tibi promittis coronam: sed *numquid ingressus es thesauros niuis?* an putas exhaustos esse thesauros illos diuinæ opulentiæ? Vidisti primum hominem niue innocentiæ vestitum; sed alios Deus habet thesauros, aliam seruat armaturam innocentiæ, qua vestiet Virginem illam, quæ tibi posita est ab initio mundi aduersaria, vt tandem conterat caput tuum. Ecce arma quibus induetur Virago nostra. Pugna verò vtraque hoc habet in primis singulare, quòd non per insidias aduersarium petierit Deipara, quemadmodum ipse fuerat Heuam in paradiso aggressus, &

Marginalia: Quid pugna. — Quid bellum. — Iudic. 5. vers. 20. — Quæ Dei arma. — Sapient. 19. — Singulare armorum genus ferratũ beatæ MARIAE Virginis. — quo apertè hostem petijt.

& mulier decepta est; sed aperto Marte res gesta sit: nam ipsemet Deus quatuor annorum millibus ante conflictum fecialis erat belli denuntians: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius*, Genes. 3. vers. 15. *Cùm dixit Deus*, inquit Rupertus lib. 3. in Genesim, *Inimicitias ponam, profectò magnum gratiæ suæ opus promittit.* quòd scilicet victorem diabolum, qui vicerat fraude, victa nunc mulier vinceret fortitudine.

Professa perdunt odia vindictæ locum. Ideò pallio amici se vestit, qui insignem meditatur de aduersario vindictam: sed licet vltionis locum inueniat dissimulatio; plerumque tamen perdit laudem fortitudinis. Gloriosius sanè est, non dissimulatâ inimicitiâ aperto Marte hostem aggredi, & vincere eum, cui armandi se repugnandiq; tempus concesseris: hoc est vincere fortitudine. Sed primùm singulare certamen, deinde generalem conflictum videamus.

CAPVT XXX.

Singulari certamine Virgo diabolum superauit in causâ propriâ, vt spem faceret mortalibus se victuram in prælio quod susceptura erat pro salute nostrâ.

Moyses percutiens Ægyptium,

LITIGABAT Exodi 2. vers. 13. ad ripam Nili Hebræus cum Ægyptio: nec intra verba stetit altercatio, ventum est ad manus; & Ægyptius licet causam deteriorem propugnaret, armis tamen vel pugnis plus valens Hebræum opprimebat. Commodùm superuenit Moyses, breuiterque cognitâ ex clamore eorum causâ, incitatus populi sui amore & zelo iustitiæ, litem suam facit; aggressusque eum qui iniuriam faciebat, percutit letali vulnere, percussumque abscondit sabulo. Campum hîc pugnandi apertum repererunt S. Scripturæ interpretes, partim pro Moysis in hoc facto innocentiâ, partim contra eam decernentes. Caietanus circumspiciens rei gestæ conditiones, circumstantiasq; omnes examinans, criminis eum damnat in hac cæde: nulla enim à subito efferuescentis cholerae spiritu excusatio, cùm rem meditatus peregerit: nec erat Moyses publicâ aliquâ auctoritate præditus; nedum iudex in hac causâ datus: deinde culpa erat infra pœnam, magisque apparet vindicta quàm iustitia: denique nulla additur in sacris Litteris particula, quæ factum videatur excusare. Angelicus Doctor pro suâ in Sanctos modestiâ excusare mauult Moysen secundâ secundæ quæst. 60. art. 6. ait enim: *Moyses videtur occidisse Aegyptium, quasi ex inspiratione diuinâ auctoritatem adeptus.* Verùm curiosiùs indagare posset, quid tandem causæ videatur fuisse, cur Deus Moysi hoc inspirauerit? Cui petitioni iam dudum satisfecit sanctus Stephanus in Actibus cap. 7. vers. 24. *Fecit vltionem ei qui iniuriam sustinebat, percusso Aegyptio. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis.* Vt scilicet auctoritatem inter suos lucraretur, atque appareret, quid esset in causâ publicâ valiturus, qui in priuatâ tam fortiter sese gesserat, cognoscerentque fratres, quoniam per manum ipsius daret salutem illis; ideò tantis animis aggressus Ægyptium, eumdem confecit. Sanctus Ambrosius lib. 1. de Officiis cap. 36. *Sanctus Moyses*, inquit, *hinc orsus est tentamenta bellica fortitudinis:* hinc spem faciebat populo, futurum vt publicum omnium hostem aliquando prosterneret, qui tantâ fortitudine priuatum vnius inimicum percusserat. At si Moyses hîc pugnam aggressus exstitisset inferior, vide quanta rebus quæ Deus per eum facere decreuerat retardatio. Quis enim non exsibilasset hominem venditantem se pro communi omnium liberatore contra crudelem potentissimi regis tyrannidem, qui ostendisset se tam ignauum vltorem ciuis vnius contra iniustam petulantis Ægyptij inuasionem? Agebatur scilicet in hac pugnâ plusquam primâ fronte apparebat, quod viro prudentissimo animos suggerebat ad rem fortiter gerendam: facienda enim hîc

à Caietano accusatus:

à sancto Thomâ defensus.

Inde sibi auctoritatem comparauit.

erant tentamenta bellicæ fortitudinis, vt intelligerent fratres, quoniam per manum ipsius daret salurem illis. Hinc S. Augustinus lib. 2. contra Faustum notat: *Moyses post percussum Aegyptium factus est rector illius synagogæ.* Age verò, nunc ad rem nostram pugnamque MARIANAM transeamus, cui satis est populi Israëlitici liberatorem istâ figurâ prælusisse; vertenda nunc arma sunt, & seriò de salute totius humani generis decernendum. Ecce præliatura est mulier cum dracone in publico mundi theatro, palàm infernalem tyrannum triumphatura est Virgo. At quæ Virgo, quæ mulier tantum susceptura negotium? cuinam nos, & qui nostri custos est Deus committet rem tam arduam, tam difficilem, & tam periculosæ plenam aleæ? Virgo est, sancta est, Dei Mater est. Magna sunt hæc fateor, & ita magna, vt maiora excogitari non posse ab hominibus certum sit, dubium etiam an à Deo donari: sed tamen quid ista ad rem aut ad spem nostram, si vel numquam congressa cum hoste vires ipsius ignoret; vel, quod peius est, congressa aliquando, eas ingenti cum damno suo nimiùm experta sit? Fateor, quòd si talem producerem bellatricem, quæ in causâ suâ, sola cum solo congressa aduersario cecidisset, difficile esset omnium salutem ei pugnæ credere, vbi eadem Virgo publicè cum totius inferni viribus esset decertatura. Quis enim has similesque non versaret animo dubitationes? Quî tandem nobis erit ministra vitæ, quæ non citiùs vixit, quàm serua mortis exstiterit? quomodo illa destruet regnum peccati, quæ priùs turpissimè iugum ipsius gustauit? an hæc franget omnem potentiam diaboli, quæ ignauiter se viribus eius subiecit? Non benè, mihi crede, à fugâ & iugo sumitur vincendi augurium: victricia de hostibus trophæa sunt, quæ latè spargant pauorem: in armis maximum est omen in consuetudine; quæ vincere solent, vincunt. Ita est profectò, magna ad omnia consuetudinis vis, sed ad victoriam maxima: habet enim vim animos, quibus magis quàm armis bella geruntur, vel erigendi, vel deprimendi. Qui ergo primo conceptionis instanti Virginem MARIAM existimant peccato succubuisse, videant, quomodo se possint ad benè sperandum de rei summâ excitare. Nobis certè primus ille conflictus non minus spei præbet ad victoriam, quàm materiæ ad singularem bellatricis nostræ laudem. Et sanè, numquid ferè impudentem necesse est facere Virginem castissimam, quæ frontem ostentare audeat, & tam ardua de se polliceri, postquam ita turpiter ceciderit, seque tam miserè ipsa primo in conflictu perdiderit? an non potiùs debuisset omnem conflictum fugere, & arma quæ nocuerant odisse; aut certè, quæ pro suâ innocentiâ defendendâ parum fuerat auxiliis cælestibus instructa, timere, vt satis esset ad delendum scelus nostrum armata? quod eam docere poterat vel ipsa S. Petri in pœnitendo modestia: vix enim ceciderat, cùm *respexit* IESVS *Petrum*, qui *egressus foras, fleuit amarè.* Nouum pœnitentiæ genus. Dauid non citiùs peccatum suum agnoscit quàm humili confessione exclamat, *Peccaui*. Publicanus templum ingreditur, aitque: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Iob vociferatur in sterquilinio suo: *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* At Petrus obmutescit. Quid, quæso, sermonem vocemque tam citò eripuit homini mox inter ancillarum garrulitatem tam eloquenti? an fortè culpam suam existimat leuem, cui non sit impendendum confessionis officium? an præsidit de misericordia Magistri sui, cuius tot amoris acceperat testimonia? an potiùs non audet loqui ob delicti grauitatem? an spiritus ei deest, propter doloris vehementiam? quid dicam, esse diffidentiam aut torporem? Cur ita obmutuit homo tam impiger ad loquendum? ipsi verba non deerant, quando primus Filium Dei confessus, quando tertiò se amare professus, quando in mortem constantiam suam est contestatus; ipse iam

Non enim benè committitur pugna inexperto, peiùs semel victo.

Et impudentia genus fuisset, beatam Virginem semel victam iterùm pugnam deposcere.

cùm à sancti Petri silentio discere potuisset modestiam: Luc. 22, 61, 62.

2. Reg. 12.

Luc. 18.

Iob 7.

iam ad negandum, ad peierandum, ad sese deuouendum verba inuenerat, quomodo non inuenit ad confitendum & pœnitendum? Loquitur dum est silendum: quomodo silet, quando tempus videtur loquendi? Pulchrè quæstionem dissoluit Maximus Taurinensis Hom. 3. de Niniuit. pœnit. *Ideò Petrus iam non vtitur sermone quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidem amiserat; ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad peccandum; & per hoc mauult causam suam flere, quàm dicere; & quod voce negauerat, lacrymis confiteri.* hoc scilicet Apostoli erat consilium, cùm duplex restat ad gratiam via, altera linguæ, altera oculorum. legerat enim, *Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei,* Psal. 31. & de oculis: *Lacrymis meis stratum meum rigabo*, Psal. 37. *ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum:* per viam confessionis non iuit, sed incessit per viam lacrymarum. *Egressus foras fleuit amarè.* Cogitabat enim: Scelesta est lingua, oculi innocentes: prodiderunt me verba, sed fideles sunt lacrymæ: hæ ergo mihi instrumenta sint gratiæ, si illa fuerunt culpæ. Satis nunc patet, quàm parum fidendum iis armis quæ semel perdiderunt, quàm suspecta ea sint instrumenta quæ semel fefellerunt; cùm Petrus, linguâ licet promptiore ad pœnitentiam quàm sunt lacrymæ, quæ subinde sæpiùs etiam citatæ non comparent, tamen vti non fuerit ausus, quòd fidem iam perdidisset peccando. Et putas Virgo se tam animosè, tam liberè, tam fidenter obtulisset ad manus pro salute nostrâ cum hoste tartareo conferendas, si illas easdem semel ei submisisset? an existimas Deum eam positurum fuisse in spem communem generis nostri, quæ ex priore pugnâ tot adferret argumenta timoris? Quòd si non cadit illa in Virginem temeritas, neque suspicari licet hanc de Sapientiâ æternâ imprudentiam; certum est eam in primo suo conflictu vicisse, quæ erat in secundo illo certamine triumphatura. Aureus est sermo Chrysologi Serm. 7. qui mirum in modum confirmat Virginis nostræ in primo conflictu Victoriam: *Scandalum*, inquit, *populo Israëlitico Balaam diuinator obtecit, quando bellatoribus cum puellis occurrit.* Nota est ex Numer. 25. quam hîc tangit historia. Cùm enim iam victricia signa in Terræ promissæ conspectu populus Israëliticus explicasset, videreturque vicinis omnibus exercitus eorum, tum propter multitudinem, tum vel maximè propter auxiliarem Dei manum, inexpugnabilis, omnes vbique hæserunt timore perculsi; non satis certi quid tantæ virtuti opponerent. Præ ceteris Balac, Moabitarum regulus, loco vicinior, & imparatior à bellico apparatu, extimuit: adfuit illi Balaam propheta, & modum debellandi hostes suggessit; nouum quidem, sed quem fecit Regi concionando probabilem: opponit toti isti exercitui agmen imbelle, armatis inermes, viris mulieres; sed mulieres fraude, dolo, formâ, blanditiis & lasciuiâ satis armatas. Quid ergo? putárne propheta tantum exercitum luxu & luxuriâ paucarum pro ipsius multitudine muliercularum exarmandum? Vidimus id aliquando: & serò perspexit Annibal, plus sibi agri Campani delicias quàm victrices terrarum militis Romani vires obfuisse. Verùm aliam hîc rationem status habuit Machiauellistarum nostri æui patronus Balaam, omnium quos terra sustinuit bipedum nequissimus: indicat eam, quem supra citaui, Chrysologus: *Vt in reatum*, inquit, *reatus reuocaret vltores, & triumphum verteret in infamiam.* Vis sententiæ & ratio cur eam adducamus in eo consistit. Sciebat hic nequam propheta, Israëlitas ad vltionem peccatorum nationis istius à Deo euocatos; verùm ita secum ratiocinabatur, culpâ careat oportet, qui tantâ auctoritate tamque præsenti Dei auxilio peccata castigaturus procedit: itaque non est quòd arma armis eorum opponamus, augeamusque vires nostras, quas numquam cum tantâ virtute æquabimus; potiùs ipsos

Ille enim ex duobus pœnitendi modis

Lacrymas elegit, non confessionem, quia loquendo offenderat.

Balaam consilium erat, non valiturum Israel ad sceleris vltionem, si complex esset sceleris.

ipſos exarmemus vitæ innocentiâ, in quâ præcipuum auctoritatis eorum robur conſiſtit: nam ſi eos ſcelerum noſtrorum habeamus complices, quomodo eorum aſſumentur caſtigatores? Ad rem noſtram. Prodibat in mundum Virgo, vt Mater exiſteret Seruatoris, hoc eſt, vt peccatum deſtrueret, dæmones vinceret, infernum ſubiugaret, peccatores ſibi ſubiiceret. Quid putas? in reatum reatus vltricem reuocatam, & triumphum eius totum verſum eſſe in infamiam? Verſus ſanè fuiſſet, ſi priùs diabolus eam peccati habuiſſet complicem quàm vltricem: & ſi eam primo congreſſu per originale peccatum ſubieciſſet, difficile fuiſſet ei deinde emergere ad tantam in eum auctoritatem: vnde certum manet nobis, in primo illo congreſſu à MARIA ſtetiſſe victoriam; proptereaque ei accinit ita ſuauiter Sponſus: *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Parum eſt, cùm nemo veniat, niſi quem gratia traxerit, eam ter vocari, vt ſciatur toties veniſſe; præſeruata ſcilicet per gratiam ab originali, à mortali & à culpâ veniali: omitto, quòd vocetur de Libano, id eſt, *de candore* & *dealbatione*, vt notetur innocentia; ſed conſiderandum eſt, quòd *de cubilibus leonum, de montibus pardorum* ad coronam vocetur. Vbi autem poſuit draco iſte inimicus generis noſtri cubilia ſua, niſi in ipſo conceptionis noſtræ loco? nuſquam fortior quàm inter iſtas vmbras, inter iſta diei noctiſque confinia, dum primas nihileitatis eluctamur tenebras, caputque in eam lucem erigimus, vt incipiamus in rerum naturâ recenſeri: hunc enim locum iam quaſi de iure obtinet, & tempus conceptionis noſtræ totum iam ducit ſuum: ibi armorum vires, ibi vigiliarum ſollicitudinem, ibi fortitudinis ſuæ inſignia tamquam in arce propriâ oſtentat: tum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum. In ceteris congreſſibus ei victoriæ incertitudo timorem conciliat, timor vires imminuit; hîc, quòd propriâ in ſede pugnet, animi ferociores, & vires ſunt magis vnitæ: in aliis præliis eò eſt timidior, quò difficilius eſt in finibus hoſtis ſui cum armis conſiſtere, & aduerſarium vi de loco ſuo deturbare. Quanta ergo fiducia nobis ex hac pugnâ oboritur, cùm videmus B. Virginem ſingulari certamine cum aduerſario noſtro congreſſam, eum non tantùm viciſſe, ſed propriis in ſedibus viciſſe; illic, vbi omnes vires congregatas habet, vbi omnes paratæ ſunt machinæ, quas ordine producit ad oppugnandos mortales; vbi MARIAM exſpectabat magnam iram habens, & ius prætendens ad vincendum. Optimè notat ſanctus Maximus Taurinenſis Homil. de ſancta Agnete, quantum illuſtrata ſit Virginis iſtius caſtitas ex iſtâ tyranni barbarie, quâ eam in publicum lupanar deduci iuſſit. Ecce enim eiicitur tenerrima Virguncula ad iſtos pudicitiæ ſcopulos, in iſta verecundiæ exilia relegatur Filia caſtitatis: exponitur Agnes exiguâ teneritudinis ſuæ cymbâ iſti oceano, in quo nihil niſi diſſoluti licentiæ venti, nihil niſi letales impudicitiæ fluctus, nihil niſi infamia naufragia virginitatis. Deus meus, quid video? quæ pericula, quæ diſcrimina cerno? quàm ambiguas intueor dimicationes? Securiùs certabat Agnes inter minas ſæuiſſimę perſecutionis, quàm inter ſuauis blandimenta laſciuiæ. Nam ſi pronus ad lapſum eſt homo, inconſtans femina, fragilis virginitas, pueritia blanditiis obnoxia, quid de Agnete fiet? quæ licet puellula, virguncula & femina non eſſet, eſſet tamen homo, cuius imaginationi facilè imprimetur laſciua ſpecies: hæc mouebit affectum, affectus voluntatem inclinabit: cuius inclinatio vti paulatim excedet & corrodet ſpiritus vires, ita armabit contra ipſam tam vehementer ſenſualitatem, vt citiùs anima ſe conſpectura ſit in hoſtium poteſtate, quàm ratio plenè aduerterit ſe feciſſe deditionem. O quantò periculoſius cum Venere, quàm cum Marte configitur! quantò altiùs penetrat ſtimulus verbi blandientis, quàm

Ita Deipara non habitura fuiſſet auctoritatem ad deſtruendum diabolum, ſi fuiſſet ab eo ſuperata.

Cant. 4, 8.

Contra valuit, quòd eum in conceptione, hoc eſt ſuis in caſtris, vicerit.

Sic beata Agnes glorioſiùs triumphat de Venere in caſtris impudicitia.

quàm acumen sagittæ vulnerantis! Stetit pro religione contra idololatras inter tot vulnera insuperabilis Agnes; nam, præter diuina auxilia, rationem habebat pro se perpetuò vigilantem. Timendum vt perstet pro pudicitiâ contra lasciuos inter tot blandimenta immobilis; quòd, præter fragilitatem humanam, carnem habeat in hac parte semper contra rationem militantem. At quid timemus aut trepidamus modicæ fidei? quid tantum nos locus ille exanimat? Fateor, Veneris & impudicitiæ castra sunt hæc; sed ideò huc venit Agnes, vt suis in castris Venerem debellet, quæ toties eam domi aggressa numquam vicerat. *Vbi ei diabolus*, inquit Maximus, *corruptionis præparauerat ignominiam, illic eam percipere facit Dominus coronam virginitatis & palmam*: hoc est, *in suis sedibus hostes vincere*. Est enim ipsa hîc rosa inter spinas, pretiosa margarita inter sordes, & mus Armenius inclusus circulo lutoso cum inscriptione gloriosâ: *Malo mori, quàm fœdari*. De Agnete redeamus ad MARIAM. *Veni*, clamat ad eam Sponsus, *veni, coronaberis de cubilibus leonum*. vt ostentet eamdem in illâ victoriæ gloriâm, q. od suis in sedibus hostem vicerit. Castrum enim fortitudinis suæ & frenum tributi posuerat *aduersarius* noster *diabolus*, *qui tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*, in ipso conceptionis humanæ vestibulo: prodidit ei locum ipsemet homo; ius acquisitum eum ipsi seruabat, Deus non eiiciebat; successio tot sæculorum defendebat, & pacifica possessio quasi præscriptione eum securum reddebat: licet enim sæpiùs inter filios Dei causam dicturus compareret; numquam tamen hac de re lis ei intentata fuerat. Quid ergo Virgo nostra, & Domina gloriosa MARIA, vt spem faceret eius victoriæ, quâ de salute nostrâ decerneret? primò, cum in loco hoc aggreditur; & vbi diabolus præparauerat corruptionis ignominiam, inde abstulit primam innocentiæ coronam. Meritò ergo victoriæ isti epiphonematico hoc acroamate accinamus: *Hoc est, in suis sedibus hostem vincere*.

1. Pet. 4.

CAPVT XXXI.

Stratagemata quibus B. Virgo diaboli n in diuersis præliis superauit.

QVÆ tam gloriosè diabolum in singulari certamine vicerat, quantâ, putas, fortitudine, quantâ industriâ vsa est tum, cùm publicè ei fuit cum omnibus inferni potestatibus de salute nostrâ decernendum? Non graue erit aliquot eius stratagemata commemorauisse, quando tam felici sorte victoria illius saluiem nobis & libertatem peperit. In primis enim satis gnara, cum serpente callidissimo sibi esse negotium, id ante omnia prouidit, non tam vt incantationibus ei venenum detraheret, quàm vt per prudentiam suâ eum calliditate spoliaret. *Quamuis enim prima Heua à Dei mandato recessit, ac per eam aduersus primum parentem serpenti operam nauantem mors aditum inuenerit; tamen* MARIA *diuinæ voluntati obsecuta, deceptorem serpentem in fraudem induxit, & mundo immortalitatem inuexit.* Quænam enim serpentis astutia? Sanctus Augustinus dicet: *Quid est*, inquit, *astuti sicut serpentes? offer omnia membra & res tuas percutienti, dummodò caput serues integrum, id est* CHRISTVM. Mirâ calliditate extremas corporis partes ictibus exponit, vt eorum periculo capitis incolumitatem redimat. At vide quàm prudenter eum suâ astutiâ exuerit Virgo: *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*. Iucundum verò spectaculum, cernere draconem illum capitis tuendi tam prouidum, contritum

Iactantemq; vtroque caput, crassumq; cruorem
Ore reiectantem, mistosq; in sanguine dentes;

contrà verò, B. MARIAM Virginem prudenti consilio eius calliditatem imitantem, dum, benè seruato capite, vix calcaneum illi non lædendum, sed in- sequen-

Primò, vertit calliditatem diabolis in prudentiam.

Damasc. Orat. 2. de Natiuit.

In Psal. 57

conterens ei caput,

Genes. 3. vers. 15.

Virgil. 5. Æneid.

& obijciens ei calcaneû insequendum.

sequendum exponit. *Tu insidiaberis calcaneo eius.* At non consilio tantùm, sed armis etiam certandum fuit: quapropter eduxit gladium suum Virgo potentissima; quem semel eductum ex castissimis suis visceribus, semper conspicuum gerit in manibus; vt numquam desperemus, quamdiu illa salutiferum hunc vibrat ensem, quo fecit salutem hanc magnam mundo vniuerso. Nazianzenus; *Machæra,* inquit, CHRISTVS *dicitur.* & Theodoretus, *Macharam* nominat *vindicem Filium & liberantem.* & Rupertus Tuitiensis in Zachar. 9. super illa verba, *Et ponam te gladium fortium*, gladium de CHRISTO interpretatur. In gladio hoc duro, grandi & forti visitauit super Leuiathan serpentem tortuosum. Nónne vel ex ipso nomine Leuiathan, quod *copulatio eorum*, aut *serpens copulatus* reddi potest, videris tibi Herculeâ virtute mulierem hanc cernere cum multorum capitum hydrâ compositam; ac igne & gladio (vtrumque enim se mittere in terram profitetur Filius) strenuè illi capita resecantem adurentemque, ne rursus in nostram perniciem repullulent? quâ eius fortitudine exterritus aduersarius conuersus in aspidem, ad petrarum latibula confugerat; sed nihilò segniùs adest MARIA, eum gladio illo eductura è latebris: *Obstetricante enim manu eius eductus est coluber tortuosus.* Gladium esse Virginis puerum IESVM, iam diximus; non abhorrente S. P. N. Augustino, qui Psalm. 7. in illa verba, *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit*, gladium dicit esse humanitatem CHRISTI, qui in primo aduentu tamquam in vaginâ humilitatis absconditus; in secundo verò veniens iudicare viuos & mortuos, vibrabit gladium, & iustis suis lumine, terrore verò impiis coruscabit. Sed non ita erat absconditus in primo aduentu, quin vibraret eum Virgo contra serpentes istos, eosque ex speluncis suis & foraminibus in lucem protractos, contereret & enecaret: *Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis: & in cauernâ reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Sed Virginis stratagemata nihil opus nouis figuris adumbrare, aut emblematis nouiter excogitatis depingere, cùm sacræ Litteræ tot antequam contingerent sæculis, ea nobis viuis coloribus & certissimis historiis expresserint. *Noua enim bella elegit Dominus*, quando per feminas, Estherem, Iudith, Debboram, tam admirabilibus rationibus hostes prostrauit; non tam vt feminas illas laude, quam heroicis suis factis promeritæ sunt, dignas efficeret, quàm vt nos, quid erat hæc mulier fortissima aliquando patratura, edoceret. Ipsa ergo est Esther, quæ potentribus amoris blanditiis nos ab istius Amani sanguinolentis edictis eripuit; contra quem nullæ potuissent vires præualere. Ipsa est Iudith castissima, quæ sapientiâ suâ fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonosor, & in vnicâ ceruice omnia captiuitatis nostræ vincula disscidit; cui propterea liceat accinere: *Benedixit te Dominus in virtute suâ, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.* Ipsa denique est Debbora, quæ Sisaram infernalem, adacto per tempora clauo, totoque contrito capite, debellauit. Atque hæc tam rara & inaudita Virginis stratagemata non ideò adferimus, vt merita illis epinicia accinamus; quòd licet omnium athletarum encomia, omnium fortissimorum Ducum laudes, omnia Martyrum gloriosissima certamina in vnum conferremus, nullâ ratione sic agere possemus, quin plura narrando detraxisse laudibus ipsius videremur, quàm ornando addidisse. Ipsa enim est illa triumphatrix gloriosissima, quæ sola repleuit porticus illas cælestes victoriis suis. O si quis posset plusquam lynceis oculis transscendere immensos istos Planetarum orbes, & firmamenti tamquam ære fusi densissimam vastitatem penetrare, ipsam denique empyrei lucem acie oculorum peruadere, vt ibi in sedibus istis regalibus, in porticibus istis crystallinis, in ipsis atriis domus Domini legeret ordine triumphos tuos pyropis & smaragdis, iaspidibus & hyacinthis,

Secundò, eductio gladio, qui est CHRISTVS.

hydra caput præcidit.

Tertiò, versum in aspidem diabolum,

Iob 26, 13.

Isaiæ 11, 8. *eduxit de foramine.*

Iudic. 5, 8.

Quartò, Esther.

Iudith.

Iudith 13. vers. 22.

& Debbora facinora superauit.

Quibus cælestes porticus sunt depicta.

cinthis, aliisque gemmis cælestibus pulcherrimè expressos? Sed si hoc negatum est mortalitati nostræ, donec, dirupto corporis pariete, liber animus euolabit ad sedes illas Beatorum, his ipsis victoriis nobis patefactas; non desistemus intereà deuotâ meditatione & gratâ commemoratione percurrere quę Scripturæ sanctæ & pia ratiocinatio de iis nobis suggerent. De ipsâ enim dictum est: *Confidit in eâ cor viri sui, & spoliis non indigebit.* Sponsum eius iampridem nouimus eumdem quem Filium, qui cum eâ venerat infernum expugnaturus, ac sibi acquisiturus orbis dominium: confidit autem hic tali ratione in eâ, vt numquam dubitatio eum subierit, quin tutissima esset ea castrorum suorum acies, quam ipsa propugnaret, aut duceret. Confidit in eâ Sponsus ille, quòd sciret, adeò non vincendam, vt ne quidem ad eam accedere ausuros hostes cognosceret. *Virgo*, inquit Richardus à sancto Victore Part. 2. cap. 26. in Cantic. *tenebrarum principibus terribilis fuit, vt ad eam accedere eamq́, tentare numquam præsumpserint: deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes & feruor deuotionis, stupebant immunem à peccatis.* Non me contineo, quin hîc breui digressione hanc immunitatem à tentatione inculcem, vt quaquâ ratione coner expedire nodum difficilem, qui torsit multorum ingenia. Nam si hoc Sanctis multis concedimus à Deo fuisse donatum, vt, postquam insignem aliquam post longa certamina obtinuissent victoriam, acceperint victoriæ pręmium in circuitu suo pacem, hoc est, vt iam non ampliùs tentarentur contra eam virtutem, quam tot bonis operibus, tot laboribus munierant: quis hoc Virgini donatum fuisse negabit circa omnes omnino virtutes? quandoquidem nullus Sanctus vmquam habuerit vllam in finem vitæ suæ perfectiorem, quàm Virgo in ipso conceptionis instanti. Hac in re ampliùs difficultatem esse non existimo, cùm iam fuerit sæpiùs hæc quæstio ventilata, & à studiosis Deiparæ cultoribus propugnata.

Vnde confidebat ei Sponsus. Prouer. 31. vers. 11.

Certus, ne oppugnandam quidem, nedum expugnandam.

Digressio: quomodo Filij Dei incarnatio diabolum ideò latuerit, quia CHRISTVS *nascebatur ex Virgine.*

Propero igitur ad nodum, qui hinc est dissoluendus. Affirmant plerią; sanctorum Patrum, vnam ex rationibus, cur de Virgine nasci voluerit CHRISTVS Dominus, fuisse, vt conceptio eius & natiuitas celaretur principem tenebrarum. Ita senseruǔt sanctus Ignatius martyr, sanctus Gregorius Thaumaturgus, Origenes, sanctus Basilius, sanctus Hieronymus, sanctus Chrysostomus, sanctus Bernardus, Rupertus, & cum omnibus sanctus Thomas 3. Part. quæst. 29. artic. 1. ad 3. id quod oppugnant plerique alij Theologi, & in primis doctissimus Abulensis. Alij, vt Maldonatus, ingenuè fatentur, se neque Patres in hac parte intelligere, neque capere, quomodo Matris virginitas non potius partum hunc admirabilem manifestauerit diabolo, quàm eum celauerit; cùm ipse, qui penetrat rerum causas, facilè aduertere potuerit virginitatem grauidæ Matris. Verùm si reflectere velimus ad ea quæ iam diximus, intelligi poterit, diabolo non tantùm ne tentaret Virginem prohibitum fuisse, sed præterea etiam propiùs eam accedendi facultatem ereptam; ita vt ipsa respectu diaboli lucem & ardorem habitauerit inaccessibilem, ipseque in omnibus quæ MARIAM tangebant profundâ caligauerit ignorantiâ. Lumen candelæ exiguum inuitat muscas, vt eam importunè circumuolitent; sed sicubi fax, vt maiore claritate ita etiam vehementiore igne luceat, ingens est ab animalculis istis circa eam solitudo; ita prorsus fit: ipsa lux sanctitatis eorum qui sunt lucernæ ardentes in Ecclesiâ, inuitat diabolorum importunitatem, vt eos tentationibus inquietent; sed vbi fax hæc, omnium aliarum lucem & ignem complexa, refulsit, ne accedendi quidem muscis istis facultas fuit, ita vt ne examinare quidem pòssent quæ circa eam gerebantur; neque suspicari grauidam esse, quam nusquam videbant virginitatis fecisse iacturam: vnde editus in lucem fuit partus virgineus, antequam concipiendum illi timuissent; atq; ita conferebat virginitas Matris, vt celaretur conceptio &

 natiuitas

natiuitas prolis: conferebat inquam, quia & ipsa erat vna ex præcipuis causis tam intensi luminis: in hanc enim, tamquam in mundissimum speculum, directi ceteri sanctitatis radij, mirâ sui intensione reflectebantur; hinc tanti faciebat virginitatem, vt ne quidem vellet eam cum Dei maternitate commutare. Sed nunc eò, vnde digressi eramus, reuertamur: sic enim confidebat in Virgine *cor viri ipsius*, vt inexpugnabilem certò sciret, quam ne oppugnare quidem hostes auderent. Subdit tamen, *Et spoliis non indigebit*. quibus eum momentis pænè singulis ditabat hæc bellatrix fortissima: non enim securitatem suam ignauiæ faciebat latibulum, sed ingens ad fortitudinem & victoriam incitamentum: vbique enim & semper hostes aggressa, numquam sine spoliis opimis referebat pedem. Spoliabat enim ipsos in conceptione per originalem iustitiam atque primæuam parentum nostrorum innocentiam; in natiuitate per auctam nouem mensibus sanctitatem; in templo per Angelis ipsis inimitabilem contemplationem: spoliabat in desponsatione per Virginitatem, in Filij incarnatione per humilitatem, in cognatæ visitatione per charitatem: spoliabat in purificatione per obedientiam, in circumcisione Filij per pietatem, in nuptiis Canæ per misericordiam: spoliabat denique toto vitæ decursu per numeris omnibus absolutam perfectionem, in passione Saluatoris per stupendam cælo soloque patientiam, in omnibus actibus suis per continuum augmentum gratiæ, ac tandem in morte per acquisitionem gloriæ. O verè opima spolia! ô digna templis illis cælestibus tropæa! quorum nos si inferiore commemoratione laudem deterimus; hoc tamen gratâ recordatione assequimur, quòd ostendamus, seruitute nos dæmonis miserrimâ præliis istis exemptos, atque translatos fuisse ad seruitutem illius, quæ nos ei potente manu & brachio forti eripuit: quâ in re, felicitatis nostræ est, in manus venisse istius Dominæ, quæ eâ sit maiestate, vt honestissimum, eâ clementiâ, vt iucundissimum, eâ liberalitate, vt vtilissimum sit ei posse famulari; neque hoc excusare nos potest, quin eius simus iure belli mancipia, quòd non contra nos, sed pro nobis illa pugnarit. Qui enim bellando hostem in potestatem ac seruitutem redigit, omnia possidet ac diripit quæ illius sunt; nos autem, qui vilissima etamus hostis à Virgine MARIA deuicti mancipia, quomodo seruitutem illius excusare possumus, quæ ideò pugnauit, vt nos tyrannidi ereptos, ad suauem suam seruitutem traduceret? Et quid? nónne *vniuersa, quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt, dederunt Iudith in auro, & argento, & vestibus, & gemmis, & omni supellectili, & tradita sunt omnia illi à populo?* Num verò probari oportet peculiariter, nos in potestatem Holofernis istius, quem MARIA prostrauit, deuenisse? aut dubium esse potest, an supellectili mancipia debeant annumerari? Cùm ergo tam iusto nos prælio Virgo acquisiuerit, dicamus ei corde fideli: *Salus nostra in manu tuâ est: respiciat nos tantùm* Domina nostra, *& læti seruiemus* ei: læti, quòd tali tamque duræ seruituti erepti: læti, quòd ad tam suauem translati, quæ nobis quacumque libertate debet esse carior.

Multiplicia MARIAE de diabolo spolia.

inter quæ nos; vnde eius facti mancipia, licet pro nobis pugnauerit.

Iudith 15. vers. 14.

Genes. 47. vers. 25.

CAPVT XXXII.

Quòd homines facti sint B. MARIAE *Virginis mancipia ex delicto.*

STABILITO sub initium excelsissimo atque hierarchico Virginis Deiparæ supra creaturas omnes principatu, qui omnia Deo inferiora illius non tantùm imperio subiiciat, sed etiam dominio per seruitutem addicat, promiscuè titulos pertractauimus, qui probent, vel eius in dominio excellentiam, vel nostram in subiectione humilitatem: quorum si fortè aliqui non omnes omnino creaturas obligent, sufficit ad propositum, nobis omnes conuenire, atque ex singulis in nobis obligationem nouam oriri Dominæ isti, quæ

Ex allatis seruitutis titulis si qui minùs Angelis, omnes saltem hominibus conueniunt.

quæ multis aliis nominibus etiam ceteris imperet, demissiore atq; promptiore mancipatu famulandi: quod non ideò tantum admoneo, quòd disputare hîc nolim, an & quomodo Angeli dici possent empta ac bello subiugata Virginis Deiparæ mancipia; sed vel maximè, quòd nouum habeamus præ manibus titulum dominij ipsius in nos, ac nostri mancipatus, qui fortè Angelis nullâ ratione conueniat. Solemne fuit namque inter homines ob delictum alios in seruitutem redigere; à quo Angeli cùm prorsus immunes fuerint, non possunt ipsi eam rationem mancipatus nobiscum habere communem.

An Angelis vllâ ratione conueniat seruitus ob delictum.

Quamquam Quirinus de Salazar in defensione capite trigesimosecundo, conetur stabilire Virginis in Angelos imperium super aliquem ad peccatum respectum; quòd illi nimirum vacillarint, à philautiâ seu amore sui sollicitati; adeò vt gratia ipsis ab initio concessa fuerit ex se inconstans, labilis, titubans, ac nutans, Virginis verò stabilis, constans, solida, obfirmata, & inconcussa: quam ad labendum potentiam, numero 29. subiectionem, imò *seruitutem corruptionis* appellat; fundatque in eo regium Deiparæ in Angelos principatum, quòd isti corruptioni hi fuerint tempore viæ suæ subiecti; Virgo autem MARIA omni tempore ab eâ exstiterit libera. Sed de hoc mancipatus titulo, qui ex potentiâ ad peccandum fortè oriri posset, non ago; cùm habeamus actualia nostra, eaque grauissima, peccata, propter quæ non tantùm in seruitutem retracti, sed etiam noxiæ dediti simus.

Conuenit hominibus.

Notum est, peregrinum per delictum fieri subditum; hoc est, si peccet in terrâ ditioni alterius subiectâ, ex ipso delicto pœnæ subiacere; non secus ac terræ istius incolas ac naturales subditos domini istic iurisdictionem habentis. Iam, si nos homunciones vilissimi non essemus tot aliis nominibus Virgini Deiparæ adstricti, prorsusque liberi fuissemus ab eius, cui cetera omnia subiacent, dominio; potuisset illa tamen, quòd tam impudenter in conspectu cæli, in ditione ipsius, contra ipsam Filiumque eius amantissimum delinquamus, subiicere nos sibi, ac condemnare non tantùm vt sibi seruiremus, quod beneficium est, sed etiam vt infernalibus tyrannis traditi, perpetuâ illis manciparemur seruitute. Quòd si tanta sit erga nos ingratos Clementissimæ Dominæ beneuolentia, vt sufficiat illi, dirissimam, cui propter peccata nostra addicendi eramus, seruitutem mutare nos in suauissimum eius mancipatum; nostrum erit cum summâ animi demissione atque hilari obsequio ipsi famulari, & quandocumque occurret in mancipatu eius quidpiam vel factu arduum, vel durum toleratu, statim ad rudentes inferni cogitationem reflectere, quos ipsa commutauit cum præclaris compedibus & gloriosis catenis suæ seruitutis.

Poterat nos Virgo castigare ob scelera:

Erant iniquitates nostræ sicut onus graue grauatæ super nos, ita vt adhæreret in terrâ venter noster: & licet caruissemus aliis pœnis, erant ipsa scelera nobis satis magnum supplicium; quia nos redegerant in omnium teterrimam atque crudelissimam sui seruitutem. Poterat sceleratos Domina cæli & terræ, non tantùm quòd in ditione eius peccaremus, sed vel maximè, quòd ipsi debitum seruitium infames transfugæ ad hostes ipsius turpissimè deferremus, nos in pœnam nouis grauare oneribus, & non ad metalla solùm, sed etiam ad æternos cruciatus damnare. Quid autem illa fecit? Ancilla facta est, vt seruis redimendis cooperaretur; Filium pœnis subiecit, vt hostes noxæ exemptos ad mancipatus sui transferret libertatem.

sed ancilla facta est, vt nos libertati restitueret.

Paulinum Nolæ Episcopum stupuit & honorauit ipsa barbaries, quòd vir innocens infulâ Episcopali ornatus pro viduæ Filio se dederit in seruitutem: & sanè digna erat tanta viri charitas, quæ tam vbere ac scimus diuinitus præmio afficeretur, vt quàm plurimos seruitute suâ vinculis solueret, & animi corporisque libertate donaret. Sed quid non magis stupendum, si exemplum conferamus, in Virginis MARIÆ benignitate? Nam si pedo Nolanam regebat Ecclesiam Paulinus;

Confertur S. Paulini & beatæ MARIÆ Virginis factum.

MARIÆ nutui cælum & terra obsecundabat: si viduæ lacrymas ille exaudiuit; hæc ne petentibus quidem subuenit: si nihil meruerat mater aut filius, cur tantum sperarent ab ipso beneficium, at nihil etiam in virum peccauerant, cur desperarent; nos autem in Virginem refractarij, in Filium eius contumeliosi, meriti non seruitutem tantùm, sed æternos etiam cruciatus, quid spei habere poteramus, qui ne quidem volebamus adiuuari? Denique, si seruitutem adiit Paulinus, intra laborem & aliquas vitæ suæ molestias consistebat tota miseria mancipatus; at MARIA in se perpessa grauiores millies repetita morte cruciatus, Filium, cuius tenerior quàm sui amor est, suppliciis dedidit, eiusque vitam nobis impendit. O benignitatem, ó clementiam, ó amorem Dominæ nostræ erga seruos suos propemodum infinitum! quis sensus nobis erit, titulos seruitutis nostræ, qui ex Dominæ excellentiâ consurgunt, memorantibus, si non possimus eius, qui ex vilitate nostrâ abiectissimâ oritur, sine ingenti stupore recordari? sed affectibus, quos gignit suauissimus Virginis mancipatus, posteà indulgebimus, nunc alterum Regni eius titulum videamus.

CAPVT XXXIII.

B. MARIA *Virgo etiam Regina est doctrinæ, & obtinet liberalissimum Sapientiæ imperium, ac magisterium omnium scientiarum.*

VETVS & vera sententia est, animum liberaliter institutum nulli parere, nisi vel legitime imperanti, vel sapienter docenti. Cùm enim perfectionis suæ sit auidissima anima rectè ordinata, submittit se legitimè imperanti, vt voluntas perficiatur per iustitiam, & donorum cælestium, quæ non nisi hierarchicè à Deo per superiores ad medios, per hosce ad inferiores descendunt, fiat particeps: docenti verò paret, vt intellectus illustretur doctrinâ & sapientiâ, atque ita possideat duo maxima hominis bona, virtutem & sapientiam. Satis ostensum esse puto, nihil nos virtutum aut donorum cælestium sperare posse nisi per MARIAM, quando eam proximè à Deo probauimus constituere vnam particularem hierarchiam, per quam omnia ad inferiora deriuari necesse est; non secùs atque per collum capiti proximum transire oportet, quidquid inferioribus corporis humani partibus communicatur: præsertim cùm hierarchica ista ratio in imperio atque dominio consistat; cui si quis parere detrectet, Deo resistit, & consequenter declinat à iustitiâ, & à bonorum omnium origine. Interim cùm tanta sit vis sapientiæ, vt etiam seruo cordato Reges seruiant; quo faciliùs atque animo æquiore iugum Dominæ nostræ subeamus, etiam sapientiæ Regnum explicandum est, demonstrandumque, quòd Virgo Deipara sit verissima Regina doctrinæ, hoc est, omnium cathedrarum præses, doctrix omnium scientiarum, omnium disciplinarum magistra; vt nemo prætendere possit aliquam superioritatem aut eminentiam, quæ vllâ ratione possit eximi à clementissimo eius dominio. Nam sanctus Cyrillus libro 4. contra Nestorium: *Salue*, inquit, *per nos, ô beata Deipara, sceptrum rectæ doctrinæ.* & de hoc sceptro pulchrè ait Richardus à sancto Laurentio lib. 12. de Laudibus Virginis, alludens ad illa Marci 6. vers. 8. *Præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm*; credo propter illud Isaiæ 11. vers. 1. *Egredietur virga: MARIA est*, inquit, *virga prædicationis, quæ sola datur prædicatoribus ad portandum in viâ: qui enim habere posset hanc virgam comitem, non deesset ei gratia, non doctrina, vel aliquid necessarium.* Vide quomodo totam sacræ doctrinæ potentiam & Regnum dicat hac virgâ aut Virgine contineri: tam proprium ei est hoc imperium doctrinæ, vt virga, seu, vt Cyrillus, sceptrum appelletur; ita inquam proprium est Regnum hoc sapientiæ & doctrinæ, vt ipsa sit liber, ipsa cathedra, ipsa discipula, ipsa magistra,

B. Virgo est sceptrum doctrinæ & virga quâ tollunt euangelizantes.

Ipsa est liber.

ipsa omnia. De libro ait Isaias 8. v. 1. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis.* quod Septuaginta vertunt, *Sume tibi paginam albam*; vt clariùs se loqui ostendant de carne illâ virgineâ, in quâ scriptum fuit Verbum illud ineffabile & incomprehensibile stylo hominis, vt iam capi posset & legi ab omnibus; vel, vt loquitur Theodotus Tom.6. Concilij Ephesini c. 10. in quâ *Verbum anteà incorporeum, corpus chartaceum elementorúmque figuras induit. Sicut enim verbum quod loquimur* (ita Angelus dictauit S. Birgittæ Sermone 1. Angel.) *quamuis corde cogitatur, & ore profertur, minimè tangi potest vel videri, nisi alicui rei materiali inscriptum aut impressum fuerit; ita etiam hoc Verbum, scilicet Dei Filium, pro humani generis saluatione tangi vel videri fuisset impossibile, nisi humanæ carni vnitum exstitisset.* De

cathedra,

cathedrâ ait Guarricus Abbas Sermone 1. de Annuntiatione: *Ex ipsâ parauit sibi Sapientia domum ad quiescendum, & cathedram ad docendum.* Quòd

optima discipula,

verò sit increatæ Sapientiæ omnium capacissima discipula, de se testatur Cantic. 5. vers. 6. *Anima mea*, inquit, *liquefacta est, vt* dilectus *locutus est.* Multæ eadem dilecti verba audiebant, sed nemo tanto cum fructu; quòd nemo cor haberet adeò cereum, quod ad verba eius liquesceret, vt facilè caperet quascumque disciplinæ figuras. Quantum autem profecerit, omnes testantur qui eam nouerunt. Sanctus Vincentius Ferrerius ait: *Virgo* MARIA *meliùs sciebat bibliam quàm Prophetæ.* Sanctus Germanus Oratione de Natiuit. Virginis: *Fuit totius Prophetiæ clarissimum supplementum.* Sanctus Anselmus: *Omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt in* MARIA. & apud Rupertum Abbatem ipsa: *Nihil Rex cæli & terræ à me abs-*

doctissima magistra.

condit. An satis docta videtur, vt sit magistra, quæ ita profecit, vt supra omnes alios intellexerit, &, vt sanctus Bernardus loquitur, *quæ profundissimam diuinæ sapientiæ, vltrà quàm credi valeat, penetrauit abyssum?* An non Regnum obtinere debet doctrinæ, *cui nihil Rex cæli & terræ abscondit?* Sed audiamus vbi Regnum magisterij sui exercuerit. In genere de se affirmat Prouerb. 8. vers. 12. *Ego Sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus.* Hebræa dicunt: *Habito cum astutiâ.* id est, vt paraphrasticè explicat Cornelius, Quicumque quæritis locum habitationis meæ, adite domum prudentiæ, siue solertiæ, & consilij; ibi me docentem audietis: ibi enim est thronus meus; ibi sum præsens, imò sedeo Regina & Præses, vt omnia consultè, solerter, circumspectè & sapienter dirigam, & moderer: vnde hoc suum officium explicans subdit, *& eruditis intersum cogitationibus:* intersum quasi præsens, id est, præsum. Sic Seneca ait: *Cùm præesse nobis Deum & interesse probaremus.* in particulari autem hoc Regnum suum & magisterium vsurpauit in Collegio Apostolorum, ait Lucius Dexter, nobilissimus tempore sancti Hieronymi Chronologus, ad annum 34. *Sacra Virgo consilio, luce doctrinæ & mirabili vitæ exemplo præsidet Collegio Apostolorum; nihilque graue gerunt illi, quod non eius consilio ductuq; gerant.* Anteà exercuerat formando Prophetarum maximum in domo Zachariæ: non enim sola fuit humanitas, quæ post primæ charitatis delicias ad tres menses Virginem in domo illâ detinuit; sed fuit & mysterium, ne scilicet tantus Doctor prodiret in publicum, ab hac doctrinæ Reginâ non probè instructus & formatus. Sanctus Petrus Damianus suggessit Serm. 23. *Tanto tempore manet cum Elisabeth virginalis integritas; & nunc dulciore colloquio, nunc amplexu feliciore Ioannem puerum consecrat, & insignit.* Imò probabile est eam vsque ad partum cognatæ ibi permansisse, vt eum, remoto iam materni vteri pariete, coràm facie ad faciem instrueret, & propiùs luci isti, primæq; Sapientiæ, quam vtero ipsa gestabat, admoueret. Et quantum Baptistæ magistra hæc profuerit, tum ex amore eius & fidei zelo intelligi potest; quanto enim studio illa cupiebat Saluatorem mundo innotescere,

Exercet Regnum doctrinæ vbique,

nominatim in Collegio Apostolorum,

& instruendo S. Ioannem Baptistam,

ſcere, tantâ nimirum curâ & ſolertiâ hunc præcurſorem eius inſtruxerit, quem iam à Deo ſciebat medium eſſe ordinatum, ad communicandam orbi terrarum Meſſiæ notitiam; tum etiam ex eo quod poſteà Euangeliſtæ præſtitit, de quo ſanctus Ambroſius diſertè libro de Inſtitutione Virginis cap. 7. *Eadem poſteà Ioanni Euangeliſtæ eſt tradita coniugium neſcienti: vnde non mirum præ ceteris locutum myſteria diuina, cui præſtò erat aula cæleſtium ſacramentorum.* Ita enim hunc cuſtodem ſenectutis ſuæ inſtruxit, vt capacem reddiderit, qui ea conſcriberet myſteria, vnde Angelos non puderet haurire nouæ doctrinæ ſacramenta. Iam ad totum Apoſtolorum collegium reuertamur; cui dum præſidentem contemplamur Virginem, eam in Regni huius ſacratiori conſilio non vulgaris tantùm doctrinæ documenta, non cæleſtis ſolùm Sapientiæ myſteria, ſed ciuilia etiam, vt ſic loquar, ſacræ politiæ præcepta tamquam Reginam totius Eccleſiæ dictantem audiamus: *Horum enim diſcernendorum*, inquit Rupertus lib. in Cantic. *vtique magiſtram te eſſe oportebat, ô beata* MARIA *& magiſtra magiſtrorum, id eſt Apoſtolorum; iuxta illud: Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt in perpetuum de Libano.* & Richardus libro 1. part. 2. MARIA *Apoſtolorum magiſtra facta, qui noſtri deinde magiſtri facti ſunt.* Omnis ergo ſanæ doctrinæ, quæ per Apoſtolos ad nos deriuata eſt, magiſtram & doctricem agnoſcere debemus MARIAM Virginem. Eam autem paſſim in primitiuâ Eccleſiâ magiſtram egiſſe, taleméque ab omnibus fuiſſe agnitam, fidem faciunt ipſiuſmet Virginis Epiſtolæ, quas hîc, tamquam rei, quam agimus, teſtes ac veluti ſacratiſſimas Dominæ noſtræ reliquias appoſuiſſe non pigebit. Conſulebat Virginem frequenter per litteras, vt ab eâ inſtrueretur, ſanctus Ignatius martyr, poſtquam fuiſſet à ſancto Ioanne Euangeliſtâ ad fidem conuerſus. Fidem huius rei facit in primis Lucius Dexter ad annum Domini 116. vbi ait num. 4. *Epiſtola S. Ignatij ad B. Virginem celebres habentur.* & S. Bernardus Sermone 7. in Pſalm. *Qui habitat*, inquit: *Magnus ille Ignatius, diſcipuli quem diligebat* IESVS *auditor, martyr noſter, cuius pretioſis reliquiis noſtra ditata eſt paupertas,* MARIAM *in pluribus, quas ad eam ſcripſit, epiſtolis Chriſtiferam conſalutat. Egregius planè titulus dignitatis, & commendatio honoris immenſi.* Hæc oſtendunt ſcripſiſſe; quòd autem petierit ab eâ erudiri, ipſa fidem faciet epiſtola vna quæ exſtat de multis: cui priùs ex doctiſſimis Franciſci Biuarij in Lucium Dextrum Commentariis conciliabimus fidem, quàm eam proponemus: Scio, inquit, apud multos ſuſpectam haberi fidem eiuſmodi epiſtolarum, eò præſertim, quòd Hieronymus, dum in libro de Script. Eccleſ. egit de Ignatio, inter ceteras eius epiſtolas harum non meminit; ſed argumentum negatiuum obeſſe non poteſt, cùm poſitiua teſtimonia nobilium auctorum adſunt. Ergóne opera Dionyſij appoſititia ſunt, quia Hieronymus eorum non meminit? abſit. Quòd ſi Hieronymus ſiluit, Dexter eius coæuus locutus eſt, locutus eſt & Bernardus, qui Apocryphis fidem dediſſe numquam comperitur: ſuſcipiunt grauiſſimi viri, Carthuſianus, Marianus Victorius, Symphorianus, Clamperius, Petrus Caniſius, Æneas Siluius, Sixtus Senenſis, Franciſcus Arias, & innumeri alij, quos longum eſſet recenſere.

En ergo ipſam epiſtolam S. Martyris nouiter ad fidem conuerſi, pleniùs de eius myſteriis inſtrui cupientis.

CHRISTIFERÆ MARIÆ ſuus IGNATIVS.

Me Neophytum, Ioannisq́; tui diſcipulum, confortare & conſolari debueras. De IESV *enim tuo percepi innumera dicta, & ſtupefactus ſum ex auditu; à te autem, quæ ſemper fuiſti ei * familiariter coniuncta, & ſecretorum eius conſcia, deſidero * omnino fieri certior de auditis. Scripſi tibi etiam aliàs, & rogaui de eiſdem. Vale; & Neophyti qui mecum ſunt ex te, & per te, & in te confortentur.*

Hîc

Marginalia:
- *Item docendo S. Ioannem Euangeliſtam.*
- *Etiam politicum regimen Eccleſiæ docebat Apoſtolos.*
- MARIAM *egiſſe magiſtram Eccleſiæ, oſtendunt eius Epiſtolæ.*
- Carthuſ. Marian. Clamperius apud Caniſium lib. 5. de Deiparâ, cap. 1. Æneas Sil. lib. 4. Sixtus l. 2. Bib. ſanct. Arias Tom. de Imitatione.
- *Epiſtola S. Ignatij ad D. Virginem.*
- * familiaris &
- * animo

Hîc animaduertendum, Ignatium ceterosque Neophytos, cùm haberent omni exceptione maiorem Apostolicum sermonem & Doctores istos omnium populorum, tamen, explicationis consolationisque causâ, ad hanc magistram Apostolorum recurrisse. Rescripsisse quoque Deiparam ad Ignatium Lucius Dexter docet, qui ad annum 340. de istis epistolis æuo suo celeberrimis ait: *Epistolæ B. Virginis ad S. Ignatium, & eiusdem ad sanctissimam Virginem manibus fidelium nunc teruntur*. Dolendum, iniuriâ temporum periisse epistolas illas, quas tempore suo tam celebres oculatus testis Dexter fatetur: vnam ergo quæ superest quà possumus ab interitu seruemus; estque talis:

IGNATIO *dilecto discipulo humilis* ANCILLA CHRISTI IESV.

Epistola beatæ MARIAE *Virginis ad sanctum Ignatium.*

De IESV *quæ à Ioanne audisti, & didicisti, vera sunt: illa credas, illis inhæreas, & Christianitatis votum firmiter teneas, & mores & vitam voto conformes. Veniam autem vnà cum Ioanne te & qui tecum sunt videre. Sta, & in fide viriliter age, nec te commoueat persecutionis austeritas; sed valeat & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo. Amen.*

Audi magistram cum auctoritate & grauitate docentem, audi Sapientiæ Reginam, præsentiam suam in consolationem & eruditionem suorum pollicentem. Iam non singulos, sed ciuitates integras docentem audiamus, hæc ipsa admonet mentio epistolarum. Nihil enim apud illustrissimę Messanensis vrbis ciues venerabilius, nihil traditione Christianâ receptius, quàm prædecessores suos à beatissimâ DEI genitrice adhuc in humanis agente litteras accepisse; quandoquidem in memoriam tanti beneficij Ecclesia Metropolitana nuncupata est *La Madona de littrio*, hoc est, *de la lettera*, seu de epistolâ, quæ illic asseruari dicitur reuerenter. De eâ sic Petrus Canisius libro 5. de Deiparâ cap. 1. *Apud Siculos extat insignis resp. Messanensium, quæ sibi epistolam ab eadem Virgine Matre missam prædicat, atque, vt audio, reuerenter in scriniis asseruat.* de eâ sic scribit sæpius citatus Lucius Dexter ad annum Christi 86. numero 11. *Apud Messanenses celebris est memoria B. Virginis* MARIÆ *missâ ipsis ab eâdem dulci epistolâ.* ac rursum anno 430. num. 7. ait: *Eodem tempore in tabulario Messanensi reperta est quædam epistola Hebraicè exarata à B. Virgine ad eosdem ciues Messanenses; & maximi ducitur.* Reperi eam, inquit Dextri Commentator, Hispanis loquentem in bibliothecâ insigni nostri Cœnobij de Spinâ, quam placuit hîc ad verbum referre.

Epistola beatæ MARIAE *Virginis ad Messanenses.*

MARIA *hija de Ioachin, del tribu de Iuda, de la casa de Dauid, humildissima Madre de* IESV CHRISTO *crucificado, à todos los de la ciudad de Mecina salud y benedicion del Padre eterno. Sauemos, que aueis embiado los de essa ciudad con grande fée mensajeros y embaxadores, confessando con grande conocimiento à mi Hijo por hombre y Dios vnigenito del Padre eterno; y assi mismo despues de su gloriosa resurreccion, auer subido al cielo, conoziendo en todo el verdadero camino de la verdad, mediante la doctrina y predicacion de Pablo Apostol nuestro: por lo qual à vos otros, y à essa nuestra ciudad damos nuestra benedicion, y prometemos ser siempre en vuestra perpetua proteccion y amparo.*

Quæ Latinitate donata sic sonat:

MARIA *filia Ioachim, de tribu Iudæ, de domo Dauid, humillima Mater* IESV CHRISTI *crucifixi, omnibus ciuibus Messanensibus salutem & benedictionem Patris æterni. Nouimus vos misisse magnâ fide nuntios & oratores, confitentes plenâ recognitione Filium meum esse hominem simul ac Deum, vnigenitum æterni Patris; & similiter quòd post eius gloriosam resurrectionem ad cælos ascenderit; agnoscentes in omnibus certam veritatis semitam, mediante doctrinâ & prædicatione Pauli Apostoli nostri. Quapropter vobis & huic nostræ ciuitati impertimur benedictionem; & promittimus vos semper sub nostrâ protectione & defensione habere.*

Quid magis regium & imperatorium hac Virginis actione? Legati inde vsque ex Siciliâ mittuntur: ipsa ciuitatem suam appellat: regiè protectionem & defensionem suam pollicetur. Sed, quod ad Regnum doctrinæ facit, vides vt articulos fidei Doctrix egregia inculcat; audis, vt Doctorem omnium Gentium Apostolum suum appellet.

Habuit ad Florentinos concionem Hieronymus Sauanarola 25. Octobris anno 1495. quæ extat inter eius Opera, super eo quòd ipsi glorientur eodem Virginis Deiparæ beneficio. Epistolæ autem ad eos missæ textus est talis:

Epistola beatæ MARIÆ *Virginis ad Florentinos.*

Florentia Deo & Domino IESV CHRISTO *Filio meo & mihi dilecta; tene fidem, insta orationibus, roborare patientia: his enim sempiternam consequeris salutem apud Deum.*

Partheno-didacti multi.

A communitatibus ad singulos partheno-didactos, etiam postquam assumpta est Virgo à nobis, si velimus orationem conuertere, ex infinitâ multitudine satis apparebit, eam hoc officium docendi, tamquam maximè regium, & quo corda trahat facillimè, numquam deponere. Nam S. Gregorius Thaumaturgus Neocæsar. Episcopus, qui sanctam Macrinam, & per eam sanctum Basilium in fide & pietate instruxit, iussu beatæ MARIÆ Virginis edoctus fuit à S. Ioanne Apostolo; qui per visum apparens tradidit ei Symbolum: cuius ope ipse cum populo ab omni Arrij ceterorumque hæreticorum errore permansit intactus, vti refert S. Gregorius Nyssenus in eius Vitâ. Ipsa S. Cyrillum contra Nestorium impiè docentem, B. Virginem esse Christiparam, non Deiparam, non tantùm erudiuit, sed & armauit; effecitq; , vt Nestorij blasphema lingua computresceret, isq; miserè infelicem animam exhalaret. Ipsa S. Ioannem Damascenum contra Constantinum Copronymum, Leonem, Isaurum ceterosque iconoclastas ad eos debellandos instruxit. Ipsa S. Dominicum contra Albigenses instituit; effecitque, vt hæresim per se & suos aboleret. Ipsa denique ea est, de quâ verissimè canit Ecclesia: *Gaude* MARIA *Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo.* Taceo Rupertum Abbatem Tuitiensem, B. Albertum Magnum, Hermannum Contractum, aliosque innumeros, quos ipsa, cùm rudi essent ingenio, claritate & acumine mentis donauit; cùm fateri debeamus, vti nullum cælestium donorum è cælo descendit, nisi per hunc canalem Virgineum, ita sapientiam, quæ singularis est inter omnia dona, quasi munus Virginis huius sapientissimæ esse proprium. Adiungamus ergo etiam hunc Regno ipsius titulum, quòd sit Regina doctrinæ, vt liberalium mancipiorum animus doctrinæ auidissimus, eò libentiùs ei se subiiciat, vnde sciat se verâ sapientiâ & omnimodâ doctrinâ imbuendum; cùm omnis sapientia, & omne documentum sanum & salutiferum, huic Reginæ pendere debeat tributum, neque possit ad vllum sine licentiâ ipsius deriuari.

CAPVT XXXIV.

An Virgo Deipara Regnum & dominium, de quo hactenus egimus, hîc in terris apud nos agens obtinuerit, an tantùm postquam vitam immortalem fuit consecuta?

TANTA est plerumque superbia eorum qui ad statum sublimiorem ac splendidiorem vel ascenderunt ipsi, vel fortunæ aut hominum fauore sublati sunt, vt pigeat illos ad id quod anteà fuerunt respicere: tamquam si præterita humilitas præsenti gloriæ faceret conuitium, diceretque, non posse quemuis vtrem ad quantamuis magnitudinem inflari, nec tantum esse atque vulgus existimat, qui tantulus fuerit atque vetus fortuna declarat. Hinc tot inania vanissimorum studia, qui pecunias adepti & nescio quam potentis alicuius gratiam, vt possint omnem de se suisque priorem famam oblitterare, conuolant ad veterem aliquam familiam, eique se inuitis omnibus

bus penatibus conantur intrudere, vt nouitati suæ splendorem ab eius vetustate concilient; omnesque iudicent, dignitatem istam non temerè superuenisse homini, qui in hoc natus sit, vt supra ceteros emineat. Et sanè fit nescio quo modo, vt sanctiùs colamus eam maiestatem, quam scimus numquam fuisse non venerabilem: nec vmquam efficiet Rex Amasis, vt pelues suæ vili seruitio infamatæ, licet in Deos conflauerit, non detrahant aliquid religionis scientibus, cui rei anteà soleant inseruire quàm consecrarentur. Et si velimus rem suis librare ponderibus, & à vanâ atque vmbratili hominum gloriâ ad veram solidamque transferre examen, reperiemus, non exiguæ dignitatis esse, numquam caruisse dignitate: quapropter mihi in mentem venit, posteaquam hierarchicum Virginis Deiparæ imperium satis videtur multis rationibus supra creata omnia stabilitum, hoc etiam indagare, num aliquando Imperatrix & Regina ista cæli ac terræ caruerit tam amplo atque tam magnifico imperio, hoc est, an concepta & nata sit Regina, an verò tempore aliquo ad Regnum assumpta. Et dubitandi quidem ratio oritur ex eo, quòd Dei maternitatem cum omnibus fateamur fundamentum esse tam sublimis in Virgine imperij; vnde continuò sequi videtur, non anteà eam Reginam & Imperatricem fuisse quàm Dei Mater effecta sit; adeoque quindecim omnino annos priuatam, vt sic loquar, egisse vitam, nullo in Angelos vel homines imperio insignem: quod mihi quidem videtur aliquâ ratione inferius dignitate eâ quam tam sanctè & tam religiosè nos mancipia in Dominâ nostrâ colimus; proindeque affirmandum, eam natam atque adeò conceptam cum imperio, nec vllo momento extitisse MARIAM, quo non fuerit vniuersorum Domina.

Magna dignitas est, numquam caruisse dignitate.

B. Virginem natam esse Reginam,

Possem hoc stabilire ex iustitiâ originali Deiparæ: tot enim iam probata rationibus, tot illustrata testimoniis videtur de eius immaculatâ conceptione sententia, vt tamquam res certissima, & vulgo notissima, assumi possit ad indagandum latentes veritates. Dicerem ergo, quòd, vti res omnes sublunares, quamdiu in Adamo videbant iustitiam originalem tam multis ac magnis splendentem priuilegiis, eum agnouerunt caput suum ac dominum, ipseque verè exstitit mundi huius inferioris Monarcha atque Imperator; ita quando prodibat Virgo eâdem iustitiâ illustris, ac pænè infinitis supra ipsum excellens gratiis ac prærogatiuis, omnes sese rursum ei submiserint, ipsaque etiam obtinuerit earum imperium: & reperiremus etiam in gratiâ illâ cum Quirino de Salazar in defensione capite 32. num. 24. firmitatem quamdam & constantiam, vel aliquid aliud, quo Virgo Deipara sic Angelos vinceret, vt etiam eorum Regina existeret. Sed nolo, desertâ regiâ, quam hactenus calcamus, viâ, nunc istam inire semitam, cùm in maternitate, in quâ fundantur omnia, etiam reperire possemus rationem huius perpetui principatus: ad quem propugnandum certatim Philosophia, Iurisprudentia, Theologia & Patres promittunt auxilium. Et ex Patribus quidem in Sermone 142. de Annuntiatione ait D. Petrus Chrysologus ad illa verba, *Ne timeas* MARIA: *Antè causa dignitatis Virginis annuntiatur ex nomine: nam* MARIA *Hebraico sermone, Latinè Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, vt Dominatoris Genitricem trepidatio deserat seruitutis; quam nasci & vocari Dominam, ipsa sui germinis fecit & imperauit auctoritas.* Quam natam Dominam ait, etiam conceptam dicimus; eadem est enim vtriusque ratio. Vnde autem Virgini, quòd concepta & nata sit Domina? non vtique aliunde, inquit Chrysologus, quàm *quòd nasci eam & vocari Dominam ipsa sui germinis fecit & imperauit auctoritas.* ac si diceret: Noli existimare eam, quam in Matrem suam DEVS ab omni æternitate elegerat, tamdiu caruisse imperio, quamdiu non genuerat Filium; cùm ad dignitatem & auctoritatem Dei Filij spectet, eam, de quâ ipse aliquando

probatur ex iustitiâ originali;

solidiùs, ex maternitate Dei;

ob Filij dignitatem;

est nasciturus, non citiùs vitam accipere quàm imperium, ne scilicet detrectet humili seruitute ei parere creatura, quam aliquando eodem secum ordine viderit recenseri; aut certè, si paruerit, non ita augustè veneretur, ob pristinam secum paritatem. Quid ergo factum dicemus, aut quomodo Virgini MARIÆ, antequam Deipara esset, conuenisse imperium? eâ nimirum ratione quâ Apostolus ait ad Galat. 4. *Dico autem: Quanto tempore heres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium.* quod dominium ei non tantùm conuenire patre mortuo, sed etiam viuo, constat ex Philosopho, 5. Ethic. cap. 6. ibi enim docet æquale ius imperij atque dominij filio ac patri à naturâ euenire; quamuis filio eo vti non liceat, quamdiu sub patriâ potestate existit. Et numquid vnanimiter Legisperiti docent, filios dici dominos etiam viuente patre; asseruntque, continuari filij dominium mortuo parente, non autem denuò inchoari? ex Leg. *In suis.* de liberis & postumis. & Leg. *In suis.* de suis & legit. hered. nónne & consequenter docent, filium Regis patre superstite, & si non habeat Regni administrationem, tamen Regem & Augustum rectè appellari? Glo. in Leg. *Cùm hereditas.* Cod. de postumis. Non ego dico, simili quodam hereditatis iure pertinuisse Regnum filij ad matrem, quod fieri non potuit antequam natus esset filius; sed rationem cur hoc ita fieri dicatur in filiis considerans, eamdem inuenio à fortiori militare pro hac Matre. Ratio enim, cur filius Rex & Dominus vocetur ab Apostolo, Philosopho, & Iurisperitis, est, quòd per natiuitatem à tali patre ius certum & infallibile ad Regnum acquisierit; eâdem prorsus ratione, cùm per æternam Dei prædestinationem certò in DEI Matrem electa esset MARIA, & DEI Mater per se, vt suprà probauimus, esset, Regina ac Domina rerum omnium fiebat, vt simul atque concepta esset, Domina fieret & Regina, licet nondum peperisset Filium. vti Dominus est filius, licet nondum mortuus sit pater.

eâ ferè ratione, quâ heres paruulus est dominus;

ob ius infallabile.

Quamquam, quid opus est aliunde, quàm ex hierarchicis nostris principiis huius concepti & nati cum MARIA Virgine imperij fundamenta eruere? Scimus enim non propter naturæ, quam nobiscum communem habuit, sed propter gratiæ excellentiam ei hierarchicè conuenire id de quo agimus in omnia imperium; gratiam autem ipsis Seraphim maiorem quò concepta est instanti obtinuit, ergo tunc cum eâ imperium accepit. Non affirmo, ne quis hoc perperàm intelligat, ex quantitate gratiæ cuique assignari debere imperij amplitudinem, cùm existimem, Apostolorum ac Martyrum non paucos, Angelos & Archangelos, & fortè Thronos ac Cherubim præcedere gratiæ ac gloriæ prærogatiuis, quibus tamen non idcircò astruimus Angelorum imperium; sed ita argumentor: Cùm omnem gratiam MARIÆ collatam esse constet, vt digna Filio DEI Mater existeret, & ad Matris DEI dignitatem in primis facere videatur exemptio ista ex creaturarum aliarum numero, atque euectio ad singularem aliquem & perfectum statum imperij, constetque tam copiosè ei gratiam primo instanti conceptionis affusam, vt omnes creaturas superarit, nihil est quod nos dicere vetet, istam iustitiæ originalis tunicam, ac gloriosum tot gratiarum indumentum, purpurâ imperiali tinctum atque in regiam trabeam fuisse conformatum: hoc est, tales ei fuisse collatas gratias, quæ eam ex tunc constituerent ratione sui omnium Dominam atque Reginam. Si enim naturas ita potuit coordinare DEVS, vt perfectione suâ naturali superiores inferioribus dominarentur, prout in hierarchicâ Angelorum dispositione factum supponimus; quis dubitet, num gratias tales in thesauris suis infinitis habuerit, quæ secum deferrent rerum omnium creatarum imperium, Reginamque ac Dominam facerent quamcumque ipsæ afficerent? Quod imperium an hîc in terris exercuerit, eâdem ratione disputari potest, quâ de benedicto eius Filio disceptatur: quem constat aliquando

Probatur secundò ex principiis hierarchicis.

Dedit beata MARIA etiamnum viuens aliqua dominij sui indicia.

leuia

leuia aliqua dominij sui dedisse indicia, quæ sufficerent ad demonstrandum, eum Regna atque dominia rerum temporalia nobis dimittere possidenda, cùm posset sibi de facto, si luberet, ea assumere: ita vt discipulos, quos ad soluendam asinam mittebat, plenâ instruxerat auctoritate, quâ opponentibus se responderent, Dominum esse qui eâ opus haberet; ac proinde nihil esse quod cuiusquam morari deberet prætensum in eam dominium. Eadem ratione, qui epistolam ad Messanenses aliasque B. MARIÆ Virginis litteras Capite superiore allatas considerarit, nihil in iis inueniet non plenum regiæ maiestatis: nam Legati & Oratores mittuntur ad Virginem; deinde Paulum & Ioannem Apostolos suos, & Messanam ciuitatem suam regio more appellat. denique benedictionem, protectionem ac defensionem suam pollicetur, in signum spiritualis ac temporalis sui imperij. Quando autem publicè se Reginam gerere cœperit, ac quomodo magnificentissimè in mundi totius Imperatricem coronata sit, iam videbimus.

CAPVT XXXV.

Quàm magnificè ad altissimum Regni solium Deipara ascenderit; & quæ imperij insignia acceperit.

SI quæ dedit Regni sui atque dominij in terris signa Virgo, obscuriora ea fuerunt, quam quæ ab omnibus agnoscerentur: distulit enim rei manifestationem in diem solemnem coronationis suæ, in quo Rex Dauid electus & priuatâ inunctione à Samuele consecratus erat, quàm solium Regni adscenderet,& publicè se Regem gereret; caussasque sine dubio habuit, qui eam maternitatis diuinæ gratiâ inunxerat DEVS, & multas & graues, quare inter famularum gregem tamdiu delitescere siuerit Reginam nostram, antequam, cælo & solo plaudente,in regium thronum eam assumeret: quod tamen omissum non est adueniente tempore ab omni æternitate præfinito, vt non tantùm electam, sed quàm honorificentissimè coronatam habeamus Imperatricem, cui tam arctò, quàm suprà ostensum est, iure subiicimur. Cuius coronationis honor, & reliqua imperij insignia, cùm non parum ad subditorum gloriam, & ad mancipiorum in seruiendo constantiam faciant, breuiter hîc sunt perstringenda; ne diem istum præteriisse videamur,quem semper honoratum habere debemus, qui erga Reginam nostram, quo pàr est, animo afficimur. Non tamen hîc rationes eas repetam, quibuscum probetur, Deum Matri suæ plus gratiæ contulisse, quàm reliquis omnibus creaturis in vnum collectis: iisdem etiam probatum habemus, eamdem plus gloriæ consecutam: non etiam virtutum eius magnitudinem, actuumque, quibus gratiæ cooperata fuit, præstantiam & multitudinem, discurrendo per omnes ætatum gradus, commemorabo, vnde conficiatur infinitum quodammodò extitisse quod ipsa merita sit: non etiam recitabo innumeras ferè Patrum sententias, quibus gloriam eius certatim describunt, vt videantur omnes ad huius Reginæ solium calamos suos in agnitionem maiestatis consecrasse: vnum tantùm breuiter adferam argumentum, vnde facilè colligere possimus cetera omnia. Sermone 1. de Assumptione ait sanctus Bernardus: *Nec in terris locus dignior vteri virginalis templo, in quo Filium* DEI MARIA *suscepit; nec in cælis regali solio, in quo* MARIAM *hodie* MARIÆ *Filius sublimauit.* Quid hîc, DEVS bone! quid dicemus? quid cogitabimus? quid post omnem cogitationem sacro quodam mentis silentio admirabimur? cùm sciamus quàm sanctè, quàm studiosè, quàm honorificè Deum Virgo susceperit: cùm non ignoremus, quàm altâ, quàm generosâ, quàm diuinâ mente sit præditus ille Filius, qui cum Patre Deo ab omni æternitate amoris quadam contentione decertans, numquam se passus est superari. Et quid? ille in certamen mutuæ hospitalitatis cum Matre descendens, Matri cedet,

Certamen hospitalitatis inter IESVM *&* MARIAM.

cùm & vincere poſſit, & vtrique certantium honeſtiſſimum ſit, Matrem ſuperari ab eo Filio, cuius tota victoria nihil ſit aliud quàm nobilior victæ triumphus? At ſi dixerimus, multis rationibus quaſi difficilem hanc Filio Dei fuiſſe victoriam, quibus eum ſtudiis occupatum fuiſſe, quâ induſtriâ laboraſſe, quâ vi omnes diuinitatis, vt ſic loquar, neruos contendiſſe intelligemus, vt ſi quâ ex parte, vt iam patebit, ſuperaretur à Matre, id infinitis aliis dignitatibus, fauoribus, priuilegiis ita excederet, vt tandem penes illum ſtare videretur victoria? Videretur, non otiosè dico: Virgo enim, cui nec ad animi ſubmiſſionem, vt ſe victam fateatur, nec ad gratitudinem, vt vincentis gratiam agnoſcat, quidquam deeſt, nondum herbam porrigere in glorioſo hoc certamine cernitur. audio enim, vel me ſenſus verborum fallit, de paritate etiamnum gloriantem: ***In ciuitate***, inquit, ***ſanctificata ſimiliter requieui.*** Quis non intelligit (quod ſanctus Bernardus Ser. 4. Aſſumpt. optimè annotauit) vocem hanc *ſimiliter* comparatione quadam ad aliam quietem referri; eam nempe, de quâ Virgo eadem dixerat: ***Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.*** ac ſi iam triumphans exultaret, & maximâ cum animi gratitudine diceret: Quàm ego Filij Dei in tabernaculo vteri mei quietem cumulaui multis & ad voluptatem ſolatiis, & ad dignitatem ornamentis; tam ille meam in ciuitate ſanctificatâ cæleſtis Ieruſalem viciſſim quietem magnis & multis exornauit gloriæ trophæis. Paria ſe accepiſſe fatetur, maiora non audio. Imò ſi paria accepit, & omnino æqualia, accipere maiora non potuit: ſed ſi nec paria acceperit, tum iſtud neceſſariò dicendum foret, ita Virginem locutam fuiſſe, vt cùm vellet Deo eſſe gratiſſima, videretq; ſe capacem non eſſe vt ea acciperet, quæ ipſa Filio ſuo contulerat, comparationem hanc inſtituerit, quâ agnoſcere ſe oſtenderet, ita Filium deſideria & capacitatem ſuam adimpleuiſſe, quemadmodum illa nihil Filio ſuo deeſſe paſſa fuiſſet. Non effectuum

Eccli. 24. verſ. 15.

Ibid. v. 12.

eſt ſimilitudo, ſed comparatio affectuum: non vires inter ſe Virginis & Christi comparantur, ſed ſtudij paritas oſtenditur, quo quiſque quantum potuit contendit, vt quàm honorificentiſſimè ſe inuicem acciperent. Quo in certamine illud præter omnium opinionem mirabile accidit, vt cùm vterque quantum poſſet contenderet, illa quæ minùs valebat, plus quodammodò effecerit. Dedit enim Virgo ſanctiſſima eam Filio in tabernaculo ſuo gloriam, cui, vt maximè voluiſſet, parem ille in ciuitate ſanctificatâ Matri rependere non potuiſſet. Mira ſunt hæc, & ad propoſitum noſtrum, quo mirabilem Virginis coronationem oſtendere conamur, mirè faciunt; ſed priùs certaminis glorioſi exitus exſpectandus, quàm de re totâ feramus ſententiam. Enimuerò, num dubitabimus, an maior fuerit animæ illius gloria, quæ tam mirabiliter Verbo diuino fuit vnita, vt quem ipſa informaret, idem Devs exiſteret, quàm omnis illa quæ poteſt cum purâ creaturâ communicari? An verò iſtud in dubium reuocauerit quiſpiam, num virgo eam Filio gloriam dediſſe cenſenda ſit, cùm omnes fateantur, illi, qui dat quidpiam, cui & aliud magnum quoddam priuilegium neceſſariò annectitur, etiam priuilegium illud referendum eſſe acceptum. Iam ſatis conſtat, licet ſuam Christvs gloriam in vtero Matris ſuæ à Patre acceperit; tamen, neque illam, neque ipſam ſuam, quâ habuit vt eſſet, ſubſtantiam accepturum fuiſſe, niſi Virgo Mater ex ſanguinibus ſuis & viſceribus puriſſimis ei carnem communicaſſet & ſanguinem. Quid ſi adiungamus & illud non leuis momenti, ad amplificandam Virginis in recipiendo Filio officij magnitudinem, quòd locus, vbi illa Deum hoſpitata eſt, longè cęlum ipſum empyreum, quò illam Devs aſſumpſit, excellat dignitate? Quantam enim putatis vim habet ad pompam triumphi alicuius verbis amplificandam, poſtquam hominum ſtudia, plauſus, acclamationes, ab inuitis hoſtibus expreſſas laudes, amicorum

Plus Virgo dedit quàm accepit.

Nobiliore Virgo loco accepit Filium in terris, quàm ipſe eam in cælis.

rum congratulationes attuleris, supra omnem fidem hyberbolica istæc exclamatio? Lapides ipsi mihi per Deum immortalem plaudere, & parietes mediusfidius lætitiâ quadam gestire, & gaudio exultare videntur: quæ si de gemmeis istis cæli empyrei parietibus in Virginis assumptione dixerimus, nihil pro triumphi magnitudine supra modum quidem, aliquid tamen augendi gratiâ supra fidem dixisse videbimur; verùm si nos ad tabernaculum, vbi Dei requieuit Filius, ad illud plusquàm empyreum Virginalis vteri cælum conuerterimus, nulla tanta reperietur hyperbole, quæ vel modum possit vel fidem superare. exultabat enim anima eius & caro in Deum viuum; locus ipse aduentum Domino gratulabatur; parietes verâ lætitiâ & gaudio efferebantur; cælum illud ipsum animatum, sic Damascenus loquitur, sanctum illum, quem recipiebat, affectu, desiderio, amore prosequebatur. Nunc ad Virginis æstimandam coronationem redeamus, & colligamus in vnum quæ diximus; & cùm hinc generosam ac superari indocilem Filij Dei liberalitatem, inde verò bina Matris in eo recipiendo beneficia viderimus, quorum alterum propter diuinam suam dignitatem, alterum propter Matris conditionem æquare non potest, difficile erit statuere, quid non fecerit, quid non excogitauerit ingeniosus ille amor, ne vel à Matre vinceretur liberalitate. Plurimum nunc erit, si dicam, eam in regium paludamentum accepisse corporis immortalitatem. Nihil erit, si eam supra omnes Angelorum choros ascendisse ostendam: alia dona, alia priuilegia, alios triumphos, alia regiæ maiestatis insignia suggerit sanctus Bernardus, quando dicit: *Nec in terris locus dignior vteri virginalis templo, in quo Filium* Dei Maria *suscepit; nec in cælis regali solio, in quo* Mariam *hodie* Mariæ *Filius sublimauit.* Felix, & nimiùm felix vtraque susceptio; ineffabilis vtraque, quia vtraque inexcogitabilis. Cuius enim inter homines tantum est acumen ingenij, cui Angelorum tanta intelligendi subtilitas, qui aliquid inuenisset, quo Verbum Virgo, Mater Filium, homo Deum ita excepisset, vt is cui nihil est impossibile, vel difficile, vicem rependere in eodem quidem genere nullâ omnino ratione, in diuerso autem alio ægrè admodum posset? Et rursum, auditâ tam altâ, tam sublimi, tam ineffabili ratione, quam Virgo adhibuit, quis non timeat, vt paria Filius exhibeat Matri? Et, vt quod sentio eloquar, actum est de illo, cessit Matri; nisi aliquid ita diuinum excogitet, quod cùm contulerit, nihil ipse posset amplius. O amor semper & vbique ingeniose! quid non inuenis, vbi pectus occupasti illius qui Sapientia est ipsius Dei Patris? eo præsertim tempore cùm premeris, & quasi in angustum cogeris, vt te vel victum fateare, quod nec soles, nec potes; vel ea excogites media, quæ ne Deo quidem, audacter hoc dicam, nisi sic presso & sic amanti venirent in mentem. Quid exspectatis, quæso? quónam mentes vestræ præuolant? quid inuenisse putatis Dei Filium? Numquámne in mentem venit admirari, quæ tantæ tantique momenti ac ponderis rationes mouerint amantissimum Matris suæ Filium, cur is, qui tam liberalis est in communicandâ suâ gloriâ, vt ne quidem exiguam eius particulam potuerit in monte Thabor prælibare, quin tres discipulorum charissimos eius faceret participes; cur inquam ille, quando iam post actos vitæ huius labores triumphaturus in cælos ascenderet, vbi deliciis & voluptatibus omnibus omnis expers doloris afflueret, Matrem adeò dilectam secum non assumpserit, eam præsertim Matrem, quæ & extrema omnia cum ipso passa fuerat, & sine quâ nec ipse poterat omnibus perfectam numeris beatitudinem possidere? Multæ huius consilij rationes adferuntur; vnam hîc Patrum nonnullorum confirmabo auctoritate, vt paulatim, quò deducere vos desidero, ipsi mente ac cogitatione præuoletis. Diuus Anselmus libro de Excell. Virg. cap. 7. verba hæc profert plena

Quomodo Filius compensauerit ea quibus à Matre vincebatur.

Matris assumptio post Filij ascensionem fuit dilata.

plena mysterij: *Fortassis Domine, ne tua cælesti curia veniret in dubium, cui potiùs occurreret, tibi videlicet Domino suo, tunc primò Regnum tuum in assumptâ carne petenti, an ipsi Dominæ suæ in ipsum Regnum iam suum materno iure effectum ascendenti*. Iis ergo gratiis, iis donis cælestibus, eâ maiestate, eâ gloriâ condecorare volebat in assumptione Matrem Filius, vt si vnà cum ipso cælos ingrederetur, tota cælestis curia dubiis distraheretur affectibus, an Dominum suum triumphantem omnibus coleret obsequiis, an se ad illam potiùs conuerteret, cui videret triumphatorem ipsum potiora omnia deferentem. Quid ergo? Zelotypia fortasse mouit Filium, ne, quam ille præ omnibus exaltaret, ea præ se etiam ipso ab aliis honoraretur? Imò hoc ipsum agebat, hoc est, quod ingeniosus amor illi suggesserat. Matrem tuam, quæ multis adeò te cumulauit in illo suo animato cælo priuilegiis, superare non potes, nisi Patrem ipse tuum cælestem viceris: & vinces scio, si à Matris in cælos assumptione ascensionem tuam distinxeris. Exhauriet enim, non dubito, pro suo in te affectu vires suas Pater, vt te è terris reducem, post tot sui causâ exantlatos labores, omni quo potest honore accipiat, omnibus cumulet beneficiis, quæ à tam potente tam beneuolo amore possunt exspectari; ibi tu, postquam omnia accurate obseruaueris, facilè inuentis addes aliquid, quo Matrem maiore pompâ & solemnitate in cælum recipias, quàm ipse fueris à Patre honoratus. Vicisti IESV Nazarene, vicisti, si huic fueris consilio amoris tui obsecutus. Quod an fecerit, Petrus Damianus non sinit dubitare: illo enim quem de Assumptione habuit Sermone sic ait: *Attolle iam oculos ad assumptionem, & saluâ Filij maiestate inuenies occursum huius pompâ non mediocriter digniorem, quàm fit in CHRISTI ascensione; soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt*. Angelis addam ego, si placet nostro concipiendi modo, Patrem ipsum cælestem eâ quâ Deum & Patrem decebat grauitate è solio suo quodammodò progressum, vt tot spoliis ditato, tot insigni victoriis, tot claro triumphis Filio, post triginta quatuor annorum absentiam reditum tam gloriosum gratularetur. *Matri verò*, pergit Damianus, *cælorum palatia penetranti Filius ipse cum totâ curiâ tam Angelorum quàm iustorum solemniter occurrens, euexit ad beatæ consistorium sessionis*. Quod confirmat S. Anselmus suprà: *Prudentiori consilio vsus, præcedere illam, quatenus et locum immortalitatis in Regno tuo præparares, ac sic comitatus totâ curiâ tuâ festiniùs et occurreres, eamq; sublimiùs, sicut decebat tuam Matrem, ad te ipsum exaltares*. Negligo totam illam Angelorum iustorumq; ordine pulcherrimo distinctam multitudinem, quę mirâ quadam, quam CHRISTI triumphus non habuerat, oculos mentesq; recreabat varietate. Non finit me ordines distinguere, describere gratulationis, lætitiæ, gaudij, quæ manibus gestant, insignia; subtilia illa, quæ virtutis, magnificentiæ, gloriæ MARIANÆ ad passus singulos cæli solo inscribunt emblemata, accuratiùs contemplari non sinit stupor ille; qui, vbi se in binas hinc inde classes diuiserunt agmina, ac DEI ac MARIÆ Filius ab ipso cæli limine, Matrem sibi quàm molliter tam magnificè innitentem per medium deducere, ac paulatim ad præparatum ei solium promouere incepit, totam illam cælestem curiam ita occupauit, vt omnium oblita, defixo in procedentes intuitu, nihil aliud quàm verba hæc tacitè primùm secum, deinde inter se mutuò repeterent: *Quæ est ista, quæ ascendit innixa super dilectum suum?* quæ est ista? MARIAM nouimus, quæ homines, quæ Angelos, quæ Cherubim & Seraphim longissimè excellit dignitate, atque illi in cælos aduentum gratulaturi descendimus; sed quænam est ista, quæ ascendit innixa super dilectum suum? quid cernimus? quid videmus? scimus ita ordinatam esse naturam à conditore eius Deo, vt ea quæ perfectiora sunt, rudioribus & imperfectioribus innitantur: *Domini enim*

vt magnificentior esset ipsâ ascensione Filij Dei

quia occurrit ei Filius:

Cant. 5. vers. 5.

cui ipsa innixa ascendit in cælum.

1. Reg. 2. vers. 8.

enim sunt cardines terra, & posuit super eos orbem. & super tot orbes cælestes sibi inuicem impositos, nos tandem spiritus mentesque beatas collocauit; quæ ergo est ista quæ Dilecto suo, Deo ipso innititur? numquid, ne in re tantâ erremus, Patrem noscimus & adoramus? Filius, qui in sinu est Patris, ipse Patri æqualis & consubstantialis; ille est qui per nos medius incedit? Spiritum sanctum ab vtroque procedentem clarè intuemur? quænam est ergo ista, quæ DEI Filio innititur, quæ sinu eius excipitur, loco (vtique cum Filij sinus ipso Patris sinu non sit inferior) per omnia isti æquali, quo residentem vnigenitum Dei Filium quotidie adoramus? quænam est ista? an creatura tantùm, an aliquid diuinitatis in eâ reconditum? nec enim creaturam DEVS honore aliquo præ se eximio extolleret. Et rursum, quænam alia potest esse præter illam, quam in Patre, Filio & Spiritu sancto adoramus diuinitatem? Benè habet Cælicolæ, bellè hac dubitatione vestrâ Matri triumphum, Filio victoriam, nobis Reginam & Dominam gratulamini. Hæc est, ne dubitate, hæc est MARIA: creatura est, & creatura tantùm: sed interim ea est, quæ admirabili dilectionis certamine ita sibi DEI Filium obligauerat; vt nisi ad ea ipse procederet, quæ hanc vobis dubitationem inijcerent, victus à certamine discedere videretur. Ad diuinitatem quàm poterat proximè admouere debebat eam, cuius vnico ipse verbo, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, eam acceperat, quam Deum habere par erat gratiam atque gloriam: toto eam honorare debebat conatu; quæ, dum illum hospitio exciperet, omnes intenderat ingenij neruos, omnes expenderat voluntatis vires, omnes adhibuerat corporis animæque facultates. Atque ita intelligemus, veram esse MARIÆ lætabundæ gratias Deo agentis vocem, *In Ciuitate sanctificatâ similiter requieui*; non gloriæ, cuius ego capax non eram, sed affectus conatusque similitudine. Quemadmodum enim ego nihil omisi eorum quæ & conferre poteram, & sciebam Filium DEI non dedecere; sic idem ille meus & DEI Filius, quando vicissim me excepit hospitio, plura accumulasset beneficia, si plura excogitare potuisset, quorum ego non incapax fuissem: in quo cùm ipse haud paulò me fuerit ingeniosior, non inuita fateor, me, cùm quantum poteram & debebam conata fuissem, minùs tamen quàm illum decebat effecisse; illum verò, cùm pari ratione quantum poterat conari non posset, plus tamen aliquantò quàm ego merueram contulisse.

Luc. 1. v. 38

Eccli. 24. vers. 15.

Primum ergo summi Imperij ornamentum atque indicium fuit ista die coronationis ipsius cum Deo familiaritas, & propemodum æqualitas, vt innixa super Dilectum palatium suum ingrederetur. O sceptrum Reginæ nostræ admirabile! ô baculus verè imperiosus! quo dum nititur, dum eum manibus gestat, hoc nobis significat, quocumque CHRISTVS potentiam, eò suum se extendere imperium. CHRISTVM enim ipsum hîc indicari esse sceptrum B. Virginis, hinc patet, quòd cùm solium eius, diadema Regni, vestem regiam ceteraque Imperij insignia inueniamus in sacris Litteris expressa, sceptri, quod præcipuum est Regni symbolum, alibi mentio non fiat, quàm verbis illis, quæ tantum Curiæ cælestis stuporem significant: *Quæ est ista, quæ ascendit innixa super Dilectum suum?* habens non diuisum cum Deo imperium, sed Deum ipsum pro sceptro; vt non tantùm hominibus imperet, sed ipsâ Dei potentiâ ita ad nutum suum vtatur, quemadmodum Rex vtitur virgâ virtutis & Regni sui.

Sceptrum ergo MARIÆ est Filius.

Cant. 8. v. 5

Alterum Imperij insigne, thronus erat regius, super omnes Angelorum choros repositus: tantò nempe excelsior Angelis, quantò præstantius præ illis nomen acceperat. *Dei* autem *Matris*, inquit S. Ioannes Damascenus Oratione 1. de Dormitione Virg. *& seruorum Dei infinitum est discrimen*, eâ ratione quâ Philosophi dicunt rerum earum, quæ specie sunt diuersæ, infinitam esse distantiam, adeò vt, quemadmodum iam satis probatum est, hierarchiam

Quis thronus.

faciat ab aliis omnibus distinctam: pro quo noua etiam occurrit ratio ex sancto Bernardo, qui Oratione 1. in Salue Regina ait: MARIAM DEVS *tamquam mundum specialissimum sibi condidit, quem in iustitiâ & sanctitate fundauit.* Vnde consecutiuè conficimus, MARIAM DEVS tamquam hierarchiam specialissimam exaptauit, quam in honore & gloriâ fundauit; adeò vt fundamenta eius in montibus sanctis, inde inchoans suum splendorem, vbi iam omnes creaturæ desinunt lucere. *In conspectu enim beatæ Virginis ceteri sunt quasi non sint, & comparatione illius nec possunt, nec debent apparere.*

S. Petr. Damianus.

Quod diadema.

Tertium Regni signum est diadema immortalitatis, quo caput eius cinxit sanctissima Trinitas. de quo etiam sanctus Bernardus: *Quis illas æstimet gemmas? quis stellas nominet, quibus regium* MARIÆ *diadema compactum est?* Imò non leuiter hîc notanda differentia inter Sanctorum aliorum coronas, & eam quâ sacrosanctus MARIÆ vertex redimitur. de aliis enim dicitur Psalm. 20. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* de Virgine autem Apocalyp. 12. *Et in capite eius corona stellarum duodecim.* Corona dignitatis insigne est, & omnes, siue Barones sint, siue Comites, siue Duces, coronâ quadam excellentiam suam supra mortales ceteros indicant; verùm Regis Imperatorisque corona ab omnibus hisce figurâ & pretio differt: ita in cælis, ex pretiosissimis lapidibus variè compacta diademata, variorum Sanctorum pro diuersâ singulorum eminentiâ varias dignitates significant; at stellis coronari solius Reginæ & Imperatricis est, tantum ceteros omnes excellentis, quantum lapides pretiosos stellæ excedunt claritate.

Qua vestis regia MARIAE.

Quartum decus Imperij quo DEVS Virginem insigniuit, est vestis regia. Psalm. 44. *Adstitit Reginâ à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Omitto amplissimas paludamenti istius regij descriptiones: cui illam sine dubio gratiam dedit, qui studebat, ne quid Matri suæ deesset gratiæ; quam nuper Dux Pastrana Legatus Philippi III. ad Reginam Franciæ, super negotio reciproci inter istas Coronas matrimonij, quod felicibus deinde auspiciis perfectum est, vestimento suo addiderat; intexuerat nimirum istud vnionibus & lapidibus pretiosis ita ingeniosè, vt, dum inter medias Matronas, vtrimque viam quæ ad Reginæ Matris thronum duceret insidentes, incederet, leui corporis motu deciderent, atque ita totum gynæceum illud margaritis complueret: non potest enim se commouere Virgo, quin è sacrosancto isto vestimento lapides pretiosi decidant, quo paupertas mortalium donis cælestibus locupletetur. Illud tantùm cum Suarez Tom. 2. in 3. part. disput. 21. affirmo, Deiparam habere in corpore singularem aliquem & admirabilem splendorem, vel aliquid aliud, quod sit veluti insigne regiæ dignitatis, & diuinæ maternitatis, ac principatus & dominij in omnes Beatos: atque id ego intelligo per vestitum deauratum, qui istâ deinde varietate est circumdatus, quâ decet tam nobile vestimenti genus exornari.

CAPVT XXXVI.

Magnitudo & amplitudo Regni beatæ MARIAE *Virginis.*

SOLENT ij, qui Regnum aut Imperium Monarchæ alicuius describunt, operi suo tabulam suffigere, quâ terras, flumina ac maria ditioni eius subiecta ita exhibent debitâ proportione ad exiguum spatium contracta, vt ea possis leui oculorum obtutu vniuersa peragrare, & magno ad intelligendum quæ leguntur adminiculo, & breui ad recordandum compendio: quæ commoditas Virginis MARIÆ ditiones noscere cupientibus non est inuidenda. Itaque hîc breuiter de extensione ac quantitate Regni illius agemus, cuius hactenus intensionem & sublimitatem commendamus. Totum illud quasi generali aliquâ mappâ delineat Rupertus lib. 3. in Cant. 4. *Hæc in cælis*, ait, *Regina cælorum est, & in terris Regina Regnorum,*

Varia mappa Regni MARIANI.

Regnorum, *quandoquidem est Mater Regis coronati, quem Dominus constituit supra opera manuum suarum; ac proinde Regina constituta, totum possidet Filij Regnum.* dum eam *in cælis Reginam cælorum, & in terris Reginam Regnorum* dicit, quasi cælestem ac terrestrem Regni eius describit globum; dum autem addit, *totum* iure *possidet Filij Regnum*, terras, vt sic dicam, assignat incognitas; quas alij deinde curiosiùs indagarunt. Atque in primis S. Bonauentura in Spec. lect. 5. *Quàm latè*, inquit, *quàm longè, & quàm altè arbor illa alta beata* MARIA *ramos suos extendit; quàm latè ad homines, quàm longè ad Angelos, quàm altè ad Deum!* addidit hic alterum globum ceteris multò etiam maiorem, dum ait imperium eius ad Deum extendi. Imò rursum, pro Geographorum more, qui ab experientiâ quotidie docentur, adijcit non parum in Spec. lect. 8. in hæc verba: *Hoc etiam competit tantæ Imperatrici quæ reuerà Domina est cælestium, terrestrium, & infernorum; Domina inquam Angelorum, Domina hominum, & Domina dæmonum.* en alteram Imperio adiectam sphæram, infernum. Sed accuratiùs ceteris & expressiùs Regnum eius vniuersum sanctus Bernardinus delineauit Tom. I. Sermone 61. articulo 3. cap. 6. vbi ait: *Tot enim creaturæ seruiunt gloriosæ Virgini, quot seruiunt Trinitati: omnes enim creaturæ, quemcumque gradum teneant in creatis, siue spirituales, vt Angeli, siue rationales, vt homines, siue corporales, vt corpora cælestia, vel elementa, & omnia quæ sunt in cælo & in terrâ, siue damnati, siue beati, quæ omnia sunt diuino Imperio subiugata, eadem gloriosæ Virgini sunt subiecta. Ille enim qui Filius* DEI *est & Virginis benedictæ, volens paterno Principatui Principatum æquiparare maternum; ipse qui* DEVS *erat, Matri famulabatur in terrâ, & erat subditus illis. propterea hæc est vera propositio: Diuino Imperio omnia famulantur, etiam Virgo. & iterùm hæc est vera: Imperio Virginis omnia famulantur, etiam* DEVS. Imò quid differo in lucem dare mappam generalem Imperij beatæ MARIÆ Virginis, nouiter ex Scripturis, SS. Patribus ac ratione auctam & distinctiùs explicatam, in hæc conceptam verba: Parent Virgini MARIÆ quæ creata sunt omnia, Inferi, Purgatorius ignis, Regna orbis, Ecclesia, terra, mare, aër, cæli, Cælites, hoc est homines beati, & Angeli, DEVS, & tandem ipsa sibi. quæ omnia non iniucundum erit Deiparæ mancipiis leui saltem oculo lustrasse:

Mappa generalis & correcta Regni, quâ continentur

Dominium inquam & Imperium Deiparæ agnoscunt & sentiunt inferi; quia ipsa victorem pedem vertici regis ipsorum imposuit, ac caput eius prorsus contriuit. *Ipsa conteret caput tuum*, Genes. 3. vers. 15. Et Idiota in Contemplat. de Virgine MARIA cap. 4. *Sed per te*, ait, *ô superbenedicta Virgo* MARIA, *vita Angelica reducitur, innocentia reparatur, diabolus vincitur & conteritur; quia de te scribitur: Ipsa conteret caput tuum.* Seuerum est hoc Virginis & terribile in dæmones imperium. de quo Guilielmus Parisiensis ad illa Canticorum, *Terribilis vt castrorum acies ordinata*, sic ait: *Dilectus Filius vt piam Matrem cunctis spiritibus malignis terribilem vehementer demonstraret, dixit de eâ: Terribilis vt castrorum acies ordinata. quasi dicat: Quia te sciunt aëreæ potestates esse Matrem meam, Matrem triumphatoris sui, verentur te Matrem terribilis & eius qui aufert spiritum principum; id est, destruit superbiam malignorum spirituum. Tu quoque terribilis illis facta es, & non mediocriter; sed sicut est illis terribilis Angelicus exercitus ad coërcendos eos diuinitus ordinatus.* Quanta sit vis contra dæmones arboris istius salutaris, ex quâ salus mundi pependit, nullus ignorat; huic autem Virginis potentiam comparat Hailgrinus ad ea Canticorum, *Statura tua assimilata est palmæ: Sicut palma*, inquit, *id est arbor crucis, terribilis est malignis spiritibus; ita beata Virgo merito suæ rectitudinis malignos spiritus terret, & expellit.*

Inferi.

Flammæ piaculares seuerâ misericordiâ animas expurgantes sentiunt, &

Purgatorius ignis.

& sibi gratulantur benignius Deiparæ imperium; quia toties clementem potentiam radio miserationum suarum ad obscuros istos carceres per tot aëris terrarumque interiecta spatia à summo cælo transmittit, solaturque eos qui iacent in tenebris, & sedent in vmbrâ mortis. Prædixit hoc ipsa apud Ecclesiasticum 24. vers. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Quàm hoc regie faciat, inferens se magnificâ liberalitate in loca ista tenebrarum, & quamplurimos vinculis soluens, maximè festis sibi diebus, alibi ostendemus.

Regna mundi, Quòd autem in terris sit Regina Regnorum, clamat ipsa Prouerb. 8. vers. 15. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* quod ita strictè intelligo, vt dicendum sit, Virginem Deiparam ita verè ac propriè Regni, verbi gratiâ, Hispaniæ Reginam fuisse, atque modò est Dominus noster Philippus IV. quem diu precor per Virginis merita DEVS nobis conseruet incolumem; potuisseque illud occupare dum viueret, atque dare cui vellet optimo iure possidendum: vnde sequitur, Regem nostrum pientissimum, & quoscumque alios Reges, hoc præ ceteris mortalibus debere Virgini MARIÆ, quòd Regnum, cuius ipsa poterat habenas capessere, iis demiserit, per quos optimo iure ad eos sit deuolutum.

Ecclesia, Iam de Ecclesiâ quis dubitare potest, quam Reginam & Imperatricem veneretur; cùm, præterquam quòd familiarissimo eam nomine Reginam & Dominam appellet, ipsa fateatur non alteri se arma sua commendare, non alteri victorias adscribere, quando canit hoc Virgini Epinicion: *Cunctas hæreses sola interemisti.* hoc regium, hoc imperatorium est populo suo ad bella procedere, & victorias de inimicis suis reportare.

Terra & mare, Terræ marisque Imperium ipsa sibi adscribit Ecclesiastici 24. vers. 8. 9. 10. & 11. *In fluctibus maris ambulaui, & in omni terrâ steti: & in omni populo, & in omni gente primatum habui: & omnium excellentium & humilium corda virtute calcaui.* haud dubiè regnatore pede, qui vtriusque elementi incolas sibi subiiciebat. Nec aër exemptus est imperio, qui de se thronum Reginæ suæ composuit: *Thronus meus in columnâ nubis.* *Aër,* *Eccli. 24, 7.*

Homines beati, Quam Cælitum stipant agmina, Dominam suam & Reginam officioso honore confitentia. Pars eorum lectissima est chorus quadraginta quatuor millium, eorum qui adstantes throno DEI canunt Canticum, quod, præter illos, non nouit alius, sequentes Agnum & laudantes DEVM, qui eos conseruauit, ne coinquinarentur cum mulieribus. Quibus omnibus præest Virgo hæc Virginum, propiùs Deo assistens, & eodem residens throno, innixa super Dilectum suum. De Beatis, quos Cælicolas, seu ciues istius Ierusalem cælestis vocare licet, ait: *In plenitudine sanctorum detentio mea,* Ecclesiastici 24. vers. 16.

Angeli, Neque cæli nobilitas, natura Angelica, hanc Reginam dedignatur. *Quid videbis*, petit Sapiens Cantic. 7. *in Sulamite, nisi choros castrorum* militiæ istius cælestis? Et sanctus Bonauentura in Spec. lect. 3. *Intelligentia,* inquit, *Angelica est famula, super quam Domina eius* MARIA *innititur, quippe tamquam familiarissima, se Angelis sociando; innititur tamquam plenissima, se cum suâ plenitudine Angelis communicando; innititur tamquam potentissima, Angelis imperando.* Neque Angelis minùs quàm Virgini blanditur Ecclesia, dum canit quotidie, *Regina Angelorum*; cùm spiritibus istis honestissimum sit, non tantùm subesse tantæ Reginæ, sed etiam tam clementi & potenti Dominæ famulari.

Deus, & ipsa Deipara. Hæc omnia cùm Virgo Deipara latè regat imperio, & optimo iure possideat; nihil sunt tamen, si velimus alia duo hemisphæria diuini ordinis ac consequenter infinitæ magnitudinis, quæ ipsi subsunt, explicare: quorum alterum est DEVS homo, creator & creatura; alterum DEI Mater, Parens eius,

eius, cuius est facturа. Regnum appellare illam possessionem perfectissimam, quâ Virgo MARIA suiipsius fuit domina, & passiones, phantasias, motus omnes habuit in potestate, ab omnibus didicimus philosophantibus; eam verò potestatem, quam in Filium exercuit, comparare cum Imperio, ab ipso docemur Philosopho lib. 8. Ethic. c. 11. *Societas patris ad filios Regni præ se fert effigiem; nati namque patri sunt curæ.* hoc est: Potestas ista licet filios magis addicat patribus quàm seruos; non tamen est illiberalis aut seruilis, sed nobilis atque regalis. Quòd autem Virginis non detrectauit imperium, qui æternam suam Maiestatem humilitate nostrâ conuestiuit, Euangelista testatur: *Erat subditus illis*; Virgini scilicet Matri suæ, ac sancto Iosepho propter Virginem. O infinitam imperij MARIANI sphæram! quæ terminatur eius infinitate, cuius centrum vbique est, circumferentia verò nusquam. Huc oculos, huc studia vestra conferte curiosi terrarum indagatores, hanc mappam inspicite, atque in tantâ vastitate, quem vosmetipsi locum habeatis, inquirite, quam ad omnia quæ Virgini seruiunt proportionem dispicite; & vbi inueneritis, vix puncti, imò pænè nihil vos partem adimplete: tum sincerâ vos humilitate Deiparæ subiicite, pro magno ducentes, quòd in mancipium suum rem tam vilem admittere, eique in familiâ suâ locum concedere dignetur: vt scilicet ei sitis in primis curæ, & clementiæ eius atque liberalitatis ante alios participes, inscripti peculiari ratione Mancipiorum eius albo: de quo apertiùs Libro sequenti agemus. Iam tractare, quàm perfectè sui imperium dominiumq; omnium actionum, passionum, imò cogitationum suarum obtinuerit, esset de perfectione B. MARIÆ Virginis ingentia volumina inceptare; potiùs ergo de nostri erga eam officij ratione agemus.

Luc. 2, 51.

M. FR. BARTHOLOMÆI DE LOS RIOS
DE
HIERARCHIA
MARIANA
LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.

ANGELICVS Doctor secundâ secundæ quæst. 81. art. 1. ad tertium, ita argumentatur: *Cùm seruus dicatur ad dominum, necesse est, quòd vbi est propria & specialis ratio dominij, ibi sit specialis & propria ratio seruitutis.* quæ verba cùm sint omnium deinceps dicendorum fundamentum, eorum sensus accuratiùs est indagandus. Quærebatur autem de virtute religionis, an illa ordinet hominem solùm ad Deum. Quam quæstionem cùm vellet affirmatiuè resoluere diuus Thomas, more suo ea præmittit quæ suadere videntur partem negantem; atque inter cetera obiicit: Ad religionem videtur latria pertinere; latria enim interpretatur seruitus, vt Augustinus dicit in 10. de Ciuitate DEI: seruire autem non solùm debemus Deo, sed etiam proximis, secundùm illud Galat. 5. *Per charitatem Spiritus seruite inuicem.* ergo religio importat ordinem etiam ad proximum. Iam huic obiectioni respondet verbis, quæ mox attulimus, quibus subiungit: *Manifestum est autem, quòd dominium conuenit Deo secundùm propriam & singularem quamdam rationem, quia scilicet ipse omnia fecit; & quia summum in rebus omnibus obtinet principatum; & ideò specialis ratio seruitutis ei debetur: & talis seruitus nomine latriæ designatur apud Græcos, & ideò ad religionem propriè pertinet.* nobis quasi digito demonstrans, cùm tot rationes proprias & singulares attulerimus, secundùm quas rerum omnium creatarum dominium Virgini Deiparæ conueniat, præcipuè verò, quia summum post Deum obtinet in rebus omnibus principatum, hoc est, quia hierarchico ordine eum locum habet, vt omnibus principandi ac dominandi virtute præsideat; iam de speciali ratione seruitutis, quæ ei debetur, agendum esse: nam veluti certum supponitur, quòd *vbi est propria & specialis ratio dominij, ibi sit specialis & propria ratio seruitutis.* quam licet vtcumque Libro præcedenti in genere attigerimus, ac mancipatum infimum seruitutis genus esse indicauerimus: posthac tamen accuratiùs tum ipsum, tum eius, secundùm specialem quam trademus pietatis exercitationem, primam originem hoc Libro examinabimus; tum etiam ea, quæ ei possent obiici, diluemus. quæ vt intelligantur clariùs, altiùs paulò exortæ inter homines seruitutis principia inuestigemus.

CAPVT

CAPVT I.

Repetitur inde à principiis origo seruitutis.

De Virginis Deiparę mancipiis acturi, operæ pretium fecerimus, cùm infimæ cuiusdam seruitutis genus sit mancipatus, si totam subiectionis illius naturam, quâ homo homini seruit, accuratiùs paulò inuestigauerimus; vt re à fundamentis examinatâ, tandem statuamus, quid honoris, quid vtilitatis, quid voluptatis denique inde percepturi simus, si perpetuæ seruitutis adstricti compedibus, illius nos Virginis mancipatui consecremus, cui seruire regnare est. Vbi in primis hoc disputari posse video, à naturáne, an ab hominibus introductum sit, vt diuersâ conditione alteri mortalium alter subiiciatur, in quem ius quoddam exerceat is qui Dominus vocatur? Ac de naturante quidem, vt Philosophi loquuntur, naturâ, quam nos Deum vocamus, Apostoli ad Galatas planissimam habemus sententiam; vbi ille contendit, neque liberum neque seruum apud Deum esse quemquam: De secundâ verò naturâ, quam ex altioris istius ignoratione veluti honestatis normam statuerunt Philosophi, optimus morum magister Seneca iam tulit suffragium, dum ait: *Neminem natura fecit liberum aut seruum, sed fortuna hæc nomina imposuit.* Nullum ergo, vndecumque naturam examines, reperies in eâ seruitutis institutum: quod apud Athenæum 6. lib. Anaximandrides de Anchise scribit: *Nulla vsquam est, ô bone vir, seruorum ciuitas: transfert enim natura omnium corpora; nunc verò multi sunt nondum liberi, cras autem semiserui, tertio pòst die foro vtuntur. Clauum enim vertit cuique Deus.* Atque hanc causam Iosephus affirmat Essenis fuisse, quare seruis sibi interdictum putarent, ne scilicet insigni naturam communem afficerent iniuriâ, si quos illa simili nascendi conditione æquauerat, ipsi libertatis ac seruitutis nominibus distinguerent.

Vnde seruitus?

Non à Deo,

neque à naturâ:

Lib. 8. Antiquit. c. 2.

Imò, quid nos antiquus Saturnalibus diebus tam religiosè obseruatus, vt tum æqua foret seruorum cum liberis conditio, aliud significat, nisi felicis istius ætatis, quam Saturno rerum potiente naturæ ductu homines degisse Poëtæ fabulantur, tamquam sacratas quasdam reliquias ostentari istam hominum ad breue temporis spatium inter sese affectatam æqualitatem: volebant nimirum vno per annum die illam degustare, quam cupiditas & ambitio per libertatis seruitutisq; nomina mortalibus eripuêre viuendi dulcedinem, certo nobis indicio simplicem sine huius onere, sine illius iactantiâ conditam à Deo fuisse rationalem creaturam; id quod magnus Basilius libro de sancto Spiritu cap. 20. disertè affirmat: ***Inter homines seruus naturâ est nemo.*** Restat ergo quærendum, vndenam id oneris, quod tanto conamine amoliri omnes contendunt, ægris mortalibus ad tot naturæ labores sit additum? Facem hîc prælucebit, qui vbique in naturalibus solet, Aristoteles; nam cæcè nimis ad cæcam Deam nos Seneca reiecit: is ergo in Politicis, hominum quamdam à naturâ ipsâ introductam adducit distinctionem, vnde mox ea, de quâ agimus, conditionum diuersitas iure gentium pullulauit; dicit enim, quosdam ita naturâ factos, vt mente & consilio valeant, viribus autem corporis non item; nonnullos autem corpore robusto, sed hebeti ac stolido ingenio esse. Iam verò, quòd eos qui ingenio erant excellenti, & tamen ad obeunda necessaria munia corpore non satis habili, visum fuerit ceteris præficere; contrà verò, qui pollerent viribus, sed consilio & ingenio destituerentur, aliorum imperio subesse, & imperata facere. Fallor, nisi paucis verbis hanc mortalibus legem tulit Sapiens: *Qui stultus est, seruiet sapienti*, Prouerb. 11. quod voluntariâ primùm subiectione accidisse apud Athenæum existimat Possidonius Stoicus, cùm plurimi, qui propter imbecillitatem ac mentis tarditatem ius suum tueri non poterant, sese prudentioribus tradiderint, vt à quibus

eius tamen in naturâ fundamentum est,

hominum in sapientiores & hebetiores diuisio:

quorum hebetiores sponte se subdidere sapientioribus;

bus defenderentur, suam illis vicissim redderent ministrandi operam; atque ita, quod generi nostro in primis erat necessarium, paulatim ad singulorum vtilitatem in vnum conspirauisse mortalium cœtus, vbi, dum quo quisque valet, id in communem impendit vsum; dumque

vnde exorta vita ciuilis.

Mutuat ille oculos, mutuat ille pedes.

Alterius sic altero homine opem amicâ conspiratione exposcente, perficitur pulcherrimum illud ciuile corpus; à cuius aptâ membrorum inter sese dispositione plerumque dependet ea quæ in hac vitâ sperari potest felicitas. Quæ proportio cùm haberi nequeat, nisi quidam veluti in capitis arce collocentur, vt inde quid ad singulorum vtilitatem conducat sagaci ratione dispiciant, quæ pericula impendeant veluti oculorum acie explorent, audiant querelas singulorum, atque ore totius Reipub. afflictis solatium, dubitantibus consilium præbeant; alij verò tamquam manus & pedes ad ministeria destinentur: sequitur, hanc seruitutem, licet natura eam non induxerit, nullâ tamen ratione à naturâ abhorrere, cùm homines ducat ad illam, quam omnes naturaliter spectamus, felicitatem. Elegantissimè hac de re S. Basilius philosophatur: *Inter homines*, inquit, *seruus naturâ est nemo: nam aut vi superati sub iugum seruitutis sunt redacti, vt fit in captiuitatibus; aut propter egestatem serui facti sunt, vt Aegyptij Pharaoni*; *aut* (id quod huc facit) *sapiente quodam & arcano consilio, qui erant deteriores è liberis, edicto patris prudentioribus & melioribus seruire damnati sunt, quod beneficij loco non condemnationis aequus rerum æstimator duxerit. Si quis enim mentis inopiâ facultatem imperandi à naturâ inditam non habeat, vtilius est ei in alterius possessionem venire, vt dominantis ratione rectus currui similis sit, qui aurigam recipit, & nauigio, ad cuius clauum sedet gubernator.* Quis autem non videat, currum sine agitatore, nauim sine rectore, numquam peruentura, quò facillimè ac felicissimè ab iis deducuntur? Patet ergo, vtilitatis primùm causâ homines seruitutis iugum subiuisse, idque ex mutuo inter se contractu; vt qui consilio valeret, illi adesset qui vicissim corporis robore non inutilem prouisori suo nauaret operam: quæ res, si, prout erat primùm instituta, ita in mutuam vtilitatem perseuerasset, nihil erat, quod seruitutem, tamquam probri miseriarumque plenissimam, conuitiis proscinderemus. Sed, quæ mortalium peruersitas est, statim sese ambitio cupiditasque, si alibi vspiam, hîc certè tamquam propriâ in sede extulerunt, cœperuntque ingenio valentiores, quos subiectos habebant, premere, quorum vtilitati studere debebant, emungere; vnde factum est, vt probrosum miserumque habitum sit, alteri parêre. Quid enim acerbum magis, quàm contemni ab illo, cui vltrò ingenij palmam detuleris? quid turpius, quàm calcari ab alio, vt gradus illi sis, per quem adscendat ad iniquissimè propositum sibi fastigium? quid calamitosius, quàm prædam fieri eorum cupiditatibus, qui ne animæ quidem suæ, nedum corpori tuo parcent, si modò per tuam ruinam spes aliqua rem faciendi affulgeat? Itaque his mihi videtur gradibus ab illâ, quam vtilitatis primùm causâ ipsi sibi homines imposuerunt, ad infimum seruitutis genus descensum fuisse. Primùm, magnificentiùs sese circumspicere cœperunt ingeniosuli nostri, & mentis quodam tumore inflari, quòd sibi tamquam præstantioribus vltrò delatum cernerent dominium; tum lucri, quod ex aliorum labore percipiebant, dulcedine illecti, dispicere quo modo illos re suâ, quo iure, quâve iniuriâ spoliatos, totos sibi subiicerent. Quæ res, cùm istis miserorum oppressoribus & vtilis vehementer, &, secundùm eam quam homines ex sceleribus percipiunt laudem, gloriosissima videretur, cœperunt, quod peruersissimæ nequitiæ genus est, rei malæ bonam causam quærere; factumque est, vt, si quos in bello cepissent, quorum sibi vitæ ius armis quæsitum arbitrarentur, eosdem ad

Non ergo contra naturam seruitus,

sed ad vtilitatem inducta,

quæ mox ab ambitione & cupiditate euersa;

vnde iam misera seruitus.

Quomodo paulatim ad miserrimam mancipiorum conditionem peruenerit.

ad talem ministerij vtilitatem seruarent, quos inde *seruos*, vel, quòd manu eos cepissent, *mancipia* vocabant: atque hos totos, vt putabant, suos, totos sibi impendebant; non hominum pari secum conditione genitorum, sed rerum ceterarum quas possiderent in loco habebant: industriam eorum omnem, omnem laborem, lucrum omne; atque adeò etiam naturaliter illis quæsitos liberos sibi vindicabant: vitam quamdiu illis concederent, suum beneficium dicebant; si, cùm luberet, eriperent, nullam se iis iniuriam facere arbitrabantur. Consistebat ergo in eo seruorum siue mancipiorum conditio, vt totum id quod erant, esset alterius; definiriq; breuiter potest mancipium: *Homo, qui nihil sui habet iuris; sed quantus quantus est, alterius est.*

Mancipij definitio.

CAPVT II.

An boni quid insit seruituti, per singulas eius species inquiritur.

ÆQVA inter sese conditione, sine vllo vel imperandi iure, vel obtemperandi debito, editos à naturâ homines, vel potiùs creatos à Deo iam Capite superiore diximus: hoc autem superinductam deinde seruitutem in varias quasi classes distinguemus; vt breuiter, quid cuique boni insit, & quâ ratione à mancipatu distinguatur, videamus. Vbi hoc obiter animaduertendum, me, quando de hominum in alios imperio loquor, illam obligationem non attingere, quâ Filij, vt parentibus dicto audiant, satis ab ipsâ naturâ videntur edoceri. Cùm enim eiusmodi subiectionis genus non possit aliis quàm amoris nexibus colligari; amor autem tum maximè, cum vehementi inclinationis naturalis spiritu ventilatur, id omne in vnum conflet quod semel deuinxit; non debet filiorum erga parentes obedientia inter eas obligationes recenseri, quæ sunt hominum diuersorum ad inuicem. Ceterarum ergo, quæ deinde inductæ sunt, obediendi aut seruiendi

Filiorum subiectio erga parentes non est seruitutis species.

sed prima est vxoris erga maritum;

obligationum prima vti causam habuit turpissimam, ita seruitutem habet nullâ aliâ re quàm necessitatis lege, ex eâque factâ virtute commendabilem; estque ea, quâ mulier propter legis diuinæ præuaricationem viri dominatui ac potestati subiecta fuit: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Ecce partem mundi alteram seruituti addictam; atque hæc quidem à Deo non creante naturam nostram, sed puniente: adeò vt mulieris, siquidem ea sapiat, oculi semper os, oculos, nutum & propensionem viri obseruare debeant, vt illi placeat, morem gerat, eumque sibi deuinciat, cum eo sentiat, & consentiat, non aliud appetat, quàm quod ei placiturum sciet. Quæ causa fuit Romanis, cur in vrbis regimine & iure feminam capite diminutam dicerent, vtpote quæ sub viri constituta manu, nullum arbitrio suo censendi aut statuendi, imò ne quidem testamentum condendi ius habebat. Atque huius seruitutis naturam examinare si volumus, necessariò quidem eam introductam facilè statuemus; vtilitatis autem in eâ fortassis aliquid, iucunditatis certè parum, honestatis nihil admodum reperiemus. Vtilitatem enim, quam à sexu prudentiore sperabat mulierum imbecillitas, imminuit stoliditas tot maritorum: iucunditatem pænè sustulit impotens plerorumque dominatus; honestas verò quænam potest esse in eâ subiectione, quæ orta ex scelere perseuerat cum molestiâ & repugnantiâ naturæ, & sæpè terminatur cum partis vtriusque ruinâ? Altera, quod iam attingebamus, seruitutis ratio in vtilitatem ferebatur; quâ nimirum vel homines singuli operam se suam prudentioribus impensuros stipulabantur, vt consilio eorum regerentur; vel certè multi in vnum coacti Magistratum constituebant, qui omnium vtilitati prouideret eâ lege, vt rectè ab illo in commune bonum statutis omnes obtemperarent: quâ quidem seruitute ad generis humani conseruationem, & ad consequendam eam, quam natura spectat, felicitatem nihil fingi poterat

Genes. 3. vers. 16.

hæc orta ex necessitate,

parum vtilitatis,

iucunditatis

vel honestatis habet.

Secunda, est ciuium erga Magistratum.

Primùm vtilis,

commodius, si quâ ratione primùm instituta est, sineret eam procedere hominum peruersitas. Verùm quantum in eâ sit incommodi, & priuatim singuli experiuntur quotidie, & publicè ostendit tam varia corporis politici, tamquam ægri sese de lecto in lectum conferentis, ita de aliâ in aliam Reipub. formam transeuntis mutatio: vix enim ad Regis auctoritatem se suaque omnia deferunt, cùm statim ab illo vel voluptatibus dedito ministrorum prædæ relinquuntur, vel nimiùm regnandi auido tyrannicâ seruitute opprimuntur. Si vindicant se in libertatem, ipsique democratiâ constitutâ regere sese incipiunt, continuò qui hominis vnius imperium excusserant, à multorum capitum belluâ variè dilaniantur, partesque in omnes miserè distrahuntur; donec melioribus toto è grege sepositis, rem suam publicam deferant gubernandam: qui mox à coronâ & sceptro tam propè se abesse quando vident, pro se quisque ea ambire incipiunt, neque desistere, donec per aliorum vulnera vnus aliquis imperium occuparit, occupatum in tyrannidem verterit, vnde rursum populo tumultuandi occasio & noua rebus nouis studendi voluntas procreetur, atque ita semper in orbem actus labor ex eâ subiectione redeat, cui se pacis & tranquillitatis studio tradiderat; adeò vt non regendis, sed exhauriendis & diuexandis hominibus potestas data esse videatur. Tertium seruitutis genus, quo sibi prouidet hominum indigentia, prioribus quidem vilius, sed tamen exercitum minùs, minoribusq; incommodis obnoxium apparet, quo fit, vt operam suam ad certa & condicta opera tenuiores vel locupletioribus, vel aliis qui eâ eguerint, numeratâ pecuniâ locent; atque hinc tot opificum & famulorum fluxere commercia; quibus libertatem suam ita vendunt, vt nonnisi ad id, de quo inter illos conuenit, obligentur: hinc tota mercatorum, vt commodent aliis accepto lucro, emanauit industria: sunt enim isti publici quidam communitatis famuli, ea procurantes quibus singuli deinde egent, atque iis accepto pro labore lucro ea distribuunt. Quæ res cùm magnâ ex parte fundetur in iugo illo graui, quod est *super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ, in matrem omnium*; nimirum, *In sudore vultus tui vesceris pane*; non est quod verbis ostendam, nihil in eo esse humano generi magnopere expetendum. Atque omnia hæc seruitutis genera, quamuis vxorem marito, subditum magistratui, famulum conductori certâ lege subiiciant, itaque libertatem, cuius homo naturâ suâ adeò est tenax, multùm imminuant: eam tamen prorsus non tollunt; neque eum in statum transferunt hominem, vt, iure omni suo deperdito, totus alterius fiat, vt nullam in partem se commouere possit quò ipse velit. Restat ergo quarta seruitutis species, quam mancipiorum esse diximus, quâ prorsus deperditur status libertatis, quam Iura dicunt pretij esse inæstimabilis, *L. Libertas. de Reg. Iuris*. neque eâ posse quidquam grauius mortalium generi excogitari, *L. Paulus. de Fidei comm.* imò seruorum hic status adeò vilipenditur, vt Iura pro mortuis & nullis mancipia habeant; & antiquorum nemo, cui vel sanguinis generosi guttula saliebat in venis, non malebat honestâ morte defungi, quàm turpem in seruitute vitam degere. Testatur enim Cœlius Rhodigin. libro 7. Lect. antiq. omnium Sapientium fuisse sententiam, temporalium omnium malorum pessimum & abiectissimum esse seruitutem; aiebant enim,

Nec benè pro toto libertas venditur auro,

neque pro vllâ, quæ mente posset concipi, voluptate. Necessitas verò ex mente illorum nulla esse poterat tanta, quæ eò hominem redigeret, vti turpissimam illam viuendi conditionem admittere cogeretur, cùm vitæ exitus nemini non pateret. Patet ergo, omnem subiectionis & seruitutis humanæ rationem non parum habere incommodi, eam verò quæ prorsus extinguit liber-

iam misera;

hinc tam crebra politia mutatio.

Tertia famulorum, opificum, & mercatorum.

Nihil habet expetendum. Eccli. 40. vers. 1.

Genes. 3. vers. 19.

Seruitutes hæ minuũt, non tollunt libertatem.

Quarta mancipiorum tollit libertatem.

Quàm hæc vilis & misera videretur antiquis:

& reuerà est misera.

libertatem, quæ mancipiorum est, etiam tollere, si non causam, certè omnem viuendi voluptatem: vnde manet, licet ceteræ aliquid habeant, quo compensetur ista vel vilitas vel difficultas, quæ in subiectione reperitur (vnde fit vt ab iis natura non ita prorsus abhorreat) in mancipatu nihil omnino reperiri, quod vel spe vtilitatis, vel voluptatis lenocinio, vel splendore honestatis allicere quemquam possit, vt non remis, quod aiunt, velisque ab eo fugiat. Malebat sanè, is qui sapientissimus Romanorum habebatur, Cato manu suâ generosam, vt tunc dicebant, animam proiicere, quàm vitæ parcus Cæsaris iugum subire. Gaudebant tot Dardaniæ mulieres, viscera sua, quos vlnis gestabant filios, in profluentem abiicere, non alio in re tam acerbâ solatio, quàm quòd submersorum funeri hoc liceret epitaphium adscribere: *Vos certè non seruietis.*

CAPVT III.

Num seruitus & libertas benè per mutuam voluntatum dependentiam definiantur.

CVM ex dictis pateat, nihil aliud esse seruitutem quàm amissionem libertatis, illamque eò vel tolerabiliorem vel grauiorem esse, quò magis hæc minuisve imminuitur; debet necessariò, vt quid seruitus sit perfectè intelligatur, libertas describi: est enim rerum ad inuicem relatarum ea conditio, vt non nisi ex mutuâ definitione possint intelligi. Rursus, cùm libertatis nomen bifariam sumatur, est illa, de quâ disputant Theologi, ab hac, quam seruituti opponimus, distinguenda. Libertas enim, quam homini datam fides docet, & Doctores facultatem dicunt agendi, vel non agendi, aut agendi contrarium, siue indifferentiam ad vtrumlibet oppositorum, diuiditurque in libertatem contradictionis & contrarietatis, huc non pertinet: illa enim, quid homo facere queat, hæc quid ipsi liceat, inquirit: illa ex naturæ rationalis essentiâ nobiscum nascitur; cum hac verò nos respectu Dei numquam, respectu hominum quandoque nasci contingit. Si enim homo ita constitutus est, vt nullus in ipsum ius habeat, hoc est, vt voluntas eius in sui actionumque suarum dispositione à voluntate alterius non dependeat, liber est. Est ergo libertas, de quâ hîc agitur, voluntatis in sui actionumque suarum dispositione à voluntate alterius independentia: ex quâ definitione tota libertatis ac seruitutis natura colligitur. Primò enim, cùm eam definimus voluntatum mutuam dependentiam, facilè statuitur, quòd bestiis ceterisque irrationalibus neque seruitus, neque libertas conueniat. De liberrate clarum est, quam nemo non videt in primâ illâ physicâ voluntatis, ex ratione ortâ, libertate fundari; rectè enim interrogat Persius Sar. 5.

An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet vt voluit? ——

Et Florentius Iurisconsultus definit: *Libertas est naturalis facultas eius quod cuique facere libet.* hoc est, ius faciendi quod cuique libet. Vt autem quis ius habeat, debet agere propter se, non ex instinctu naturæ, sed liberè, vt ex Aristotele docet sanctus Thomas 1. 2. quæst. 1. artic. 1. & 2. prætereà debet posse media ad finem referre, quemadmodum ex S. Augustino docet idem Doctor Angelicus 1. 2. quæst. 16. articulo 1. Nulli enim à se distincto dominabitur, qui suarum actionum libero & expedito dominio non fruitur; quemadmodum ex sanctis Patribus docet Ruiz disput. 40. de Scientiâ DEI, sectione secundâ. Iam de seruitute etiam est certum, eam non cadere in rationis expertia: seruit enim qui liber esse poterat, siue qui licitè & illicitè agere potest. Possidentur quidem irrationabilia, capiuntur, aguntur, destruuntur à nobis; sed seruitutem, quæ dicit voluntariam ex debito subiectionem, non seruiunt; hinc nemo dixerit, herili iure nos ea possidere: neque possumus ea nos manumittere, aut libertate donare; numquam enim

Libertas dupliciter sumitur: *eius definitio.* *Irrationalibus non conuenit libertas,* *neque seruitus.*

actionum suarum acquirent liberam dispositionem. Seruitus ergo libertati priuatiuè opponitur, dicitque subiecti capacitatem: neque enim magis equus aut gladius seruus est, quàm lapis cæcus. Dominium autem, prout seruituti opponitur, relatiuè definiri potest, ius disponendi de voluntate alterius; genus definiti est ius disponendi, siue dominium in genere, quod generaliter definitur, ius disponendi de aliquâ re.

Definitio dominij.

contra eam obiectio.

Obiicis: Ego habens dominium in equum, habeo ius disponendi de voluntate alterius, cùm possim prohibere illum, ne equo meo velit vti, &c. tamen non habeo dominium in ipsum; ergo dominium non est, vbicumque est ius disponendi de voluntate alterius. Respondeo, te, eo ipso quod habes ius in equum, non habere ius disponendi de voluntate alterius, prohibendique, ne ipse eo velit vti; sed ius habes disponendi de equo: quòd si alter non possit eo velle vti, non ideò est quòd tu ius habeas in voluntatem eius, sed quòd ipse ius in equum non habeat; quod si haberet, æquè ac tu posset eo velle vti. Vnde ergo oritur ea in ipso seruitus, quòd eius voluntas non possit velle equo isto vti? non ex tuo, sed ex supremo Dei in ipsum dominio, qui prohibet, ne rem concupiscat alienam: iam ex tuo quidem in equum dominio factum est, vt equus eius respectu sit res aliena; quòd autem alienum non possit concupiscere, non est à te, aut dominio tuo in voluntatem eius. Patet; nam à voluntate tuâ fieri nequit, vt possit concupiscere rem alienam: quòd autem propter dominium tuum in alterum ex tuâ prohibitione ipsi est illicitum, licitum fiet, si tu mutes prohibitionem in actum permissionis.

Digressio.

Opponis huic postremæ probationi: Omne peccatum nobis illicitum est ex solo supremo Dei in nos dominio; & tamen mendacium, verbi gratiâ, nobis licitum non esset, quamuis DEVS nobis id permitteret. Respondeo: Ponamus rem ita se habere quemadmodum assumitur, quòd ex solo Dei in nos dominio & prohibitione sit nobis illicitum quidquid peccatum vocamus: quod ideò certum puto, quòd hoc exprimat absolutam nostram subiectionem & seruitutem respectu diuinæ Maiestatis; quam non video quâ ratione defendant, qui rationis aliquod in nobis dictamen fingunt prius diuinâ ipsâ ratione, atque ita per absurdissima figmenta quærunt, an si DEVS non esset, etiamnum illicita essent, propter illud dictamen rationis, ea quæ vocamus naturâ suâ peccata? respondentque affirmatiuè. Vnde necessariò sequitur, figmentum illud, quidquid illud sit, quod ipsi rationis dictamen appellant, aliquid esse Deo antiquius ac magis absolutum, ac consequenter ab eo independens. Respondent, esse ipsam naturam rationalem: atqui hoc absurdum est, naturam rationalem sibi esse primam rationis regulam rectique normam, cùm ea sit DEVS, omnisque creata ratio sit tantùm eius extrema quædam imitatio. Vnde sequitur, quidquid rationi nostræ repugnat, ideò repugnare, quia primæ repugnet rationi, quæ nostræ rationis est regula. Eo ipso autem quòd aliquid rationi esset repugnans, non esset illicitum: hoc enim, præter istam repugnantiam, quæ positis extremis statim consurgit, dicit etiam auctoritatem aliquam, cui obligeris hoc non facere quod rationi repugnat. Hæc auctoritas non est in homine; quia sic homo esset sui mancipij, haberetque aliquid primum in genere auctoritatis non à Deo, quod fieri nequit. Secundò, cùm homo sit vnum quid, non potest ita se ipso obligari: neque DEVS obligatur à se rectè facere, sed cùm sit prima ratio & bonitas, non potest malè facere; si autem natura eius esset talis, vt posset peccare, & tamen non haberet magis superiorem quàm iam habet, non video quare non liceret ei peccare. Id quod in nobis fieret, si, quod est impossibile, DEVS non esset; possemus enim, vt supponitur, & non prohiberemur; sed quia possumus, vel ideò implicat, vt nos sine Deo simus: quod enim imperfectum est, à se esse non

Peccatum ex solâ Dei prohibitione illicitum.

DEVS prima recti regula.

non potest. Ideò ergo illicitum est facere quod rationi repugnat; quia prima voluntas, cui nostra ex naturâ subiecta est, nobis prohibet, ne quid faciamus quod rationi repugnet. Iam ad argumentum respondeo,& eadem inculco, quòd mendacium licitum esset nobis, si DEVS id permitteret; cùm fingi non possit nisi idolum aliquod, cui nos obligaremur non peccare, si ille vel non esset, vel permitteret peccare: quod autem id permittere non possit, à se habet & à naturâ suâ, quæ est ipsa veritas,bonitas,& prima ratio;implicat autem, rationem primam à se ipsâ recedere. Non potest verò replicari, eodem modo ex ipsâ naturâ ratione præditâ esse, quòd obligetur rationi non repugnare; quemadmodum ex ipsâ naturâ Dei est, quòd debeat rationi obtemperare. Nam in primis impropriè dicitur, quòd DEVS vel rationi obtemperet, vel obtemperare debeat; cùm ipse sit simplicissimè ratio prima, in quâ non est imperans & obtemperans, multò minùs obligatum & obligans: nosque inquirere non possimus, an rationi consentanea sint quæ DEVS facit, constituentes in intellectu aliquam rationem, quæ sit quodammodò distincta à Deo, cui ipse æquè atque nos obligemur: sed potiùs actiones Dei intuentes, statuere debemus; ideò quid rationi consentaneum esse, quia ipse facit. Si ergo sic esset à naturâ rationali ista obligatio, vti est in Deo, esset ipsamet æquè essentialiter prima ratio, quemadmodum DEVS, & consequenter impeccabilis, cùm non posset à se recedere. Dicetes: Constiturâ rationali creaturâ, iam est ista obligatio per se,vt rationi obtemperet. Verùm redimus in orbem: peto enim cui obligetur: sibi vtique obligari non potest; quia nullam potest habere perfectionem à se, quæ non sit Deo subiecta: illud autem quod eam obligaret, esset perfectio aliqua physica homine ipso superior; cùm per metaphysicas abstractiones nihil possit poni à parte rei. Dices ad extremum: Obligabitur hominis pars vna ab alterâ, voluntas à ratione, seu

neque rationi obtemperat:

intellectu. Respondeo primò,quosdam hîc dubitare vtra potentiarum istarum sit perfectior; nequit autem naturaliter imperfectius dominari perfectiori. Respondeo secundò, concipi non posse, quomodo intellectus prohibebit aut permittet aliquid voluntati,cùm imperium sit actus voluntatis; intellectus autem rationes tantùm proponat,quas voluntas sequitur, si velit; nequit autem intellectus dicere, Volo vt hoc facias. Itaque obligatio ab alterâ superiore debet esse voluntate; ideoque rursum patet, quòd in Deo non est obligatio benè faciendi, quia nulla est voluntas ipsius voluntate superior; sed est perfectio voluntatis ipsius, quòd non possit aliter quàm rectè facere. Sed nimiùm abducit nos amor speculandi à proposito,vbi definiebamus,dominium, quod seruituti opponitur, esse ius disponendi de alterius voluntate: quod etiamnum eget aliquâ declaratione; cùm videatur potiùs esse ius disponendi de corpore, secundùm plausibilem istius sententiam, qui dicebat: *Corpus quidem seruum habeo, animum verò liberum.* Pro quo norandum est, aliud esse me corpus alicuius possidere vtili dominio, quali res alias possideo; aliud esse, ipsum meum esse seruum siue mancipium: nam ex eo quòd corpus eius possideo, ius quidem habeo disponendi de eo ad arbitrium, & in ipso est debitum me ab vsu non prohibendi; non tamen orietur in ipso debitum mandatis meis obtemperandi, & mouendi agendive corporis sui ex meâ voluntate, quod tunc erit, quando ego voluntatis eius habebo dominium: quòd si absolutè mihi absque vllâ restrictione tradatur, iam omnia ipsius, licet alio titulo mea non essent, mea fiunt, quia possum iis vti ex meâ voluntate, iusque habeo imperandi ipsi, ne me ab vsu impediat; hinc nullus contractus,vel actus,qui non tradit dominium voluntatis, constituet alterum alterius superiorẽ vel herum,hunc subditum, aut seruum. Vt autem per singulos gradus seruitutis, quos superiore Capite attulimus, hoc videamus: non

neque est in eo obligatio rectè agendi.

Corpus alicuius possidere, & habere seruum, distinguuntur.

est ex contractu matrimonij, quòd vxor viri potestati sit subdita, eâ ratione vt teneatur ei tam strictam obedientiam præstare, sed ex illâ Dei dispositione, *Sub viri potestate eris*; quâ Dominus voluntatum nostrarum viro ius dedit disponendi certis in rebus de voluntate mulieris: poterat autem æquè facilè idem Dominus omnium virum potestati muliebri subiicere, si ita visum fuisset suæ Maiestati. Ij verò qui sibi superiorem constituunt, sponte se subiiciunt, voluntatemque suam obligant ad iustum seruitium; quemadmodum & ij faciunt, qui locant operam alteri: obligati enim sunt ipsi posteà in iis, de quibus conuenit, parere. At de mancipiis strictè dictis maior est difficultas, vnde nimirum ipsi voluntatem habeant obnoxiam: de quibus primùm dico: Quando iniusta est seruitus, illos verè dicere, Corpus quidem seruum habeo, animum verò liberum. Voluntas enim obligata non est seruire; hinc seruitio suo fraudare possunt dominum, quando ipsis vtile & commodum est, imò & operæ suæ præmium vel exigere vel sumere. Iam verò disputare de singulis nationum ritibus & moribus, quibus mancipia acquirebant, iisque vtebantur, & examinare singulorum iustitiam, huius non est loci; cùm tantùm hîc conemur intelligere, quid sit libertas, quid seruitus; & certum videatur, voluntatem, prout in multis potest obligari, ita etiam posse in omnibus; quemadmodum eam sibi obligatam esse volebant ij, qui herile ius exercebant in mancipia.

CAPVT IV.

Congeruntur modi acquirendi mancipia; & explicatur ratio nominis.

HIS de seruitute & libertate disputatis, cùm iam de re constet, aliqua de nomine serui & mancipij videntur subiungenda. Dicitur autem seruus, non quòd seruiat, sed quòd seruatus fuerit. S. Augustinus lib. 19. de Ciuitate DEI cap. 15. etymologiæ est auctor: *Origo*, inquit, *vocabuli seruorum in Latinâ linguâ inde creditur ducta, quòd hi qui iure belli possent occidi, à victoribus cùm seruabantur, serui fiebant, à seruando appellati.* Formatur autem, si vlteriùs originem inquirimus, Latina hæc vox, vt plurimæ aliæ, à Græcâ ἐρύω, quod, teste Eustatio, idem est quod φυλάττω. Est enim *eruo* adiecto sibilo *seruo*; hinc non ineptè Festus *eruitudinem seruitudinem* interpretatur. Hæc de voce seruus. Mancipium autem, siue mancupium, vt inquit doctissimus Latinorum Varro, dicitur, quòd manu capiatur: quod vocabulum deinde non tantùm de hominibus, sed de rebus quibuscumque manu captis vsurpatum est; hinc aliquando mancipium ponitur pro dominio aut potestate: ita materfamilias dicitur esse in mancipio mariti, hoc est in eius dominio & potestate.

Seruus à seruando.

Seruo ἀπὸ τοῦ ἐρύειν deriuatur.

Mancipium à manu capio.

Pergo quædam ex doctissimi Sandæi strenâ describere, quam ille dedit Sodalibus suis Coloniensibus, adhortans eos, ne mancipij MARIANI nomen dedignarentur: *Mancipio*, inquit, *dare*, est, rem solemni venditione apud Romanos vsitatissimâ alienare; quod ad alia deinde transfertur, ac significat in potestatem & dominium tradere: sic mancipio accipere, est, eodem modo emere; hinc emptio mancipij & mancipatio, quæ sunt quasi correlatiua ἐκ τῶ πρός τι: nam respectu venditoris, contractus is dicitur mancipatio; respectu emptoris, emptio mancipij. *Sui mancipij esse* (vt reliquas etiam ex nomine hoc formatas locutiones explicemus) est, nullius dominio subiectum esse. Quomodo dixit Brutus, scribens ad Ciceronem, *Remp. Romanam esse sui mancipij*, nimirum nullius dominio subiectam, antequam Augustus Imperium occupasset. Inde *res mancipi*, vel, vt antiqui loquebantur, *res mancupi*, dicuntur quæ in nostro sunt mancipio, hoc est, quæ nostro dominio, iuri aut potestati sunt subiectæ; vt ex Vlpiano aliisque L L. peritis norunt, qui institutionibus Iustinianeis dant operam.

Quid mancipio dare.

Mancipo,

Quid mãcipo significet.

Mancipo, à nomine mancipium, idem est, quod in mancipium seu in dominium alterius trado, vendo, obligo, vel quouis modo alieno; hinc *mancipatus*, addictus, in dominium alicuius traditus. Cicero in Catone Maiore: *Ita senectus honesta est, si se ipsa defendit, si ius suum retinet, si nemini mancipata est.* & Philippicâ 2. vocat venditum mancipatumq; tribunatum emphaticôs, quasi plus quàm venditum. *Mancipatio* est genus venditionis inter solos ciues Romanos vsurpatum: Boëtius 3. Comm. in Topic. Cic. est imaginaria venditio. ea sic peragitur: Adhibitis non minus quàm quinque testibus ciuibus Romanis puberibus, & eo qui Libripens dicitur, is qui mancipium accipit, æs tenens, ita dicit: *Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio, isq; mihi emptus est hoc ære æneáque librâ.* deinde ære percutit libram; idq; æs dat ei, à quo mancipium accipit, quasi pretij loco; hinc manceps accipitur pro eo, qui dat aliquid mancipio; item qui emit mancipatione, quòd in solemni emptione illâ emptor manu rem capiebat. Præterea, qui aliquid à populo emit conducitve, quia sublatâ manu significabat se auctorem emptionis esse; vnde idem est quandoq; quod conductor, redemptor, publicanus. Ex his liquet, mancipij duplicem esse originem: vna petitur à re militari, altera a forensi. Si militiam spectes, mancipium erat seruus manu in bello captus; vnde in seruorum genere primum dici potest mancipiorum: siquidem prima & antiquissima causa legitimæ seruitutis est ius belli. Nam sicut ex iusto bello bona capta in capientium dominium transeunt; sic etiam ipsi homines iusto bello manu capti, & ita serui siue mancipia effecti, in capientium deueniunt potestatem, *L. Transfugam. de acquirendo rerum dominio. & Instit. de Rerum diuisione. §. Item ea.* vbi legitur: *Quæ ab hoste capiuntur iure gentium nostra sunt; adeò vt liberi homines in nostram seruitutem redigantur.* Apud Christianos tamen vsu & consuetudine receptum est, vt Christiani à Christianis iusto bello capti, libertati datâ ac receptâ pecuniâ restituantur, aut retineantur vt obsides; non enim sunt serui seu mancipia capientium, *Bartolus in L. Hostes. de captiuis & postliminio reuersis.* Si tamen Christiani iusto bello ab ethnicis, aut aliis à fide nostrâ alienis caperentur, eorum serui ac mancipia iure gentium fierent: porrò hoc iure belli, quemadmodum pueri & alij innocentes necari possent, sic etiam in seruitutem mancipatumque victorum redigi.

Quemodo fieret apud Romanos mancipatio.

Mancipia fiunt vel iure belli;

Notandum hîc obiter, Sanctissimum Dominum nostrum ex hac origine interpretatum nomen mancipij, aliquoties in Bullis Sodalitatem nostram vocate *Captiuorum beatæ* MARIÆ *Virginis*: quod ideò solertiùs notandum, quia posteà oriri posset dubium, an etiam Indulgentiæ istæ mancipiis forent concessæ, quæ in Bullis captiuis beatæ MARIÆ Virginis conceduntur; proinde posteros certiores reddo, Bruxellensem Sodalitatem nostram Mancipiorum, aliasque in Conuentibus Sancti Patris nostri Augustini à nobis sub eodem titulo institutas, vocari à Romano Pontifice Sodalitatem Captiuorum B. MARIÆ Virginis; in cuius rei fidem posteà Bullas recitabo, quarum originalia seruo inter Sodalitatis instrumenta: facta est autem hæc nominis variatio ex multis, vti iam commemorauimus, modis acquirendi mancipia; quorum omnium maximè vulgaris est captiuitas.

hinc Sodalitas Captiuorum beatæ MARIÆ Virginis & mancipiorum est eadem.

Altera mancipij causa à foro petitur, in quo fiebat venditio hominis liberi, qui tunc in ius alterius ac potestatem concedebat. Est autem iure gentium cuilibet fas seipsum alteri vendere, quoniam quisque tum suæ libertatis, tum famæ ac honoris sui dominus est; deinde, cuilibet licet operas suas alteri locare, ergo & vendere. Et sanè Paulinus Episcopus Nolanus, vt cuiusdam viduæ filium a seruitute redimeret, cum summâ laude se seruituti mancipauit; quod commendat S. Gregorius lib. 3. Dial. cap. 2. & 3. In veteri etiam Lege licebat Hebræo se alteri Hebræo vendere,

vel emptione.

vendere, quamuis potiùs se locabat quàm vendebat; quia ad septem annos, aut plurimùm quinquaginta, in eâ seruitute laborabat, deinde ad pristinam libertatem redibat.

vel ex delicto.

Subiungam hîc tertiam præterea seruitutis originem, ex quâ licet nullam habeamus nominum nomenclaturam, facit tamen ad dictorum & porrò dicendorum intelligentiam. Cùm enim obseruarent homines, nihil peius posse alicui seruitute irrogari, vtpote quæ sit vltimus gradus vilitatis & abiectionis humanæ, vice vltimi supplicij seruitute facinorosos affecerunt, atque ita quodammodò capite minuerunt: nam cùm seruitus nihil sit præter priuationem libertatis, iudicarunt, eum qui libertate fuerat abusus istâ priuandum: priuilegium enim meretur amittere, qui sibi concessâ abutitur potestate. Huc refero primam, quæ ex Scripturâ constat, seruitutem. Genes. 9. *Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis*: quòd is virilia patris ebrij irrisisset: quam irrisionem facinus insigne fuisse putat Berosus. ait enim: *Incantationibus magicis virilia patris comprehendens, sterilem eum reddidit perinde ac castratum.* A Chamo igitur seruorum gentem apud Hebræos oppidò frequentem descendisse, & originem sumpsisse, scribit Iosephus contra Appion. Porrò, vt constet plerasque gentes in eo conuenisse, vt in pœnam alicuius facti libertatem adimerent, Vespasianus edicto statuit, vt libera quæ se alieno seruo iunxisset, ancilla haberetur, Alex. lib. 4. cap. 22. idemq; fecisse Frothonem Danorum Regem scribit Saxo Gram. lib. 5. Raptores quoque mulierum, qui non habebant vnde raptis dotem constituerent, pro dote seruituti mancipabantur, Can. de Raptorib. 36. q. 1. Liberti etiam ingrati reuocabantur in seruitutem, quamquam anteà solemniter manumissi, dumtaxat in pœnam ingratitudinis. Denique, quòd mulier iussa sit esse sub viri potestate, quid causæ fuit, nisi quòd præceptum diuinum esset præuaricata? sic enim illam quæ peccauerat DEVS punire voluit, & reuerà seruitutem infligere: quamuis enim ipso vocabulo non vtatur Scriptura, satis tamen per dominandi vocem, seruitutem vxoriam significat.

CAPVT V.

Imperio beatæ MARIAE *Virginis hierarchico nos debere professionem mancipatus.*

HVC iam vel maximè reuocandum est ex D. Thomâ Libri huius ac omnium deinde dicendorum fundamentum: vbi est propria & specialis ratio dominij, quòd ibi est specialis & propria ratio seruitutis. quod ex parte iam intelligi potest ex superiore seruorum in varias classes distributione; vbi eos, prout magis minúsve habent addictam voluntatem, seu, quod idem est, magis minúsve imminutam libertatem, ad inferiorem aut superiorem seruorum ordinem retulimus. Necesse est enim, exposito iam fundamento, cùm hierarchica sit dominorum dispositio, magis minúsve absolutum obtinentium imperium sit etiam quædam subhierarchica, si ita loqui fas est, seruorum coordinatio; id quod indicat apertè hierarchicus Magister noster lib. de Cælest. hier. cap. 3. §. 2. *Quippe cùm in hoc sit sacra gubernationis ordo, vt aliqui purgentur, alij purgent; aliqui illuminentur, alij illuminent; quidam perficiantur, nonnulli verò perficiant; modo cuique suo diuina congruet imitatio.* vbi ostendit, cùm hierarchiæ inferioris partes sint, *præstantiâ mundationis alios participes reddere propriæ puritatis*, consequenter quosdam inferiores hisce expiatoribus existere, quos oporteat omnino puros effici, atque omni dissimilitudinis commixtione liberari. Rursus, cùm mediæ hierarchiæ (in quâ sunt *mentes perspicaciores, cùm ad percipiendum tum ad transfundendum ritè lumen idoneæ, nec non luculenter sacro fulgore plenæ*) officium sit, *exundantem vndique lucem in eâ dignos deriuare*, necesse

Quæque dominij ratio suam habet rationem seruitutis.

Probatur in tribus Angelorum hierarchiis.

necesse est vicissim hisce illuminatoribus quosdam subiici, qui *diuino lumine repleantur, ad contemplatiuum statum ac virtutem castissimis mentis oculis euehendi*. Denique, cùm in supremâ Angelorum hierarchiâ *perfectores* censeantur, qui *perficientis disciplinæ peritissimi perficiant illos qui perficiendi sunt sacratissimâ doctrinâ scientiæ rerum sacrarum, quas inspexerunt*, clarum est, existere quosdam ipsis subditos, qui ab *imperfectione translati, illorum*, quæ didicerunt, *sacrorum perfectiuæ scientiæ participes fiant:* adeoque cùm tres assignet speciales gradus dominij seu sacri principatus, etiam reddit totidem proprias rationes seruitutis siue subiectionis, eo ordine (quod posteà latiùs ostendemus) vt eò quæque magis demissè seruiat, quò maiori potentiæ seu altiori rationi dominij subiicitur: vnde sequitur, luce meridianâ clarius, cùm Libro superiore probatum sit, supremam esse dominij rationem quæ potest à Deo meræ creaturæ communicari, eam quam in Virgine Deiparâ veneramur; infimam atque addictissimam esse debere seruitutem illarum, quæ possunt creaturæ exhiberi, eam quâ nos illi obsequium profitemur. At nihil, quod sciam, inter homines inuentum hactenus humilius aut addictum magis, quàm fuerint mancipia dominis: igitur mancipij nomine & seruitute profiteri debemus Deiparæ famulatum, quoadusque reperiamus, si fieri potest, etiam quid humilius ac vilius, quò nos respectu tantæ Maiestatis demittamus. Sæpiùs autem in mentem mihi venit admirari, cur, cùm plurimi reperiantur qui quouis alio seruitutis genere se B. MARIÆ Virgini subiecerint, pauci admodum sint qui mancipiorum nomine & conditione ei præstiterunt famulatum. Quot enim, putas, inueniemus, qui pio ausu dulcissimam filiorum erga pientissimam Matrem affectarint subiectionem? quot alios, qui sponsi castissimum gesserint nomen eâ conditione, vt, quam vxor marito debet, eam ipsi sponsæ huic sapientissimæ & nobilissimæ præstarent obseruantiam? Etiam Hermannos videas, qui, accepto diuinitus annulo, fidem faciant, non vnam esse tituli huius nomenclaturam. Iam verò subditorum, qui Reginam agnoscunt illam, quæ cæli terræq; obtinuit imperium, non est numerus; famulorum autem & seruorum, quatenus id nomen mitiorem in partem sumitur, ingentia enumerare possemus agmina; at mancipiorum, & seruorum, quà propriâ suâ significatione idem cum mancipiis sonat, qui nomen affectarint, paucos fortasse reperias; quamuis qui se vera beatæ MARIÆ Virginis mancipia gesserint, non admodum paucos. Ego verò ideò hunc calamum sumpsi, vt omnes adhorter, tum eos qui re ipsâ se gerunt vera tantæ Dominæ mancipia, ne scilicet dici recusent quod esse gaudent, quàm eos, qui hactenus rem simul & nomen ignorarunt tam pij mancipatus, vt dispiciant, an quidquam reperire possint vel DEO Virginique MARIÆ gratius, vel ad animæ suæ salutem vtilius, vel inter vitę huius amaritudines iucundius, quàm tradere se ac totos deuouere huic infimæ omnium seruituti, quâ se ex animo profiteantur, re ipsâ præstent, & verò signis exterioribus demonstrent mancipia Deiparæ Virginis, eiusque sanctissimi nominis MARIÆ, sub titulo & symbolo AVE MARIA: quod ego tantæ Dominæ & Reginæ obsequium dum præsto, eam suppliciter infimâ animi demissione rogo, vt mihi toties per peccata mea fugitiuo mancipio compedes suas iniicere, vinculis me constringere, ad ostium in catenâ habere dignetur; vt præ foribus tutelam gerens, valeam quàm plurimos in familiam eius seruituros admittere, & eos, qui tantæ Reginæ palatium vel furto honoris diuexaturi, vel aliâ quacumque ratione infestaturi videntur, quàm longissimè ab eâ repellere. Enimuerò ingenti mihi voluptati erit, si tot annos gregem Domini canis adinstar concionabundus secutus, iam fessus ætate & viribus fractus, possim ad fores tam eximiæ Dominæ veluti

Supremum autem Virginis MARIÆ dominium:

infima ergo ei debetur seruitus mancipatus:

quam mirum tam paucos profiteri.

Quod vti faciant, omnes hoc Libro adhortor.

oſtiarius canis excubare: vnde iam omnibus familiæ huic inimicis denuntio: *Caue, caue canem.* Vt tantò liceat iis tutiùs & ſecuriùs miniſteria ſua obire, qui ingenti ſuo bono voluerint in hac Sodalitate cæli terræque Dominæ famulari. Quem mancipatum quò alacriùs omnes ſuſcipiant, primùm illuſtria duo exempla proponam; quorum imitatione hęc inſtituta Sodalitas, breui temporis ſpatio creuit in ingentem mancipiorum numerum; tum inſtitutionem ipſam enarrabo.

CAPVT VI.

Semetipſum Virgini Deiparæ in mancipium conſecrandi forma, ex duabus antiquis repetita Hiſtorijs.

PRIMVS, quòd quidem ſciamus, qui ſolemni ritu ſeſe obſequio beatæ MARIÆ Virginis in mancipium dedicauit, fuit Marinus, B. Petri Damiani frater, ante annum 1072. quo, vti notat Cardinalis Bellarminus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Petrus Damiani obiit; qui lib. 2. Epiſt. Epiſtolà 14. ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem, ita narrat ex relatione Damiani item fratris ſui Archipreſbyteri: Alter frater meus, Marinus nomine, laicus quidem habitu, ſed timoratus, ſpiritu ingraueſcente, pulmonis ac pectoris valetudine tandem ad extrema peruenit. Intereà cuiuſdam diei iam illuceſcente diluculo, repentè cœpit quaſi cuilibet aduentanti gratulabundus aggliſcere, iucundanter hilareſcere, & feſtiuâ ſerenitate vultus alacriter aſſultare; mox & in verba prorumpens, cum magno animaduerſionis impulſu circumſidentes alloquitur: Leuate, inquir, leuate, ac Dominæ meæ reuerenter aſſurgite; deinde alioſum mutatæ vocis eloquium dirigens, aiebat: Et quid eſt, Domina mea, Regina cæli & terræ, quia viſitare dignata es pauperculum ſeruum tuum? Benedic me Domina mea, & ne patiaris in tenebras ire, cui lucem tantæ præſentiæ contuliſti. Cùm igitur huiuſmodi ſermones impleſſet, ecce Damianus, qui ſcilicet illi, ſicut & mihi, erat germanitate coniunctus, perſolutis Deo nocturnis officiis, ab Eccleſiâ redit. Quid circa fratrem languidum agereturm, inquirit. Ille verò certum ſe quidem de vicinâ morte teſtatur, ſed mox aduerſus aſſidentes probroſâ redargutione conqueritur: Heu, heu frater, inquir, quàm ignaros, quàm imperitos atque irreuerentes habemus & ſine diſciplinâ domeſticos: & tu vir ſtrenue Bonizo (erat enim illic inter eos diues quidam huius vocabuli negotiator) quomodo ſedere potuiſti ad Reginæ cæleſtis aduentum? venit Regina mundi, & vos aſſurgere neglexiſtis: venit Mater Redemptoris æterni, & vos eius præſentiam ignobilem deputaſtis. Ad quod Bonizo: Deliras, inquit, adhuc, & ægritudine dementatus hæc vana profundis; aut verum eſt fortè quod loqueris? nobis certè vana hæc videntur & friuola. Ad hoc ille; Num ignoratis, ait, quia languor iſte, quem patior, numquam alienare mentes ægrotantium conſueuit? Firmiter igitur, & abſque vllâ prorſus ambiguitate cognoſcite, quoniam Angelicis comitata veſtigiis beata Redemptoris noſtri me Mater inuiſit, hilaritatem mihi ſereni vultus oſtendit, benedixit me, & protinus abiit. Cumque paulò pòſt ille defunctus eſſet, ſenex quidam Preſbyter Seuerus nomine, qui nimirum ſpiritualis eius pater extiterat, retulit; quoniam longè antè, dum vegetus adhuc & ſanitate floreret incolumis, depoſitis nudatus exuuiis, collo corrigiam, quà cingebatur, innexuit, altari ſe beatæ Dei Genitricis velut ſeruile mancipium tradidit; mox ſe quaſi ſeruum malum coram Dominâ ſuâ fecit verberibus affici, dicens: Domina mea glorioſa, virginalis munditiæ ſpeculum, & omnium norma virtutum, quàm ego te miſer & infelix offendi per obſcœnam carnis meæ putredinem, & eam, cuius tu mater & auctor es, violaui mei corporis caſtitatem. Nunc itaque, quod ſolum remedij ſupereſt, me tibi famulum trado, tuæ ditionis

Marinus Virginem Deiparam ſe inuiſentem alloquitur.

Alios, quòd ei non aſſurrexerint, reprehendit:

aſſeueratq; ſe eam vidiſſe.

Quâ ratione ſe Deiparæ in mancipium conſecrauerit.

ditionis imperio subſtrati cordis colla ſubmitto. Flecte rebellem, ſuſcipe contumacem, nec tua pietas reſpuat delinquentem, cuius intemerata virginitas peperit veræ pietatis Auctorem. Per iſtud ergo munuſculum ſeruitutis meæ tibi nunc offero cenſum, & amodò ac deinceps, quoad vixero, certi canonis appendam annuale tributum. Quamdam ergo pecuniæ ſummam in altaris crepidine poſuit; & ſic, de miſericordiâ, quam quæſierat, confiſus, abſceſſit. En verum Mancipiorum D. Virginis patronum, qui tam inſigni, quo affectus eſt, præmio ſatis efficaciter hortatur, vt eius nos in vitâ mancipatui dedamus, cuius in morte tam opportunam exoptamus conſolationem.

VValterus de Birbach beatæ MARIAE *Virgini deditus.*

Alterum eiuſdem mancipatus exemplum refertur à Cæſario lib. 7. Hiſtor. memorab. cap. 39. vixit autem Cæſarius ad annum Domini 1222. & loco citato ait: VValterus, de Birbach villâ oriundus extitit, vir diues ac potens, & nobilis valdè, conſanguineus Henrici Ducis Louanij. Qui cùm eſſet militiæ ſæculari adhuc ætate florens deditus, & in eâ ſtrenuus ſatis atque nominatus, Dominam noſtram, ſanctam Dei Genitricem ſemperque Virginem MARIAM ab ipsâ pueritiâ cœpit inuocare, & ex intimo cordis affectu diligere, atque ieiuniis, eleëmoſynis & Miſſarum celebrationibus honorare. Licet enim corpore deditus eſſet torneamentis, corde tamen totus erat in obſequio B. Virginis. Hunc non ſolùm inferioris ordinis homines, ſed & Principes ac Reges venerabantur, audientes beneficia à Matre miſericordiæ illi conceſſa. Tempore quodam, cùm properaret ad quoddam torneamentum milites habens in comitatu, veniſſetque ad Eccleſiam quamdam, illos, vt Miſſam audire vellent, hortabatur: quod cùm recuſarent, moram tantam ſibi periculoſam eſſe prætendentes, illis recedentibus, ipſe manſit; Miſſam de Sanctâ MARIA ſibi cantari fecit, & obtulit, ſicque ſocios inſecutus eſt. Cui cùm aliqui de torneamento occurrerent, & hoc ex reſponſione illorum cognouiſſet, ſubiunxit: Eſtne adhuc inceptum? Dicentibus illis, etiam, reſpondit: Quis fortiùs ibi agit? Dominus VValterus de Birbach, aiunt; ipſe in ore omnium eſt, omnibus præfertur, ab omnibus laudatur. Aliis verò occurrentibus & ſimilia dicentibus, ſtupens admirabatur, quidnam hoc portenderet. Actum eſt ineffabili pietate B. Virginis, vt militem deuotum, in obſequio ſuo tardantem, interim torneamento honoraret, eiuſque abſentiam mirabili quadam virtute ſuppleret. Veniens tamen ad locum, armauit ſe, & intrauit, ſed nihil magni illic egit. Ludo verò expleto, quidam ex militibus hoſpitium eius intrauerunt, & vt ſecum mitiùs agere dignaretur, deprecabantur. Quibus cùm diceret, Quæ eſt cauſa petitionis veſtræ? reſponderunt: Hodie cepiſtis nos, & rogamus vt benè nos tractetis. VValtero negante, ac dicente, Ego vos non cepi, reſponderunt: In rei veritate nos hodie dextras vobis dedimus, nos ſigna veſtra militaria ibi vidimus, nos vocem veſtram ibi audiuimus. Et cognouit ſtatim hoc actum fuiſſe gratiâ B. Virginis, quam honorauerat in Miſsâ.

Miſſæ ſacrificio aſſiſtens inter haſtiludia mira ſtratagemata edere videtur.

Aliàs cruce à beatâ MARIA *Virgine donatur.*

Cùm alio quodam tempore, inter multos ſtans, Miſſam audiret, Sacerdos, vt in Canone, calicem leuauit, crucem auream ſub eius pede conſpexit; cui annexa fuit chartula hæc continens verba: Crucem hanc defer ex parte meâ (MARIÆ ſcilicet Matris CHRISTI) amico meo VValtero, militi prope Birbach. Quam cùm Sacerdos legiſſet, poſt completionem Miſſæ pulpitum aſcendit, & clamauit: Eſtne aliquis hîc miles, qui vocetur VValterus de Birbach? reſpondentibus quibuſdam, Ecce iſte eſt; Sacerdos eum ſeorſim duxit, crucem porrexit; & vbi eam inuenerit, vel quis miſerit, intimauit. Quam lætus ſuſcipiens, in Hemmenrode conuerſus, eam Abbati reſignauit.

Idem ſe in mancipium Deiparæ offert.

Hic igitur VValterus adhuc in ſæculo poſitus, conſiderans tanta circa ſe beatæ DEI genitricis beneficia, in tantum in illius amorem accenſus eſt, vt in quadam paupere Eccleſiâ, in eius honorem

P 2

norem dedicatâ, conſcio Sacerdote, fune collo ſuo iniecto, SERVVM GLEBÆ ſe illi ſuper altare offerret; ſoluens ſingulis annis cenſum de capite ſuo, qualem ſerui originarij ſoluere conſueuerunt. Et quia propter honorem Reginæ cæleſtis ſe tam valdè humiliauit, ipſa ſuum dilectum etiam glorificauit. Solitus erat in vigiliis omnium ſolemnitatum B. Virginis ieiunare in pane & aquâ, & ſæpè etiam in ſextis Feriis, ob reuerentiam Sabbati. Die quadam, ſeruus ieiunanti vas paruulum fictile cum aquâ obtulit; quam in eius manibus diuina virtus in vinum optimum conuertit. Qui cùm guſtaſſet aquam vinum factam, ſeruum ſecretò vocauit, & arguit, dicens, quòd ſibi vinum pro aquâ miniſtrauit. Quod cùm ille negaſſet, aſſerens ſe hauſiſſe aquam de ſitulâ, vas recepit, & effudit; ſicque aquâ puriſſimâ impletâ, vt ſecurus eſſet, prægustauit, & obtulit. De quâ cùm guſtaſſet ſicut priùs, vinum inuenit, & mox ſeruo iratus, ſic ait: Vt quid mihi illudis, ſecundò vinum pro aquâ adferendo? Ad quod verbum ſtupens ſeruus, cum iuramentis maximis negauit. Tunc primùm intellexit, ex multâ miſericordiâ Dei Genitricis hoc miraculum circa ſe geſtum. Adiurauit autem eumdem ſeruum, ne illud vmquam alicui homini, quoad viueret, manifeſtaret. Ex quo colligitur, quòd non fuerit cupidus inanis gloriæ. Audiens idem VValterus, iam mancipium Deiparæ, Ordinem Ciſtertienſem beatæ Virgini dedicatum, omnia quæ ſunt huius mundi, diuitias, honores & amicos ob illius amorem reliquit; & in clauſtro, quod alio nomine Hemmenrode dicitur, cuius fama tunc temporis clariſſima fuit, habitum regularem ſuſcepit. In quo Cœnobio, quàm humiliter ſit conuerſus, & conuerſatus, quàm feruens fuerit & obediens, & in obſequio B. Virginis deuotus, teſtes ſunt omnes Monachi eiuſdem Monaſterij. Pſalteria, Hymnos, Cantica & alias de Domina noſtra Orationes plurimas in probatione didicerat, quæ omnia ſtudioſiſſimè frequentauit. Miſſæ quotidianæ Dominæ noſtræ ſemper intereſſe voluit. Quidquid pænè loquebatur, ædificatorium fuit. Vt autem vixit, ita mortuus eſt ſanctè, ſemper Virgini Matri coniunctiſſimus, & acceptiſſimus. Vt cœpit infirmari, fide & charitate plenus, confeſſus atque contritus, beatâ Dei Genitrice eum vocante, de tenebris tranſiuit ad lucem, de fide ad ſpeciem, de labore ad requiem, de merito ad præmium, de mundo ad patriam. Vt autem poſteris commendaret DEVS hunc Matris ſuæ mancipatum, ſignis ſupra naturæ vires admirabilibus poſt mortem VValterum illuſtrem reddidit: quæ ab eodem Cæſario deſcribuntur.

Aqua ieiunanti oblata in vinum conuertitur.

Religioni ſe tradit;

in eaq; feliciter moritur.

CAPVT VII.

Congregationis Mancipiorum beatæ MARIAE *Virginis in Hiſpaniâ inſtitutæ admirabilis occaſio.*

INDITVM à naturâ mortalibus ſciendi quoddam deſiderium, ait Philoſophus, quod eos mirâ curioſitate exſtimulat ad rerum, quas ſenſibus vſurpant, cauſas ſubtili indagatione inueſtigandas; quibus inuentis ac clarè perſpectis acquieſcit, nimirum deſtructâ admiratione intellectus, quæ illum, non ſecùs ac fames ſolet appetitum impellere, inſtigabat ad quærendum veritatis pabulum, quo inuento ſcientiâ quodammodò exſaturaretur. In quo ſæpiùs eam, non ſine voluptate, adnotaui intellectus cum edendi appetitu ſimilitudinem; quòd eâdem ratione atque hîc, dum comedendo ſaturatur, guſtus quadam delectatione perfunditur, eò maiore, quò fames, ad cuius deſtructionem cibus aſſumitur, eſt maior, magiſque ſaturitati obluctatur, ex ipſo cibo validior quodammodò inſurgens, ac ſemper comedendo accreſcens: ita intellectus, dum in admirationis deſtructionem ſeſe ad ſtudendum, id eſt ad rerum cauſas inueſtigandum, accingit, eò maiore voluptate afficitur, quò acrioribus admirationis veluti appetitus ſtimulis incitatur, &

Innata homini curioſitas rerum magnarum cauſas inueſtigandi.

quò magis ex inuentione vnius noua ſemper admiratio naſcitur; quæ intelle-ctum priore ſcientiâ quodammodò paſtum, nouâ rurſum fame exſtimulet, & nouâ admiratione ſuſpenſum, ad vlteriora inueſtigandum impellat. Ex hac naturæ conſtitutione naſcitur illa curioſitas, quæ mortales iucundiſſimè in rerum magnarum inquirendis principiis tenet occupatos; vnde fit, vt ſcriptores ne humanitatis quidem legibus ſatisfeciſſe videantur, ſi vel viros rebus præclarè geſtis inſignes, vel Reſpublicas imperio inclytas, vel alia quæuis magna rerum molimina proponentes, non proditis eorum principiis, parentibus ac fundatoribus, quaſi ieiunum Lectorem dimittant. Excreuit iam (gloria ei ſit Filio, qui nuſquam ad Matrem honorandam fauorem ſuum ſolet denegare) excreuit eum in modum Mancipiorum B. MARIÆ Virginis numerus, vt ſine hyperbolicâ ſuperiectione poſſit inter res magnas locum ſortiri eius inſtitutio, ac mira propagatio. Vix enim inuentum aliquod, vix ſectam aut hæreſim, vix religioſum inſtitutum, vix praxim pietatis vllam aſſignaueris, quæ tam breui temporis ſpatio, tam auidè, à tam multis ſuſcepta fuerit, atque hæc Virgini ſeſe mancipandi ratio: quæ vix integro ſexennio, in Hiſpaniis nata, ad Belgas nauigauit; inde Germaniam, totque in eâ Prouincias & Regna peruaſit; Gallias petiit, in Poloniam penetrauit, Italiam inuiſit, Angliam irrepſit, denique ad Orientis atque Occidentis vaſtiſſimas plagas per tot terrarum aquarumque immenſa ſpatia profecta eſt; & omnium ordinum hominibus ita placuit, vt Pontifex ſummus eam non tantùm confirmauerit, ſed exquiſitâ oratione commendauerit, Reges eam inſtituerint, Reges propagauerint, Reges ex longinquo itinere Regnis ſuis intulerint, Principes ſæculares eius normam ſibi mittendam expetierint, Archiepiſcopi & Epiſcopi innumeri in ſuis Diœceſibus eam inſtituendam curarint, Religioſi diuerſorum Ordinum rarâ conſpiratione eam vel Sodalitatibus ſuis adſcripſerint, vel nouas de Mancipatu congregationes erexerint, infimi demum pariter ac ſummi ſeſe certatim Virgini mancipauerint. Quare nullâ ratione mihi de totâ Mancipatus ratione ſcribenti omittendum cenſui, tantæ rei prima prodere initia, ne curioſitate diutiùs detineam ſuſpenſas tot nationes; ad quas cùm impetu quodam pietatis pæne omnes ſimul in orbem propagatus hic Virginis Deiparæ cultus inundauerit, cunctas effecit quàm hauriendi tam cognoſcendi auidas, quonam tandem ex fonte tam dulces ac potentes aquæ emanauerint: quod eò ſuſcipio libentiùs, quia aduerto ex ipsâ rei ſcientiâ intendendam potiùs quàm deſtruendam admirationem, hærentibus cunctis, vtrùm magis ſit demirandum, an quòd pietatis exercitatio, quæ ſub omnium viliſſimo Mancipiorum nomine Deiparæ ſeruit, à celſiſſimo rerum humanarum faſtigio dimanarit; an quòd à paucis orta, inter contradicentium obices tam citò ad tam multos propagata ſit.

Res magna Sodalitas mancipiorum;

quia tam breui tot in locis,

à tot Magnatibus recepta.

Igitur prodenda eius principia.

Iacta erant, quemadmodùm ſuperiore Capite dicebam, iam olim à Marino & VValtero Mancipatus MARIANI fundamenta; ſed ea intra priuatæ pietatis clauſa anguſtias, veluti obliuionis terrâ tot ſæculis obruta delitеſcebant: cœpit ergo hoc ſæculo noſtro iis feliciter ſuperædificare ingentem familiam Mancipiorum B. Virginis, eiuſque dulciſſimi nominis MARIÆ, venerabilis M. Simon Rojas, Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis de redemptione captiuorum Prouincialis atque Vicarius generalis, nuper Cæſareæ ſuæ Maieſtatis, Iſabellæ Borboniæ, Hiſpaniarum Reginæ, à Confeſſionibus, nunc autem cælo receptus, ac frequentibus miraculis clarus. Vitam ſuam totam hic humillimus DEI ſeruus, vt erat zeloſiſſimum beatæ MARIÆ Virginis mancipium, ſingulariter meritiſſimo atque ſanctiſſimo nomini Dominæ ac Reginæ ſuæ conſecrauerat, nihil ex intimo corde deſiderans æquè ac nomen hoc, quà patet orbis, videre in ſummâ apud omnes

Quis Pater Simon Rojas.

 vene-

veneratione; tantumque consolationis accipiebat ad has solas voces *Aue Maria*, vt nulla rerum aduersitas animum ipsius vmquam afflixerit, quæ viam præcluderet supernæ lætitiæ radiis, qui cor eius illustrabant, simul atque vox ista vel leuiter aures pulsasset. Vnde factum est, primò, vt qui eum insigni aliquâ vellent voluptate perfundere, non aliter salutarent quàm venerabilibus hisce vocibus *Aue Maria*; tum scilicet ille miris incedere gaudiis, & vultu ipso præ se ferre, quam animo degustabat, ex MARIÆ nomine dulcedinem. Imò adeò res rediit, vt Augustissima Domina nostra Regina Margareta tam altè pij Patris conuersatione hanc animo deuotionem combiberet, vt ipsa sanctissimo hoc nomine Dominum nostrum (gloriosæ recordationis) Philippum III. salutare non reformidauerit: quam salutationem ipse, vt erat non minùs facto ad omnem pietatem ingenio, quàm vtriusque mundi Imperio magnus, non solùm aspernatus non fuit, sed etiam auidissimè arripuit, filiis suis communicauit; adeò vt in Aulâ istâ verè sanctâ frequentissimè audiretur hæc salutatio. Certè vt Pater Simon ad illam accedebat, studio quodam illi proles Regia obuiàm fiebat, certatim eum salutans: *Aue Maria, Pater Rojas.* Quæ res à Regibus facilè ad totam familiam Regiam emanauit; factumque est, vt versâ in pietatem humanitate, omissis ceteris titulis, non aliter maximus quisque eum salutaret quàm dulcissimo illo Reginæ cæli nomine. Mitto hîc opera supra naturæ vires admirabilia, quæ pius Dei famulus hoc sanctissimo nomine perpetrauit; quæ liquidò ostendunt, nomen illud fuisse in ore ipsius quod virga erat in manibus Moysis: omitto autem, tum quòd infrà suus illa attingendi futurus est locus; tum quòd ea intelligam particulari comprehensa volumine breuî in lucem edenda. Vnum tamen, quod & rei insolentiâ stupendum, & personæ cui contigit magnitudine venerandum, & occasione, quam inde Pater Simon huius Sodalitatis instituendæ arripuit, memorabile videtur, hîc non omittam. Accidit enim, vt eo in morbo, qui Augustissimæ Reginæ Margaretæ perituram hanc coronam eripuit, vt vertici eius immortalis & immarcescibilis imponeretur, illa nil minùs cunctis opinantibus grauissimo mali paroxysmo corriperetur, qui ei vocis sensuumque omnium vsum eriperet. Aderat Rex ipse, ceterique cum Medicis regiis cubiculi Præfecti, soliciti ac tristes; conclamatumque iam putabant de tantâ Reginâ, cui nihil vitæ præter exiguum spiritum supererat, qui testaretur adhuc eam cum morte confligtari. Interim dum sic iacet illa, magnum mortalitatis nostræ documentum, ecce tibi aduenit venerandus Pater Simon Rojas, quem inde Madrito vsque clementiore adhuc morbo iusserat Regina accersiri; & vt cubiculum ingreditur, more suo perquàm familiariter Reginam salutat pientissimâ suâ formulâ; *Aue Maria, Señora,* & illa (rem stupendam!) ipso instante, cunctis rei nouitate perculsis, more etiam suo reposuit, *Aue Maria, Padre Rojas:* tantumque valuit nomen hoc dulcissimum per hanc salutationis formulam auribus Reginæ instillatum, vt, præter omnium Medicorum opinionem, vires recuperauerit, potueritque peccata sua ritè confessione expiare, sanctissimum Altaris Sacramentum suscipere, ac distinctè cunctis iis interrogationibus respondere, quibus solent Christianorum animæ ad suscipiendam viam æternitatis confirmari, donec tandem placidissimè spiritum in manibus Creatoris sui ac Dominæ suæ amantissimæ reddidit; cuius humillimum, quamuis in rerum humanarum vertice constituta, sese gesserat Mancipium, nomini suauissimo MARIÆ singulariter deuota, atque egregio Mancipiorum symbolo *Aue Maria* creberrimo sermone vsa dum viueret. Non obiter rem tantam animaduerterat generosa Philippi Regis pietas; voluitque beneficium, præter naturæ vires sibi in lectissimâ suâ coniuge collatum,

...s salutat, & salutatus his verbis Aue Maria.

Rex iis à Reginâ salutatur.

Eâ salutatione per Patrem Simonem datâ, Regina vocem recuperat.

Hinc Patri optanti quod vellet à Rege facta potestas.

latum, totis ferè naturæ opibus recompensare: dedit enim liberam pio Patri electionem, vt è tantis quas ipse sub vtroque sole possideret opibus, quas vellet designaret, nusquam defuturam sibi gratificandi voluntatem, si modò nihil quod vires suas ac potestatem excederet, flagitaretur. O liberalitatem Principis inauditam! ô felicitatem Patris tot ambitiosis Aulæ sectatoribus inuidendam! Bis ego memini eamdem optandi potestatem factam mortalibus, Estheri ab Assuero, ab Herode verò saltatriculæ Herodiadi; sed neque comparandam Herodis potentiam, neque anteponendum Assueri Imperium isti Regno ego iudico, cuius Monarcha hîc eamdem ostendit liberalitatem; imò, si & causam cur fiat, & personas, quibus fit tanta facultas, contulero, rursus nihil Herodias quod conferat, nihil fortassis Esther habebit quod præferat venerandæ Patris nostri sanctitati: sed illa turpissimè perdidit, vel potiùs in Dei contumeliam & suam ruinam stolidissimè impendit rei tam benè gerendæ occasionem; Esther verò opportunè ad hostis sui mortem & populi Dei salutem conuertit tantam sibi factam potestatem: at Pater Simon, quò putatis vertet vota tam efficacia, quò inclinabit illam, quâ tanta fortuna vertitur, optandi libertatem? Mancipiorum est, quidquid arte, scientiâ, gratiâ valent, id totum in dominorum suorum obsequium impendere, si quid inde lucri fiat, nihil sibi ex eo suffurari; sed totum quantum quantum est ad dominum deferre, quandoquidem non alias possunt quàm domini vires & facultates ad lucrum faciendum adhibere: ostendit profectò, si vmquam alius quispiam, hic Pater Simon sese fidele MARIÆ Virginis Mancipium; iam enim totam potentissimi Monarchæ facultatem lucratus erat, iam optio dabatur, vt ex tot officiis honorificentissimis, ex tot præbendis lautissimis vnam aliquam seponeret futuram solatium honestissimum appropinquanti senectuti. Quid ille? cuius mancipium esset recordatus, nec

Ille petit institutionem Sodalitatis mancipiorum.

immemor cuius vi nominis tantam à Rege gratiam esset promeritus, in genua sese humiliter abiicit, & Regem obsecrat, si quo se fauore dignaretur, in hoc Regiâ suâ auctoritate adesset, vt posset à suâ Sanctitate impetrare simul facultatem congregandi per modum Sodalitatis Mancipia gloriosissimi nominis MARIÆ sub titulo *Aue Maria*, simul Indulgentias, quibus congregati iam in vnum animentur ad eas pietatis exercitationes, quæ Sodalitatis legibus erant præscribendæ. Quàm liberaliter promiserat, tam promptè Rex annuit piæ Patris Simonis postulationi: non enim facilè Principem reperias, in quo magis pietas cum Imperij magnitudine certauerit, quàm in hoc Rege, facto non tantùm ad omnia Maiestatis decora, sed etiam exercitia virtutis. Neque ceteri, qui interfuerant miraculo, Magnates passi sunt operam suam in tam piæ voluntatis executione desiderari: quâ eorum propensâ voluntate vsus Pater Rojas, ratusque, quod aiunt, ferrum dum calet cudendum esse, felicibus auspiciis ad maiorem dulcissimi nominis MARIÆ amplificationem fundauit primam Mancipiorum Deiparæ Virginis eiusque dulcissimi nominis MARIÆ Sodalitatem sub titulo *Aue Maria*, in Conuentu sanctissimæ Trinitatis de redemptione captiuorum Madriti: vbi sæculis omnibus, inaudito more, iucundissimo cælis spectaculo, nouo terris exemplo videre fuit Reges iugum seruitutis subire, & potentissimos Monarchas sese humillimè MARIÆ mancipia profiteri, quando Dominus noster (gloriosæ recordationis) Philippus III. primus B. MARIÆ Virginis compedes induit, ac manu propriâ se mancipium Deiparæ Virginis eiusque dulcissimi nominis libro Sodalitatis incripsit: quando patrem secuta generosa proles Philippus IV. cui DEVS & Domina eius B. MARIA Virgo diu fortunet orbis vtriusque Imperium, quando Serenissimi Hispaniarum Infantes Carolus & Ferdinandus, quando Infantæ Margareta & Maria, tot illustria

Primum beatæ MARIÆ Virginis mancipium Philippus III.

lustria nomina suo chirographo fassa sunt velle se beatæ MARIÆ Virgini humillimâ mancipiorum seruitute in perpetuum famulari: atque hæc fuête auspicatissima initia Sodalitatis Mancipiorum Deiparæ Virginis, eiusque dulcissimi nominis MARIÆ sub titulo *Aue Maria*; quam sua Sanctitas Paulus V. multis, vt deinceps videbitur, gratiis & Indulgentiis exornauit. Non potuit non vndique excire ingentem hominum turbam tam illustre & tam inauditum Regis regiæque familiæ exemplum. Concurrunt itaque omnis sexus & ordinis mortales, Principes misti plebeis, nobiles ignobilibus, laici clericis, nullâ honoris differentiâ, quòd omnes cuperent infimum seruitutis gradum, qui eos constitueret mancipium dulcissimi nominis MARIÆ. Destinata fuit Sodalitati huic propria dies, quæ in Hispaniâ octiduo ante CHRISTI Natiuitatem solemniter colitur sub nomine Exspectationis partus beatæ MARIÆ Virginis cum suâ Octauâ: quâ durante palàm proponitur augustissimum Altaris Sacramentum cunctis adorandum, habentur conciones de Verbi incarnatione, & excellentiâ sanctissimi nominis MARIÆ, adsunt omnes qui sese Mancipia profitentur, inter multos pauperes cibus distribuitur, plurimaque obeuntur pietatis exercitia, quæ latiùs descripta sunt in Sodalitatis huius constitutionibus: atque hæc solemnitas iisdem cum exercitiis repetitur tertiâ cuiusque mensis Dominicâ die. Neque stetit hæc pietas vnius congregationis contenta terminis, sed statim diffudit se per omnia Religionis sanctissimæ Trinitatis de redemptione captiuorum monasteria, totaque Castiliæ, Leonis & Nauarræ Regna occupauit; inuitante ad nominis sui famulatum mortales cunctos Virgine Deiparâ, plurima & exquisitissima vel per hanc congregationem, vel in Mancipiorum fauorem, patrando miracula, quæ luculenter satis attestantur Ordinariorum approbationes, & ea quæ tum vel maximè in templo Toletano suspensa visuntur anathemata.

Propagatur Sodalitas per Hispaniam.

CAPVT VIII.

Vlterior ad Indos Mancipatus propagatio; & quâ occasione ad Belgas descenderit.

EGO *Sapientia effudi flumina*, mysticâ interpretatione loquitur de se Virgo Deipara apud Ecclesiasticum 24. cap. vers. 40. *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, ego quasi fluuij Dioryx, & sicut aquæductus exiui de paradiso.* Quo id primùm auctore factum sit, iam vidimus, inuento institutore Mancipatus MARIANI; qui tamquam trames aquæ immensæ omnia Hispaniæ Regna inundauit. Verùm non quieuit hîc, amore ardentissimo Virginis accensus Patris Simonis spiritus: sed vt ignis est amor, ita naturam hanc flammæ æmulatur; vt si materiam semel aliquam corripuerit, per omnia ei vicina grassetur, quæ vbi depastus est, tum ardentissimis votis distantia quæque concupiscat, modumque quærat, quo se possit ad illa, quæ longè dissita sunt, extendere. Impleuerat iam, vt dixi, Hispaniam totam istâ Mancipatus B. MARIÆ Virginis deuotione; ad Indias vtrasque, quòd eas per Religionis suæ viros vtcumque contingeret, eam promulgarat; sed in Belgarum florentissimos agros, quòd ibi Religionis sanctissimæ Trinitatis quæ cum suis communicaret nulla essent monasteria, quâ viâ eam penetraret anxiè disquirebat, dolebatque, ista vti ad omnium artium disciplinam, ita ad omnem pietatis rationem mollissima Belgarum pectora tamdiu hac suaui tamque vtili pietatis exercitatione carere. Quid faceret? quâ ratione suam in eas partes Religionem extenderet non videbat; & quamuis videret, lentè tamen animaduertebat, eam, dum cum primis, vti fit, fundamentis luctaretur, posse ad eam instituendam pietatem peruenire, cuius ipse causâ reliqua moliretur. Dum itaque reliquos, qui in Belgio florerent, Religiosorum Ordines percurrit, occasione eius notitiæ quam

Zelus Patris Simonis ad inducendam Belgio Sodalitatem:

indicat mihi suum ed de re consilium.

quam mecum iniuerat, quòd & sorori meæ fuisset à Confessionibus, & quòd concionibus quandoque meis interfuisset, agere cœpit; num ego vellem, si destinarer in Belgium, Serenissimæ Infantæ (immortalis recordationis) Isabellæ Claræ Eugeniæ futurus à Concionibus, Sodalitatis Mancipiorum beatæ MARIÆ Virginis ibidem per occasionem instituendæ curam gerere. Ego sanè tam inexspectatâ oratione perculsus, erubui; & quid oneris, quibus humeris imponere meditaretur, an satis consideraffet, interrogaui: ille, quâ pollebat suauiter & fortiter, dum honor beatæ MARIÆ Virginis ageretur, persuadendi facultate, nescio quibus pietatis lenociniis ita vel fascinauit, vel deliniuit animum, vt iam onerum, quorum vel alterutri imparem me omnino esse certò sciebam, neutrum detrectarem. Dictum, factum. Vix consensum ille meum extorserat, res peragitur, litteræ expediuntur; in Belgium ego, vti venerandus Pater ille conceperat, mittor concionaturus. Hîc ego, si commemorare debeam quo animi sensu, quo pietatis ardore, quâ spiritus vehementiâ ipse vnicè abeunti commendarit, vti nullam, quæ huic Mancipiorum Sodalitati promouendæ opportuna videretur, occasionem prætermitterem, certè longam tepiditatis meæ texam accusationem, qui tam accensæ piissimi Patris voluntati, quamuis vtcumque conatus sum, tam frigidè tamen responderim. Iam enim si par ei spiritus in Belgium descendisset, repletum illud foret B. MARIÆ Virginis Mancipiis; iam vndique sonarent sacratæ illæ compedes, quibus hæc ad pietatem pronissima Belgarum indoles se totam in famulatum tantæ Dominæ deuouisset: iam, quod olim sanctus Rex Stephanus suam fecit Hungariam, Belgium non aliud esset, quàm beatæ MARIÆ Virginis familia; in quâ tot cernerentur ipsius mancipia, quot regio vniuersa numeraret capita. Non eò hæc dico, quòd diuinâ aspirante gratiâ nihil hactenus effectum sit: scio enim iam multis in locis quàm auidissimè arreptas esse compedes; scio libellos, quibus hæc deuotio præscribitur, vtrâque Belgicâ linguâ diuulgari; scio Reuerendissimos atque Illustrissimos Dominos, Archiepiscopum Mechliniensem & Cameracensem, Episcopos, Atrebatensem, Audomaropolitanum, & alios propositis Indulgentiis omnes ad tam pium exercitium inuitasse; scio diuersos Religiosorum Ordines studiosissimè hoc pietatis genus commendasse, & multa hominum millia seruitutem Mancipiorum professa tum argentarios, tum ferrarios fabros compedibus & catenis conficiendis fatigasse. Addidi enim professioni Mancipatus externa quædam catenarum & compedum indicia, aliaque ornamenta, quæ auidissimè à Regibus & personis Regiis arrepta, occasio fuerunt nouiter augendę illustris pietatis. Quæ ego omnia tamquam Apelles post tabulam intuitus, non sine ingenti spiritus consolatione immensas diuinæ clementiæ gratias agebam, quòd serui sui Patris Simonis iam cælo, vt miracula testantur, recepti precibus, exiguum nostrum laborem tam vbere sit fructu dignatus fecundare. Institui deinde anno 1626. in hoc Conuentu nostro Bruxellensi, eâ occasione & successu, quem inferiùs commemorabo, primam in Belgio Mancipiorum beatæ Virginis Sodalitatem, tum Illustrissimi Iacobi Boonen Mechliniensium Archiepiscopi approbatione, tum Sanctissimi Domini nostri Vrbani VIII. Indulgentiis & fauoribus stabilitam; & alteram iam, post diram illam direptionem, Thenis, eiusdem Illustrissimi approbatione; & mox in sancti Patris nostri Augustini, per Prouinciam Coloniensem, quæ totum includit Belgium, plerisque Conuentibus; ac tandem etiam Calloæ, postquam celebrandâ illâ omnium litteris & linguis victoriâ à Serenissimo Principe Ferdinando Austriaco Hispaniarum Infante anno 1638. recuperatum est illud oppidum, arxque validissima recepta: quas omnes Sanctissimus Dominus liberaliter summis locupletauit

& vehementer commendat.

Plus agere debuissem.

nonnihil tamen est effectum.

Compedes Mancipatui adiunxi.

Bruxellis instituta Sodalitas;

mox in pluribus S. P. nostri Augustini Conuentibus.

Q pletauit

Scriptione interim de eâ consultò abstinui.

pletauit Indulgentiis. Opus hoc tamen, quo omnis istius pietatis, quâ se multi iam in mancipia consecrant, tum in Hispaniâ, tum in Belgio, ac alibi, originem modumque accuratiùs describerem, nondum impetrare poterant amicorum preces, vt publicam in lucem emitterem: malebam enim, vt nonnullorum etiam pietate & doctrinâ conspicuorum hominum vellicata sermonibus noua pietatis exercitatio, dum auctor eius lateret, sine inuidiæ fauorisque humani rationibus ipsa sese diuinis, quæ mancipia experiuntur, fauoribus firmaret, & paulatim ab iis etiam, qui aliàs contradicturi videbantur, foueretur; quàm vt quidam contradicendi prurigine in eius auctorem insurgentes, pietatem ipsam suffocarent: nullam enim hîc meam, sed solam nominis Dominæ nostræ Virginis MARIÆ, vti à venerando Patre Simone Rojas commendatum habebam, spectaui gloriam. Iam verò, cùm non extra controuersiam tantùm, sed etiam supra inuidiam esse videatur, tot in ciuitatibus receptum, à tot religiosis hominibus commendatum, à multis etiam Episcopis priuatâ pietate institutum, sese Virgini in mancipium deuouendi exercitium; tempus visum est esse, vt piissimo P. Simonis Rojas desiderio,& iustissimæ Infantum Hispaniæ Isabellæ Claræ Eugeniæ & Margaretæ voluntati tandem satisfaciam: quarum illa verbis sæpissimè, hæc etiam scriptis epistolis id vnicè à me flagitarunt, vt de totá hac deuotionis ratione iustum aliquod volumen conscriberem. Non pigebit hîc tum venerandi Patris, tum Infantis Margaretæ litteras adscribere; partim, quòd non mediocriter ad exercitij huius commendationem faciat, tantæ dignitatis & sanctitatis personas ei deditas fuisse; partim, quòd inde constabit me, quamuis aliàs cessare cuperem, non potuisse diutiùs tantis auctoribus non obtemperare: quarum voluntati, vti sæpè dolui, doleoque, quod nequiuerim dum viuerent satisfacere, ita post obitum illarum, tantillum otij nactus, pænè sacrilegium putarem, non obsecundare.

Cur tandem eam susceperim.

Litteræ venerandi Patris Simonis de Rojas.

AVE MARIA. *Benedictus sit* DEVS; *cuius dexteræ imputo eam consolationem, quam percepi ex lætissimo nuntio, qui refert, tandem vestram Paternitatem ex maximis suis meritis atque ardentissimis votis meis auctam esse dignitate Concionatoris ordinarij suæ Celsitudinis. Haud equidem dubitabam ego de rei euentu, morarumq́, quas nectebat Serenissima Princeps Elisabetha, magis tædebat me, quàm pœnitebat. Quippe Infanta, cùm filia sit Philippi II. ac imitatrix virtutum, heresque prudentiæ ipsius, quamuis abundè hîc esset de virtute ac doctrinâ, ceterisq́ Paternitatis vestræ dotibus instructa; voluit tamen prætereà rursus secretò de iis inquiri, nec tantùm vitam in Religione laudatissimè actam, sed etiam quæ eam præcesserunt vsque ad ipsos natales examinari: neque his acquieuit, sed prætereà in Aulâ suâ re ipsâ periculum faciendum putauit, an tam magnificæ, quæ vndique adferebantur, commendationes non plus fauoris & gratiæ continerent quàm veritatis. Imitanda sanè omnibus regnantibus femina prudentia, quæ simul ingenti solatio sit Principum ministris, quòd nimirum certo persuadere sibi possint, perspectos se ac probè cognitos negotiis adhiberi, vnde sibi polliceantur diuturniorem eius beneuolentiam, ac maiorem ex obsequiis suis Regi ipsi ac Reipub. vtilitatem. Quantum ad Paternitatem vestram spectat, etiam est, quod, præter iam dicta, eam singulari er habet obligatam, vt Deo Virginiq́* MARIÆ *Dominæ meæ particulares gratias persoluat: nam à Virgine* MARIA *est, mi Pater, quòd sua Celsitudo licet iam statuisset, præter tres quos habebat Concionatores, patris exemplo, neminem alium admittere, quòd hinc tantas commendationes Paternitas vestra acceperit, istic tam rara virtutum, prudentiæ, doctrinæ experimenta dederit, vt sententiam sibi Princeps mutandam*

esse

esse censeret, ne fructu, quem ex Paternitate vestrâ sperat, fraudaretur. Cælitus enim quæsita est via perficiendi duo illa, quæ sæpiùs Paternitatem vestram suppliciter rogaui. Primum est, vt instituatur in Belgio Sodalitas Mancipiorum Deiparæ & dulcißimi nominis ipsius MARIÆ, *dedicata Angelicæ salutationi* AVE MARIA. *Alterum, vt Paternitas vestra impendat talentum suum, litterarumq́; studia ac totam pietatem quâ fertur erga Virginem, communem Dominam* MARIAM, *ad eruendam originem ac antiquitatem eius consuetudinis, quâ vocet se quis Virginis* MARIÆ *mancipium, ad describenda item officia atque obsequia, quæ requirit hic Mancipatus vt præstentur Dominæ à mancipiis. Quandoquidem diuinæ Maiestati placuerit, iterùm repeto, mi Pater, te ingenio ac scientiâ donare ad opus hoc necessariis, desideriumq́; largitus sit, quo cupit in Matris eius obsequio non vulgares edere operas, prorsus est necessarium vt materiæ huic te impendas, edásque in lucem librum de Mancipatu Reginæ Angelorum: opus profectò dignum seruo ac mancipio eiusdem Virginis; quæ, precor, Paternitatis vestræ conatus secundet, vt amplißimos faciat in istâ Belgij vineâ fructus pietatis: quod precor & oro diuinam Maiestatem, quæ Paternitatem vestram cumulet gratiâ & sanctitate. Madriti 5. Februarij 1624.*

Quàm suauiter blanditur, &, nisi obstaret perspecta omnibus & miraculis comprobata sanctitas viri, pænè dicerem adulatur, vt eam scriptionem exprimat, quam, propter iam commemoratas rationes, ego differebam: in Sodalitate instituendâ, quâ posteà narrabitur occasione, petitioni eius & desiderio meo quàm potui citissimè satisfeci. Notanda in hac epistolâ prudentia Elisabethæ Principis (cuius ego virtutum commemorationem, quòd à fauore ac liberalitate ipsius, omnis pænè Sodalitatis nostræ fundamentis accessit splendor & dignitas, ab hoc opere nequaquam existimo alienam) facilè enim iudicari potest quàm familiæ suæ ordinandæ, Belgio regendo, Consiliariis & Magistratibus eligendis, constituendis Ecclesiæ Prælatis adhibuerit curam, quæ tam sollicitè de vno Concionatore, priusquam eum admitteret, inquisiuerit. Sed de virtutibus eius sæpiùs, ac per occasionem latiùs; nunc alteras do ex multis litteras, per quas mihi non licuit hoc scribendi onus excutere.

Litteræ sororis Annæ, Serenissimæ Infantæ Margaretæ à Secretis.

Admodum Reuerende Pater, nusquam non libentißimè obedio suæ Celsitudini; sed in hoc exequendo mandato singularem percipio consolationem: voluit enim me suo nomine Paternitati vestræ scribere ea quæ hîc mea insero epistolæ.

Litteræ Serenissimæ Infantæ Margaretæ.

Probè mihi cognita & perspecta est virtus tua & doctrina, singularísque pietas quâ ferris in Mancipatum beatæ MARIÆ *Virginis, quantumq́; præterea laboraueris, vt Sodalitatem Mancipiorum nominis* MARIÆ *in Belgio institueres; quodq́; plurimis in ciuitatibus ad tuum exemplum Sodales Virgini mancipentur: cuius rei primùm gloriam, vt par est, omnem ad Deum refero; deinde tibi gratulor, quòd per te potißimùm voluerit ita Matris suæ obsequium amplificari: & iterùm gratias ago, quòd aptè coronam minorem duodecim stellarum, quam nuper transmiseram, orationi Sodalitatis tuæ inserueris, atque duo pietatis exercitia in vnum conflaueris. Sed ne putes te iam vel desiderio meo, vel officio tuo fecisse satis, tùm restet conscribendus liber de origine Mancipatus* B. MARIÆ *Virginis: scio quid aptitudinis ad rem tam arduam clausum geras in pectore; propterea non satis probare possum eam humilitatem, quâ refugis præli lucem, arbitrarisq́; te obsequio beatæ* MARIÆ *Virginis satisfecisse, si libellos quosdam manuscriptos spargas, quæ paucis veniant in manus. Non me latet, quòd Gallicâ ac Flandricâ linguâ*

ab aliis, qui fortè ipsum ignorant auctorem, passim imprimantur; sed nihil hoc est pro eo talento, quod Deo visum est tibi communicare, non vt abscondas, sed vt eo prosis quàm plurimis. Quòd si hac petitio mea non satis habeat apud te ponderis, prævalebo maioris ponderis auctoritatis: nec, præmoneo, vllum permittam effugium, cùm decretum sit scribere Serenissima Infanta Elisabetha cognata mea, vt hoc ipsum à te petat; & si petere est leue, pro eâ quâ valet auctoritate, præcipiat, ne quis restet excusationi locus.

Pergit soror Anna.

Non potest, nec debet vestra Paternitas tam armatis precibus resistere; cùm vtraque Princeps tantum Paternitati vestra tribuat, vt plurimùm sit illis obligata: quod ego, ob cognitionem chartarum, quas sua Celsitudo ab Elisabethâ Infantâ recipit, quasq; ipsa remittit, non possum ignorare: erit itaque, Pater mi, iustissimum, precibus & mandato earum obsequi, ac in parte felicitatis reponere, quòd rem præcipiant, quæ ita cum pietate vestrâ concordet, tendatq; ad tam singulare obsequium Filij ac Matris Dei, *qui Paternitatem vestram suâ protectione circumdent, augeantq; cælesti gratiâ. Madriti 25. Martij 1628.*

CAPVT IX.

Superiorem Germaniam, deinde Poloniam VVladislai Regis operâ peruadit Virginis Deiparæ Mancipatus.

HISCE ac sæpiùs iteratis eiusdem argumenti litteris, & creberrimis Serenissimæ Infantæ Elisabethæ Claræ Eugeniæ vocibus pænè coactus, impulsusque imperiosis amicorum precibus, ac super omnia excitatus ardentissimo Dominæ meæ seruiendi desiderio, optaui semper omnibus aliis negotiis ideò liberari, vt possem totus huic Dominæ meæ negotio tamquam fidele mancipium incumbere: sed cùm hactenus Serenissima Infanta Isabella Clara Eugenia, & post eam Serenissimus Princeps Ferdinandus Infans Cardinalis, ex Domini nostri Philippi IV. voluntate, aliis quibusdam me voluerint distineri, quibus illi iudicabant ab hac mediocritate nostrâ sibi præstari posse obsequium, debui publicam tantorum Superiorum obedientiam priuato affectui posthabere, & succisiuas tantummodò horas suffurando, monstrare quòd ibi esset affectus, quò semper aliis vtcumque solutum deuolueretur studium, atque ita tardiùs profero in lucem opus illud, propter quod sæpiùs exoptabam lucis huius vsuram mihi prorogari. Intereà temporis solans scriptionis tarditatem celeritate propagationis pij istius exercitij, gauisusque hanc auctoris ipsius ignorationem, quemadmodum dicebam, etiam conducere ad amplificationem mancipatus Mariani, gratias agebam Dominæ meæ, quòd moras, quas inuitus faciebam, ita verteret in obsequium suum, vt earum non foret pœnitendum, licet vel de industriâ adhibitæ fuissent. Neque enim puto septem Mancipiorum exercitia, & nominatim Sertum duodecim stellarum, & ipsa Mancipatus ratio, aliaque nonnulla tot linguis versa, ad tot nationes tam breui peruenissent, nisi mihi quasi furtim erepta, vt fit, eo ipso appetitum multorum excitassent; neque catenulæ, rosaria, & compedes fortè tam citò omnium nationum & Religiosorum manibus inductæ, aliisque traditæ & commendatæ fuissent, si statim cum iis manasset in publicum, à cuius religionis nationisq; homine hæc insignia mancipatui Deiparæ, qui iam, vt dixi alibi, sine istis vigebat, fuissent addita: non quòd Hispani vel Augustiniani nominis non satis magna sit dignitas, vt de vtrolibet cum religiosâ modestiâ etiam non liceat gloriari; sed quòd sæpe alia sint, quæ spectantur vel in ipsis pietatis exercitiis, cur minùs promoueantur, quando constat vnde prima eorum institutio proficiscitur. Occultè ergo, & quasi per cuniculos, priùs catenas

Ipsa scribendi tarditas vtilis fuit ad propagandum mancipatum.

nas liberrimæ seruitutis plurimorum manibus iniecimus, antequam scirent per quem caperentur. Quamquam non omnia clanculùm gessimus: nam & primæ Sodalitatis Bruxellis anno 1626. institutio in luce & splendore facta est nobilissimæ ciuitatis, & inde à Germaniâ & Luxemburgo, deinde ex ipsâ etiam Hispaniâ, quia non pauca priori institutioni addideram, petita formula nostro modo se Virgini mancipandi; postremò, Serenissimo VVladislao Poloniæ tum Principi, nunc Regi, quando Belgium anno 1625. inuisebat, à me adhibita supplicatio, vt redux ad suos dignaretur hanc mancipatus B. MARIÆ Virginis rationem ante omnes, quas longo itinere acceperat, nouitates in Regno suo propagare. Liceat hîc mihi Hispano, & Domus Austriacæ clienti, verbo egregiam Domus istius inclytæ amici & consanguinei Regis pietatem commemorare. Qui profectò, si quis vmquam, ostendit quàm vanè sibi quædam stolidissima capita persuadeant, religionem & pietatem potentibus bellicosisque Principibus, qui simul ingenio valeant, numquam ad animum descendere, sed tantùm in rebus gerendis haberi obtentui, vt eam statui, vt vocant, accommodent, & non potiùs statum vitamque vniuersam ad religionis pietatisque propagationem adhibeant: vix quidem ego, fateor, fidem speratem ab iis qui hæc nostra lectione suâ dignabuntur, nisi viuum spirantemque, & propagatâ pietate triumphantem Inuictissimum VVladislaum Regem putarem omnibus satis esse locuples eorum quæ dicam testimonium; neminemque existimaturum, vt nihil dicam aliud, religiosæ professionis hominem eò deuenturum impudentiæ, vt mentiri auderet aduersus tanti Regis conscientiam. Audiat ergo quæ dicam Belgium, & in quo Domini anno 1625. numeris suis omnium absolutissimi Principis coluit virtutem, in eo nunc Rege veneretur Apostoli MARIANI zelum & pietatem. Audiat Polonia, & gaudeat istâ

Fuit hic à Germanis expetitus.

& VVladislao Regi Poloniæ commendatus.

Cuius pietas & ingenium refutat politicorum errorem.

suâ felicitate; quòd pientissimo parenti eum substituerit filium, qui hoc ipso quòd propagandi Regni B. MARIÆ Virginis sibi curam desumpserit, subditis suis stabiliuit hoc quod regendum suscepit Imperium. Audiat orbis terrarum, & tam illustri in loco positum æmuletur exemplum mancipij MARIANI. Felicibus auspiciis Bruxellas appulerat, quem dixi, Serenissimus Princeps VVladislaus, modò Poloniæ Rex, salutemque regiâ magnificentiâ & humanitate à Cognatâ suâ Elisabethâ Hispaniarum Infantâ acceperat, & dederat: sequuntur gratulationes, ludi, festa, & alia quæ ex vtriusque hospitis dignitate non minùs humaniter Infanta Elisabetha imperabat, quàm Belgium, vti Martis campus, ita clarissimum suæ, Hispanæ, Italæ, Anglicæ, ceteræque nobilitatis theatrum gloriosæ, exhibebat. Intereà mihi omni propagandi mancipatus beatæ MARIÆ Virginis occasioni intento arduum sanè incidit consilium; quod vt omni temeritatis culpâ expurgarem, primùm supremam meam in cælis Dominam MARIAM, deinde alteram in terris Elisabetham, cuius vbique, sed maximè vbi pietas agebatur, maternum expertus fueram affectum, consulturus adeo: cumque nec illa tacito vllo instinctu contradiceret, & hæc etiam apertè consilium probaret; munuscula, quibus molles faciam aditus, paro, scapularium, vt vocant, quod ego à venerandâ Dominâ Annâ de sancto Bartholomæo, ipsa à sanctâ Theresâ acceperat, Sodalitatis mancipiorum orationem, rosarium & alia quædam mancipatus MARIANI indicia conficio: ad Principem tantum vix aliâ quàm priuati Religiosi personâ notus accedo, munuscula expedio; breuiter quid instituti detulerim ad Belgas, quâ pietate ab Hispaniæ Rege colatur, quò gustu Serenissima Infanta susceperit, doceo; humiliter rogo iniciat in compedes hasce regios pedes suos, & manicis induat Poloniæ sceptrum, vt piè ominabar, gestaturas manus. Quid plura? quæ dico benignè audit, quæ adfero

Eius in Belgium aduentus.

Quâ ratione ei mancipatus beatæ MARIÆ suscipiendus.

humanissimè capit, grataque ea præ ceteris sibi esse munera ostendit. Ego successu lætior & fidentior pergo, petoque vti propagandi hunc Virginis MARIÆ Mancipatum apud suos curam suscipere, ac præterea procuratorem se apud Romanum Pontificem promittere ne dedignetur, ad impetrandam facultatem Officij Duplicis de nomine MARIÆ recitandi: & ecce, quod prætet humanitatis atque obseruantiæ leges superciliosè cuilibet proposuisse viderer, adeò seriò pientissimus Princeps suscepit, vt nequaquam intra humanitatis verba claudendam eam curam mihi Infans Elisabetha postea ausa fuerit spondere; & liberauit eam seque fide zelosa Regis pietas. Iam enim compedes toto Poloniæ Regno sonare audimus; iam fragmenta exercitiorum nostrorum istic excusa legimus; iam Polonos eâ super re Legatos ad Pontificios pedes abiectos Roma vidit; iam Societatis IESV Patres, non segnes cultus Dei Deiparæque Virginis propagatores, ac nominatim Reuerend. P. Stanislaum Phœnicium, ex Reuerendi Patris Cornelij à Lapide (vir, cuius laudes hîc per transennam attingi non debent, quia libros merentur) datis ad me epistolis intelligimus, Mancipatui propagando istic incumbere, & etiam quædam meditari: quæ publici vsus facta vbi fuerint, spero non exiguæ fore ad rem nostram vtilitatis. Intereà hortarer ego lubenter Reuerendos Patres istos eâdem quâ Regem eorum adhortatus sum fiduciâ, vt diligenter velint in hanc Spartam exornandam incumbere, quâ felici coniunctione simul beatæ MARIÆ Virginis imperium atque dominium, simul Regis sui inuictissimi ac pientissimi propagabunt nomen & gloriam, imò stabilient Regnum, augebunt victorias, felicitatem miris accessionibus cumulabunt, quando ipsorum industriâ augebitur istius pietatis fructus, quam ille ab vsque Belgio primus Regno suo intulit, in eoque propagauit. Tu autem Serenissime Rex (sine vt te rursus absentem possim compellare,

& in Regno suo propagandus proponitur.

Facturum se promittit,

& fecit.

Mancipatus in Poloniâ propagatio.

Adhortatio ad Regem Poloniæ.

quem præsentem tantâ humanitate dignatus es) macte istâ tuâ tantâ virtute; & Virginem istam omnium Regnorum Præsidem, & Regni etiam, vt posteà monstrabimus, tui stricto iure, siquidem eo in terris vti voluisset, Reginam ardentissimâ pietate cole, eius te humile mancipium profitere, compedes & catenas ipsius sceptris ac coronis tam iis quæ possides, quàm iis quæ ipsâ Virgine pia arma tua prosperante hostium tuorum manibus es erepturus, semper præpone; ac sæculo nostro omnium vitiorum nequitiâ perditissimo ostende etiamnum solidam pietatem inter præcipuorum Regum diademata radiare; & Austriacis sociatus, aliquando Christiani nominis hostes doce Dominam vestram esse, quæ, veluti castrorum acies ordinata, leui spiritu omnem mancipiis suis contrariam difflare solet potentiam; vt tandem per vastissima Turcarum Imperia nominis MARIÆ Apostolus propages eam pietatem, quam primus Regno tuo intulisti. Vt autem ad rem redeam, vnde me nonnihil tam admiranda tanti Regis pietas abduxerat; dum ita ego actioni intentus à scriptione abstineo, priuato vbique nomine & pietate plurimi beatæ MARIÆ Virgini mancipabantur: intereà nusquam non omnia rimabar, omnia excutiebam, si fortè alicunde suggereretur publicè Mancipatus Sodalitatem instituendi occasio, & sæpè cum Serenissimâ Dominâ meâ Infantâ Elisabethâ, quæ operam suam prolixè mihi addixerat, querebar, tam tardè votis meis me posse satisfacere; cùm ecce occasio offertur, quam sedulò vrgendam ratus, tandem ad optatum finem perduxi, eo quo iam narraturus sum ordine.

CAPVT

CAPVT X.

Venerandæ Imaginis, quæ dicitur beatæ MARIAE *de Bono successu, in Belgium aduentus; & quâ ratione Serenissimæ Infantæ Elisabethæ eius sit facta oblatio.*

Admirabilia diuinorum attributorum sunt opera,

NIHIL molitur Artifex iste vniuersi admirabilis, quod illicò non det in stuporem sapientem operum eius speculatorem: nam si potentiæ eius aspicias miracula, vt molem vniuersi, vt cælorum altitudinem, solis astrorumque lucem, maris vastitatem, terræ firmitudinem prætereas, quis vllâ ratione indagare poterit, quid sit, tam magna, tam multa, tam varia de nihilo, nullâ præiacente materiâ, producere? Si ad bonitatem conuertare, nihil est in hominum redemp[illegible], Filij DEI incarnatione, Euch[illegible]stiæ institutione, totque salutis nostræ remediis non diuinum, & ab omni creatâ intelligentiâ quàm longissimè remotum: idem dicendum erit, si ad aliorum attributorum obiecta respiciamus, quæ habent quamdam cum externis operibus conuenientiam. Sed nihil mihi inter omnia iucundioris admirationis semper est visum, quàm stupenda prouidentiæ eius administratio: de cuius abditissimis decretis quemadmodum, priusquam executioni mandentur, statuere aut iudicare temeritatis est non tolerandæ; ita (postquam ad finem eum peruenerunt, quem infallibili ipse scientiâ præuiderat, & irrefragabili voluntate definiuerat) stupendas rerum nobis fortuitarum euolutiones euentusque admirabiles recogitare incredibilis est iucunditas cernentibus, quàm fortiter & suauiter tandem eò rem deduxerit, quò eam ab omni æternitate voluerat peruenire. Quas inter res longè anteà dispositas, admirabilibusque casibus ad finem perductas, numerandam esse collocationem Imaginis beatæ Virginis MARIÆ de Bono successu in templo Conuentus sancti Augustini Bruxellis meritò censebit, quisquis solerter ad ea quæ narraturus sum mentem aduerterit: quà in narratione non aliam postulo ab ista legentibus fidem, quàm quæ homini religiosæ professionis, probè scienti Virginem MARIAM mendaciis aut fictis non egere fabulis ad laudem suam, iurato, & testibus etiamnum viuentibus, si quid fingeret, coarguendo, debetur. Pressa longâ ac difficili obsidione Breda, illustre Brabantiæ oppidum, tandem sese legitimo Principi, malæ fidei possessoribus erepta, subdiderat, cùm Serenissima Princeps Elisabetha Clara Eugenia longo itinere censer sibi eam primùm, deinde Dunkercam adeundam; vt hîc maritimas, ibi terrestres vires & copias cognoscat, & constituat. In vtraque profectione rem (quod posteà clariùs patuit) ita dirigente Numine, per Illustrissimum Cæsariensem, maiorem, vt vocant, Aulę Sacellanum, mihi mandat vti adsim: promptè ego mandata executus, variis quos faciebat flexibus Dunkercam peruenio; ibique, quòd religionis sancti Augustini non sit [illegible] eo oppido Conuentus, apud Capitaneum quemdam, cui nomen Ioannes Garcia, sum hospitatus. Huius in domo, nonâ Octobris anni 1625. sub meridiem mensæ hospitali assederam, cùm ecce puer missus ad me à Vincentio Anziundo, qui nuntiaret, dominum suum, classis Regiæ Inspectorem & Computatorem, iam Viatico ad iter immortalitatis instructum, mox extremâ Vnctione ad morti præuium agonem corroborandum, id vnicè petere, ne grauarer ipsum, quamuis ignotus, ignotum ante mortem visere, quòd communicandam haberet eiusmodi rem, propter quam speraret fore, vt non pœniteret tantillum molestiæ exhausisse. Ego Regis ac Principis Elisabethæ hîc rem agi ratus, quorum salutem capitis dimicatione defendere gloriosissimum arbitrabar, eorum commodis refectionem corporis non existimaui præferendam: itaque mensam, vt erat, instructam deserens, propero ad designatas à famulo ædes; vbi plus etiam agebatur quàm fueram suspicatus,

& prouidentiæ effectus maximè admirabiles,

Inter quas est huius Imaginis ad PP. Augustinianos delatio.

Iter Infantæ Dunkercam:

vbi Regiæ classis Inspector ægrotat:

tus, coniunctа ſcilicet cum Principis Eliſabethæ obſequio alterius meæ Dominæ gloria; cui vel tantillum augendæ exoptandum eſt vel ſanguinem impendere: quod ſtatim ab ægro verbis, quæ frequentes interrumpebant lacrymæ, intellexi. Vix enim, factâ de more in ipſo ingreſſu pro decumbenre oratione, iuxta lectulum eius aſſederam, cùm ille: O mi Pater, inquit, non ſine prouidentiâ Numinis ſingulari factum eſt, vt Sereniſſimæ Principi in hoc itinere ſocius adiungerêre, quod ipſe ex iis quæ iam exordior non obſcurè iudicabis: nam, ſi placet, hanc Imaginem mecum venerabundus intuere (oſtendebatque inſignem maieſtatiſq; plenam Dei genitricis Filium amplexæ ſtatuam, coram quâ iam genua flexeram.) Hæc, inquit, ſtatua, per quam infiniti mortales ſalutem à benigniſſimâ, quam refert, Virgine impetrauerunt, mihi morbi huius totiuſque periculi eſt cauſa. Ego miratus ſermonis inſolentiam, & quid inquam, ô bone, quid tantum in Virginem peccaſti, quòd Arca Domini ædibus tuis illata, tibi perditionis ſit cauſa, cuius figura domum Obededom & Dauid repleuit benedictionibus? Et ille, imo pectore ſuſpirans, Peccaui, reſpondet; ſed peccati grauitatem & admirabilem Dei prouidentiam ex facti hiſtoriâ Paternitas veſtra intelliget. Fuit enim hæc ſtatua multos per annos, imò ſæcula, in Abtedoniâ, Scotiæ vrbe, ob antiquitarem ac miraculorum frequentiam venerabilis; nam pænè ſexcentis annis in Cathedrali ciuitatis illius Eccleſiâ fuit omnibus commune miſeriarum perfugium: exindeque res accidit, quæ vehementer intendit populi erga eam reuerentiam; nam prætetquam quod vni ex vltimis, qui orthodoxam fidem profiteretur, ciuitatis iſtius Epiſcopis perhibetur locuta fuiſſe, etiam inualeſcente ac prædominante ibidem hæreſi, cùm eam ſectarij vellent loco dimouere, more ſuo ludibriis excepturi, omni quem adhibebant conatui illa reſtitit, donec Catholici eam deinde facilè ſequacem clàm auferentes ſtudioſè abſconderunt; ſed ſtudioſiùs eam quærentibus hæreticis, conſtitutâ etiam pro indice pecuniâ, euenit, vt eius conquiſitores domum ipſam, imò cubiculum, in quo repoſita erat, intrarent, nec tamen eam conſpicerent. Admirabar ego ſingula, & venerabar in vnâ ſtatuâ tot prodigia; exquirebamque, quî tandem pignus tam egregium in manus eius perueniſſet? Audies, inquit ille, mi Pater, ſi me ſinas continuam miraculorum ſeriem pertexere. Nam non minùs in futurum ſolliciti, quàm præſenti euentu gaudentes Catholici, vnanimi conſilio ſtatuunt (ita refert Guilielmus Laing natione Scotus, in patriâ ſuâ Agens ſuæ Catholicæ Maieſtatis) eam ſtatuam, quam nonniſi periculoſiſſimè poſſent in poſterum abſcondere, nullo pænè in tenebris cultu venerandam, in Belgium Sereniſſimæ ac pi[illegible]ſſimæ Infantæ Eliſabethæ dono [illegible]ere. Dictum, factum. eam naui imponunt. Ego à Capitaneo, cui Antonio Rocaheghe erat nomen, per litteras ad patrem ſuum miſſas redditus certior, quantum pignus veheret, auidè nauis iſtius aduentum præſtolabar. At illa tanto onuſta miraculo non poterat niſi miraculosè portum hunc attingere: tot enim agitata tempeſtatibus, tot impetita eſt hoſtium tormentis, vt Capitaneum plurimoſque milites, maiorem malum veláque amitteret, & foraminibus plurimis vndique mare admitteret. Dixiſſes, voluiſſe oſtendere Virginem MARIAM, quæ nauis talem Imaginem veheret, eam non egere alio vel ad pugnandum præſidio, vel ad nauigandum auxilio. Appulit itaque tandem, quemadmodum dixi, lacera & exarmata nauis; quod ego non citiùs intellexi, quàm me ad eam contuli; hanc ipſam ſtatuam conquiſiturus. Reperi, & domum meam deferendam curaui; collocauique in hoc, quod modò eam ſuſtentat, altari: habuique, pro eo quod meretur, in exiguo, pro viribus tamen magno in honore ac veneratione; nec in eo aliter me peccaſſe mens arguit, quàm quòd hoc priuato cultu ſpoliaui

qui narrat cum lacrymis

mirabilia de hac Imagine, qua contigerant in Scotiâ.

Quomodo in Belgium aduecta,

& ab Inſpectore intercepta.

ſpoliaui hactenus Reginam cæli publicâ, quam eius occaſione accepiſſet, veneratione. Verùm aliud peccatum eſt grauius, quodque ego exiſtimo vnicam morbi huius cauſam: volui Sereniſſimam Principem Eliſabetham ac Belgium ſpoliare hoc ſacroſancto piguore, illudque Debbam, Cantabriæ oppidum, tranſmittere ad Conuentum Ordinis S. Franciſci; in quo auitum eſt familiæ meæ ſepulchrum. Perſuaſerunt hoc mihi, cùm innatus in patriam amor, tum vel maximè Patrum iſtorum promiſſa mihi, vt videbatur, in primis ſalutaria, & Virgini Deiparæ perhonorifica. Recipiebant enim ipſi, ſi mirabilem iſtam Imaginem tranſmitterem, ſe illam veneraturos, magnifico in honorem Deiparæ exſtructo ſacello, & pro animâ meâ ac meorum quotidie oblaturos Miſſæ ſacrificium, perpetuâ Conuentus ſui ad hoc in futurum obligatione. Fateor, mi Pater, captus fui hiſce aliiſque, quæ familiæ meæ promittebant, priuilegiis: iamque ſtatueram eam in patriam deſtinare, cùm ecce ſub ipſum, quo conſilium executurus eram, tempus cælitus (nec aliud ſuſpicari poſſum) percutior eo, quo me proſtratum vides, morbo, qui me doceret, Virgini Deiparæ cordi non eſſe, quam Imagini eius parabam, profectionem; quæ culpæ meæ pœnæque cælitus inflictæ agnitio me adduxit in certam ſpem, fore, vt, ſi mutatâ voluntate pertinaciter errori non inhæream, etiam benigna Mater, verſâ ſeueritate in miſericordiam, me hoc morbo liberet, priſtinæque reſtituat ſanitati. Quod igitur Paternitatem veſtram precor, eſt, vt Sereniſſimam Infantem quamprimùm adeat, eique rei totius ſeriem exponat, Imaginem hanc nomine Catholicorum Abredonenſium offerat, ac indicet, me non minùs ab eâ delicti mei, quatenus ipſius erat fraudatio, veniam, quàm à miſericordiæ Parente, emendato errore, integrâ re, ſperare ſanitatem: neque vanè me ſperate hoc ipſum docet, quòd inter hoc cum Paternitate veſtrâ colloquium multum vires ſuas morbus fregerit.

animo eam in Cantabriam deſtinandi

quare in ipſum Deipara letali morbo animaduertit.

Eat ergo, quæſo, veſtra Paternitas, quem Angelus Domini Dunkercam adduxit ad tam nobile miniſterium, & verbo vno procuret MARIÆ Virgini publicum honorem, Infantæ Eliſabethæ gaudium ac lætitiam, mihi ſanitatem, & apud vtramque Principem veniam; cùm vtriuſque fauore mihi vehementer ſit opus ad reliquum vitæ curriculum. Vix ille abſoluerat, cùm ego laudans breuiter hanc vltimam eius de reſtituendâ Imagine reſolutionem, ſpemque ſanitatis coroborans, inde rectà ad Palatium contendo: impetratâq; quamprimùm audientiâ, quòd per ordinarios eam nihil opus eſſet petere anfractus, ſub horam poſt meridiem ſecundam Infantam adij; poſtque communes omnibus genuflexiones, ſingulari ex more meo eam compellans ſalutatione *Aue Maria*, inquiebam: Sereniſſima Domina, adfero munus ſingulare ad regios Celſitudinis ſuæ pedes, cuius ipſa non illibenter pedibus aduoluetur: ſed priùs quàm quid illud ſit aperio, humiliter peto, Celſitudo ſua promittat me illud hinc ablaturum. Subridebat ſolitâ benignitate ſuauiſſima Princeps, quam ad propoſitam obſcurioribus verbis petitionem citata prudentia ita temperabat, vt cùm neque annueret, neque abnueret, ſe tamen oſtenderet intelligere non eſſe vulgare donum, quod idem darem ac peterem. Dic autem, inquit, quid illud doni quod offers, vt auferas? Tum rem altiùs exorſus, morbum Inſpectoris claſſis Regiæ, morbique cauſam expoſui: Imaginem qui miſiſſent, quantis in Scotiâ claruiſſet miraculis, quàm admirabiliter Dunkercam appuliſſet, quàm infeliciter eſſet ab Inſpectore aliò deſtinata, ceteraque, quæ mox ab ægro intellexeram, retuli. Exarſit incredibili cupiditate Imaginem videndi molle ad omnem pietatem cor ſapientiſſimæ Principis; vtque eam ipſo illo die ſub noctem mundiſſimo inuolutam linteo ad ſe adferendam curarem, mandauit. Ego quæ iuſſus eram, executus; poſtquam diſceſſiſſent baiuli, decenter Imaginem diſcoperui:

Huic, Eliſabetha Infanta Imaginem offerendo, remedium quaritur.

operui: quæ mirum in modum Infantæ placuit; eamque de genibus venerata, mox interrogauit, quo eam nomine soliti erant Abredonenses venerari? Respondi, hoc me nescire; verùm si sua Celsitudo mihi auctoritatem concederet imponendi nominis, non esse difficile statuere, quonam videatur in posterum appellanda. Quis enim dubitet, cùm nihil æquè suæ Celsitudini conducat quàm boni successus in rebus tam arduis, quas terrâ marique molitur, quin sit sub nomine B. MARIÆ *de Bono successu* veneranda Imago, quæ tam felici successu tali in tempore suæ Celsitudini offeratur? Quod ergo rebus nostris, inquit Princeps, patriæque vniuersæ eueniat feliciter, quodque nomen Virgo Deipara omine secundet, appellemus B. MARIAM *de Bono successu*, Imaginem; Virginemq; coram eâ, ac per eam, ad impetrandos quibuslibet in rebus bonos successus, inuocemus.

Imago de Bono successu appellatur.

CAPVT XI.

A Serenissimâ Elisabethâ Infantâ statua B. MARIAE *de Bono successu Conuentui Bruxellensi S. P. N. Augustini impetratur; vt Sodalitatis Mancipiorum Deiparæ in Belgio instituendæ sit occasio.*

OMINE ipso fiduciam confirmabam, quòd scilicet quæ de statuæ nomine proposueram successissent: igitur liceat, inquiebam, bonâ Celsitudinis suæ veniâ mihi primos accipere fauores à B. MARIA de Bono successu, succedatque mihi ex voto petitio, quâ Imaginem hanc postulaui in Conuentu sancti Augustini Bruxellis collocandam. At quomodo, respondit Princeps, Bruxellas deferemus Imaginem sine aliquâ portus huius, ad quem, vt refers, tam miraculosè appulit, iniuriâ? potiùs dispiciamus quodnam hoc in oppido templum sit eius venerationi aptissimum. Cui ego rursum: Nihil, quantum existimo, peccabo, si vrgeam, donum istud suæ Celsitudini ita singulari fauore cæli transmissum, non longè à Palatio collocandum, vt sua Celsitudo Virginem de Bono successu coràm frequentans, in rebus suis singulis possit ad eam recurrere. Rectè quidem illud; sed hîc te teneo, mi Pater, reponit Infanta: nam si ideò Bruxellas deferenda est, eamdem ob causam non in Patrum Augustinianorum templo, sed in meo Oratorio est collocanda; quod iam pænè persuasisti vt faciam. Hîc iam in angustum coactus ego, quid facerem? vnica restabat veluti sacra spei meæ anchora, quam laxandam ratus, ita institi: Dignetur, obsecro, sua Celsitudo in memoriam reuocare quæ optimus Pater Rojas ei scribebat sub meum in Belgium aduentum, quàm scilicet ille diligenter apud omnes procurarat, quàm sollicitè Deo Deiparæq; Virgini commendarat, vt ego mitterer Celsitudini suæ seruiturus, non aliâ intentione, quàm vt instituerem in Belgio sodalitatem Mancipiorum Deiparæ, eiusque dulcissimi nominis MARIÆ, sub symbolo *Aue Maria*; quodq; speraret, suam Celsitudinem adductam pænè dicam naturali suo erga Virginem amore, & incitatam tam magnifico Regiæ Maiestatis exemplo, hanc institutionem protecturam, primamque fore quæ se scriberet mancipium Deiparæ Virginis. Perge porrò, ait Infanta, neque abnuo protectionem Sodalitatis, neque recuso nomen mancipij MARIANI; quid autem hæc ad istam quam petis Imaginem? Quòd ista, replicabam, ideò videatur diuinitus missa, vt sit magnificum Sodalitatis istius fundamentum, atque nouæ institutionis occasio. Solet enim vehementer acuere mortalium feruorem, vt nomina dent alicui congregationi, si videant circa institutionem eius aliquid accidisse, quod habeat veram miraculi commendationem: quæ res Sapientibus antiquis persuasit, vt etiam fictis fabulis vrbium suarum principiis conciliarent venerationem. Iam verò cùm hanc Imaginem tot simul reddant miracula suspiciendam, quot fortè in nullam aliam per Belgium

Sua Celsitudo cupit Imaginem Dunkercæ relinquere.

vel Bruxellis in palatio suo seruare.

gium Deiparæ statuam conueniant, quanto putat Celsitudo sua studio se Belgæ Virgini mancipabunt, si videant mancipatum istum vnà cum dedicatione huius Imaginis institui, à quâ non solùm liceat ipsis veram animi libertatem, sed etiam liberationem malorum corporalium exspectare? Quoniam ergo contempta ab hæreticis hæc statua, videtur quodammodò ad suam Celsitudinem confugisse, vt per eam debitâ veneratione in Belgio coleretur; ad extremum rogo, ne grauetur Celsitudo sua hîc eam in Palatio suo hospitari, rogareque Virginem MARIAM, dignetur ipsa sibi locum eligere, in quo velit in posterum honorari: quod prorsus futurum confidam, vt precibus meis annuat sua Celsitudo, si eâ super re precibus expetat Virginis Deiparæ suffragium. Quæ verba cùm ipsa benigno risu excepisset, recessi, ne fortè audiendi patientiâ, quam diutissimè mihi præstiterat, abuterer. Vix elapsis duabus horis, à Comite Middelburgensi intelligo, in ipso cubiculo suo altare exstruendum curasse suam Celsitudinem, atque in eo, quam attuleram, Imaginem collocasse. Postridie (libentiùs hæc commemoro, quòd prudentiores, veluti ex vngue leonem, ita ex paucis hisce actionibus poterunt Principis istius sanctissimæ pietatem & vitam colligere) occurrit mihi Domina Francisca de Vega, in rebus inferioribus suæ Celsitudini à cubiculis; aitque: Excussisti, Pater, è manibus suæ Celsitudinis librum de vitâ Francisci de Alcala, quo mirum in modum capiebatur; nam duabus superioribus noctibus, postquam expediuisset viginti octo epistolas, absoluissetque horâ post mediam noctem secundâ, quòd nondum incumbendi tempus ei videretur, plus horam integram eum lectitabat; at posteaquam statuam istam B. MARIÆ Virginis attulit vestra Paternitas, lectionem oratione commutauit; statimque, absolutis negotiis, sese abiicit ante eam in genua, longasque instituit ac crebras manè & vesperi ac per diem orationes. Quæ denuntiationes mihi spem augebant, fore me voti compotem; quandoquidem tam diligenter Princeps Deum & Virginem per hanc Imaginem consuleret; prorsusque mihi persuasissem cordi esse Deo, vt Imago hæc ad Conuentum sancti Augustini commigraret, prout ego à suâ Celsitudine expetieram. Nec spem meam frustrauit euentus. Postquam enim Palladium illud in cubiculo suo habuisset Infanta à nocte diem Iouis sequente vsque ad diem Lunæ, ipso illo illucescente me iussit acciri, præsentique ita locuta est: Ecce Imaginem quam mihi attulisti; institit vehementer Confessarius meus, vt eam Conuentui suo sancti Francisci in hac ciuitate donarem, alij item Religiosi eam templis suis expetierunt; sed ego nolui te priuare istâ, quam ex eâ percepturus videris, consolatione; maximè quòd tanti faciam institutionem Mancipatus beatæ MARIÆ Virginis, vt videatur huic fundamento superstruendus: poteris itaque ea disponere, quibus est opus, vt ea decenter Bruxellas transportetur. Volo insuper vt Iacobus Francart, architectus meus, omnia exsequatur quæ iudicabis ad venerationem huius sacrosanctæ Imaginis ædificanda, atque ipse suggerat pro ingenio & pietate suâ, si quid occurrat. Cui ego breuiter; Benedictus, inquiebam, sit DEVS, quòd tandem aliquando tempus illud aduenerit, quo Sodalitas Mancipiorum nominis MARIÆ est instituenda: auguror enim, quemadmodum nihil mihi poterat succedere optatius, quòd ita sua Celsitudo obtinebit felicissimos ex votis terrâ mariq; successus, quando ipsa Virginis MARIÆ mancipium exemplo suo Curiam aliosq; infinitos mortales trahet in eiusdem libertatem seruitutis. Quibus cùm suauiter Princeps pientissima subrisisset, discessi.

Inter deliberandum mirificè eam colit:

tandem eam concedit pro Conuentu Bruxellensi.

CAPVT XII.

Non sine miraculi specie beatæ MARIAE *Virginis de Bono successu statua Dunkercâ Bruxellas defertur.*

Res mirabiles non facilè miraculi commendatione in publicum euulgandæ.

PRONA ad credendum quorumdam pietas, facilè ex quocumque euentu admirabili miracula adstruentium, cautam reddidit prudentium fidem; vt non facilè sibi persuadeant, aliquid à Deo rei cuiuspiam probandæ aut commendandæ gratiâ extra ordinem factum esse, nisi clara quædam videant, vel in rei quæ geritur substantiâ, vel in ipso actionis modo indicia; quæ non ita accidissent, nisi illud alterum, ratione cuius miraculum patratum esse dicitur, positum fuisset: quorum prudentem tarditatem ego ita approbo, vt sequendam esse iudicem tum temporis, quando agitur de re quapiam miraculi titulo euulgandâ; satiusque semper iudicaui, multa latere verissima miracula per nimis scrupulosam in credendo moram, quàm vt vel vnicum prodatur dubiè probatum, per quod multorum aliàs certissimorum eleuetur auctoritas. Nam quando solummodò agitur de tacitâ cuiusque, qui beneficium à Deo accepit, conscientiâ, malo nimis credulos nos esse quàm ingratos, cùm omnia diuinâ regantur prouidentiâ; miraculique maximi adinstar sit, tantam Maiestatem hæc inferiora in nostrum commodum incredibili charitate dirigere. Quæ animi inductio ita tenet etiamnum inter certissimum propriæ mentis iudicium & posterorum reuerentiam suspensum calamum, vt necdum audeam rem, quam miraculi maximi semper loco habui, oculisque ipsemet meis vsurpaui, tamquam indubitatum irrefragabilis auctoritatis miraculum prodere: quapropter simplici narratione rei gestæ contentus, totum legentibus finam iudicium; quod eò quisque formabit securius, quò certius constabit, nihil me augendi vel amplificandi studio adiecisse. Vix me ipso die Martis 14. Octobris viæ commiseram, cùm statim cælum obduci nubibus, ac ventus ex mari, cuius littora radebam, vehementiùs spirare, mox tam insolitâ illud tempestate commoueri; vt plurimæ hostium hæreticorum naues, variis onustæ mercibus, illâ soluerentur; ac, mirum dictu! merces opulentissimæ vi ventorum in littus, quâ transibat Imago, eiicerentur; procurante, quod clarè patebat, Virgine, cùm per vasta ac solitaria illa, quæ Dunkercam ac Ostendam interiacent littora, modus non esset iter, quâ transiret eius Imago, sparsis de more floribus ac herbis conuestiendi, vt hostium ditissimis operiretur spoliis, quæ ante oculos meos ac sociorum meorum, tum locorum istorum accolæ, tum nominatim famuli Eminentissimi Domini Balnei, tunc Nuntij Apostolici, qui commodùm illac iter habebat, colligebant, admirante vniuerso Belgio, ac præsertim Serenissimâ Principe Infantâ, vnde tam felix rebus suis successus eueniret, vt plus nauium hostium vnâ subitâ tempestate periret, ac plus mercium suarum in littus nostrum eiiceret, quàm nos magnâ classe cum multorum mortalium ac pecuniarum dispendio potuissemus conquirere. Quo sanè euentu satis mihi comprobare visa est Deipara nomen, quod ei de Bono successu, annuente Elisabethâ Infantâ, imposueram. Inter hos cæli plausus Palladium meum optatam in sedem Bruxellas attuli; atque exstructo in cellâ meâ Altari, eam quàm potui honestissimè ibidem collocaui: vbi mox à venerabilibus Patribus Prouinciali, Diffinitoribus, Priore, ceterisque qui ad Capitulum confluxerant, fuit honorata; atque à Virgine Deiparâ petiti boni pro Capitulo instante successus: nec irritas fuisse preces vel inde patet, quòd Prouinciæ toti Coloniensi tum præpositus fuerit Reuerendus Pater Ioannes Næuius; vir, qui

Faciliùs priuatim ad gratiarum actionem credenda.

Hinc nudâ narratione proponam rem satis mirabilem.

Hostium classis ad præsentiam statuæ deleta.

qui eam virtute, prudentiâ, religiosâq; quâ excellit obseruantiâ ita tum ac deinde iterùm texit, vt modus viuendi exemplo, regendi solatio esset omnibus: Conuentui verò Bruxellensi datus est Prior P. M. Melchior Beydaels, sacræ Theologiæ Doctor: cuius tum mihi in promouendo Deiparæ Virginis cultu peropportunum fuit studium, & vitæ disciplina, condîta iucundâ morum suauitate, tum suis tum externis gratissimâ. Post aliquot dies eam curaui secretò domum Iacobi Francart, architecti suæ Celsitudinis, deferri, prout mihi Princeps dederat in mandatis; qui mihi hoc dedit suum de Imagine iudicium, ad Serenissimam Infantam Dunkercam deferendum, se non vidisse diuæ Virginis celebrem aliquam statuam, quæ pulchritudine & antiquitate hanc superaret: id quod facile erat ex ipso ligno, ex vestis ornatusque ratione, denique ex totius architecturâ corporis perspicere; quodque raro artificio ipsa pueri IESV imago atque vtraque corona sculpta erant ex eodem atque indiuiso cum statuâ Virginis ligno: quæ vt faciliùs qualis sit mente repræsentetur, hîc cælo expressam oculis subiicio.

Iudicium architecti de statuâ.





B. MARIA DE BONO SVCCESSV.

Ex Abredoniâ Scotiæ vrbe, vbi plusquam 600. annis miraculis, & dato humanæ vocis oraculo claruerat, Ser^mæ ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ Hisp. Infanti à Catholicis missa; atque ab hac Patri M. Fr. BARTHOLOMÆO DE LOS RIOS & ALARCON, Ord. Erem. S. AVGVSTINI Concionatori suo donata XII. Octobr. M.DC.XXV. vt Sodalitatem Mancipiorum B. MARIÆ Virginis, eiusque Sanctissimi Nominis, sub eius auspiciis in Belgio institueret in templo Eremitarum S. AVGVSTINI, Bruxellæ.

Virgo Bono de successu,
Quando vitæ in decessu
Iudicandus deferar;

Tuus mihi præstet Natus,
Ut æternum fortunatus
Ipso teque perfruar.

Postquam Capitulo Prouinciali finis erat impositus, Dunkercam ad Principem tedij: quæ felicissimum alium successum me præsente retulit Virgini Deiparæ acceptum: quòd scilicet naues, quas emittebat e portu Dunkercano vndique classe hostili clauso, inter densissimam ex maioribus tormentis emissam grandinem illæsæ transierint, piscationemque halecum, rebellibus hæreticis in mari Septemtrionali quæstuosissimam, illis pro isto anno prorsus reddiderit inutilem. Notatum verò est à multis curiosiùs, cùm in istâ, quæ accidit nauibus nostris soluentibus, dimicatione creberrimis tormentorum ictibus Dunkercam hostes quaterent, quòd, domibus atque hominibus omnibus intactis, omnes irrito conatu ictus elusi fuerint; imò videre erat pueros, prout explosi erant, innoxios globos cursu insequentes, ac, iactatis, vt fit, in hostes sannis ac contumelıis colligentes.

Felix nauium nostrarum per classem hostilem transitus.

CAPVT XIII.

Diligentia, pietas, liberalitas, quâ Serenissima Elisabetha Infanta collocationem solemnem B. MARIAE *de Bono successu procurauit.*

Cur omitti nequeat hic discursus.

QVANTÒ video curiosiores tum nationes ceteras, tum præcipuè, quibuscum multis iam annis viuo, Belgas in describendis triumphis & festiuitatibus, quas ipsi miro affectu & liberalitate solent Principibus suis vel primùm ad se venientibus, vel cum victoriâ ex bello redeuntibus adornare, tantò maioris criminis arguerer si quem ipsa Belgarum Princeps Elisabetha Reginæ cælorum instruxit magnificentissimum triumphum, silentio inuoluerem. Bis scilicet impius, primùm in ipsam cæli terræque Imperatricem, quæ maximum perderet gloriæ suæ fructum, posterorum ex rei gestæ recordatione pietatem: deinde in Serenissimam Infantam; quæ licet acceperit iam præmium, non reciperet tamen pietati suæ debitam laudem, posterorum memoriam: quæ si nulli virtuti copiosiùs à Deo tribuitur quàm pietati, vtpote qui honorificantes se honorificat; necesse erit, si mortales tacuerimus, lapides ipsos totque inanimata admirabilis pietatis monumenta eloqui laudes tantæ Principis. Nolo tamen hic, quod aiunt, extra chorum saltare, ac vitam eius, quam post Alberti Pij mortem in viduitate continuum fecit pietatis exercitium, pertexere, quod alio loco fortè ex proposito faciam; quia me posteritatis miseret, tam insignibus tamque illustri loco positis exemplis carituræ, cùm iam plerique diem suum obierint, qui poterant mecum esse totius secretioris eius pietatis testes. Hic autem aliud non intendo, quàm ostendere, ex Imaginis huius collocatione, quàm seriò inter tot grauissima negotia negotium suum agi putaret, dum ad Virginis honorem spectabat quod agendum proponebatur; cùm nullus vmquam Princeps vel suos vel maiorum suorum triumphos tantâ curâ ac sollicitudine ordinarit, quantâ ipsa B. MARIÆ Virginis, cuius se mancipatui erat addictura, in hac Imagine honorandâ gloriam procurauit. Nam simularque Dunkercâ Bruxellas aduenit, statim ad statuæ huius translationem animum adiecit: quam in rem petitionibus meis concessit litteras ad suam Sanctitatem, vt iis qui in futurâ translatione statuæ supplicationi interessent, Indulgentiam plenariam concederet: quod sua Sanctitas Bullâ sequenti liberaliter indulsit.

quo ostenditur Infanta Elisabetha diligens pietas.

nam Româ Indulgentias procurauit:

VRBANVS PP. VIII.

Vniuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem & animarum salutem, cælestibus Ecclesiæ thesauris piâ charitate intenti, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, ac sacrâ communione refectis, qui Processionem de licentiâ Ordinarij in die translationis sacræ Imaginis

ginis beatæ MARIÆ *Virginis, Boni successus nuncupatæ, in Ecclesiâ domus sancti Augustini, Oppidi Bruxellensis, Mechliniensis Diœcesis, faciendam deuotè comitati fuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus; præsentibus pro vnicâ vice tantùm valituris. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 19. Decembris 1625. Pontificatus nostri tertio.*

D Virgini Altare construxit.

Curæ adiecit liberalitatem, proprium Regibus, sed singulare Austriacis, ornamentum; quam sanè hîc ostendit plus quàm regiam Infanta Elisabetha, quòd nullis eam limitibus circumscriberet: neque enim citiùs quid proposueram, quod ad Imaginis aut supplicationis ornatum pertineret; quàm illa liberalissimè omnia concederet. Nam in Altari exstruendo vix sumptus faciendos arbitrabar; quòd sperarem breuì secuturam ex angusto sacello, quod pro templo erat, in nouum ædificium, quod iam surgebat, immigrationem. Sed non ita Infanta: Dum nouum, inquit, templum absolutum erit, tum, si adhuc superstes mihi hæc mortalis vita fuerit, Virgini ex marmore Altare moliar; interim tamen non est negligendum aliquid, quo videatur in præsenti Domina nostra honoranda. Agesis ergo, mi Pater, magnifici istius Altaris ideam, quantumuis sumptuosam, concipe, vt eam nunc rudiùs adumbremus, dum perfectum nouæ molis ædificium det maiori structuræ locum. En Iacobus Francart, architectus meus, qui omnia quæ iusseris exequetur. Cui deinde hanc proposui Altaris formam, quæ hodieque exstat in veteri nostro templo; meliori spero in nouo à non inferioris pietatis Infantæ Elisabethæ nepote ædificanda. Malui autem formam eius Imaginemque, prout in eo collocata fuit, hîc depingere, quàm describere; quod breuiori viâ oculis vsurpata transibit ad imaginationem, quàm verbis etiam eloquentissimis descripta per aures ad eam descenderet. Notanda autem in hac Imagine, quòd A sit cauitas quædam, quæ sole aurato B ita impletur, vt radij per ipsam adscendant, forasq; extra cauitatem protendantur; inter hos statua B. Virginis collocata nubi lucidissimæ insistat, quæ prospectantibus vndique Seraphinorum capitibus redditur illustrior. reliqua satis enucleatè pictura docebit.

Iam



Sit nomen MARIÆ benedictum per æterna sæcula.

Insignia sua supra ven. Sacramentum depingi vetuit:

Iam Altare pulcherrimo opere stabat, cùm ipsa ante omnes Princeps errorem, dicam, aduertit, an verò ingentes nouo indicio virtutes prodidit? Cùm enim plurimùm ad imitationem allicere soleat subditos Principum exemplum, sub ipsâ beatæ MARIÆ Virginis Imagine Infantæ gentilitia insignia artifex collocauerat, vt intuentibus ipsa machina loqueretur, cuiusnam liberalitate hæc tam egregia moles consisteret: quæ Imago sic aræ imposita erat, vt insignia illa, licet infra Deiparæ pedes deprimerentur, tamen viderentur supra venerabilis Eucharistiæ custodem capsulam eleuata; quod Princeps conspiciens, statim ea iussit amoueri: artifice autem totam eâ re molem dehonestandam excusante; At operiantur saltem, inquit, panno aliquo holoserico, ne insignia mea supra venerabile hoc mysterium, vnde omnis decor ipsis & gloria, videantur extari. Rursum, quòd liberalitas eius limitem omnem excesserat, argumento est, quòd lampadem argenteam, quæ vigili luce Imaginem diu noctuque veneraretur, exposcenti, Fiat, inquit, quâ videtur ratione. Faciendi, replicabam, iam non suppetit tempus; facta autem quædam exstat mole quidem insignis, sed cuius pretium ad octingentos florenos facilè accedat. Cùm illa, Exiguum verò, inquit, pro cælesti Imperatrice pretium, etiam maioris valoris si venalis sit vspiam, inquire; nec duobus florenorum millibus parcas aut pluribus, vt maximam ac pulcherrimam Virgini offeramus. Præterea, Dominos Capituli & Religiones dono aliquo inuitauit, quò comparerent libentiùs: in hunc etenim finem centum florenos quotannis in eos qui conuenerint, Princeps munificâ manu distribui mandauit. Ceræ præterea dedit triginta tres libras, quibus totâ octauâ Imago honoraretur.

Lampadem argenteam dedit:


donis Canonicos & Religiosos ad Processionem inuitauit:

Sed iniuriam facio tantæ liberalitati singula commemorando; cùm verè affirmare possim, me tum temporis Regiæ istius opulentiæ ac ingentium diuitiarum, quibus tanta Princeps necessariò abundabat, clauum tenuisse, vt omnes eius thesauros verbulo, modò faceret ad Virginem in hac Imagine cohonestandam, aperirem. Itaque ferculum & Statuam non tantùm suis sumptibus, sed, vt ostenderet quo animo sumptum faceret, suis ipsa manibus exornauit, tamque nouâ & concinnâ ratione nouo titulo sibi futuræ Dominæ thronum composuit, vt palàm omnibus structura ostenderet amorem, rerum semper nouarum cupidum, acuisse fabricantis ingenium: surgebat namque inauratis quatuor columnis thronus magnificentissimus, columnarum epistylus totidem limbi aurati incumbebant; deinde opus rotundo fornice pannus aureus templi in modum attollebat, sic, vt qui relinquebantur à limbis quatuor anguli, auratis in poculis serta sustinerent ex floribus de bysso, quos mirabili artificio Belgæ faciunt omnem Chloridis supellectilem superare potiùs quàm imitari: eodem florum artificio limbi vndique erant conuestiti, sic arte superante naturam, vt verno tempore veris sorderent deliciæ, si cum isto componerentur ornatu. Iam verò interiùs, quâ parte venerando Deiparæ vertici fornix imminebat, planus eam ex aureâ telâ pannus obuelabat, ne scilicet per eius concauitatem vagata oculorum acies non satis reuerenter sisteretur illius in vultu, cuius venerationem totus spectabat ornatus; quam vehementer intendebant quatuor cortinæ ita strictim circa columnas reflexæ, atque iis aureis nodis illigatæ, vt medio in ferculo repositam MARIÆ adorandam cælo statuam quasi timidè mortalibus recluderent: hanc autem satis per se venerandam non alio vestitu, quàm pretij inæstimabilis pallio circumdederat; capiti verò, quòd Statua hæc parabatur mancipatus MARIANI per Belgium fundamentum, contrà quàm multi censebant, tam Virginis quàm pueri cæsaream coronam imposuerat rutilanti gemmarum splendore. Omnia denique tam diuite luxuriabant ornatu,

ferculum & Statuam pulcherrimè exornauit:

ornatu, vt ipsum ferculi pauimentum aureus pannus vndique magnificè dependens insterneret, ac baculi humeris baiulorum incumbentes non exigui pretij vestibus contegerentur. Hanc Principis liberalitatem hoc in primis commendabat, quòd præcipuorum ex Optimatibus studia ad imitandum prouocaret. Eminuit Ambrosij Spinolæ vti inter primores dignitas, ita inter primos virtus: hic enim domi maior Infantæ Oeconomus, ac belli Archistrategus, voluit labarum Sodalitatis egregium pietatis suæ esse argumentum, ac perpetuum testimonium, quòd ipse se Virgini dedicasset: habebat id à bysso damascenâ coloris cærulei pretium, à pictura artificium, à materiâ depictâ pietatem; nam ex vnâ parte ita magnificè tremendum MARIÆ nomen exhibebat, vt nouo exemplo ei conciliaret venerationem; ab alterâ verò beatæ MARIÆ de Bono successu exhibebat Imaginem, prout erat in recenter exstructo Altari collocanda. Quæ vtraque imago in æs incisa, ac chartæ impressa, infinitam præbuit minorum vexillorum copiam; tum vt accenderet intuentium pietatem, tum vt exornaret longam istam mortalium seriem, quæ sine numero supplicatura procedebat. Altera, vt dixi, labari facies erat superiùs posita Altaris delineatio; altera, qualem hîc exhibeo, nominis MARIANI gloriosa descriptio.

eam imitatus Ambrosius Spinola, labarum byssinum



In nomine MARIÆ omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quòd, post IESV CHRISTI nomen venerandum & adorandum, nullum sit aliud quàm MARIÆ sanctius, illustrius, dulcius, efficacius, excellentius: ad cuius inuocationem & Angeli gaudeant, & dæmones contremiscant, magnamque semper gratiam & virtutem sentiant peccatores, si hoc quidem nomine reuerenter atque conuenienter vtantur.



SIT NOMEN MARIÆ BENEDICTVM PER ÆTERNA SÆCVLA.

Virgo Bono de ſucceſſu,
Quando vitæ in deceſſu
Iudicandus deferar;

Tuus mihi præſtet Natus,
Ut æternùm fortunatus
Ipſo teque perfruar.

& crucem argenteam dedit.

Addidit huic muneri munus, argenteam non exigui ponderis crucem, quæ baculi summitati, vnde labarum dependebat, imponeretur; ex vnâ parte CHRISTI ex eâ dependentis, ex alterâ MARIÆ de Bono successu auratam gestans effigiem. Enumerari hîc possent insignia Principum virorum feminarumque erga Sodalitatem Mancipiorum Virginisque de Bono successu beneficia, nisi ipsi mallent suam in cælis eò certiorem exspectare mercedem, quò minus in terris accipient gloriæ: non tamen prætereunda Magistratus Bruxellensis liberalitas; quem vt rogaui, statim obtulit lampadem argenteam: cui alij deinde alias adiecerunt, propter obtentos felices in rebus suis successus: tam enim latè fauores suos spargebat per statuam hanc in rebus dubiis inuocata Virgo, vt fuerit qui vel inde è Palatinatu lampadem argenteam voti reus submiserit; adeò vt numerus earum cum choris Angelorum fuerit æquatus.

CAPVT XIV.

Exultat in translatione Statuæ vniuersa ciuitas: & quis Sacello regio, templo Augustiniano plateisque adhibitus ornatus.

QVI ex superioribus, incitatam generosissimæ Principis pietatem, & ea quæ de præparatione ad instituendum Virginis Mancipatum diximus, solerter notauerit, opus non habet interprete, vt ipse sibi istius diei speciem aliquam repræsentet, quo tandem translatio toties commemoratæ Statuæ fuit celebrata. Quid enim non possit tanta auctoritas, industriam omnem omnesque facultates suas in auxilium aduocans, vt pietati isti assisterent, quâ se totam statuerat B. MARIÆ Virgini in mancipium dedicare? Quid autem ego omisissem suggerere, quod diem istum redderet solemniorem, apud aures tam beneuolas, vt viderer beneficium conferre, quando ostendebam, quî posset opibus, studio aut imperio festiuitatis splendorem augere; præsertim cùm ageretur de præcipuo itineris mei in Belgium percipiendo fructu, existimaremque, Mancipatum hunc tantò altiores in Belgarum animis acturum radices, quò maiori solemnitate primùm fuisset institutus. Itaq; primùm Sacellum Palatij, vnde adducta est Statua, inspiciamus; cui ornando & ordinando magnam noctis partem interfuit Princeps: erat autem conuestitum vndique duplicato tapetum auratorum ordine; quorum alter luctuosam passionis Dominicæ historiam lætissimis coloribus ita referebat ex arte, vt non adumbrari eam, sed geri diceres; alter Patriarchæ Iosephi vitam repræsentabat non inferiore artificio: regium vtrumque opus, eâ opulentiâ aurum intexium ostentans, vt nimietate vilesceret, nisi ab arte daretur, vt cùm vbique splendeat, nusquam supersit. Altare summum describi non debet, quia non potest; nisi verbo vnico intelligi queat, tupem fuisse auream confertissimis consitam lapidibus pretiosis: quæ cùm ex omnibus mutuam lucem intendentibus nullum retineret colorem, omnem spectatorum admirationem vicerat, stupentium quidnam inter tot mirabilia esset in primis admirandum. Auxerat reuerentiam & ornatum de more (quòd dies sanctissimæ Crucis Inuentioni esset sacra) præstantissima ex Principis Oratorio ad Sacellum delata pars Crucis Dominicæ; quæ, vt compendio dicam, erat obuoluta hierothecis, quales decebat eam Principem tantis Reliquiis elaborare; hoc est, iis rutilabat ornamentis, quibus paria non facilè imaginando assequetur, qui numquam fuerit Austriacorum profusam in pietatem opulentiam contemplatus. Præter hoc Altare, stabat in medio Sacelli ara, statuæ MARIANÆ dum efferretur sustentandæ exædificata; hoc præcipuè solemnitati addens splendoris, quòd cùm nemo simile quid vnquam in Sacello isto factitatum meminisset, ipsâ sui insolentiâ omnes aduerteret, extra ordinem omnem

nem adhibendam diligentiam, quò Statua hæc per vrbis plateas procederet ornatior: & sanè valuit hæc viuâ deinde voce Principis animata admonitio. Cùm enim tot Concilia cum Magistratu Bruxellensi difficilè sit cogere in vnum, propter eas quæ oboriri solent de loci præeminentiâ difficultates, edixit Infanta, hanc extra ordinem agi Supplicationem, proindeque cupere se, vt omnia ei intersint Collegia, neque vllam in posterum ex hoc facto deducendam consequentiam: cui edicto à nemine fuit reclamatum, quòd omnes gauderent, se iam posse cum dignitate in eâ Supplicatione comparere, à quâ, propter singularem in Virginem amorem, doluissent si se coacti fuissent honoris causâ absentare. Iam si è Sacello progredientes velimus platearum ornatus describere, studiaque quibus tota certatim ciuitas ardebat domos viasque reddere festiuiores, infiniti sit operis: verbo omnia dicam, nihil fuisse pretiosum in tapetibus, aut imaginibus, quibus Belgarum ædes supra fidem sunt elegantissimè instructæ, quod non citaretur ad Virginem transeuntem cohonestandam: sed quò termino via fiebat propinquior, eò plus adhibitum erat studij, vt ornatus exterior internam proderet erga Deiparam pietatem. Nam platea, quæ recta ad templum S. Augustini ducit, sanè longissima, siluæ induerat speciem, transplantatis in eam inusitato spectaculo ingentibus arboribus, quæ hinc inde viam, quâ transitura erat Statua, conuestiebant gratissimâ per eam anni tempestatem viriditate: arborum cacumina vexilla, suppara, & similia malorum exhilarabant ornamenta. Vbi neutiquam prætereunda hominum nauticorum, quorum in hoc oppido, propter fluuium qui Antuerpiam ducit, non est exiguus numerus, singularis pietas: qui tum diligentissimam in plantandis arboribus gratis nauarunt operam; & camdem hactenus, quòd ex liberalitate Principis quotannis suppeditentur ad eamdem solemnitatem arbores, numquam recusarunt. Omitto tapetes, & ea quæ in hac vrbe, propter celebrem venerabilis Sacramenti Processionem, quæ annis singulis celebratur in memoriam istius miraculi, quo pugionibus à perfidis Iudæis confossæ hostiæ copiosissimo manarunt sanguine, sunt vsitata. Nouum erat & gratissimum cæli terræque incolis ornamentum, quod liberalitate Serenissimæ Principis ante noui templi, tunc nondum absoluti, fores constiterat: mensæ scilicet altissimis panum pyramidibus instructæ; quos absolutâ Processione in facilè bis mille quingentos pauperes distribui, adiungens singulis quinq; assium nummum, vt latè dispergeretur festi lætitia: qui locus monet, vt ceteram hîc exequar Principis liberalitatem, quæ nullum volebat in totâ vrbe, in tam festâ sibique semper in posterum honorandâ luce, lætitiæ non esse participem. Postero ergo die carceres omnes omniaque nosocomia obiui, vestes, carnes panesque distribuens: tandem centum pauperes ego familias patacone singulas donaui; vt omittam ingentem pecuniæ summam, quam Eleemosynarius ipsius vbique distribuit.

Alterum erat ornamenti genus, quod etiam poterat pulcherrimè hoc volumen exornare, nisi, nescio quâ pictoris, qui delineandum susceperat, incuriâ periisset, egregius Gymnasij nostri labor; quod sane peracutis ingenij sui fœtibus vicinos templo parietes conuestierat, omnemque Musarum chorum, vt Virgini Deiparæ tam lætum in templum nostrum aduentum variis emblematis, acutis epigrammatis, iucundis ænigmatibus gratularetur, citauerat. Dolenda profectò iactura; quòd certò sciam, non minùs iucundâ voluptate hîc detentura fuisse legentes, quàm tum ad legendum alliciebant omnes prætereuntes; quos etiam iuuaret iam singula relegentes admirari, quæ tum simul omnia stupebant. Curâ namque diligenti in id incubuerat P. Gabriel Metermans, tunc Gymnasij nostri Bruxellensis Præfectus, nunc Conuentus eiusdem Prior, vir doctrinâ & prudentiâ singulari, ne quid

non

non egregio prestans acumine summâque politum industriâ publicè proponeretur. De splendore quo Officium diuinum in templo celebratum fuerit, nihil est quod dicam: facilè enim iam prudens Lector colliget, nihil Bruxellensem Aulam vmquam vidisse magnificentius. Nullus fuit ex octo sequentibus diebus, quo Chorum suum Musicosque omnes Serenissima Princeps non mitteret: nullus, quo non Princeps aliquis Ecclesiæ Romanæ Missam solemniter celebraret. Initium dedit Illustrissimus ac Reuerendissimus Iacobus Boonen, Archiepiscopus Mechliniensis; cui vt Belgij Primati locus is debebatur. Secuti deinde sunt variis diebus, Eminentissimus Dominus Guido à Balneis S. R. E. Cardinalis, ac suæ Sanctitatis ad Belgij Principem à latere Legatus; Illustrissimus & Reuerendissimus Franciscus vander Burcht Archiepiscopus Cameracensis; Reuerendissimi item Episcopi, Atrebatensis, Audomaropolitanus, & alij. Conclusit Octauam Eminentissimus Dominus Cardinalis Alphonsus de la Cueua: quo etiam die rursum adesse voluit indefatigata Serenissimæ Infantæ pietas; iussitque, vt se coram Aulam vrbemque pro Concione docerem, quomodo ista Statua in Scotiâ culta, quibus miraculis clara, & quomodo demum in Belgium missa fuisset. Singuli verò, quo celebrauerant die, religioso sunt epulo in triclinio nostro accepti; nemo autem fuit eorum, quin insigni eleëmosynâ ostenderit generoso spiritu in tam eminentibus pectoribus pietatem ali.

CAPVT XV.

Non est Statua, quæ beata MARIA *de Bono successu dicitur, destituta iis miraculis quæ Imaginibus conciliare solent publicam præ ceteris venerationem.*

MIRABILIS in Sanctis suis DEVS; sed in Matre suâ, quam præ omnibus elegit, & supra omnes exaltauit, omnem superat humanæ & Angelicæ admirationis stuporem: postquam enim ipsam virginitate fecundâ & maternitate diuinâ honorauit, quasi ruptis omnibus, quos sibi posuit cum naturâ intra certos terminos, operandi obicibus, nusquam tritâ incedit viâ, quando de Matris gloriâ agitur: quod cùm omnes videant, quibus aliquis veræ fidei radius illuxit, non eis incredibilia videbuntur, quæ de Statuâ, beatâ MARIA de Bono successu nuncupata, iam ex occasione diximus; & quæ prætereà à testibus fide dignis accepta sumus relaturi. quæ omnia si breuiter dentur sub vnum aspectum, apparebit hæc vix vlli earum quæ religiosius coluntur, venerabilitate inferior imago. Nam si antiquitas conciliat statuis imaginibusque non tantùm ad æstimationem pretium, sed etiam nesciò quâ ratione ad reuerentiam maiestatem; iam quadringentis annis ante Gauini Dumbari Episcopatum, hoc est, ante plusquam sexcentos annos, hæc Statua fuit in honore: si verò miracula quæ circa eas fiunt, sunt quasi argumenta diuinæ voluntatis, quòd velit ab omnibus singulari ratione in iis coli; hæc Statua habet tam singularia, vt non temerè liceat sperare, eam fore Virgini instrumentum publicæ in homines liberalitatis. Quid enim admirabilius, quàm eam diuinitus bis humanæ vocis oraculum edidisse, vtrumque ob rei insolentiam æquè stupendum? Prius, quando Gauino Dumbaro, Abredonensi Præsuli, anxiè ante eam oranti dixit: *Macte animo Gauine, postremus tu hîc eris Episcoporum qui salutem æternam consequentur.* Cui oraculo fidem fecisse videtur euentus: qui enim secuti eum sunt Episcopi Catholici, perditis adeò fuerunt moribus, vt, licet rectè docerent, pessimè tamen viuerent: hos excepit hæresis omnium vitiorum larua, & Episcopi hæretici non absimiles tali magistrâ discipuli: ita vt de hisce, vtpote in hæresi suâ defunctis, nihil, de illis vix quidquam sperare liceat. Alterum eidem Gauino editum est oraculum: sollicito namque,

que, quâ ratione Dijum fluuium ponte tegeret, irrito conatu multis sæculis tentatum opus, ab hac Statuâ audiit sibi locum designari; vbi deinde feliciter septem arcuum pontem, hodieque visendum opus, mirâ arte suspendit. Iam, immotam hæsisse hanc Statuam hæreticorum machinationibus, per quas eam conabantur deiicere; facilè autem secutam Catholicorum manus, vt domibus eorum absconderetur, quis non stupeat? quis eam per tot annos inter tam impios hæreticorum iconoclastarum furores superfuisse; quis, ita admirabiliter atque narrauimus, Dunkercam venisse audiens, non agnoscat tacitè Dei futura disponentis adhibitam manum? Non repetam hîc Vincentij Anziundo, Inspectoris classis Regiæ, ob interuersam Imaginem morbum, & post, eâ restitutâ, sanationem. Non commemorabo rursum admirabilem classis hostilis quâ transibat destructionem. Non etiam huc adscribam seueritatis illud miraculum, quod passim in Scotiâ solet esse notissimum: hæreticæ nempe prauitatis & vilitatis hominem, dum Abredoniç in fontem, qui ab hac, vt putatur, Imagine Fons Virgini sacer dicitur, ex contemptu intaminatæ Virginis MARIÆ aluum exonerasset, fame caninâ correptum, ac, licet quantum anteà & alterum tantum comederet, ita ventre obstructo fuisse, vt nihil ampliùs natura dimitteret; vnde tandem, dictitans se esse publicum vindictæ diuinæ exemplum, quo docerentur omnes non facilè Dei Matris contemptu Filij prouocare iracundiam, miserè exspirauit. Res certa Abredoniæ; quam solent ipsi religionis nostræ hostes non sine admiratione referre. Excitauerat obscura quædam horum admirabilium cognitio, tum vel maximè tantus ab Infantâ Elisabethâ adhibitus collocationi splendor, omnium pietatem; vt sperarent singularia quædam à Virgine Deiparâ, per hanc Imaginem inuocatâ, priuilegia. Neque desunt plurimi omnis ordinis & sexus mortales, qui mira sibi narrent, & suspensis anathematis testentur à Virgine collata fuisse, quæ vel nullo, vel certè non eo modo poterant naturæ viribus impetrare: sed quòd quædam eorum subdita examini, nondum sint ab Illustrissimo Archiepiscopo Iacobo Boonen (qui optimis inductus rationibus solet quàm tardissimè ad ea procedere) publicè confirmata, volui etiam eorum narratione abstinere; quòd iudicem, satius esse multa latère vera probataque miracula, quàm vel vnum prodi non omnino confirmatæ auctoritatis. Aliud, quod certò ab iis qui scire poterant accepi, facitque non vulgari ratione ad commendandam de quâ agimus Statuam, hîc non censeo reticendum: quòd scilicet Gauinus Dumbarus, de quo sæpiùs iam facta est mentio, præcipuus Imaginis huius cultor, tantâ ornatus fuerit per Virginis intercessionem à Deo sanctitate; vt eam publica etiam testentur prodigia: nam cùm abhinc annis aliquot humandum esset corpus nobilis cuiusdam Scoti, locus sepulturæ ab ignaris designatus fuit is idem, in quo supradictus vir sanctus Dumbarus quiescebat. Pollinctor ergo inter fodiendum reperit viri sancti corpus Episcopali indutum ornatu, mitrâ, pedo, annulo, veste totâ, post ducentos annos à quibus mortuus erat, ita incorruptâ, ac si iam fuisset compositus: vidit hoc pseudo-minister qui in eâ Ecclesiâ somnia sua pro verbo Dei ex officio venditabat; ac rei nouitate obstupefactus, vetuit, ne quis corpus violaret. Nuperrimè verò accidit in eâ ciuitate congregari tredecim pseudo-episcopos vnà cum Prorege, nobiliumque non exiguo numero; qui etiam statuerunt capitali sententiâ in generosum D. Guilielmum Langium, à quo Statua in Belgium delata est, animaduertere, confictis nescio quibus læsę maiestatis criminibus, tamquam si ad gloriosæ memoriæ Ser^mam Infantem Elisabetham quædam detulisset in perniciem Regni Scotiæ: hi ergo, vt nouitatis auidi sunt hæretici, sepulchrum Gauini Dumbari inspexerunt; eumq; rursùs, vt narraui, integrum & incorruptum conspexerunt.

CAPVT XVI.

Exagitatur maledicorum calumniis Statua B. MARIAE *de Bono succeſſu.*

Vti blaſphemiæ hæreticorum fides,

VT fidei noſtræ myſteria diligentiùs excutiantur, firmioresque agant in fidelium animis radices, neceſſe fuit, & etiamnum eſt, hæreſes eſſe: eorum enim maledicentiâ ſtabilitur veritas; & blaſphemiæ, quas iſti impiiſſimè effutiunt, erudiunt animantque orthodoxæ fidei ſectatores, vt tantò accuratiùs laudes concinnent & concinant diuinæ Maieſtati. Quanto cum fructu animarum, Eccleſiæque totius vtilitate, id hactenus factum ſit, ſexdecim ſæculorum iam docuit experientia; atque eadem euincit rerum, quæ cum fidei myſteriis quamdam habent ſimilitudinem (quales ſunt particulares Eccleſiarum ſingularum traditiones, tum miracula patrata in conſpectu multorum, multiſque probata teſtimoniis, Reliquiarum etiam particularium ſufficientibus auctoritatibus prudenter innixa veneratio, & multa generis eiuſdem) non priùs ſtabilitam corroboratamque videri auctoritatem, quàm per contradicentium vel imprudentiam vel malitiam fuerit exagitata. Quæ neceſſaria rebus nouis probatio ne Sodalitati noſtræ mancipiorum deeſſet, fiuit eam Deus primùm in fundamento ſuo, hoc eſt, in Statuâ beatæ MARIÆ de Bono ſucceſſu, deinde in exercitiis ſuis, ac tandem in ſemetipsâ non leuiter oppugnari. De ſingulis quem impetum ſuſtinuerint, & quo modo is repulſus fuerit, breuiter pro inſtituto narrabo. Non enim potuit tantus ſplendor Supplicationis, quantum ſuprà commemorauimus, non potuit generoſiſſimæ Principis tam profuſa liberalitas, & lux clariſſima tot miraculorum non officere inuidiæ luminibus; quæ proinde venenum ſuum ſtatim cœpit contra venerandam Imaginem euomere. Catholicine, an hæretici, an verò athei fuerint ij, quorum ad hoc ore eſt vſa, hîc non diſputabo: cùm rem, prout geſta eſt, ad honorem & gloriam Dominæ meæ Virginis MARIÆ enarrauero, ſuum cuique relinquam iudicium: nolo enim vt ab hoc calamo, quem vnà cum ſanguine & vitâ laudibus Dominæ meæ conſecratum volo, ſe quiſpiam conqueri poſſit denigratum. Lectorem autem rogo, vt bonâ eius veniâ nobis hîc liceat paulò eſſe accuratioribus: cùm enim mancipatui MARIANO hæc mea qualis qualis deſudet induſtria, non poſſum eius fundamenta tam leuiter tranſilire; & cùm Imago hæc (quod noſtra percurrentibus clarè patebit) ſit vna ex admirabilioribus, quas non tantùm Belgicæ, ſed multæ etiam aliæ Prouinciæ viderunt, tot iam ſæculis apud Scotos miraculoſa, non malè impenſæ cenſeri debent aliquot paginæ, quæ fidem faciant, hanc eſſe eamdem illam de quâ tot mirabilia narrantur. Primus ergo, quem in eam inuidia aut impietas animauit, fuit Iacobus Maxuelus de Kirconel, natione Scotus, profeſſione, vti ipſe iactabat, Antiquarius, Genealogiſta, & Hiſtoriographus: quem eò promouit audacia, vt libellum contra eam Sereniſſimæ Principi Eliſabethæ Infantæ offerre non reformidauerit: libellum autem hîc Latinè interpretabor, vt & hominis appareat denſâ vitiorum cohorte ſtipata vanitas; & quæ deinde geſta ſunt, clariùs cognoſcantur.

ita inuidorum calumniis ſtabilita eſt Sodalitas.

Cur eorum machinas accuratiùs narremus.

Libellus Iacobi Maxueli contra Imaginem beatæ MARIAE *de Bono ſucceſſu.*

Libellus contra Imaginem.

SERENISSIMA DOMINA,

In honorem veſtræ pietatis ac deuotionis concinnaui Genealogiam extractam ex centum quinquaginta Sanctis ac Beatis; vt indicat titulus, quem hiſce præpoſui: inter quos Rex vnus, ac item Regina vna Scotiæ, mater filiúſque, Margareta ſcilicet & Dauid.

Titulus, quem adſcripſerat, erat hic:

GENEALOGIA *ſancta & beata* ALBER-

ALBERTI & ISABELLÆ pientiſſimorum Principum, deducta per lineam rectam & collateralem centum & quinquaginta Sanctorum & Beatorum vtriuſque ſexus ex omnibus Regnis mundi, iam primùm in honorem tot Sanctorum & Sanctarum, Beatorum & Beatarum, Principum deinde Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ, qui ab illis trahunt originem. Opus & inuentio omni ex parte noua, qualis nulli vmquam Principi fuit elaborata, per Iacobum Maxuelum de Kirconel, nobilem Scotiæ, Antiquarium, Genealogiſtam, & Hiſtoriographum.

Cùm hoc ſpecioſo, vt ſibi videbatur, exordio gratiam captaſſet, ita pergit venena ſpuere & ſpargere:

Cùm per hoſce dies auditum mihi ſit de quadam Imagine, quam aiunt eſſe diuæ Virginis, allatam è Scotiâ, oblatamq́; veſtræ Celſitudini, &, vt quidam affirmabant, miraculis ac pluſquam quingentorum annorum vetuſtate venerabilem; inceſſit me ingens deſiderium cognoſcendi rei veritatem, inquirendíque tum alia in particulari, tum vel maximè, an Imago hæc eſſet eadem illa, quam S. Margareta Regina, vel S. Dauid Rex; olim in Scotiâ conſecratam erexerant: nam ſi id comperiſſem, tum ego Celſitudinis veſtræ genealogiam, deductam à Sanctis iſtis, inſeri curaſſem libellis qui de Imagine iſtâ edentur in lucem; tabellam item depingi curaſſem, ſuſpendendam iuxta Altare in quo Imago iſta reponetur. At dum inquiro omnia accuratiùs, & Patres Auguſtinianos non tantùm Bruxellenſes, ſed etiam Scotos examino, (eſt enim profeſſionis meæ antiquitatem excutere, hiſtoriaſq́; conſcribere, præterquam quòd me hic amor genealogiæ illius inſtigabat) inueni teſtimonia; quæ tam hi tam illi deponebant, vehementer pugnantia, idq́; in ſeptem præſertim capitibus; præterquam, quòd vicinus quidam eius, qui Imaginem iſtam huc tranſmiſit, exiſtimabat eam primùm fuiſſe S. Brigidæ ſtatuam; quodq́; deinde, vt in beatæ MARIÆ Virginis imaginem transformaretur, ei eſſet Infans impoſitus: quod teſtatur ipſa Infantuli ſtructura diuerſa ab artificio ceteræ imaginis. Inueni præterea, quod Scoti paſſim omnes (ſi vnum alterúmve impulſos iis reſpectibus, quos ne quidem hîc cenſeo commemorandos, exciptas) fide indignum cenſeant cum Scotum hominem, qui Statuam hanc tranſmiſit; cur autem fidem ei adhibendam negent, ſex potiſſimùm adferunt rationes. Prima eſt, quòd his publicè coram miniſtris Scotiæ fidem Catholicam eiurauerit. Secunda, quòd palàm habeatur mendaciſſimus: inter cetera autem mendacia iactat exteris ſe eſſe eum nobilem, qui duos ſacellanos domi ſuæ ſecretò aluerit; cùm filius ſit agitatoris, ipſeq́; butyrum, caſeum piſcémque vendat, inſtar ciuis gregarij Abredonenſis. Tertia, quòd habebatur pro homine vaniſſimè iactabundo: quod vel inde patet, quòd glorietur in Scotiâ Miſſam apud ſe publicè celebratam; id quod ipſi Regni Scotiæ Primores non audeant domi ſuæ permittere. Quarta, quia habetur pro impoſtore & plagiario: nam, vt vnum ex multis commemorem, decepit ciues ſuos Scotos qui naui Dunkercanæ præſidio fuerant, vt ſalua poſſet appellere; fraudauitq́; eos pecuniâ, quam ipſi Dominus Carolus de Coloma in ſtipendium eorum numerauerat. Quinta, quia eſt mercator & negotiator: quæ conditio poteſt eum reddere hac in parte valdè ſuſpectum. Sexta, quia ſatis conſtat inter Scotos qui hîc degunt, quòd ex hoc dono quærat lucrum ſibi & fauorem in iis quæ prætendit: quam in rem etiam voluit Confeſſarium veſtræ Celſitudinis impendere, qui ſe hiſce negotiis temporalibus noluit immiſcere. Hiſce inductus rationibus, indicani ex obſequio veſtræ Celſitudinis me facturum, ſi indicarem medium certò cognoſcendi quid ſit de dictâ Imagine. Primùm, ne Celſitudo ſua inducatur in fraudem; tum etiam, ne hiſtoria, quæ verbo vel ſcripto narrabitur de iſtâ Imagine, ſit friuola, ac malè conſutis mendaciolis plena: quæ res aliis cauſaret ſcandalum, aliis riſum, iis præſertim qui in Scotiâ meliùs de re totâ informati indignabuntur, quòd tam leuis mercator ita cantè fecerit vnam Imaginem quæſtuoſiſſimæ negotiationis materiam. Certum eſt enim vagari multos, qui

ſpecioſo pietatis pallio velant turpiſſimam, quam exercent, imaginum ac reliquiarum mercaturam, multa confingentes, vt merces adulterinas mendaciis extrudant. Si igitur veſtra Celſitudo deſideret plenam ac particularem de veritate, antiquitate & miraculis huius Imaginis informationem, haberi ea poterit, ſi ſcribi curet veſtra Celſitudo per nuntiorum aliquem ad P. Gulielmum Gordon, Ordinis ſancti Benedicti, qui modò eſt Duaci, vt ipſe per ſuos eâ de re in Scotiâ inquirat: eſt enim hic Religioſus frater germanus Marchionis de Kuntley; ſororemq́; habet Comitiſſam de Cathneſhe, amitam Comitiſſam de Suthirland: qui omnes ſunt fidei Catholicæ in primis zeloſi, oratoriaq́; habent imaginibus ac Reliquiis inſtructiſſima: poterunt hi vel per ſe, quòd loco iſti vicini ſint, vnde hæc Imago dicitur aduecta, vel per Sacerdotes & Religioſos, qui frequentes ſunt in eorum dominiis, facere plenam de Imagine inquiſitionem, ac deinde fide dignam relationem. Ad extremum, rogans ſuam Celſitudinem, vt hanc meam inſtructionem æqui boníque conſulat, continuabo ſemper deſideriorum meorum frequentiſſimum, vt ſuæ Celſitudini proſperè ac feliciter omnia eueniant.

Grauis hæc erat contra Imaginem tempeſtas, quæ poterat eam, niſi veritatis firmiſſimâ niteretur petrâ, ictu vnico deiicere, & vndis, per quas non abſque miraculo venerat, vnà cum donatore ſuo demergere: nihil enim omiſit hic eius aduerſarius diligentiæ, nihil non impendit induſtriæ, vt ei apud omnes fidem abrogaret; ideoque, quod ex eâ, quam mox recitabo, palinodiâ patet, tum hunc, tum alios libellos non ſolùm Sereniſſimæ Infantæ, ſed etiam Eminentiſſimo Domino Cardinali de la Cueua, Illuſtriſſimo Domino Comiti de Gondomar, Conſilio Priuato, Auditori generali miſit; item Magiſtratui Bruxellenſi alium præterea obtulit, cui titulus, *Caſus Bruxellenſis incomparabilis*. quâ ſuâ diligentiâ hoc profecit, vt Magiſtratus Bruxellenſis, petente id generoſo Domino Guilielmo Laing, rem ſibi accuratiùs inquirendam, inſtitutâ ſuper hoc libello formali lite, iudicauerit, ac dictum Maxuelum carcere, ne elaberetur, detinendum curauerit. Nihil opus eſt, quid hinc ſcriptum, inde reſcriptum fuerit, adferre; cùm res inter doctiſſimos viros examinata, à prudentiſſimo Magiſtratu diiudicata, hunc tandem ſortita ſit exitum, vt Maxuelus ad ſcriptorum reuocationem eâ, quæ ex ſententiâ intelligetur, formulâ condemnaretur. ſententia autem Magiſtratus Bruxellenſis fuit talis:

Sententia condemnatoria Magiſtratus Bruxellenſis contra Iacobum Maxuelum, qui ſcripſerat contra Imaginem beatæ MARIAE *de Bono ſucceſſu.*

Sententia contra auctorem libelli.

Viſâ per Dominos Magiſtratus vrbis Bruxellenſis lite coram iis inſtructâ, ac etiamnum indeciſâ pendente inter Dominum Guilielmum Laing, Agentem ſuæ Maieſtatis in Scotiâ, ex vnâ parte actorem, & Iacobum Maxuelum, reum citatum & incarceratum, ex alterâ parte; habitâque ſuper eâ, ac ſcriptis reſcriptisq́; in eâ exhibitis, cum doctiſſimis Iuriſperitis conſultatione ac maturâ conſideratione, iudicant, & declarant ſupradicti Domini iuridicè, quòd ſupradictus reus captiuus comparere debeat hîc in Collegio coram Commiſſariis ad hoc deputandis, ibiq́; declarare (conſtitutus inter duos ſatellites) quòd ipſum pœniteat ſe ſcripſiſſe, aut ſcribi curaſſe omnes iniurias ſcriptas & in lite exhibitas quotatione vigeſimaquintâ; quodq́; iſtic omnes reuocabit, veniam earum petens à Deo & Iuſtitiâ; quodq́; nihil eorum quæ ſcripſit vel fecit contra honorem actoris, quoniam veritati repugnant, ſcriptum aut factum vellet; condemnantes dictum citatum incorceratum reum in omnia iam dicta, ſimulq́; in expenſas litis debitè taxandas ac moderandas. Factum ac pronuntiatum 3. Iulij 1627.

Quæ ſententia deinde à Conſilio Brabantiæ 29. eiuſdem menſis & anni fuit confirmata: reuocatio autem iniuriarum

iuriarum chirographo calumniatoris firmata est 12. Septembris 1627. in verba sequentia:

Palinodia Iacobi Maxueli.

Reuocatio calumniarum.

Ego infrascriptus Iacobus Maxuelus, nobilis Scotus, Antiquarius & Genealogista, victitans stipendio suæ Maiestatis, hisce declaro, quòd vehementer me pœnitet iniuriarum, quas vel dixi, vel scripsi ex falsâ relatione & informatione quorumdam patriæ meæ tam nobilium quàm ignobilium, in libellis quibusdam remonstrationis ac informationis oblatis suæ Celsitudini, & Dominis qui sunt à Consilio & Iustitiâ suæ Maiestati, & Magistratui: qui libelli continebant variam materiam spectantem partim ad Imaginem quamdam beatæ MARIÆ *Virginis, nunc appellatam de Bono successu, collocatam in Conuentu PP. Augustinianorum Bruxellis; partim ad personam, formam, & actiones Guilielmi Laing, nobilis Scoti, Agentis suæ Maiestatis in Scotiâ, qui Imaginem dictam inde transmiserat ad suam Celsitudinem. Quæ iniuriæ, contentæ in dictis relationis & remonstrationis libellis, examinatæ per Magistratum huius ciuitatis Bruxellensis in lite Guilielmi Keth, primarij mei informatoris, cùm sint inuentæ veritati repugnare, quemadmodum ex pronuntiatâ per eosdem sententiâ patet; cùmque posteà melioribus auctoribus cognouerim, dictum Guilielmum Laing natum esse parentibus nobilitate & morum honestate insignibus, cumq; in Fide catholicâ ac fideli Regis Catholici obsequio semper irreprehensibiliter perseuerasse, ego ex animo ac liberâ voluntate reuoco priorem istum libellum, quem suæ Celsitudini obtuleram, vti & secundum, & copias prætereà primi libelli traditas Illustrissimo Cardinali de la Cueua, Comiti de Gondomar; illos item quos Consilio Priuato, Auditori generali, & Magistratui huiusciuitatis Bruxellensis nominatim libellum quemdam inscriptum,* Casus Bruxellensis incomparabilis, *vel quibuscumque alys obtuleram; cupióque omnes antiquari, discindi ac perpetuâ obliuione inuolui; rogoq; omnium veniam, primùm Deum Opt. Max. deinde suam Celsitudinem, deniqne Iustitiam & partem læsam. In cuius rei confirmationem, hasce chirographo meo subsignaui Bruxellis 12. Septembris 1627.* Erátque subscriptum, *Iacobus Maxuelus.*

Ad similem prorsus palinodiam condemnatus fuit Guilielmus Keth, primarius informator & buccinator istarum iniuriarum contra Guilielmum Laing, vt per eius denigrationem omnem Imagini auctoritatem detraheret; quemadmodum constat ex actis, quæ breuitatis causâ omitto. Ita gloriosè fecit Deus in Matris suæ fauorem de tenebris iniuriarum veritatis lucem splendescere; vsúsque est calumniatorum maledicentiâ, vt haberemus publicâ auctoritate examinatam & comprobatam Imaginis huius sacrosanctæ translationem, esse nimirum hanc eamdem, quæ tot annis in Scotiâ tot prodigiis ac miraculis, vt suprà commemorauimus, claruerat: quam rem deinde plurimi confirmarunt; quos ego ex occasione Bruxellas diuertentes examinaui, vt in ore multorum staret omne verum. Vnum pro omnibus adferam testimonium, quod prætereà alterum contineт huius Statuæ miraculum; quod post multos alios dedit vir singularis pietatis Fr. Alexander Kennedus, ordinis S. Francisci.

Testimonium Fratris Alexandri Kennedi, Scoti, Ordinis S. Francisci Religiosi.

Ego infrascriptus testor, & fidem facio, me ex maioribus meis audiuisse, Statuam beatæ MARIÆ *Virginis, iam dictam de Bono successu, & collocatam in Conuentu PP. Augustinianorum Bruxellæ, Reuerendissimo Domino Gauino Dumbaro, Episcopo Catholico Abredonensi, anxio de loco vbi pontem super Dyam fluuium rapidissimum conderet, dum oraret, vocis indicio locum monstrasse, vtrimque signis quæ ei indicabat notabilem; inter quæ ipse posteà pon-*

tem magnificentißimum septem arcuum construxit; qui hodieq; visitur. Bruxellæ in Conuentu S. Augustini 19. May 1636. subscripserat: *Fr. Alexander Kennedus, Scotus, Regularis Obseruantiæ Minorita indignus, manu propriâ.*

CAPVT XVII.

Nouæ subinde contra Supplicationem motæ difficultates.

ITA feliciter superatâ eâ persecutione, quæ armata fraude, dolo, calumniâ, & ipsâ etiam furiarum omnium teterrimâ hæresi, petebat iugulum nostræ pietatis, pace, vt fit, redditâ miris incrementis Sodalitas, prout mox narrabimus, Mancipiorum B. MARIÆ Virginis augebatur; crescebatque in dies populi erga beatam MARIAM Virginem de Bono successu deuotio. Quamdiu enim Serenissima Infanta, tamquam felicissimum sidus, iisdem auctoritatis liberalitatisque influentiis quæ instituerat conseruauit, veluti ridente sole serenissimi ibant in Mancipiorum pietate dies: vbi autem ipsa cum ingenti patriæ damno, quia cum maximâ pietatis iacturâ occubuit; statim misceri multa, multa turbari, & ipsa, quæ nusquam satis tuta erat pietas, in hisce etiam exercitiis tentari cœpta est. Prima difficultas à venerandis & Reuer. Dominis Capituli S. Gudulæ, quod in hac Vrbe sustinet primam Cleri dignitatem, exorta est. Non iniuriis, credo, tam splendidi Collegij viris hic commemorabo, quid circa Processionem istam rationabiliter dubitauerint, quid iteratò statuerint; tum vt successores eorum intelligant, non leuiter ab ipsis susceptum onus quotannis procedendi, tum vt exstet hoc publicum testimonium decreti ipsorum iterùm confirmati. Non itaque sine ratione mouebat se tot prudentium virorum congregatio: cùm enim hactenus quotannis centum floreni fuissent ab Infantâ isti Capitulo & Religiosis ratione Supplicationis liberalissimè suppeditati, facilè sibi persuaderi siuerant, vti collegialiter Supplicationi quotannis interessent; cum autem iam vnà cum Principe spes, vt putabant, fundandi reditum annuum, quæ hactenus fuerat ostentata, occidisset, censebant ipsi, substracto stipendio nullam restare ad laborem obligationem. Sed huic difficultati faciliùs occurri, quòd non voluntatis auersæ à Supplicatione erat, sed honestæ cupiditatis augendi rem suæ communitatis; cui, laude dignissimum est, quemque pro suâ virili intendere. Vbi itaque de paupertate meâ, quæ Regiis stipendiis vtcumque sustentabatur, me suppeditaturum recepi quidquid obitu Serenissimæ Infantæ timebatur defuturum; curamq; prætereà suscepi procurandi stabilem in eam rem annuum reditum, ostenderunt pronissimis voluntatibus, non pietatis defectum, sed communitatis suæ zelum fuisse tergiuersationem. Interim benignioris cæli fauore in Belgium descendit Serenissimus Ferdinandus Cardinalis Infans; qui vbique Amitæ suæ, in iis præsertim quæ pietatem spectant, insistens vestigiis, etiam præsentiam suam Supplicationi huic addixerat. Aderat ergo prima Maij Dominica 1635. ceteraque omnia contra Supplicationem machinamenta superata erant, omnia ornamenta præparata, cùm ecce subitò noua in eam tempestas. Propriè dixi tempestas; hæc enim cælo orta, omnes pænè labores meos superiores irritos fecit, vehementissimoque ventorum flatu conatum omnem discussit; quam ideò iuuat commemorare, quòd non possim eius meminisse, quin simul debeam summæ pietatis & insignis animi magnitudinis Serenissimi Principis Ferdinandi Cardinalis, quod libentissimè facio, recordari. Optem autem hic Lectorem, in æstimandis Principum Regumque dictis & factis exercitatum, vt conferat, an vllum legerit fortioris pietatis. Erat dies ista continuis imbribus ita infesta, vt cælum ipsum liquescere in nubes, ac defluere in terras videretur; vix tantillum dabatur pluendi interuallum, cùm iterùm descendebant tanto impetu

Prima difficultas à Capitulo S. Gudulæ.

Secunda, à tempestate.

tu aquæ, vt non aliâ de causâ cessasse viderentur, quàm vt se colligerent densiùs ruituræ: non ideò cessauit Princeps ex Palatio ad templum nostrum descendere; & Principem Aula præcesserat, aduentum eius operiens. Vbi autem templo successit, quibus eum alloquendi potestas, continuò eleuatis manibus cælum ostendere, dicereque, auram istam egrediendi facultatem omnem præscindere; cumque ego meliora speranda ingererem, Agite, inquit, Missæ intersimus solemnibus; posteà quid agendum sit statuemus. Absolutum erat Sacrum, sed aucta interim imbrium vehementia: officiosiùs rursum omnes egressum dissuadere: Principes sacri, profani, ingerebant valetudini suæ Celsitudinis consulendum esse, & verò dignitati. Inter hæc ego subtristis cùm accessissem; Quod, inquam, Supplicatione hac quærimus, sunt boni in Patriæ negotiis successus: quorum omnium optimus optatissimusque est nobis Celsitudinis suæ prospera valetudo; quæ si periclitetur, nihil est quod cetera vrgeamus: quapropter Celsitudinem suam rogo, vti statuere dignetur quod conuenientius iudicauerit. Ex vultu sermonisq; ambiguitate aduertit sagacissimus Princeps, vehementer mihi doliturum, si quacumque de causâ Supplicatio omitteretur: cumque ab alterâ parte pluuiæ cerneret inclementiam, & suos omnes pæne indignantes quòd etiamnum quis de itinere speraret, paulisper secum deliberans, tandem vultu & voce inter hilaritatem & seueritatem maturè compositâ; Alterutrum, inquit, faciendum est, vel modò perficienda Supplicatio, vel redeundum est vespert, vt tunc eam clementiore cælo instituamus. Quâ voce auditâ, neminem ferè non puduit nimij sui in Principem obsequij; statimque ordine vt stabant suo quique processerunt, vultu vt poterant Principis hilaritatem æmulantes: qui per densissimos imbres nudo capite, pedes eo vultu longissimo itinere incedebat, quo eum vidimus inter suorum applausus, ob stratos ad Nordlingam hostes, primo in Belgium ingressu triumphantem; tam nobili Belgis, talium rerum non imperitis æstimatoribus, exemplo, vt multis deinde diebus esset in circulis & conuiuiis loquendi materia constans pietas Principis; per quam sperarent prospera omnia in rebus suis difficillimis. Certè me tanto cumulauit ex deuotionis abundantiâ gaudij voluptatisque sensu hæc resolutio, vt non continuerim me, quin obuius reduci largiter madenti ita fuerim locutus: Macte verò isto habitu gloriose Princeps, ac in sinu spem bonorum successuum reconde, quos spero hac ipsâ æstate meres: non solent enim tales Principes tanta exempla edere, quin ea DEVS statim insigni aliquo fauore compenset. Quod huic Principi non supra exspectationem, sed vota etiam contigisse ij testabuntur, qui anni trigesimi-quinti annales perlegerint. Huic tamen anno sequenti maior etiam successit procella; quæ à magnis suscitata auctoribus, & plausibilibus nixa rationibus, ferè præcipuum Supplicationi decus excusserat. Quid enim, aiebant ij qui Serenissimo Infanti Cardinali erant ab arcanis in vtroque foro consiliis, est opus Venerabilis Eucharistiæ Sacramentum circumferri in eâ Supplicatione, quæ propter Imaginem B. MARIÆ Virginis est instituta? an non erat magis rationi consentaneum, vt præcipuum in eâ ferculum esset hoc, cuius rei gratiâ tota sit solemnitas? nec opus est anni tempore tam incommodo Celsitudinem suam manifesto morborum periculo exponere, quando tecto capite tremendum hoc mysterium comitari sit nefas, & nudum verticem ventis pluuiisque per tantum iter verberandum dare. Vix cogitari possit, quinam cum prudentiâ Principis conueniat, præsertim cùm in Hispaniâ receptum non sit, vt tam facile in Supplicatione Venerabile Sacramentum circumferatur: prætereà iter ipsum breuissimo gyro includendum suadebant, ne se viâ longissimâ fatigaret. Quid ageret Princeps hisce suorum circum-

Tertia, ab Aula.

circumfeſſus conſiliis? non erat tam parum ſolers, quin ex ipsâ inſtantium curâ facilè animaduerteret zelum ſuæ valetudinis obtendi, vt dum ipſi, quam ex longâ Supplicatione percipiebant, moleſtiam excuterent, non gratiam accipere, ſed obſequium impendere viderentur; ſed hoc ipſo magis poterat moueri ad abrogandam rem ſuis moleſtam, ſibi autem, niſi diuina ſpectes, incommodiſſimam. Ego vbi hoc agi intellexi, contrariis vel rationibus vel precibus aliam ſuaſurus aut impetraturus ſententiam, Principem adiui: cumque Hiſpaniæ morem contrariâ Belgarum, apud quos agebamus, conſuetudine refutaſſem; oſtendiſſemque, quàm expreſsè Sereniſſima Infanta Eliſabetha voluiſſet Supplicationem hanc per Venerabile Sacramentum reddi venerabilem, vt etiam more inſolenti ex Aulæ Sacello illud in primâ Imaginis tranſlatione voluerit efferri; addidi quædam, quæ piiſſimum Principem ad ſubeundas itineris moleſtias animarent: quæ cùm benigniſſimè audiuiſſet, Per Fratrem, inquit, Ioannem à ſancto Auguſtino (erat is Principi à Confeſſionibus, eiuſdem mecum Religioſæ profeſſionis, vir de quo hoc breuiter dici poteſt, eum Principe tali tantoque apud eum officio fuiſſe digniſſimum) tibi reſponſum mittam. Per quem deinde miſit, nihil circa deportationem Venerabilis Sacramenti immurandum, diſpicerem tamen, an de itinere poſſet aliquid, non imminutâ Supplicationis maieſtate, decurtari. Vehementer hoc nuntio exſultarabar: erat enim hic annus trigeſimus ſextus, qui de abſolutâ Principis Cardinalis Infantis circa hanc Supplicationem voluntate erat iudicaturus: nam ſuperiore anno, qui primus ipſi erat in Belgio, iuſſerat eam, prout ſolet, peragi experientiæ tantùm causâ, vt diſpiceret, num quid foret circa eam immutandum.

CAPVT XVIII.

Digniora quædam Sodalitatis Mancipiorum B. MARIAE *capita recenſentur; vnde patet mira eius propagatio.*

INVENTO tam magnifico Sodalitatis Mancipiorum fundamento, eoque tot prodigiis, tot teſtimoniis, atque etiam contradictionibus ſtabilito, tempus eſt, vt, quænam ſupra id fabrica ſurrexerit, videamus. Huc enim ſpectabat omnis Sereniſſimæ Infantæ liberalitas & ſplendor in dedicandâ iſtâ Imagine, vt, cùm ſe mancipaſſet B. MARIÆ Virginis peculiari ritu ſolemniter tradere decreuiſſet, haberet in re tam laudabili quàm plurimos ſectatores, totaque ſtreperet Deiparæ familia nobiliſſimorum Mancipiorum frequentiâ: ideò etiam ego ſuſceperam itineris difficultates, precum ad impetrandam Statuam inter dubitationes Principis ſollicitudinem, procurandæ Supplicationis moleſtiam, &, vt in tali re fieri amat, multorum æmulationem, multorumque inuidiam, vt tandem ad finem perducerem id, propter quod longiſſimam ex Hiſpaniâ profectionem ſuſceperam. Ergo vt primùm Imago collocata fuit, quòd ſatis eo die pietati operata videretur Princeps Sereniſſima, quodque eleëmoſynæ erant diſtribuendæ, aliaque prætereà procuranda, quæ cum inſcriptione nominum in librum Sodalitatis Mancipiorum non ſatis aptè conueniebant; tum etiam, quòd eo die plerique Indulgentias plenarias lucrati erant ratione Proceſsionis, quas ipſo die inſcriptionis in librum Mancipiorum etiam lucrari poſſunt mancipia; dilata ea fuit cæremonia in diem Aſſumptionis B. MARIÆ Virginis anni 1626. quando prima mortalium in Belgio Ser^ma Princeps Infanta Eliſabetha ſe manu propriâ ſcripſit mancipium beatæ MARIÆ Virginis, hoc modo:

A. Iſabel Clara Eugenia, Eſclaua de la Virgen MARIA.

Secutum

Secutum est Principem suam nobilissimum Gynæceum; quod totum se hac intentione confessione expiauerat, sacroque refecerat Epulo, vt inscripto nomine Indulgentias plenarias lucraretur. Non interseram longos Sodalium catalogos, vt ambitiosius mundo ostentem nobilissimam istam Mancipiorum B. MARIÆ Virginis familiam; cùm in eo liceat in Domini ac Dominæ honorem gloriari, vix vllam esse ciuitatis & collegij alicuius particularis toto orbe Sodalitatem, quæ plura & nobiliora proferre possit capita, quàm hæc, quæ omnium abiectissimo titulo Virgini Deiparæ famulatur. Quod nemo inficiabitur, qui aliquot paginas librorum istorum, in quibus distinctè viri feminæque sua inscribunt nomina, euoluerit: nam in feminarum catalogo statim post Serenissimam Infantem inueniet manu augustissimâ verba hæc exarata:

Marie, Royne de France & de Nauarre, mere du Roy, Esclaue de la tres-glorieuse Vierge MARIE, *Mere de Dieu, nostre Dame.*

Ludit suauissimo affectu maxima Reginarum, magnitudinem suam tamquam nihilum isti excellentiæ opponens, cui vix meretur seruire, quidquid in terrâ est magnum; ideoque Regis quidem se matrem dicit, sed mancipium eius quæ DEI sit Mater; Reginam se Franciæ profitetur, sed Virginem omnium communem appellat Dominam. Verte paginam, inuenies:

Marguerite de Lorraine, Duchesse d'Orleans, femme de Monsieur, frere vnique du Roy de France, Esclaue de la Vierge MARIE, *nostre Dame.*

Respice, Virgo gloriosissima, & Principes hasce, quidquid magnitudinis fingere potest mundus, pedibus tuis mancipatu humillimo substernentes propitia intuere; ac tribue, vt, quantam ipsæ familiæ tuæ suo mancipatu præstant gloriam, tantam in domibus suis inueniant pacem. Iam si Duces, Marchiones, Comites feminas incipiam recensere; si commemorare Abbatissas, integraque Monasteria, quæ nomina sua vel inscripserint, vel inscribenda transmiserint, integrum describendum foret volumen. Viros præcesserunt feminæ, quòd prima fuerit Infanta ista toties nobis commemoranda; quam meritò appellem Sodalitatis huius constitutricem. Sed neque inferioribus, neque paucioribus nominibus splendet virorum catalogus; quorum agmen ducit, qui hac inscriptione primam occupauit libri paginam,

El Cardenal Infante, Esclauo de la Virgen MARIA.

Macte virtute, Princeps gloriosissime, iterùm te signas Mancipium istius Dominæ, cuius iam dudum in minore ætate, patris exemplo, professus eras famulatum: non pœnitet te facti, sed nouo affectu profiteris, quòd viuere vis & mori Mancipium beatæ MARIÆ Virginis; vel in solo te ostendens, quòd nihil orbis habeat supra omnem hominum stuporem admirabile, quod non debeat isti cæli terræque Imperatrici humillimè famulari: quando Infans Cardinalis, hoc est, seu sæculum, seu Ecclesiam spectes, vtriusque magnitudinis fastigium & apex, vno tantùm hinc à potentissimo Monarcharum, inde à sanctissimo Pontificum gradu diuisus, se ipsi tantâ mancipat animi demissione, vt etiam compedibus ab indignis manibus meis acceptis, & propria manu signato nomine, se professus sit Mancipium Deiparæ, eiusque dulcissimi nominis MARIÆ. O Virgo gloriosissima, struxerint tibi templa profusâ liberalitate tot Reges & Principes, imagines tibi Pontifices consecrarint, nomen tuum sanctissimum atque dulcissimum Apostoli tui, quà Filij se extendit gloria, promulgarint, Imperatores imaginem tuam currui impositam triumphabundam circumduxerint; nescio tamen, an non plus vnico isto actu tibi placuerit Cardinalis Infans Ferdinandus, tot Regum & Imperatorum sanguis, Apostolus nominis tui zelosissimus, Pontificum omnium, si Summum excipias, maximus, Princeps denique, cui quidquid hodie

viuit Principum, vltrò magnitudinis, prudentiæ, virtutis bellicæ & diuinæ palmam concedit, quando omnem istam in vno se collocatam magnitudinem tibi Mancipij humillimi obsequio subiecit. Audite CHRISTI fideles, audite Virginis MARIÆ quocumque nomine aut titulo serui: hoc demum est inauditos cælorum Reginæ triumphos adornare, hoc est nomen eius quà patet orbis deprædicare, hoc est eius gloriosissimam imaginem depingere, hoc denique est ei templum supra omnium structurarum miracula magnificum exædificare. Auelli nequeo à gustu, quem ex consideratione huius facti percipio, suauissimæ pietatis. Acuite calamos vestros, ex amore Virginis adhortor, Scriptores, & Principis huius victorias ac triumphos, Ferdinandi virtutem & indolem, Infantis genus & magnitudinem, Cardinalis zelum & religionem, viri denique tam singulari Numinis prouidentiâ ad Belgij liberationem, hæreticorum subiectionem, temporumque horum difficillimorum conuersionem nati merita & gloriam, quibus potestis laudibus deprædicate; quandoquidem iam singulari Principis huius virtute & humilitate factum sit, vt omnes eius laudes sint Virginis deprædicationes, omnia Infantis spolia sint Deiparæ trophæa, omnis denique Ferdinandi ouatio sit MARIÆ triumphus: nam quò eum gloriosiùs circumduxeritis, eò maior erit Dominæ istius gloria, cuius se, qui tantus est, gaudeat dicere humillimum Mancipium. Tam auidè quidam Virginis MARIÆ laudes celebrarunt, tamque zelosè mortales ad eius obsequium sunt adhortati, vt fuerint etiam quibus ipsa Apostoli sui gloriosum titulum tribuerit; quòd eorum professio esset, quemadmodum Apostoli ferebant nomen IESV coram principibus & gentibus, ita nomen Virginis ad easdem deportare. Perge verò, perge Ferdinande, implere orbem terrarum victoriis, subiugare rebelles, vincere Ecclesiæ perturbatores, debellare gentes ex omni barbarie, ad petendam per Austriacorum iugulum Ecclesiam excitas: hæc enim ipsa tua gloriosissima exercitatio iam Apostolatus MARIANI professio est; quandoquidem nusquam extendere possis tuas victorias, nusquam possit nominis tui, quod iam orbem impleuit, laus propagari, quin eòdem magnificentissimè inferatur nominis MARIANI gloria; cùm omnes intelligunt te Mancipium eius esse, illius te non tantùm auspiciis pugnare, sed illi soli vincere, ipsi deberi omnem gloriam, ipsam esse victricem, ipsam triumphatricem; te autem, qui tanta auxilio eius patraueris, solùm esse humillimum eius sanctissimiq; ipsius nominis Mancipium. Multa fecisti, Cardinalis & Pontifex religiosissime, quando te ad mancipatum huius Reginæ demisisti. Pontificum est consecrare statuas, collocare Virginis imagines populis venerandas; tu autem, cum mancipiorum sit imitari dominos suos, quando te scripsisti Deiparæ Mancipium, eam exorsus es imaginem, quam dum quotidie ad Dominæ mores polis, tantâq; præterea factorum tuorum auges gloria, nobis quotidie reddis venerabiliorem. Substructiones templorum in Virginis honorem stupendas quamuis nihil vetet ab istâ tuâ factâ ad liberalitatem indole sperare; maioris tamen ego facio professionem istam mancipatus: quâ, cùm nihil tibi retinueris, omnem magnitudinem, vires, industriam, totq; præcellentes animi dotes, tot virtutes bellicas, verbo vnico, totum te in hoc consecrasti Virgini, vt, conciliatâ generali pace, Europam vniuersam facias Dei Virginisque Deiparæ amplissimum templum; in quâ, fugatis barbaris, extirpatis hæreticis, nihil audiatur quàm nominis vtriusque gloria. Huic operi impensurum te, nullâ proprij commodi, sed tantùm Dominæ tuæ habitâ ratione, promisisti, quando scripsisti te Mancipium beatæ MARIÆ Virginis: huius tu architectus sapientissimus iam dudum ideam concepisti, huic tu iam manum admouisti, quando per tot insperatas orbi Christiano victorias primus viam aperuisti operi per-

perficiendo in Germaniâ, in Belgio, in Franciâ: hic inuitatione suauissimâ præco pacis blandissimus; ibi pænè desperatorum conseruator insignis: in Germaniâ hæreticorum victor & vltor acerrimus; vbique triumphator gloriosus. Deus ergo, & Virgo Domina tua, cœpta & consilia tua fecundet, vt perducto ad fastigium hoc templo pacis, tu per Virginem, & illa in te gloriosissimos agat triumphos; quibus omnes tui libentissime acclamabimus: Ita solent vincere, ita regnare, ita triumphare, qui norunt cæli terræque Reginæ debito mancipatu seruire.

Dedit præterea mancipatui huic MARIANO magnum suum nomen *Princeps Thomas*, Ducis Sabaudiæ frater: cuius qui aliter declaret natalium splendorem, iniuriam facit tamdiu regnanti familiæ; qui pietatem, haud æquus est mancipatus MARIANI æstimator; qui virtutem bellicam, in re notissimâ peregrinatur, cum iam nomen hostibus formidolosum sit Thomas, sitque pietatis summæ argumentum, infimæ erga Deiparam seruitutis professio: Sabaudiæ autem Duces neque debeant neque possint aliunde nobilitatem accipere, quàm illis dedit actum per tot sæcula generosissimum stemma.

Succedit *VVolfgangus Guilielmus, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Iuliæ, Cliuiæ, & Montium*: qui hanc etiam pietatem adiecit stupendæ isti ab erroribus ad fidei veritatem conuersioni: in hoc magnus Princeps, quòd, cùm neminem habeat præter Deum qui sibi dominetur, magnitudinis suæ esse iudicauerit, primùm Veritati parêre, deinde etiam seruire Veritatis æternæ Parenti. Adiecit etiam magnitudinis suę lydium lapidem munificentiam: nam, præter alia quæ inscriptionis suæ die obtulit munera, Ordini S.P.N. Augustini fundauit Conuentum in oppido Flandriæ dicto Rouselaer; eosq; reditus assignauit, qui sustentandis istic Religiosis sufficerent. Pergóne commemorare ceteros Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Dominos? an ad Ecclesiasticos versus, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Monasteriaque integra refero, quæ voluerunt huic Deiparæ familiæ Mancipij titulo inscribi? Neque omnes prætereo; neq; tamen pro dignitate quemquam facile est commemorare, quòd tanta Sodalitati dederint nomina, tamque eminentia in Christianâ Repub. capita mancipatui B. MARIÆ Virginis subiecerint, vt formidet calamus ea attingere. Quis dignè te laudet, Eminentissime S.R.E. Cardinalis Alphonse de la Cueua; qui cùm nequeas generosam illâ mentem ad quidquam humile & abiectum inflectere, facillimè tamen mancipatum B. MARIÆ Virginis suscepisti; hoc ipso tuo exemplo docens, dignitatis eximiæ esse Virgini mancipari? Sæpiùs commemoratus est, quia sæpissimè benè meritus est de Sodalitate hac Illustrissimus ac Reuerendissimus Dominus Iacobus Boonen, Archiepiscopus Mechliniensis: qui vti se fautorem Mancipiorum B. MARIÆ Virginis vbique fore recepit: ita etiam anno 1638. propagatorem eiusdem se gessit, quando singulari pietate Mancipiorum Congregationem instituit in templo dicto Beata MARIA ad Sabulonem.

Illustrissimum Dominum Archiepiscopum Cameracensem, ac R^mos Dominos, Attrebatensem, Audomaropolitanum, Tornacensem, Antuerpiensem, Gandensem, Iprensem, ceterosque Belgij Episcopos alibi laudaui, quòd sua Sodalitati nomina dederint; & Capite sequenti, quàm honorificè plurimi eorum ipsam probarint, est dicendum.

CAPVT XIX.

Examen verum Sodalitatis Mancipiorum B. MARIAE *Virginis, & vlterior eius variaque propagatio.*

LICET tot viri purpurâ & infulâ Ecclesiasticâ prænitentes, cùm nomen suum Sodalitati Mancipiorum dederint, satis eam approbasse censeantur; fuit tamen diuinâ prouidentiâ factum, quò confirmatior esset hæc professio MARIANI mancipatus, vt &

propter tituli nouitatem priùs eam examinarint, quàm profiterentur, & posteà examinatam diplomatis suis confirmarint: quæ dum quâ ratione acciderint hoc Capite commemoro, ac Bullas confirmationum varias profero, duo assecuturus videor. Primò, quæ incrementa ceperit breui tempore institutus mancipatus, apparebit; deinde consignatum hîc erit publicum pro mancipatu plurimorum Prælatorum testimonium, quò remitti poterunt, quibus etiamnum nomen Mancipij MARIANI non satis probatur. Primus ergo, & ante omnes, hoc est antequam Bruxellis institueretur Sodalitas, Mancipij MARIANI titulum, rationemque sese Virgini mancipandi, examinauit Illustrissimus ac Reuerendissimus Dominus Iacobus Boonen, Archiepiscopus Mechliniensis, dato eo quod sequitur diplomate.

Diploma Archiepiscopi Mechliniensis.

IACOBVS, *Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Mechliniensis, vniuersis & singulis præsentes litteras visuris salutem in Domino. Notum facimus, anno Domini* M. DC. XXVI. *die* XII. *mensis Augusti, in Conuentu PP. Eremitarum Ordinis S. Augustini, ciuitatis Bruxellensis, Diœcesis nostræ Mechliniensis, auctoritate nostrâ ordinariâ R*dum *in Christo Patrem Bartholomæum de los Rios, præfati Ordinis S. Theol. Magistrum, Prædicatorem Serenissimæ Principis Isabellæ Hispaniarum Infantis, &c. instituisse Sodalitatem Christi fidelium vtriusque sexus sub inuocatione sacratissimi nominis* MARIÆ, *& titulo atque nomine Mancipiorum eiusdem sacratissimi nominis. Quæ quidem Sodalitas in hac Diœcesi nostrâ prima fuit huius nominis ac tituli; nec nobis innotuit, etiam alibi in Belgio aliam vllam ante hanc istius tituli & specifici nominis erectam fuisse: adeò quòd inde abundãtiores gratias & Indulgentias à liberali dispensatione thesauri Ecclesiæ Sanctissimo Domino nostro commissâ, exspectare posse videatur. In cuius rei fidem præsentibus subscripsimus, easdémque sigilli nostri minoris subimpressione muniri curauimus. Bruxellæ 14. Decembris* 1630.

IACOBVS *Archiepiscopus Mechliniensis.*

Archiepiscopus deinde Cameracensis Illustrissimus Dominus Franciscus vander Burcht, priusquam sese firmaret Mancipium B. MARIÆ Virginis, prudentissimè insignem de Societate IESV Theologum P. Hermannum Hugonem ad me destinauit, qui accuratè, quid hoc deuotionis esset, inquireret: à quo vt intellexit, quàm pia videretur hæc Virginem colendi exercitatio, firmauit se, vt suprà diximus, manu suâ Mancipium B. Virginis MARIÆ: ac deinde istum Virginem colendi cultum non solùm auctoritate suâ approbauit, sed etiam solemnem catenularum benedictionem ipsemet publicè celebrauit, mancipatusque in Diœcesi suâ fuit institutor.

Reuerendissimus autem Atrebatensis Paulus Boudot aliis credere noluit; sed ipsemet diligenter inquisiturus de nouo pietatis exercitio me adiit: cui tum verbis, tum tradito, quem manu propriâ Hispanico sermone conscripseram, libello, totam Mancipatus rationem aperui; ille, perlustrato ad vmbilicum libello, tanto captus est Mancipatus MARIANI amore, vt non solùm in Belgicum idioma transferendum eum censuerit, sed etiam manu suâ, prout reliqui Belgij Episcopi tum Bruxellis congregati fecerant, se in libro Sodalitatis nostræ Bruxellensis, quam tum in Conuentu S. Augustini erigebam, Mancipiis B. MARIÆ Virginis adscripserit. quam professionem mancipatus sui tanti deinde fecit, vt primùm pro Episcopatu Audomaropolitano anno eodem 1626. deinde pro Episcopatu Atrebatensi anno 1628. Bullam sequentem publicarit, Indulgentiasque liberaliter Mancipiis communicarit.

Bulla Episcopi Atrebatensis.

Cùm ad manus nostras deuenisset libellus, cuius Inscriptio est Mancipium MARIÆ;

RIÆ; *& postularetur, vt illum approbaremus, ac permitteremus typis excudi, & publici iuris fieri in nostrâ Diœcesi: Nos illum diligenter legimus, ac examinauimus: & quoniam animaduertimus, cognouimusq́; illum esse perquàm vtilem ad excitandam in quolibet peculiarem deuotionem erga gloriosam Virginem Dei Matrem, cuius cultui ac venerationi impensè addicti sumus, & in illam singulari zelo ferimur, desideramusq́; quantum in nobis est, honorem illius promouere, ac gloriam eius Filij Domini nostri, non solùm iudicauimus permittendum esse, vt imprimatur cum nostrâ approbatione; verùm etiam concessimus & concedimus Indulgentias hîc adiunctas omnibus vtriusque sexus, qui fuerint capaces, & exercitationibus piis, quæ Libello isto continentur, sese excoluerint. Mandamus insuper omnibus Decanis, Parochis, Concionatoribus, Confessariis, vt suis Parochianis, auditoribus aut pœnitentibus enixè commendent istiusmodi deuotionis officia: inducant etiam sedulò eosdem ad pietatis prædictæ actus, quibus infallibiliter consequetur, vt Domina nostra omnium illorum sit futura singularis patrona & protectrix, & intercedat continuò apud Deum pro incremento virtutum, & salute animarum eorumdem.*

Indulgentiæ, quas concessit Reuerendissimus Episcopus Atrebatensis omnibus suæ Diœcesis hominibus, Diuæ Virginis mancipatum complectentibus.

Indulgentias quadraginta dierum in die professionis sui mancipatus; itemq́; in die renouationis eiusdem sacrâ Communione refectis.

Indulgentias viginti dierum quolibet die, quo Mancipia catenam benedictam gestabunt.

Indulgentias decem dierum, quoties Mancipia recitabunt Orationem, Sancta MARIA Mater DEI, &c.

Hic primus erat institutæ Bruxellis Sodalitatis fructus, quòd tot Ecclesiæ Prælati passim in Diœcesibus suis promulgatam volebant deuotionem se Virgini mancipandi. Mox adfuerunt inde à Luxemburgo & Germaniâ certi homines cum epistolis, qui sibi peterent formulam transmitti, quâ Bruxellis Virginis Deiparæ mancipatus susciperetur. Adfuit ex Hispaniâ epistola Serenissimæ Margaretæ Infantæ superiùs recitata, quâ idem efflagitabat. Dedit deinde Serenissimus Princeps Elector Ferdinandus Archiepiscopus Coloniensis non obscurum testimonium, quàm apud suos vigeret, & quàm promotam vellet eamdem pietatem, quando anno 1634. ad petitionem Sodalitatis Annuntiatæ, quæ est Coloniæ in gymnasio Societatis IESV, confirmauit libellum inscriptum *Mancipium* MARIÆ, qui nomine eiusdem Sodalitatis erat ibidem editus, prout ex sequenti diplomate patebit.

Diploma Archiepiscopi Coloniensis.

Ferdinandus, Dei gratiâ S. Coloniensis Ecclesiæ electus & confirmatus Archiepiscopus, S. R. I. per Italiam Archicancellarius, & Princeps Elector; Episcopus Paderbornensis, Leodiensis, & Monasteriensis; Administrator Hildesheimensis, & Berchtesgadensis: Princeps Stabulensis; Comes Palatinatus Rheni; vtriusque Bauariæ, VVestphaliæ, Angariæ, & Bullionis Dux; Marchio Franchimontensis; Comes Lossensis, Longiensis, Hornensis, S. Sedis Apostolicæ Legatus natus, &c.

Supplicatum est nobis à Sodalitate Beatæ Virginis Annuntiatæ, quæ est Coloniæ in gymnasio Patrum Societatis IESV, *vt libellum inscriptum Mancipium* MARIÆ, *hoc est, Modus dedicandi se Virgini in Mancipium, auctoritate nostrâ approbaremus. Mandauimus itaque, vt libellus iste diligenter perlegeretur, & examinaretur à viris doctis ac piis, in sacrâ Theologiâ Magistris, quibus id commisimus: ij autem cùm ad nos retulerint, nihil in illo contineri, quòd vel fidei orthodoxæ, vel bonis moribus, vel receptis in Ecclesiâ Catholicâ ritibus aut consuetudinibus sit contrarium, aut minùs consentaneum; sed ritum illum colendi Deiparam*

ram fundari in vsu antiquo, quem laudauit pientissimus Cardinalis Petrus Damiani; quiq, hoc tempore receptus sit in pluribus orbis Christiani partibus: libellus autem similis sæpiùs antehac editus sit in lucem, tum in Italiâ cum approbatione legitimâ, tum in Germaniâ; quem etiam in nostrâ Diœcesi Paderbornensi antehac typis excudi permisimus. Præterea, cùm plurimi ad illum colendi Matrem Dei modum afficiantur, & sentiant eo suam deuotionem augeri: Nos Dei Matris honorem ac venerationem, cuius cultui semper peculiariter addicti fuimus, tum præsertim in nostro Archiepiscopatu Coloniensi promotum, auctum propagatúmque desiderantes, non solùm censuimus permittendum, vt imprimatur cum nostrâ approbatione; cuius impressionis gratiosè ac libenter hoc scripto potestatem facimus; verùm etiam hoc deuotionis MARIANÆ *exercitium summoperè commendamus. Hortamur insuper omnes animarum Curatores, Concionatores, Confessarios; tam Religiosos quàm alios Ecclesiasticos, vt sibi commissis enixè & efficaciter idem commendent, doceantq, publicè & priuatim, nihil in eo superstitiosum, nihil sacris Canonibus aut Christianæ pietati contrarium contineri; denique inducant sedulò suos ad prædicta deuotionis exercitationem (quo & consequentur ipsi, vt Domina nostra sit futura ipsorum peculiaris Patrona, intercedendo assiduè apud Deum pro salute eorumdem, & nobis eamdem cœli Reginam in his Reipub. calamitatibus, quod omnino confidimus, propitiam & sospitatricem experiemur) harum testimonio litterarum manu nostrâ subscriptarum, & sigillo nostro munitarum. Datum in oppido nostro Bonnâ die 13. Martij anno 1634.*

FERDINANDVS.

Harum autem omnium approbationum examen & approbatio est Bulla suæ Sanctitatis VRBANI VIII. quâ Indulgentias concedit beatæ MARIÆ Virginis Mancipiis; quæ ipse, vt alibi monui, vocat captiuos beatæ MARIÆ Virginis, à ratione, quâ primùm solent acquiri mancipia.

VRBANVS VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cùm, sicut accepimus, in Ecclesiâ Domus Fratrum Ordinis S. Augustini, Oppidi Bruxellensis, Mechlinensis Diœcesis, vna pia & deuota vtriusque sexus Christi fidelium Confraternitas sub denominatione Captiuorum B. MARIÆ *Virginis, non tamen pro hominibus vnius specialis artis, canonicè instituta existat, cuius Confratres & Consorores quamplurima pietatis & charitatis opera exercere consueuerint: Nos, vt Confraternitas præfata maiora indies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam Confraternitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè pœnitentes & confessi sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam; nec non tam eisdem, & pro tempore describendis, quàm iam descriptis in dictâ Confraternitate Confratribus & Consororibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si verè pœnitentes & confessi, ac sacrâ Communione refecti, vel quatenus id facere nequiuerint, saltem contriti nomen* IESV *ore, si potuerint; sin autem, corde deuotè inuocauerint; etiam plenariam; ac eisdem nunc, & pro tempore existentibus Confratribus & Consororibus, etiam verè pœnitentibus & confessis, ac eâdem sacrâ Communione refectis, qui præfata Confraternitatis Ecclesiam, vel Capellam, seu Oratorium die festo Exspectationis partus B.* MARIÆ *Virginis, à primis Vesperis vsque ad occasum solis diei huiusmodi, singulis annis deuotè visitauerint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis Confratribus & Consororibus, & verè pœnitentibus & confessis, ac dictâ sacrâ Communione refectis, Ecclesiam, vel Capellam, seu Oratorium*

torium huiusmodi in Natiuitatis Domini, ac Visitationis eiusdem B. M A R I Æ *Virginis, ac S.Thomæ Apostoli festis, nec non Feriâ quintâ in Cœnâ Domini, diebus vt prædicitur visitantibus, & ibidem orantibus, quo die præfatorum id egerint, septem annos & totidem quadragenas. Quoties verò Missis & aliis diuinis Officiis in dictâ Ecclesiâ, vel Capellâ, seu Oratorio, pro tempore celebrandis & recitandis, seu Congregationibus publicis vel priuatis eiusdem Confraternitatis vbiuis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procurauerint; nec non etiam qui corpora defunctorum tam Confratrum & Consororum dictæ Confraternitatis, quàm aliorum ad sepulturam associauerint, aut quascumque Processiones de licentiâ Ordinarij faciendas, sanctissimumq; Eucharistiæ Sacramentum tam in Processionibus, quàm cùm ad infirmos, aut aliàs vbicumque & quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut, si impediti, campanæ ad id signo dato semel Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem & Salutationem præfatas pro animabus defunctorum Confratrum & Consororum dictæ Confraternitatis recitauerint, aut peccatorum aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes Dei præcepta & ea quæ ad salutem sunt docuerint, aut aliud quodcumque pietatis vel charitatis opus exercuerint; toties pro quolibet præfatorum operum sexaginta dies de iniunctis eis, seu aliis quomodolibet debitis pœnitentiis, in formâ Ecclesiæ consuetâ relaxamus: Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod, si aliàs dictis Confratribus & Consororibus præmissa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duratura, per Nos concessa fuerit, præsentes nullæ sint; vtq; etiam si dicta Confraternitas alicubi Archiconfraternitati aggregata iam sit, vel quauis aliâ ratione vniatur, seu etiam quomodolibet instituatur, priores & quæuis litteræ Apostolicæ illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullæ sint. Datum Romæ apud sanctam* M A R I A M *Maiorem sub annulo Piscatoris die* 20. *Iunij* 1631. *Pontificatus nostri anno octauo.*

M.A. Maraldus.

Ita passim augebatur vbique seruis domesticis & Mancipiis Virginis Deiparæ familia; nusquam tamen ego iudicabam adhuc nouas Bruxellâ quasi colonias deducendas, quòd mallem, vt aliàs monui, à variis pietatem suscipi, & multos eiusdem rei propagatores fieri, dum plurimi auctorem ignorarent, donec effera hæreticorum crudelitas, quâ anno 1635. oppidum Thenense exusserunt, commiseratione commouit, commiseratio ad solatium ferendum excitauit: quod cùm nullum haberem præsentius quàm addictam Virgini Deiparæ pietatem, iis Statuam donaui beatam M A R I A M D E R E M E D I I S, oppidoque vniuerso persuasi, vti institutâ quotannis solemni Processione, in quâ Statua ista circumferretur, renouarent sese Virgini mancipandi ritum & affectum. Fuit hæc Supplicatio quotannis celebranda, à Capitulo vniuerso confirmata; & præscriptum, vt die Annuntiationis B.M A R I Æ, quo primùm instituta fuit, quotannis celebraretur. Sunt ergo iam Thenæ, postquam exustæ fuerunt, iterùm Thenis renatæ, familiâ Virgini Deiparæ mancipatâ; proinde expectant à Dominâ suâ omnium malorum remedia, sperantque se, vti fuerunt barbari furoris theatrum, ita fore benignitatis M A R I A N Æ exemplum. At quanto gaudio, & quàm solenni ritu Statuam B. M A R I Æ D E R E M E D I I S (cuius ideam hic visendam propono) Thenenses exceperint, ex subsequenti Epistolâ quiuis intelliget.



B. MARIA DE REMEDIIS.
Cui ſe, poſt vrbis ſuæ exuſtionem, in ſpem fortunæ melioris Ciues Thenenſes liberâ ſeruitute manciparunt.

Leua caput de ruinis,
Urbs contrita quaſi cinis:
Ecce fert remedia,

Mater Natum, Natus Crucem,
Ut per iſta ſperent lucem
Virginis mancipia.

Epistola Conuentus S. P. N. AVGVSTINI *Oppidi Thenensis ad eiusdem Ordinis Reuer. Patrem Magistrum* HIPPOLYTVM MONTIVM FINALENSEM, *totius Ordinis Augustiniani Generalem: quâ quid post miseram pariter & fœdam Urbis & Monasterij Augustiniani exustionem in sacratissimæ Virginis Deiparæ honore, ab hæreticis turpiter violato, redintegrando præstitum sit, significatur.*

REVERENDISSIME PATER,

QVOD *eam sciamus largitorem bonorum omnium Reuerendissimæ Paternitati vestræ indulsisse pectoris latitudinem, quæ animo verè paterno Ordinem vniuersum ita complectatur, vt singulorum malis indoleat, bonis exultet, gratam ei fore existimauimus gaudij nostri communicationem, quâ nos cœpit Deus post fœdam illam ac barbaram Oppidi & Conuentus Thenensis exustionem consolari; maximè quòd narratio ista fieri nequeat sine insigni laude R^di admodum & Eximij Patris Magistri Bartholomæi de los Rios: qui cùm subditus R^mæ Paternitatis vestræ nobiscum sit, & obseruantiæ & gratitudinis esse duximus, benefactoris nostri munificentiam apud eum commemorare, ad quem laudes eius, tamquam ad Ordinis caput œcumenicum, præcipuè pertineant. Non contentus ergo, quem diximus, Eximius Pater cineribus Oppidi & Conuentus nostri, quod omnes Belgæ abundè fecerant, amicas, sed otiosas effudisse lacrymas; solidiora excogitauit & attulit solatia, Statuam scilicet* B. MARIÆ *Virginis* DE REMEDIIS, *ab artifice specie & formâ sanè magnificâ, ab ipso vestibus & coronis quàm ditissimis exornatam: cui adiecerat, præter triplex Altaris & Sacerdotis ornamentum, Remonstrantiam, calicemque, ac Crucifixi imaginem aliamque supellectilem argenteam, quæ 84. vncias appenderet: quæ manibus nostris (illæ enim adhuc locum istum cingunt vbi Thenæ fuerunt) anno 1637. à Francorum & Batauorum vastatione secundo, 10. Kalend. Aprilis, illata sunt eâ magnificentiâ & publicâ ex intimo pietatis sensu lætitiâ, vt dies illa noua vrbi natalis dici possit, quòd inde cuncti sperare cœperint à Matre misericordiæ, cuius imaginem accipiebant, malorum remedia. Erat quidem exspectatus diu, sed tum prorsus inopinatus nobis aduentus Eximij Patris, ita vt præclusâ omni simulatæ ambitioni viâ solus festiuitatem instruxerit. Ciuium erga Virginem auxiliatricem & Patrem benefactorem suum affectus, qui vti hinc gratitudine, inde verò pietate duabus actuosissimis impellebatur virtutibus, ita nihil omisit, quod vel ad huius dignitatem vel ad Deiparæ cultum pertinebat. Licet enim Louanij, propter itinerum pericula, dati essent præsidiarij milites; excurrerunt tamen de Centurijs Thenensibus etiam equites honorarij, qui tubis festiuè clangentibus plus quàm per quinque passuum millia Patrem comitati, ipsum & Virginis Deiparæ imaginem, sarcinis etiamnum inuolutam, in ædibus Abbatialibus S. Gertrudis deposuerunt. Exciuerat tam splendidus in vrbem ingressus, promiscuam sine ordine plebem, & ipsos sacros profanosque oppidi Ordines. Venit enim statim collegialiter Canonicus sancti Germani Clerus, venit & collectus in vnum Magistratus, Virginis sibi Patrisque aduentum gratulaturi: qui inter mutua beneuolentiæ certamina inuitati sunt ad deducendam publicè in ædes nostras imaginem: quod postridie factum eâ magnificentiâ, eoque omnium Ordinum studio, cui nihil simile stantibus adhuc Thenis conspexisse se Thenarum meminissent reliquiæ. videre namque erat, sub horam ab ortu solis tertiam, ad ædes, quò statua beatæ* MARIÆ *Virginis diuerterat, effusam vniuersam ciuitatem, tantâ frequentiâ, vt quidam mitiùs sentire inciperent de vastatione præteritâ: quia nimirum monstro simile videbatur, post tantam, quanta memoratur, cladem tot superfuisse. Hic, adueniente deinde Clero & Religiosis, ordinata est Supplicatio: eam Patres Carmelitæ ducebant, illos sequebantur Franciscani, deinde nostri; quos excipiebat*

bat S. Germani Capitulum atque vniuersus Clerus: succedebat B. MARIÆ *Virginis Statua, cui insigni conspiratione & gratâ varietate ex quatuor Mendicantibus Ordinibus singuli collum subiecerant: sequenti posthæc Vener. Eucharistiæ Sacramento longâ serie facem præferebant ciuium honestissimi. deferebatur id ab ipsomet Eximio Patre de los Rios, vmbram faciente conopeo, quod à quatuor vrbis Pastoribus deportabatur. Comitabatur Illustriss. Comes de Herre, vrbis Magistratus, & quam diximus populi frequentia: vehementer autem Supplicationis splendorem, imò & pietatem supplicantium augebant labara insigni arte hinc* MARIÆ *nomen, inde statuam depictam ostentantia; quæ in singulos distributa, tam ab Ecclesiasticis quàm à sæcularibus è longiori bacillo deferebantur. Hoc modo resonantibus omnibus vrbis campanis ad forum processum est; vbi præsidiarij vrbis milites explicatis cohortibus Virginem Filiúmque displosis igniarijs suis fistulis militariter salutarunt: hinc ad S. Germani peruentum; vbi interquiescenti Statuæ Diuæ Virginis à studiosis solemniter vinctâ oratione acclamatum. Mox acceptâ Vener. Sacramenti benedictione, Clerus inter exeundum Antiphonam,* Sub tuum præsidium, *occipit; eíque Litanias D. Virginis, prout in æde Lauretanâ fieri solet, succinuit. Inde alternantibus cantum Religiosis, Statua per omnes penè ambustæ ciuitatis vicos solemniter deducta, vel eos præsentiâ suâ ab hæreticorum lustratura sacrilegijs, vel incolas excitatura ad sperandum malorum omnium remedium: donec longo circuitu ventum est ad templum nostrum, vbi festo tubarum sono suscepta quieuit imago. Inchoatumq; est Sacrum eâ symphoniâ, quam iuncti Thenensibus Louanio, Diesthemio, Herentalio acciti musici sanè pulcherrimam sunt modulati. Inter celebrandum, post Euangelium, habita est vernaculè Concio peregregia à Reuerendo Patre Guilielmo Masio, Bruxellis ad hoc euocato. A sacro, qui id cecinerat Eximius Pater de los Rios, rosaria & libellos de Sodalitate Mancipatus D. Virginis, quam sub adductæ imaginis tutelâ instituebat, ciuibus dedit: pauperibus verò panes, indusia ac nummos publicè in Virginis Deiparæ honorem distribuit. Inde de Clero & Magistratu præcipuos mensæ suæ adhibuit; ad quam ne asymboli venirent, submisso liberaliter pisce & vino curauerunt: mensam condiuit recitatio carminum, quibus nobiles aliquot Belgij Poëtæ iter hoc atque aduentum diuæ Virginis celebrauerant. Horâ post meridiem quartâ Latinè habita est ab Eximio Patre oratio exhortatoria ad ciues Thenenses, vt per humilem Virginis Deiparæ mancipatum sperare auderent remedia malorum suorum, tanto feruore & affectu, vt, cùm elegantissimè diceret, magis tamen lacrymis suis quàm verbis lacrymas tam potenter alijs excuteret, vt nemo ex Auditoribus eas dissimularet. Vnde mirus omnibus iniectus est zelus cognoscendi, quid deuotionis eo Deiparæ se mancipandi ritu contineretur: licet enim res ista Belgio à dicto Patre inuecta, alibi summo pietatis incremento sparsa sit; erat tamen Thenensibus ad hanc diem ignota. Iucundo ergo nobis, & sine dubio Cælicolis, spectaculo cernere licebat, Decanum, Canonicos, aliorum Ordinum Superiores & Religiosos, tum etiam è ciuibus & Magistratu primarios post Orationem altari circumfusos, libellos & rosaria ab Eximio Patre postulantes, eo sensu pietatis, vt iam candorem affectus, quo ipse dixerat, & quo ista distribuebat, imbibisse viderentur. atque inter hæc ista dies Virgini Annuntiatæ sacra abijt. Alterâ die, peracto eâdem celebritate Missæ sacrificio, aduenit Perillustris atque Amplissimus Dominus Franciscus de Robles ex Comitibus de Anappes, & almæ Vniuersitatis Louaniensis Cancellarius, vt honoris caussâ Eximio Patri se comitem cum Comite de Herre adiungeret. Distributis ergo rursus in pauperes lineis indusiis ac nummis, dum à Virginis imagine Pater Bartholomæus vix auellitur, ita reditus ei adornatur, vt tres essent rhedæ quatuor equis instructæ: quarum primam Pater noster subintrare amicè compellitur: comites se ei iunxerunt Cancellarius & Comes de Herre: stipabant rhedas, præter equitum*

equitum præsidiariorum cohortes, non pauci ex primarijs Thenensibus in equis, qui ad quatuor circiter passuum millia sunt comitati, milites verò Lonanium vsque rhedas sunt prosecuti. Thenis autem tertio rursum die manè solemniter celebrata sunt Missarum solemnia: atque ita nostri & symphoniaci, qui aliunde aduenerant, ad sua rediuerant. Non tamen cum ijs abijt iniectus populo erga Virginem Deiparam pietatis ardor, qui indies incrementa sumit, atque etiam longè dissitos accersit, vt huc accurrant, remedia malorum suorum à B. MARIA DE REMEDIIS *impetraturi. Atque hæc tam accuratè Reuerendissimæ Paternitati vestræ narramus, tum ob rationes quas diximus, tum vel maximè, quòd confidamus sanctis suis apud eamdem Virginem precibus nos impetraturos malorum nostrorum remedia, & simul vt humiliter ei offeramus preces nostras, quibus coniunctis animi votis Thenenses incumbere proposuimus ad impetranda Reuerendissimæ Paternitati vestræ remedia contra difficultates omnes, quæ in tam amplo ac tam latè diffuso tot nationum regimine necessariò occurrunt non paucæ. Thenis 4. Aprilis* 1637.

Reuerendissimæ Paternitatis tuæ humillimi & omnium indignissimi famuli & subditi

Fr. Gualterus Gipsius Prior indignus.
Fr. Ioannes Terbeeck Supprior.
Fr. Henricus Moins Scholarum Præfectus.

Sunt itaque Thenenses prima primæ Sodalitatis Mancipiorum colonia, à me publicè publicâ auctoritate Summi Pontificis, & Ordinarij approbatione, in Conuentu sancti Patris nostri Augustini ibidem solemniter instituta. Deinde itum est per omnes pænè Coloniensis Prouinciæ Conuentus, pro quibus singulis in particulari (ita enim faciendum Romà rescribebatur, quòd non propenderet sua Sanctitas in generalem extensionem Bullarum ad omnes Conuentus S. Augustini) impetraui Bullas Indulgentiarum, & auctoritatem instituendæ Sodalitatis Mancipiorum: quam singuli Conuentuum Priores, quisque pro suo in Virginem affectu instituit ac promouit. Conuentus sanè quibus Indulgentias impetraui, Bullasque eas communicaui, sunt, præter Bruxellensem & Thenensem, Coloniensis, Aquensis, Traiectensis, Leodiensis, Bouiniensis, Louaniensis, Mechliniensis, Gandensis, Brugensis, Iprensis, Antuerpiensis, Insulensis, Tornacensis, Bullionensis, Diestensis, Duacensis, Anguiensis, Hasseletanus, Teneramundanus, Baslæanus, Haesbroucanus, & Rouselarensis.

Posthæc iterùm tempus incidit, quo videbatur neque labori neque sumptibus parcendum, vt Virginis Deiparæ cultus per Mancipiorum Sodalitatem propagaretur: tum scilicet, cùm Inuictissimus Princeps FERDINANDVS Austriacus memorabilem istam & tot fetam victoriis victoriam anno 1638. recuperatâ Calloâ, præter omnium opinionem & spem obtinuit: exemplum imitatus sancti & fortissimi illius adolescentis Dauidis, *qui erat rufus & pulcher aspectu*, & præter omnium opinionem hostem tantum Goliathum prostrauit. quæ historia, ex lib. 1. Reg. cap. 17. deprompta, cùm tam congruè victoriæ huic Calloanæ conueniat; non casu, sed diuinâ prouidentiâ factum videtur, vt die victoriæ hoc anno M. DC. XXXVIII. XXI. Iunij, nobis ab Ecclesiâ, in Matutinis, ea legenda proponeretur. Princeps verò pientissimus victoriam Virgini Deiparæ totam adscribebat, cuius ibidem impiè crematam ab hæreticis Statuam fuerat vindicatum. quod quâ animi fortitudine, quo in Dei Deiparæque honorem zelo accensus peregerit, qui Principis pietatem nouit, ignorare non potest. Hunc ego certè omnium, vt opinor, optimè in ipso serenissimo pij Principis vultu non legere modò, sed & perspicere potui, quando tantam ipsi (vt officij mei ratio exigebat) victoriam gratulabar: tunc enim ipse tanto animi cum dolore, tanto pietatis cum sensu

iniuriam à blaſphemis hæreticis Sanctiſſimæ MARIÆ ſemper Virginis Statuæ illatam narrauit, vt mihi lacrymas etiam excuſſerit; & tanto quo ardebat iniuriam hanc nouo honore diluendi deſiderio, deſiderium, quod pridem ego conceperam, aras ſtatuasq; ſacras reſtaurandi, planè accenderit. Itaque conſilium meum, & infrà narrandorum ſeriem ſubmiſsè tanto Principi, ſed confidenter tam pio expoſui. quæ, vtpote in tam piam Matrem pientiſſimo, cùm perplacerent omnia, rem conceptam in actum educere ſum aggreſſus. Quod cùm ſine ſumptibus, & grauibus quidem, fieri non poſſet; voti paupertatis meæ memor, hos vt ſine ſcrupulo ex ſtipendiis (quæ Rex Dominus meus annuè dari mihi iubet) & ex penſionibus Eccleſiaſticis (quibus cum veniâ Sanctiſſimi Domini noſtri Vrbani VIII. fruor) detrahere poſſem, à Reuerendiſſimo Patre Magiſtro Hippolyto de Montio Finalenſi, Ordinis noſtri Generali, veniam impetraui: vti & feci, cùm ſimili ferè in cauſâ Statuam diuæ MARIÆ DE REMEDIIS (quæ fuit benedicta in ſacello Epiſcopali ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Mechlinienſi Iacobo Boonen, Bruxellæ XIV. Auguſti anno M. DC. XXXVI.) in oppido Thenenſi erexi in Conuentu mei Ordinis S. Auguſtini anno M. DC. XXXVII. à vaſtatione Thenenſi II. & diuerſis ornamentis & fundationibus dotaui. quod quàm lubentiſſimè Reuerendiſſimus Pater mihi conceſſit: vir enim eſt in Dei Sanctorumque cultum munificentiſſimus, tanto deinde in regimine prudentiſſimus, & omnibus ſubditis exemplo pietatis gratiſſimus, & vtiliſſimus; denique vir tantâ Prælaturâ, imò plurimorum iudicio, Purpuratorum Patrum collegio, ob doctrinam, prudentiam, virtutem digniſſimus. Sed ad hiſtoriam redeamus, vnde me tanti viri merita tantiſper ſeduxerunt. Obtentâ itaque hinc veniâ, quandoquidem hæretici (impij inquam iconoclaſtæ) D. Virginis MARIÆ Statuam non impunè combuſſerant (non impunè dico; tanti enim ſceleris auctor Comitis Guilielmi Naſſouij filius vnicus, paulò pòſt glande traiectus, miſerè obiit) aliam à Statuario Mechlinienſi, cui nomen Franciſcus van Loo, fieri curaui: qui & ſtatuam D. MARIÆ DE REMEDIIS, quam Thenis poſui, & ad quam plurimi vndique à D. Virginis fauore ſuis tam animi quàm corporis malis remedia impetrant; ſtatuas item alias, nimirum CHRISTI Saluatoris noſtri è cruce pendentis, Sanctorumq; Petri & Pauli, quas templo Calloano donaui, confecit: hoc tamen pacto, vt quo die vnamquamque ex his D. MARIÆ ſtatuis ſculpere inciperet, ritè peccata expiaret, & ſacrâ Communione reficeretur; quod & piè compleuit. Hæc igitur cùm mihi Bruxellas delata eſſet, & ab Architecto regio & inſigni pictore Iacobo Francart depicta, pietati variorum vt ſatisfacerem, in templo hoc Monaſterij noſtri expoſui; quod vt & aliis in templis quibuſdam fieri poſſet, pij à me rogarunt, & impetrarunt. Tandem eam ego ipſe Antuerpiam tuli, vbi à Reuerendiſſimo Domino Antonio Trieſt Gandenſi Epiſcopo, ritu ad hoc ab Eccleſiâ Catholicâ ordinato (annuente Reuerendiſſimo Domino Gaſpare Nemio Antuerpienſi Epiſcopo) conſecrata eſt, & nomine D. Virginis de Victoria inſignita. Quam ipſo Natiuitatis B. MARIÆ ſacro die anni M. DC. XXXVIII. ad templum parochiale Calloanum ſummâ cum ſolemnitate & pompâ deuehendam conſtitueramus.

Sed dum pompa hæc à piâ plebe paratur, narrabo interim Mancipiorum D. Virginis Sodalitatis in præfato templo inſtitutæ originem. Cùm templum hoc in Diœceſi Gandenſi ſitum ſit, veniam hanc inſtituendi à Reuerendiſſ. Domino Epiſcopo Gandenſi expetij, eiq; ſtatuta ſiue leges, & exercitia Sodalitatis huius, benedictiones armillarum & catenarum, roſariorum, formulam ſe in mancipium D. Virginis dedicandi, quidquid denique ad Sodalitium hoc pertinet, exhibui. Quod quanti pius Præſul æſtimauerit, ex hoc collige: ipſe

primus

primus albo Mancipiorum D. Virginis, ad hoc præparato, nomen suum manu propriâ inscripsit, hoc modo: *Antonius Triest, Episcopus Gandensis, Mancipium B. Virginis* MARIÆ *Dominæ nostræ.* Hic certè dubito quid agam, an tanto Præsuli Mancipio facto, an verò tali Sodalitio tantum Sodalem gratulari debeam? Est enim Reuerendissimus Dominus Antonius Triest, vir in quo Nobilitas Virtutem & Virtus Nobilitatem reddit illustriorem; cuius tanta in pauperes munificentia, vt verè pater pauperum & sit & appelletur: nec in corpora modò, sed in animos quoque suorum munificus. quod manifestè hoc in loco ostendit, vbi omnibus Sodalitij huius Sodalibus orationem Sodalitatis dicentibus, vel rosarium seu paruulam coronam (quam duodecim stellarum vocant) auctoritate suâ ordinariâ viginti dierum Indulgentiam in Domino concessit. Item quadraginta dierum Indulgentiam omnibus Sodalibus, quo die præfatam Ecclesiam inuiserint. In quâ etiam quilibet Christi fidelium ipso B. MARIÆ Natiuitatis die, & in festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli lucrari potest Indulgentias plenarias, quas Sanctiss. Dominus noster Vrbanus VIII. ad septennium (rogatu meo) concessit: vt latiùs patet ex Bullis, quæ ibi videri possunt. Secundus verò huic albo nomen, eodem modo inscripsit Reuerendissimus Dominus Gaspar Nemius Antuerpiensis Episcopus: vir, quem Duacena Vniuersitas olim Sacræ Theologiæ Doctorem audiuit, & admirata est; & quem modò ciuitas Antuerpiana exemplar pietatis & mansuetudinis habet: denique vir, quem meritò à Superis ad calamitosa hæc tempora, in fidei propugnatorem seruatum credamus. Prætereo modò plurimos alios huic Sodalitati inscriptos, tam Ecclesiasticâ quàm ciuili dignitate graues, vt ad Statuam quam Antuerpiæ reliquimus, redeamus.

Vt primùm dies triumpho MARIÆ Virgini dicata effulsit, quæ luce suâ omnes metus & tristitiæ tenebras depulit, quibus ciuitas tota Antuerpiensis iam nuper sepulta esse videbatur; dies certè vna hæc fuit quæ facilè volumini integro materiam subministraret; sed paucis ego omnia hîc conabor perstringere. Summo igitur manè, tota (vt ita dicam) ciuitas ad portas quæ Scaldim spectant confluxit: quæ quamprimùm vt apertæ, pars nauibus se committunt, pars itineri per aggerem qui Flandricus appellatur; tantæ enim multitudini, naues etsi permultæ, sufficere non poterant. Tandem postquam Reuerendissimus Præsul Antonius Triest ad aram fecerat, & (vt diximus) Statuæ benedixerat, hæc defertur ad Regiam eam nauim, quæ Serenissimum Ferdinandum Principem primò ciuitatem hanc inuisentem aduexerat: quæ etsi multo auro, sericisque suppatis & labaris ex mali apice ad fluctus vsque defluentibus esset splendida, onere tamen suo longè splendidior: primò quòd Serenissimum Principem Cardinalem Infantem aduexerat, & tanti quòd modò Principis Dominam vehat: quæ cùm decorè in naui supra aram ad id præparatam esset collocata (comitante Reuerendissimo Domino Antonio Triest, paucisque alijs ex Clero, ex Religionibus, & ex Magistratu ad nauem hanc à me inuitatis) lituis, tubisque, & lætà tormentorum explosione datum est discessus signum. Ex Arce Antuerpiensi primò omnium tormentorum læto boatu applausum est; exemplum huius fortalitia minora, caput Flandriæ, Fortalitium S. Laurentij, aliaque, & naues omnes læto fragore imitata sunt. Vehebamur itaque inter festiuos ignes secundo æstu, pleni lætitiâ; quam profectò nubes aliqua infecisset, nisi nostræ lætitiæ Mater tempestiuè suo fauore adfuisset: nam cùm ad Fortalitium vulgò Austervveel peruentum esset, milites (lætitiâ nimiâ imprudentes) sclopis iaculantes, duas glandes plumbeas in confertam multitudinem sparserunt: è quarum vnâ pueri quidem humerus, adustâ eâ parte vestis quâ transibat, etsi calorem transuolantis senserit, vulnus tamen nullum omnino sustinuit:

tinuit: alterius altera pileum innoxia cùm perforasset, carne quidem tactâ, sed illæsâ, à capite ad spinam dorsi, quo nescio modo, dilabens, inter cutem & vestem furentem impetum suppressit; hanc ipse secundâ quasi à re gestâ horâ, inter vestem & cutem adhuc hærentem, cum pluribus alijs, manibus proprijs contrectaui. quod quàm certum sit miraculum, hîc prætereo, sperans quòd breuî adhibito (vt assolet tali in re) examine & affirmatione, & quomodo cæca quædam mulier visum receperit, vir item alius diuturnâ febre miraculosè fuerit liberatus, & alia plura quæ ab eo tempore & deinceps contigerunt, particulari aliquo libello in lucem edentur. Sic tandem auctâ tanto fauentis Virginis omine populi pietate, ad arcem S. MARIÆ appulimus: ad cuius sacellum statuam nostram exposuimus, dum tantisper Processio ordinetur. Ipse Episcopus cum primoribus auxiliatrîcis beati Virginis statuam facibus rosarijsque instructi comitabantur: deinde vexilla, statuam ab vno latere; sacrum verò nomen MARIÆ ab alio referentia, Primatibus & plebi distributa sunt. Procedit Supplicatio, & primi tantæ multitudinis (nam supra quatuordecim millia hominum hîc fuisse plurimi affirmant) iam templo Calloano appropinquauerant, quod mediâ leucâ ab arce Marianâ distat, priusquam Statua arcem hanc desereret. Ferebatur hæc à diuersorum Ordinum Religiosis, pallio pretioso ad terram vsque dependente ornata, duabus argenteis imperialibus coronis redimita. Pergit igitur triumphalis Statua per aggeres adhuc penitus hostili sanguine madentes: per aggeres illos, inquam, vbi nuper MARIÆ nomen à sacrilegis hæreticis blasphemabatur; modò nihil nisi pij plausus B. MARIÆ DE VICTORIA audiuntur: donec tandem in medio templi parochialis Calloani deposita fuit, in summo altari posteà collocanda. Cùm ad aras solemniter feceram, habitâ sub Sacro à Religioso Ordinis nostri concione, data est benedictio Pontificalis à Reuerendissimo Domino Antonio Triest, qui eidem Sacro interfuerat: inde hymnus *Te Deum laudamus* musico concentu insonuit, & tres orationes ob tres victorias, Calloanam nempe, Audomarensem, & Geldriensem, vno hoc anno à Serenissimo Principe Ferdinando reportatas, in gratiarum actionem Deo decantaui. Et ne aliquid ad integritatem lætitiæ triumphalis huius diei, quando cæli terræque Regina aulam suam intrabat, deesse videretur, in honorem triumphantis MARIÆ Virginis DE VICTORIA, præsidiarijs militibus rosaria, panes verò & indusia pauperibus distribui. A meridie verò solemniter cantatæ Vesperæ, habitâ rursus concio ab alio Ordinis nostri Religioso: quidquid denique piæ multitudinis pietatem augere potuisset, peractum est.

De Beatæ Virginis Statuâ satis modò superque. Calloam igitur, pie Lector, egrediamur, quæ imagine hac nunc est eritque celeberrima, nec minùs Serenissimi Principis Ferdinandi Austriaci Victoriâ nota. Rem oculis viuaciter obijcit pictura à Gerardo Verry pictore Antuerpiensi depicta, quam in principe altari dispositam ad perpetuam Dei, Cælitumque, & Principis in terrâ gloriam, templo huic lubens donaui. Pristinam verò picturam, hæreticâ prauitate laceram, vt & SS. PETRI & PAVLI statuarum fragmenta, quarum in loco nouas substitui, mihi seruo: quæ quidem ego (cælo mihi propitio) in altari aliquo illis dicato honoranda, ad æuiternam posterorum memoriam me expositurum confido. En modò statuæ & picturæ in æs incisum exemplar: eius epigraphen diligens inspice.

LEGE



B. MARIA DE VICTORIA.

Ob liberatam mirabiliter Calloam, liberâ ſeruitute ſibi mancipatum ipſum hæreticorum triumphatorem FERDINANDVM, eiuſque fideles ſubditos, triumphans.

Victus cecidit Hollandus;	*Ut hanc ſæpè poſſit dare,*
Qui cecîdit FERDINANDVS,	*Tuque Virgo triumphare,*
Virgini dat gloriam.	*Sæpè da Victoriam.*

TABVLA SVMMI ALTARIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS IN CALLOO.



LEGE VIATOR,
ET TOT VNA IN VICTORIA VICTORIAS ADMIRARE,
QVAS ANNO M.DC.XXXVIII. VNDECIMO KALENDAS IVLII,
CÆLI AC REGIS NVTV, DVCTV SVO REPORTAVIT
FERDINANDVS AVSTRIACVS,
QVANDO CALLOAM, NOVAM BELGIO OSTENDAM,
SACRILEGA FOEDATAM MANV,
REBELLIBVS FETAM MILITIBVS ET ARMIS
VI AGGRESSVS TRIDVO EXPVGNAVIT EXPIAVITQVE,
CÆSIS, MERSIS CAPTISQ. SEPTEM HÆRETICORVM MILLIBVS,
XLIX. VEXILLIS, XXIII. TORMENTIS BELLICIS, LXXXV. NAVIBVS INTERCEPTIS.
QVA FVGATVS VICTORIA EST
ALTER BATAVORVM EXERCITVS ANTVERPIÆ IMMINENS,
ALTER FRANCORVM AVDOMAROPOLIM OBSIDIONE PREMENS
PARI VIRTVTE MVNIMENTIS SVIS EXPVLSVS:
VICTVS DENIQVE FVGITIVVS ILLE BATAVORVM GELDRIAM CINGENS,
PLVRIMIS TORMENTIS, VEXILLISQVE AC MVNIMENTIS SVIS EXVTVS.
QVISQVIS HÆC HVMANO PARTA ET PATRATA ROBORE AVTVMAT,
FERDINANDI
FORTITVDINEM AGNOSCIT, PIETATEM IGNORAT;
NEC SCIT QVONAM ILLE TOT AVSTRIACORVM IMPERATORVM,
TOT REGVM CATHOLICORVM SANGVIS ARDORE EFFERBVERIT,
DVM CONFRACTAM CRVCIFIXI EFFIGIEM,
CREMATAM VIRGINIS MARIÆ STATVAM,
APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI VIOLATAS IMAGINES INTELLEXIT:
TVNC SCILICET
VNA CVM BELGII SALVTE DIVORVM GLORIAM
GLADIO SVO LIBRARI CONSPICATVS,
OMNIA CÆLITVS SPERAVIT, HVMANITVS ADHIBVIT;
PRVDENTISSIMEQVE CONSVLTANDO,
FORTISSIME DIMICANDO,
FELICISSIME VINCERE PROMERVIT.
IN CVIVS SVCCESSVS MNEMOSYNON ÆVITERNVM
TABVLAM STATVAMQVE VICTORIÆ,
MARIANI PATROCINII, VINDICATIQVE SACRILEGII TESTEM,
OBSEQVIOSO IN DIVAM ET PRINCIPEM CVLTV
P. D. Q.
M. FR. BARTHOLOMÆVS DE LOS RIOS ET ALARCON,
ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI,
PRINCIPI TRIVMPHATORI A SACRIS CONCIONIBVS.

ANNO M. DC. XXXIX. repetita est annua festiuitas & gratiarum actio pro victoriâ superiore anno obtentâ. quâ occasione repetita fuit solemnis inscriptio in librum Mancipiorum: confluxerat enim rursum ex Vasiâ, Antuerpiaque frequentissima turba ad collocationem Statuarum CHRISTI Cruci affixi, & SS. Apostolorum PETRI & PAVLI, in locum earum quas ibidem hæretici vnà cum B. MARIÆ Virginis venerandâ effigie combusserant aut confregerant. Benedixerat hasce Reuerendissimus Episcopus Antuerpiensis, prout diplomate ipse suo testatur; quod, simul etiam cum nostris ad Reuerendissimum Gandauensem Episcopum litteris, eiusdemque responso, ad posterorum renouandam memoriam, hîc apponendum iudicaui.

Epistola ad Reuerendissimum Dominum Episcopum Gandauensem.

AVE MARIA. *Reuerendissime Domine, Optima impetrandi ratio est pro acceptis gratiarum actio: quæ virtus cùm generositati ac pietati Reuerendissimæ Dominationis vestræ sit maximè propria, confidenter communicabo ea quæ suggessit in Virginem Deiparam affectus, quo possit institui anniuersaria gratiarum actio in oppido Caloano pro victoriâ ibidem superiore anno nobis eius intercessione concessâ. Statuas* CHRISTI *Cruci affixi, Sanctorumq; Apostolorum* PETRI *&* PAVLI *conficiendas curaui, summum item altare amplificaui, sumptus faciente eâdem meâ paupertate: quæ summi altaris tabulam, statuam* B. MARIÆ *Virginis* DE VICTORIA, *eiusq; ornamenta; quidquid denique ad illam solemnitatem spectabat, anno superiore soluit. Adero (nisi Deo aliter videatur) cum ijsdem statuis Antuerpiæ secundo Pentecostalium, vt disponere incipiam ea quibus ad solemnitatem anniuersariam est opus. Incidit victoriæ dies in 21. Iunij: petieram pro eâ Indulgentias plenarias Româ, easq; quotidie exspectabam: verùm, cùm tardiùs illæ aduenturæ videantur, rogo suppliciter Reuerendissimam Dominationem vestram, dignetur Indulgentias, quantas potest, concedere ijs qui 21. die huius comitabuntur statuam* B. MARIÆ *Virginis* DE VICTORIA *in Processione circumferendam, ac deinceps quotidie ijs qui vsque ad festum SS. Apostolorum* PETRI *&* PAVLI *visitabunt Ecclesiam Caloanam. Insuper rogo, vt beneplacito suo roborare dignetur ac promulgare Bullam Indulgentiarum plenariarum, quam Româ impetraui pro visitantibus Ecclesiam Caloanam Principibus Apostolorum sacrato die, vt ita à 21. vsque ad 29. continuata solemnitas claudatur Indulgentiarum plenitudine. Dubito, vtrùm magis conuenire videatur, statuæne hæ tres,* CHRISTI *è Cruce pendentis ac SS.* PETRI *&* PAVLI *collocentur ipso die 21. qui est victoriæ obtentæ, an verò 29. qui Apostolis ipsis Ecclesiæ Caloanæ patronis sacer: quâ de re exspectabo Reuerendissimæ Dominationis vestræ iudicium; cuius nutus in totâ hac solemnitate mihi erit imperij loco: id rogo, vtrolibet die eam collocationem faciendam statuerit, eo dignetur adesse, vt, sicut statuæ* B. MARIÆ DE VICTORIA, *consueto Ecclesiæ ritu anno proximè elapso benedixit, etiam nunc statuis supradictis benedicere non recuset: vel, si hoc per occupationes fortè non liceret, saltem bonâ suâ voluntate liceat Reuerendissimo Episcopo Antuerpiensi ijs benedicere.*

Inde vsque Madrito ex Hispaniâ petitur à Marchione de Orani, vt eò mittat relationem miraculorum & rerum mirabilium quæ Caloæ ad statuam B. MARIÆ *Virginis* DE VICTORIA *acciderunt. ratio, quantum suspicor, eius petitionis est pietas cuiusdam è Magnatibus Hispaniæ, qui cupiat insigni quodam deuotionis opere Virginem eam sibi demereri. Non abs re itaque fore videtur, si Reuerendissima Dominatio vestra per Notarium publicum se informet de ijs quæ narrantur; maximè de puero isto, qui glandem plumbeam dorso innoxiè excepit, quam se manu tetigisse vir non infimæ auctoritatis hîc posteà Bruxellis mihi narrauit; & ego qui eam manu vestibus superpositâ tetigi, iuratus affirmare possum quod vidi. Bina alia*

alia scripsit mihi Pastor Caloanus: alterum de cæcâ, aut certè ad tempus vsu visionis priuatâ; alterum de quadam inualetudine graui laborante: quæ ambæ sanatæ dicuntur. Informationes hæ cessuræ videntur in augmentum honoris & cultus Deiparæ, propterea eas Reuerendissimæ Dominationi tuæ commendo.

Dubito prætereà, vnde sint statuæ primùm processionaliter deducendæ; an ex S.Mariæ Fortalitio, an ex Beuerâ pago: de ijs quæso Reuerendissima Dominatio Vestra dignetur statuere, & me suis super hac re mandatis honorare. Bruxellæ 10. *Iunij 1639.*

Vestræ Reuerendissimæ Dominationi deuotissimus

Fr. Bartholomæus de los Rios & Alarcon.

Reuerendissimi Domini Episcopi Gandauensis ad litteras suprà positas responsio.

Admodum Reuerende ac Venerabilis Domine: Singularem Dominationis Vestræ erga Beatissimam Dei Genitricem pietatem, atque in clementissimam illam Matrem præclaram deuotionem (cuius patrocinio ac intercessione nos multoties ab hæreticorum inuasione liberatos, ac nuperrimè apud Caloam ex euidentissimo totius patriæ periculo ereptos, non Catholici tantùm, sed & ipsi hæretici, licet inuiti, fatentur) non probo tantùm, sed & quàm possum laudo maximè. Quapropter, ad augendam in Sanctissimam illam Virginem & Matrem Christiani populi deuotionem, quidquid ex parte meâ possum libentissimè contribuam: quare ijs qui 21. *huius comitabuntur imaginem* B. MARIÆ *Virginis* DE VICTORIA *in Processione Caloanâ circumferendam, ac qui deinceps quotidie vsque ad festum SS. Apostolorum* PETRI *&* PAVLI *Ecclesiam de Calloo visitabunt, quo die id fecerint, quadraginta dies Indulgentiarum in Domino concedimus. Videtur insuper magis conuenire, vt imagines præfatorum Apostolorum pro deuotione populi collocentur in prætactâ Ecclesiâ proprio eorum festo: cui solemnitati vereor me non adfuturum propter diuersas Episcopatus mei occupationes: quas imagines Reuerendissimus Dominus Episcopus Antuerpiensis poterit benedicere: quem rogo per præsentes hunc laborem suscipere dignetur, similem paratus præstare, vbi occasio se offeret. Commendabo negotium super informatione miraculorum ad imaginem eiusdem Sanctissimæ Virginis, Domino Expastori de Calloo, qui modò Hulsti residet; & eâ habitâ, ad Dominationem Vestram quantocyùs transmittam. Si aliud sit, in quo Dominationis Vestræ pium affectum promouere possim, indicet; lubens præstabo. His Dominationem Vestram Deus omnipotens multis annis seruet incolumem. Gandaui* 12. *Iunij 1639.*

Venerabilis Vestræ Dominationis humilis seruus

Antonius Episcopus Gandensis.

Diploma Reuerendissimi Domini Episcopi Antuerpiensis.

Gaspar, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Antuerpiensis. Notum facimus & testamur nos ad instantiam admodum Reuerendi in Christo Patris Bartholomæi de los Rios, ex Ordine Eremitarum S. Augustini, S.Th. Doctoris, & Serenissimi ac Eminentissimi Principis Cardinalis Infantis Prædicatoris, in Sacello nostro domestico benedixisse sacras imagines Domini nostri IESV CHRISTI *è Cruce pendentis & SS. Apostolorum* PETRI *&* PAVLI*: quas idem Reuerendus Pater pro suâ deuotione & pietate transferri curauit & collocari in Ecclesiâ parochiali de Caloo. Actum Antuerpiæ 27. Iunij 1639. Sub sigillo nostro.*

De mandato Reuerendissimi Domini præfati

T. Voochts Secret.

CAPVT XX.

Nouitas non est Sodalitati Mancipiorum vitio danda, vti neque nominis, vt quibusdam videtur, asperitas.

NIHIL adeò est sanctum, nihil adeò vtiliter in Ecclesiâ Dei institutum, quod non maximè initio suas habuerit contradictionum procellas: quibus non secùs ac arbor crebris ventorum flatibus agitata firmiores radices ageret, ac tantò diutiùs in publicum mortalium bonum floreret, quo solidiùs terram momorderat. quæ cùm huic nostro Instituto non defuerint, in spem adducor fore vt fructus tantò inde existant vberiores & constantiores, quantò per contradicentium exercitationes latiùs radices sparserit, certiusque constiterit, non vtilem tantùm, sed etiam iucundissimam atque honestissimam esse hanc, quæ Virgini præstatur mancipij titulo, seruitutem. Quasnam imago, sub cuius velut auspicijs instituebatur; quas Supplicatio, cuius frequentiâ augebatur, persecutiones habuerit, iam diximus: nunc quid ipsi Mancipatui oppositum sit, adferemus. Quæ procella cùm velut in saxum solidissimum impacta pænè seipsam fregerit, non erit operosum, quod eius etiamnum restat, contrarijs argumentis veluti leui spiritu difflare. Quòd enim in genere Sodalitatum omnium improbant institutionem, telum est, quod, cùm multos simul petat, neminem tangit. Longiore enim iam vsu comprobata est tam in sacris quàm profanis negotijs, quantum valeat multorum in vnum aliquem finem societate initâ conspiratio, quàm vt leui contradicentium garrulitate à tam pio Instituto deterreamur: tot enim Religiosorum societates, tot militarium congregationum conspirationes, tot nobilium vel de aureo Vellere, vel sancto Spiritu, vel cruruli Fasciâ nominatorum Ordines iam corruerint, si quo ipsi nobis argumento probare possint, nullas omnino instituendas esse congregationes vel Sodalitates. Quapropter ego superuacaneum hîc iudico verbis extollere illam, sub S. Dominici protectione, Rosarij Sodalitatem, quæ toto propemodum terrarum orbe ad hanc vsque diem, & numero Sodalium vtriusque sexus, &. nominis celebritate, & pietatis progressibus florentissima, verè Rosarij cælestis diuinum odorem, & amœnissimam suauitatem, ac pulchritudinem refert. Neque commendanda puto illa Virginis MARIÆ castra, quibus tot centena iam virorum millia cælesti Imperatrici militant sub ductu illius exercitus, quem S. Ignatius de Loyola sub IESV vexilla misit: cuius vnius Sodalitatis fructus sufficiunt ad refutanda quælibet pijs congregationibus opponenda argumenta. orbis enim vniuersi publica vox est, fieri non posse, vt non sit saluberrimum illud Institutum, vnde vel sæculi corruptissimi sperari possit medicina: tot enim iuuentus ibi accenditur pietatis stimulis, tot eruditur cælestibus disciplinis, tot ad virtutem exercetur studijs, vt videantur quidam vitæ perfectioris tyrones ad ascetica sanctitatis studia exerceri; tot adultiores sese mutuò consilijs, exemplis, officijs & precibus ad pietatem inflammant, vt multi mirentur, cùm ad congregationes eas accedunt, vnde tantâ lætitiâ ac spirituali deuotionis sensu perfundantur, vnde tam potentibus ad virtutem facibus accendantur: tot denique cuiusuis ordinis mortales ibi percipiunt altioris cuiusdam spiritus fundamenta, vt fructus inde videamus quotidie, summo Christiani orbis bono, in Religiosorum familias, in mercatorum officinas, in Professorum cathedras, in Iudicum tribunalia, in Principum palatia, atque in ipsas Pontificum infulas redundare. Nihil hîc facilè quis, etiamsi velit, supra id quod res est, ita auxerit, vt non maiora quàm quæ protulerit, ipsa experientia loquatur. Quare ego stultum puto, post tam insignem factorum apologiam, Sodalitatum institutiones verbis velle oppugnare vel defendere; quare

Sodalitates non esse improbandas.

Sodalitas Rosarij.

Societatis IESV Sodalitates.

quare & illa facilè prætereo quæ ante hoc exemplum fuissent necessariò ad Sodalitatum defensionem adferenda: ex antiquissimis nimirum Sodalitatibus tot viros insignes exstitisse, qui Ecclesiam Dei neque tot vitæ exemplis, neque tam insignibus documentis illustrassent, nisi in illis Sodalitatibus fuissent ad omnem pietatem & sapientiam conformati. Qualis illa fuit piorum hominum Sodalitas Florentiæ in honorem Deiparæ Virginis congregata, ex quâ anno 1233. ipsâ assumptæ in cælos Virgini sacratâ luce fuit B. Bonfilius Monaldius cum sex aliis suis sodalibus, dum laudes cælorum Reginæ ritè persolueret, cælesti oraculo vocatus ad vitam, relicto sæculo, perfectiorem; qui deinde, vt alibi dicemus, Seruitarum Ordini initium dedit, seruos sese B. MARIÆ Virginis nuncupantes, ideò quòd ex Sodalitate eius prodijssent. Nec celebritate famæ inferior est illa Disciplinatorum B. MARIÆ Virginis confraternitas, quæ aliquot iam sæculis Senis Hetruriæ vrbe floruit; vnde prodijt B. Ioannes Columbinus, vir sanctissimus, & Iesuatorum fundator, eiusque socius Franciscus Vincentius, itemque Ordinis Oliueti fundatores, B. Bernardus Ptolemæus, Patritius Patritij, & Ambrosius Piccolominæus: ex eodem cœtu exstitere B. Petronius de Petronijs, posteà in Carthusianorum sanctissimam familiam admissus, Andreas de Galleranis, aliique innumeri vitæ Religiosæ professores: quos inter eminet S. Bernardinus Senensis, Fratrum Minorum, qui de Obseruantiâ vocantur, vel primus fundator, vel certè propagator egregius. Ita Romæ in S. MARIA maiore Sodalitas Confalonis dicta, S. Bonauenturam commemorat institutorem: alia item Romæ in templo S. Dorotheæ, quæ à Diuino amore appellatur, Sodalitas, orbi dedit quatuor istos primi Ordinis Clericorum regularium fundatores, quos Theatinos vulgò dicunt, quòd vnus eorum Petrus Caraffa Episcopus esset Theatinus: quo Episcopatu relicto, postquam eum Ordinem vnà cum beato Caietano Thieneo, Bonifacio à Colle, Paulo Consiliario fundasset, in eâque annos aliquot exegisset, à Paulo II. in Cardinalium numerum allectus est, ac deinde Pontifex Maximus renuntiatus, Paulus IV. voluit appellari. Denique Neapolitana Sodalitas, S. MARIA *succurre miseris*, vulgò *De gli bianchi* dicta, eos Sacerdotes genere & pietate nobiles dedit, qui anno 1588. Ordinem instituerunt Clericorum regularium minorum à Sixto V. confirmatum: ij fuerunt Augustinus Adornus, Franciscus Caracciolus, Augustinus item Caracciolus. Quæ vti magnificentiùs essent commemoranda in Sodalitatum defensionem, ponderandumque quanti faciendum sit, quòd tot non viros solùm, sed Religiosorum etiam integros Ordines sanctissimos Sodalitates pepererint; si Societates illæ, de quibus loquebar, Sodalitates non essent tam illustres, fructusque earum tam frequens, vt vel hoc non dicam sæculo, sed anno & die plures in iis videamus viros omni commendatione maiores, quàm in multis simul Sodalitatibus omnibus retrò sæculis exstiterint. Suffecerit itaque, Sodalitatum vituperatores vnicâ hac Sodalitate oppositâ iugulâsse: quæ nostra responsio ita arrisit quibusdam, vt eam in nos ipsos retorquentes, Quin ergo, dicant, eò studium omne industriamque confers, vt Sodalitatum veterum aliquam exornes potiùs, aut hanc ipsam, quam ita dilaudas, promoueas, quàm nouam hanc veteribus superinducas? Sodalitates nos quidem, ne erres, vehementer probamus; sed nouitatem hanc suspectam habemus, vel etiam contemnimus. Quos ego antiquarios illud in primis meminisse volo, nullam earum, quas anteà commendauimus, eos assignare posse, quæ noua aliquando non fuerit: at proinde, si ideò hæc nostra reijcienda, quòd noua sit, ne illas quidem magnopere recipiendas: quæ, si quidquam valet hæc ratio, ne nouæ aliquando essent, numquam fuerant instituendæ. quæ res quàm absurdè disputetur, quis non videt? Fuerat potius

& viri illustres ex multis Sodalitatibus orti satis probant.

Neque reijcienda nostra, quia noua.

Nouis etiam delectatur appetitus hominum.

tius aliam in partem ex innato hominibus ad res nouas appetitu argumentandum. Cùm enim illa sit naturæ nostræ ratio, vt facillimè rei eiusdem assiduitate fatigetur, sæpissimeque contingat, vt in rebus optimis nauseâ quadam afficiatur, non aliâ de causâ, quàm quòd earum bonitatem iam toties perceperit; laudandi sunt ij rerum spiritualium coci, qui pietatem nouis subinde condiunt salsamentis, quibus rursum excitetur languescens iam ac nauseabundus ad vetera rerum spiritualium appetitus: imò licet alia adhuc sapiant, magnoque etiamnum gustu & fructu, vti iam dicebamus, à fidelibus percipiantur, quid, quæso, peccauit is, qui ad mensam optimis ciborum ferculis instructissimam noluit asymbolus venire, vt ipsâ varietate sustentetur, ne languescere aliquando possit appetitus? Imò cùm cœnam fecerit adeò magnam homo ille, qui simul erat Deus, vt neminem ex tantâ, quam orbis continet, hominum multitudine non inuitauerit, necessariò opus est varietate quadam, vt inter tantam appetituum humorumque varietatem, cui hæc aut illa non arriserint, alijs atque alijs propositis, vno aliquo ferculorum capiatur. Erunt itaque ipsæ rationes, cur tot quotidie in Ecclesiâ noua exoriantur, vti videre est in tot paulatim ad ornatum administrationis Sacramentorum institutis cæremonijs, tot per diuersa sæculorum interualla exortis Religiosorum hominum familijs, tot post acres Theologorum disputationes nouiter definitis sententijs, tot per diuersa tempora institutis diuersis festiuitatibus, tam variis per varias opportunitates commendatis pietatis exercitiis, satis efficaces vt probent nihil hanc nostram Sodalitatem retardandam ideò, quòd hactenus non videatur fuisse instituta. quod vbi insigni S. Scripturæ auctoritate confirmauero, ad alia gradum faciam. Nam Danielis 12. v. 4. dicitur Prophetæ: *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum, vsque ad tempus statutum: plurimi pertransibunt, &*

Et noua multa oritura prædictum est Danieli.

multiplex erit scientia. & post pauca: *Et ego audiui, & non intellexi. Et dixi: Domine mi, quid erit post hæc? Et ait: Vade Daniel, quia clausi sunt signatiq́ sermones, vsque ad præfinitum tempus.* Vide quàm diserte prædicat multa quotidie noua suboritura, & plurimos pertransituros, quorum multiplex erit & noua semper, quæ tamen non reprobetur, scientia, siue in Scripturarum illustratione, siue in mysteriorum quorumdam, de quibus anteà non tam apertè constabat, declaratione, siue in variorum, quæ ad virtutis praxim faciant, institutorum adinuentione. quæ omnia clausa & signata erant vsque ad præfinitum tempus, quo Deus ea voluit per seruos suos vel mirabiliter mundo reuelari, vel piè in Ecclesiâ institui; quæ amicta semper nouâ hac varietate tantò honorificentiùs sponso suo occurrat. Neque magni momenti cuiquam videbitur hæc multorum obiectio, quòd multi nos atque P. Simonem Rojas præcesserint, quibus neque vitæ sanctitate, neque scientiarum doctrinâ illum sine temeritate præponere, neque nos vllâ ratione sine stolidissimâ vanitate conferre possimus, quibus Mancipiorum B. Mariæ Virginis ne quidem vocabulum vmquam in mentem venerit: licet enim hoc illis; quod nullâ ratione fatemur, concederemus, nouum omnino esse pietatis genus, quo se in Mancipium quis B. Mariæ Virginis dedicaret; quis mirabitur hoc alijs viris sanctissimis in mentem non venisse, cùm ipsi Prophetæ Danieli viro isti desideriorum, cui ex nomine suo iudicia Dei occultissima reuelata sunt, petenti: *Domine, quid erit post hæc?* dictum sit: *Vade Daniel, quia clausi sunt signatiq́ sermones, vsque ad præfinitum tempus?* Quando scilicet alijs reuelabuntur, quæ ipsum iam celabantur. Quam ego prophetiam non tantùm de ijs quæ speculationis sunt, sed etiam de ijs quæ mores spectant, intelligendam puto. quæ ideò maximè adferenda putaui, quòd quidam nimis hac, vti dicunt, nouitate offendantur; neque facilè patiantur, vbi tot suauia

filij,

Obiectio altera. Amoris tituli & insignia præ durâ mancipatus professione eligenda.

filij, sponsi, amici B. MARIÆ Virginis sint nomina, durum hoc seruitutis iugum Christianorum congregationibus sub odiosissimo mancipiorum vocabulo induci; tamquam si iam charitatis istius pigeat, quæ nos filiali amore amantissimæ huic misericordiæ Matri astringat, velimusque compedes & flagra, & vnà cum mancipiorum statu seruilia ingenia, seruilemque timorem introducere. quin potiùs CHRISTVS audiendus est (hæc eorum est oratio:) *Iam ego non dicam vos seruos, sed amicos.* ex eiusque voluntate ad filiorum libertatem excitanda fidelium pectora; & vt de B. MARIA Virgine constet, quòd multos illa, pro suâ in genus nostrum humanitate, præter generalem illam adoptionem, quâ sese constituit matrem omnium viuentium; peculiariter in filios adlegit, alios in sponsos cooptauit, alios amicorum nomine honorauit; nullos mancipiorum onerauit vocabulo: legimusq; S Edmundo Cantuariensium Episcopo occulti valoris gemmâ, Hermanno Canonico Steinueldensi (qui & Ioseph dicebatur) annulum, alijs flores, alios fauores alijs esse concessos; compedes verò & flagra cælitus ad aliquem delata non legimus. Quibus ita splendidè propositis, statim in omnibus obuium istum locum dilabuntur, qui filialem amorem seruili timori, bono quidem, sed multis partibus imperfecto, præferendum docet: hîc seruorum & mancipiorum aduersantem semper & obluctantem præceptis indolem miris verborum ictibus exagitant: hîc filiorum ingenium nullâ præmiorum spe, nullâ pœnarum formidine, sponte suâ seruientium in cælum vsque laudibus extollunt. Quibus ego, quoniam longis sermonibus, pio permoti zelo, nos prouocant, paulò fusiùs nullâ styli acerbitate, sed sermone pietatem, ni fallor, erga Dominam nostram & matrem omnium Virginem MARIAM promouente respondebo. Vbi in primis, quidquid de filiali amore seruili timori præferendo ex Concilio Tridentino accuratè sæpiùs dicunt, & quæ illis indicta addi possunt, ne hîc adferre debeam omnia; admitto, ac planè confiteor, optandum quidem hunc, sed illum infinitis propemodum rationibus præferendum: & dico rem bonam petere Psalmistam, quando canit: *Confige timore tuo carnes meas; à iudicijs enim tuis timui.* Sed addo, meliorem illum proponere, quando dicit: *Voluntariè sacrificabo tibi.* Iam illa fauoris MARIANI symbola, gemmas, annulos, flores, cælitus delata, vti ex certissimis probant historiis, venerabundus deosculor: admitto etiam maternæ benignitatis excessu pientissimam Virginem quosdam adoptare, vt dicantur, & verò gratijs cælestibus adaptare, vti sint peculiari ratione eius amici, sponsi, filij: atque eam sortem supra omnia Regum diademata, supra omnes Pontificum infulas desiderandam profiteor: sed tamen ex omnibus hisce confici ego nego id, quod maximè illi contendunt, omittendam nimirum ideò hanc sese in Mancipium B. MARIÆ Virgini consecrandi deuotionem; aut certè alias quæ amabilioribus sponsi & filij titulis gaudent, illi præferendas. quæ consequentia quàm manifesto nitatur paralogismo, iam ostendemus.

Ioan. 15. 15.

Amor timori seruili præferendus.

Psal. 118. v. 120.

Psal. 53. v. 8.

CAPVT XXI.

Nomen mancipij præ filij, sponsi, amici nominibus affectandum.

SI ex communi humanitatis ratione agendum est, iam maximè comprobarunt hanc nostram Mancipiorum Sodalitatem ij, qui verbis magnificis extollunt illam numquam satis commemoratam Deiparæ Virginis beneuolentiam, quâ seruos suos summâ animi demissione ad pedes suos prostratos erigit, vt seruitutis obliuiscantur, atque etiam filiorum confidentiam & familiaritatem assumant, hortatur. Quid enim, quo tantæ humanitati respondeamus, præter humilitatem nos miseri habemus? quâ scilicet tantò nos abiiciamus profundiùs, quantò benigniùs ad altiora incomprehensibili dignatione vocamur. Monet enim prudentissimè Siracides: *Quantò magnus es,*

Humanitatis leges id postulant.

Eccli. 3. v. 20.

es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. quod Tigurina vertit: *Quantò maior es, eò te geras submissiùs, vt gratiam initurus apud Dominum.* Quo in loco hoc primùm aduerto, eum non dicere, *quantò magnus* vel *maior* videris, vt non putemus eum illos alloqui, qui fucatâ huius mundi magnitudine, eò quòd stultis honorum & dignitatum grallis incedant, magni non sunt, sed videntur iis qui fraudem & fucum non vident; sed absolute dicit, *Quantò magnus* vel *maior es*; agit enim de verâ & solidâ magnitudine, quæ existit ex solius Dei iudicio, eiusque aut Matris eius, quâ nos ad gradum aliquem sublimiorem vocant, dignatione; quales sunt ij, quos anteà diximus, amici, sponsi, aut filij B. MARIÆ Virginis. Dicit ergo, *Quantò maior es, eò te geras submissiùs.* quasi diceret: Si ex seruorum numero ab augustissimâ cæli Imperatrice ad amicorum aut sublimiorem aliquem titulum euoceris, ecce maior factus es; sed quantò maior es, eò te geras submissiùs. Quid autem seruo aut famulo submissius, nisi mancipium? Igitur te, quantum ex parte tuâ, ad mancipij conditionem abiicias, compedes induas, verberibus à te ipso pœnas exigas; hoc est, te mancipium geras, non tantùm voces, vt gratiam initurus apud Dominam. Sic enim ex legibus humanitatis faciunt ij, qui gratiam ab hominibus sunt inituri, vt eò exquisitioribus se demissionis titulis inclinent, quò magis ab alio extolluntur: quæ vt ibi fucata sunt omnia & falsa, non minùs quæ ipsi fingunt humilitatis, quàm quæ accipiunt dignitatis simulacra; ita in solidis nostris & spiritualibus non secus ac verissima sunt dignitatis, quæ Virgo concedit, ornamenta, debent non ficta esse humilitatis ostenta, quâ & profiteamur & verè nos geramus abiectissima tantæ Imperatricis mancipia. *Mensura enim humilitatis*, ait S. Augustinus, *cuique ex mensurâ ipsius magnitudinis data est.* Ite nunc, & me volente extollite illam filiorum B. MARIÆ dignitatem, annulos, gemmas, bullas, flores, & infinita materni affectus indicia ostentate, magnitudinem eorum qui ad sortem filiorum Matris Dei vocati sunt, extendite; id scilicet probabitis, quærendum esse aliquid etiam mancipijs, si fieri possit, inferius, quod humilitate suâ isti magnitudini adæquetur: *Mensura enim humilitatis cuique ex mensurâ ipsius magnitudinis data est.* Quanti ergo faciendum existimas posse annulos istius sponsæ ostentare, tam studiose debes humiles tantæ Dominæ compedes affectare, vt mensura humilitatis isti magnitudini respondeat: quò maioris dignitatis esse arbitraris amici, sponsi, filij nomen gerere, eò felicitatis amplioris putandum est famuli, serui, mancipij posse officia obire, vt ista sublimitas ab hac humilitate crescat: nam ***humilitas in honore, honor est ipsius honoris & dignitatis: & omnis dignitas eo ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignetur; humilitas autem sine honore ipsa sufficit ad honorem, honor verò sine humilitate se perducit ad confusionem.*** Sanctum Gregorium audiamus: ***Cùm augentur dona, rationes etiam crescunt donorum: tantò ergo humilior atque ad seruiendum Deo promptior quisque debet esse in munere, quantò se obligatiorem esse conspicit in reddendâ ratione.*** Numquid, si verba illa rei nostræ aptemus, id visus est dicere: Cùm Virginis Deiparæ in aliquem dona ita augentur, vt etiam ad summos coniunctionis, qui in filiali adoptione consistunt, gradus eum dignetur adsumere, rationes ei crescunt & obligationes quibus tenetur tantis beneficiis non ingratus existere? At quis modus tantæ obligationi vllâ ex parte satisfaciendi? Addit: ***Tantò ergo humilior, atque ad seruiendum*** Deiparæ ***promptior quisque debet esse,*** non solùm ex gratitudine, sed ex munere, ***quantò se obligatiorem esse conspicit in reddendâ ratione.*** Ex munere igitur & obligatione se mancipium ad seruiendum Deiparæ debet etiam is constituere, qui iam à MARIA in filium assumptus est; quantò magis qui adhuc nescit, an sit vmquam assumendus? nam ***gloriam præcedit humilitas,*** inquit

S. Augus. de Sanctâ Virgine, cap. 31.

& humilitas mensura est magnitudinis.

Balduinus in Catenâ Tilmani Godefridi.

Homil. 9. in Euang.

Prou. 15. v. 33.

S.August. Serm. 213. de Tempore. * S Ambr. citat. à Dionysio Carthus. in Prouerb. 15. cap. *Cauenda spiritualis superbia:*

inquit Sapiens. *Quantò enim quis humilior erit de seipso, tantò maior erit in conspectu Dei.* &, *Vbi profunda humilitas, ibi excelsa dignitas.* &,* *Vbi ex te ipso deiectio magna, ibi ex virtute dignificatio maxima.* Vnde clarè iam constat, sese ipsos velle decipere, qui omnibus se rebus callidissimè insinuantem, sed vbique turpissimam & perniciosissimam, in spiritualibus exercitijs non timent superbiam, neque reformidant fraudi sibi fore istam animi elationem, quâ tamquam si primos illi accubitus mereantur in mensâ, quâ mater amantissima familiam suam benignissimè solet excipere, audent non vocati filiorum subsellia occupare; vnde sæpenumerò coguntur cum rubore surgere, & humilioribus locum cedere: *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est.* Et si quis probatus est, non aliâ re magis se commendare potest, quàm si minimè se probet: nam honor humilitate fulcitur; & omnis dignitatis decor & firmamentum est demissa de se opinio. Vis ergo ea quæ habes certiùs possidere, vis dignitatem, statum, auctoritatem tibi à Deo traditam in perpetuum tibi confirmari? vide vt eo ipso humilieris quòd magnus es, & magnitudinem tuam tibi asserüeris; id quod præclarissimâ sacræ Litteræ confirmant auctoritate. Meministine, quâ spe tres istos ad se Magos CHRISTVS inuitauerat? *Veni,* inquit, *coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir.* Veni, dicit, de excelsissimo apice humanæ dignitatis, & coronaberis. Quid autem coronaberis? numquid videmus illos ad nudi Infantis pedes prostratos, cui palatij totius capacitatem angustissimum explet stabulum, cui thronus ædificatur de præsepio? Et quis hic pro trium potentissimorum Regum coronatione apparatus? an theatrorum, in quibus peragi solet ista solemnitas, diuitiæ & splendor mutata sunt in soli terræque vilitatem? an arearum vastissima spatia, quæ mille portis capiant vomantque accurrentem multitudinem, contracta sunt in stabuli angustias? an denique

2. Cor. 10, 18.

dignitatem enim omnem securam reddit humilitas:

vti exemplo trium Magorum, Cant. 4, 8.

subditorum Reges suos salutantium festiuæ acclamationes, abiuerunt in ipsorummet coronandorum submissionem? *Veni,* inquit, *coronaberis.* Sed coronatio magis veneratione subditorum, quàm submissione coronandorum peragitur. Nodum hunc dissoluit S. Maximi in simili quadam re præclarissima sententia, quæ simul alteram continet, eius quod confirmare contendimus, historiam. Istius tibi Regis in mentem venit, qui in ciuitate vastissimâ, solo luxu & peccandi libertate celebrabatur? Accedit ad eum Propheta, verbisque grauissimis regni totius ruinam ac ciuitatis nobilissimæ euersionem minatur: at Rex, qui vel timebat suum amittere, vel certè æternum sibi volebat regnum comparare, surgit de solio suo, sceptrum abiicit, purpuram exuit, diadema deponit, & sacco induitur, cinere caput conspergitur, flagellis dextera armatur, ieiunio maceratur: denique *sapiens Rex,* inquit S. Maximus, *obliuiscitur se Regem esse, dum proijcit purpuram, dum diadema deponit. Mira res! dum se Regem hominum esse non meminit, Rex incipit esse iustitiæ. religiosus ergo Princeps non perdidit imperium, sed mutauit.* Vide quò verba ista deducam: dum se Regem hominum esse non meminit, Rex incipit esse iustitiæ: quando enim nimiùm se hominum Regem esse meminerat, immemor eius, quòd Reges in ipsos imperium est Dei; Rex quidem dicebatur, sed nullo iustitiæ iure regnum occupabat, sed gratiâ tantùm & singulari priuilegio illud vsurpabat quocumque temporis momento, vti futurum Propheta minitabatur, solio suo omnique imperio exturbandus. sed vbi se coram diuinâ Maiestate humiliauit, eius summum in se imperium agnoscendo, iure optimo incipit regnum possidere, illo totâ æternitate (si quidem in eâ humilitate persistat) numquam priuandus. adeò ipsâ humilitate ei regnum suum stabilitur. Iam ad tres illos, quos per humilitatem ipsam coronandos dicebam, Magos reuertor. & ecce peractam iam coronationem Scriptura ipsa significat.

& Regis Niniuitarum probatur.

gnificat. ait enim: *Reuersi sunt in regionem suam.* Quid in regionem suam? an non eò vnde venerant reuersi sunt? & an non venerant de regione suâ? *Ecce Magi*, inquit, *ab Oriente venerunt.* & quò reuersi sunt? *in regionem suam.* numquid ab Oriente venerunt, & in Orientem reuertuntur? Hoc notat Euangelista, terram illam regionem Orientis vastissimam, quam anteà incertâ & mutabili possessione regebant, postquam coronas & sceptra sua ad Dei infantis pedes deposuerunt,eâ ipsâ in re se humiliantes, quâ mundo videbantur magni, iam factam esse illorum, ac datam stabili & certo dominio possidendam: *Dum se Reges hominum esse non meminerunt, Reges incipiunt esse iustitiæ.* Imò tantum abest, vt ista humiliatio quidquam officiat eorum magnitudini, vt potiùs ambitiosorum candidatorum videantur prensationes, quibus de dignitate ad dignitatem procedant: anteà enim Reges erant potentes; at tantum fortunam priorem dignitate superarunt, quantò se humiliùs ad pedes Domini demiserunt. Et Plinius inter medias idololatriæ tenebras tam clarè perspexerat istius lucem veritatis, vt hanc dignam meliore auctore sententiam protulerit: *Cui nihil ad fastigium superest, hic vno modo crescere potest, si se ipse submittat securus magnitudinis suæ: neque enim ab vllo periculo fortuna principum longiùs abest, quàm ab humilitate.* Præclaram hanc philosophiam mysticæ Theologiæ nostræ applicemus. Cui nihil ad fastigium superesset, profectò is esset, cui illa obtigisset felicitas, vt signo aliquo visibili, aut aliquâ voluntatis suæ significatione à B.MARIA Virgine in filium adoptaretur: hic vno modo crescere potest (miror ego quidnam supra summum inuentum sit) si se ipse submittat *securus magnitudinis suæ*; id est, si se ad nomen seruorum & mancipiorum inclinet, eorum insignia gerat, symbola assumat, officia obeat, toto denique cordis affectu testetur se viuere & mori velle eius humillimum mancipium, quæ seruum tam indignum in filiorum

Plin. in Paneg.

Imò dignitas omnis crescit humiliatione.

suorum numerum adscribere non dedignetur. Confirmata est tribus Magis sua post humiliationem corona, vt iam reuerterentur in terram suam, qui ab Oriente venerant: non dubium quin eâdem conciliante virtute certam ille redditurus sit vocationem suam, qui ad familiariorem aliquem amicitiæ gradum fuerit à cæli terræque Dominâ singulari priuilegio assumptus. Verbo & exemplo doctrinam hanc confirmauit maximus, quia humillimus, Regum Dauid: *Ante Dominum qui elegit me potiùs quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius, & præcepit mihi vt essem dux super populum Domini in Israël, & Iudam, & vilior fiam plusquam factus sum: & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* Si eos allocutus fuisset, quibuscum capite hoc toto egimus, nescio an alijs verbis eorum impugnasset, nostram confirmasset sententiam: ita disertè causam voluntariæ humiliationis suiipsius dat ipsam, quâ in Regem à Deo electus fuit, exaltationem: & demonstraturus gradum quem regiæ suæ dignitati oppositurus est, vt mensura ipsius magnitudinis sit ipsi mensura humilitatis; ad Mancipiorum gradum respexisse videtur, quando se cum ancillis collocat, securus, vt ait Plinius, magnitudinis suæ. quod satis ostendit, quando ait, *Et cum ancillis gloriosior apparebo:* nihil per humiliationem perditurus de dignitate, sed ei multum gloriæ adiecturus. Et quoniam numquam satis commendata est Christianis humilitas, cuius per hunc insignem B.MARIÆ Virginis mancipatum veluti statum quemdam suscipimus; concludam hoc caput præclarissimâ S. P. N. Augustini sententiâ, qui ad Dioscorum Epist. 56. ita ait: *Nisi humilitas omnia quæcumque benè facimus præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita quâ reprimamur; iam nobis de aliquo benefacto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. itaque sicut Rhetor ille nobilissimus* (Demosthenem

quod Rex Dauid saltans ante Arcam professus est.

intel-

intelligit) *cùm interrogatus esset quod ei primùm videretur in eloquentia præceptis obseruari oportere; pronuntiationem dicitur respondisse. cùm quæreretur quid secundùm; eamdem pronuntiationem: quid tertiò; nihil aliud quàm pronuntiationem dixisse. Si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis; nihil me aliud respondere, nisi humilitatem, liberet.*

CAPVT XXII.

Nihil amori magis proprium, quàm seruire.

QVID humanitatis leges hominibus, quid sacræ Paginæ Christianis præscribant, iam vidimus; nimirum, vt, quantò maiores simus, eò nos humiliùs geramus; & quò exquisitioribus humanitatis officijs ab altero honoramur, eò demissiùs nos ad pedes eius demittamus: vt passim videre est in ijs, qui inter delicias aulicæ vanitatis sequi gaudent vbique saltem vmbram aliquam veritatis. Sed cùm sanctiora etiam amoris quàm humanitatis sint iura; cumque ij, quibus rude & barbarum quid sonare videtur Mancipij vocabulum, plerique educati inter ipsas charitatis delicias, ad amici, filij, sponsi suauissimas compellationes assueuerint; videndum est an scripta nuspiam sit in amoris tabulis lex, quâ iubeamur ad Mancipiorum officium descendere. Amoris inquam: sed cuius? Tres enim video pueros, pharetrâ omnes & sagittis armatos, omnes flammâ & facibus instructos, quibus in tres classes diuisam totius vniuersi machinam subiugarunt. Primus quidem Cypridis meretriculæ filius, monstro similior quàm amori, si talis est qualem eum Alexis apud Athenæum lib. 3. depingit: monstrum enim facit ex omnium naturarum ingeniorumque præposterâ quadam congerie agglutinatum, viriliter audax, muliebriter timidum, furore atque amentiâ præceps, callidâ ratione cordatum, labore infractum, prodigalitate dissolutum, ambitione prodigiosum: imò etiam turpior est, si audimus Idiotæ sapientissimi descriptionem lib. de Amore diuino: *Talis*, inquit, *amor est laqueus animæ, crimen vitæ, mors suauis, blanda persecutio, interfectio liniens, mel felleum, pernicies delicata, mali natura boni colore depicta, domus tempestatis, dulce venenum, malum spontaneum, sapida iugulatio, & omnium rerum calamitas.* Ab hac tyrannide qui viuendi leges accipit; quid mirum, si miseriam, ærumnas, seruitutem, & mortem ipsam inueniat? Spurius hic amor est, quem ne veteres quidem amoris nomine dignati, Anterotem vocauerunt, amorisque fecerunt aduersarium. Hinc apud Pausaniam in Eliacis Cupidinem seu amorem videbis palmam tenentem, quam Anteros infringere atq; extorquere de manibus nititur; habet tamen, quantumcumque sit spurius, etiam illam veri amoris indolem, quòd prima ac præcipua lex eius sit seruire ei quem amaueris. Miseram sanè seruitutem, cuius tot quotidie vbique videmus alumnos, qui etiam gaudent serui nomine, & publicè profitentur se putidæ nescio cuius carunculæ mancipia! Malè quidem obsequium suum impendunt miseri. Sed quid agant? vile est quod amant; amare autem non possunt, nisi se ad obsequium amatæ demittant. Hercules fila ducens, & Iupiter omnes in formas amoris transformatus, ijs vanissima sunt numina, quibus tantum solentur laborem. Eos dehortari à tam miserâ seruitute, vt sese conferant ad honestissimum iucundissimumque B. Virginis mancipatum, alterius est loci: huc facit, quòd amor illis dictet esse seruiendum. Alius est amor honestatis blandissima proles, qui faces habet non remissioris quidem ardoris, sed sapientiùs applicatas: non enim amat nisi quod licitum est amare. hic mundi conseruator, vitæ solatium, laborum subleuamen meritò potest appellari, multisque posset titulis honestissimis describi: sed quod ad rem facit, primum eius dictamen est, seruire te oportere, si ames. Nemo, puto, castioribus fuit vmquam facibus accensus, quàm

Triplex est amor.

Primus Veneris filius, monstro similis,

suos facit seruire.

alter, honestatis soboles,

etiam seruit.

quàm Iacobi ardebat pectus, pulcherrimæ Rachelis amore saucium: quodnam autem tanti amoris argumentum? septem ob eam seruiuit annis, & alijs item septem; & adhuc *videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Longi viderentur alteri cuilibet dies, qui non sincerè amaret, qui in amore se, non amatam quæreret; sed Iacobo, qui verè & sincerè amabat, non tam erat propositum potiri, quàm amare; non tam ei gratum erat proprium ex coniugio solatium, quàm fidele in amore seruitium. Seneca huius amoris naturam exprimit: *Sapiens*, inquit, *etiamsi contentus est se, tamen habere amicum vult: si ob nihil aliud, vt exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat: non ob hoc quod Epicurus dicebat, vt habeat qui sibi ægro assideat, succurrat in vincula coniecto, vel inopi; sed vt aliquem habeat* (nota, quæso, amoris ingenium ad seruiendum pronum) *cui ipse ægro assideat, quem ipse circumuentum hostili custodiâ liberet. Qui se spectat, & propter hoc ad amicitiam venit, malè cogitat: quemadmodum cœpit, sic desinet.* & mox: *Qui vtilitatis causâ assumptus est, tamdiu placebit quamdiu vtilis fuerit.* Pulchra sunt omnia, & rebus nostris valdè accommodata. Pergit: *Hac re florentes amicorum turba circumsedet, circa euersos ingens est solitudo; & inde amici fugiunt, vbi probantur. Hac re ista tot nefaria exempla sunt, aliorum metu relinquentium, aliorum metu prodentium.* Et tandem: *In quid amicum paro? vt habeam pro quo mori possim, vt habeam quem in exilium sequar, cuius me morti opponam & impendam. Ista, quam tu describis, negotiatio est, non amicitia.* Vides, quis sit amoris & amicitiæ genius: assidere ægrotanti, seruire amato: aliàs non est amor, sed lucri cupido; & consequenter ficta, inanis, & instabilis omnis ista demonstratio & protestatio amoris. Veniamus ergo ad tertij amoris leges; qui diuinus cùm sit, non potest leges habere non sapientissimas & suauissimas: primùm, is qui in Deo est, & ipse Deus, quo nihil ad maiestatem augustius, nihil ad sanctitatem purius, nihil ad constantiam firmius stabiliusque esse potest; res creatas, infinitæ maiestatis suæ stillas, plusquam maternis visceribus amplectitur, & quasi nouiter quotidie creans, omnia in suæ prouidentiæ gremio sustentat, fouet, fecundat. Vt tamen diuitias bonitatis suæ, hoc est ipsam amoris indolem magis notam redderet hominibus, quos videbatur præ ceteris quodammodò deperire, ad seruiendum se quomodo demitteret, cœpit excogitare; venitque ipsemet de solio diuinitatis, & seruili mortalitatis nostræ penulâ tectus, abiecit se ad omnium pedes, veniens *ministrare, & non ministrari*, factus nouissimus virorum, opprobrium hominum, abiectio plebis, & vermis denique, non homo; vt hominibus hoc tantùm persuaderet, quòd eos amabat. Amori vt igni latere violentum est, nec flamma an supernè an infernè erumpat distinguit, neque amor, attollatúrne an deprimatur, attendit: ipsi enim propositum est se ostendere: ideò qui affectum demonstrat maximum, amori titulus est optimus; hinc affectat humillimas atque officiosissimas serui mancipijque nomenclaturas. Non abibo ab exemplo omnium diuinissimo, quod ipse nobis Deus tam admirabili sui depressione exhibuit: qui nisi vehementiâ amoris victus fuisset, numquam ad hominum miserias, ad seruorum humilitatem, ad vermium sordes, ad crucis vilitatem descendisset, seque abiecisset infra omnium mancipiorum conditionem. Si autem hoc non insania, sed amor est, si nulla est aptior charitatis demonstratio quàm seruitutis & mancipatus professio; quid tantum nobis amorem opponunt, qui abhorrent à Virginis MARIÆ mancipatu? Amici, sponsi, filij MARIÆ, dignitatis plena sunt nomina; sed quibus ostendas potiùs, quòd ameris, quàm quòd ames: quis enim non velit & exoptet amicus esse tam potentis Dominæ? quis non gaudeat filius haberi Matris tam indulgentis? quis non vitâ & spiritu emat sponsus dici tam amabilis sponsæ? Sed quis gradus ad ea perueniendi, nisi humilitas?

Gen. 29. v. 20.

Epist. 9.

Tertius, diuinus amor,

quàm libenter seruiat, ostendit in Deo.

Matth. 20, 28.

Non nisi seruiendo amor ostenditur,

tas? quis ascensus ad tam sublimia, nisi humiliatio sui profundissima? Amari à Virgine MARIA, fateor, sceptris & coronis omnibus præferendum; sed ego tibi monstrabo, inquit apud Senecam Hecaton, amatorium sine medicamento, sine herbâ, sine vllius veneficæ carmine. Si vis amari, ama. Amare autem te non ostenderis, imò nec amabis, nisi dulce sit & iucundum amatæ seruire, & creatis omnibus in gratiam ipsius: vbi enim amor est, operatur; & oculos, manus, aures, pedes, totum denique hominem impendit in obsequium amatæ, omnia membra sequuntur cordis tamquam primi mobilis motum, nec vllum præstatur melius aut alacrius seruitium quàm id quod imperatur ab amore; imò cùm cetera vilia sint, honorabile est obsequium quod præstatur ab amore. Vide autem mirabilem amoris obsequijque cognationem. Præstamus obsequium Reginæ cælorum, crescit in ipsâ amoris flamma, & ista faces languidioris nostri amoris accendit; qui maiori rursum zelo ad seruiendum accensus, iterùm accendit eosdem beneuolentiæ ignes: itaque nectitur ex amore atque obsequio pulcherrima catena, quâ non tantùm nos Virgini astringimur, sed ipsam etiam in nostri affectum felicissimè captiuamus. Breuiter ergo concludamus, titulorum omnium optimum, quo scilicet amor maximè demonstretur, esse *mancipium* B. MARIÆ *Virginis*. Neque blandior hîc Sodalibus conquirendo hinc inde quædam, quæ detrahere possent huic nomini quodammodò inuidiam: verbi gratiâ, quòd mater familias dicitur esse in mancipio mariti, licet ipsa Regina sit vel Imperatrix, & similia; sed hoc dico, quod facit ad conciliandum nobis B. MARIÆ Virginis amorem, nos hîc mancipium sumere in infimâ & abiectissimâ suâ significatione, non quærentes vnde deducatur, sed quid eo denotetur. Seruus nimirum vndequaque addictus & obnoxius, qui ne vitam quidem, nec vllam vitalem respirationem possit numerare inter sua; sed quantus quantus est, Dominæ est: qui quidquid lucratur, non sibi, sed Dominæ lucratur; quidquid acquirit gloriæ, Dominæ acquirit; imò qui ipsam, quam percipit ex tam digno famulatu, iucunditatem & gloriam, vellet non sibi retinere, sed in Dominam refundere, vt prorsus ei seruiret, quæ tot nominibus meretur omnium creaturarum humillimum mancipatum.

& augetur.

Igitur mãcipia simus Virginis in humillimâ mancipij significatione.

CAPVT XXIII.

Nouum non esse, quòd mancipia se quidam fateantur B. MARIAE *Virginis.*

IIS qui mancipiorum titulo tamquam re nouâ nimiùm offenduntur, ita superioribus capitibus respondimus, vt probatum sit, quamuis recens omnino ac nouum inuentum esset titulus mancipij, eum tamen idcircò non esse abijciendum, imò etiam præ filij & sponsi amabilissimis nominibus affectandum. Iam verò, vt vndequaque stabiliatur hic titulus, & quæ sub eo fit mancipiorum congregatio; probare conabimur, non omnino incognitum fuisse hoc mancipij B. MARIÆ nomen ijs qui nos præcesserunt sanctis Deiparæ cultoribus, quandoquidem eo, vel certè verbis ipsi synonymis, satis frequenter sint vsi. Quid autem dico Sanctos, cùm ipsa Virgo magni priuilegij, vti verè erat, loco quibusdam singulariter sibi dilectis hoc nomen dederit; vnde etiam apparet, quàm malè fundata sit illa propositio, quâ neminem seruorum aut mancipiorum nomine dicebant à misericordiæ Parente compellatum. Narrat enim Surius in Vitâ S. Andreæ Episcopi Fesulani 6. Ianuarij, eum, dum sacerdotij sui primitias in Conuentu Siluarum extra Florentiam mirâ animi deuotione Deo offerret, Reginam cælorum multâ Angelorum frequentiâ stipatam conspexisse, à quâ verbis hisce supra omnem humanam felicitatem fuit eleuatus: *Seruus meus es tu, quia ego elegi te, & in te gloriabor.* Quis dubitat, quin verbis istis singulariter sibi in mancipium conse-

Beata Virgo honoris causâ quosdam vocat seruos.

consecrauerit virum, qui sibi iam inde ab vtero materno fuerat oblatus? Hoc enim ista electio particularis & gloriatio indicat, quâ solent domini curiosè quos in familiam suam adsciscant deligere, ac postmodum obsequijs & fidelitate seruorum ac mancipiorum suorum gloriari. Nec aliter S. Bernardinum Senensem, quando maximè eum honorabat, allocuta est Virgo, vt doceret quo titulo nos oporteat inprimis gloriari. rem gestam narrat Pelbartus in Stellario lib. 2. p. 2. art. 3. agens de coronâ Virginis: *Cùm ista corona*, inquit, *in vsum plurimorum venisset, S. Bernardinus de Senis, Ordinis Minorum de Obseruantiâ, quotidie eam ob deuotionem Virginis perorabat: cui die quadam oranti ipsam coronam apparuit beata Virgo, dicens: O mi deuote famule, multùm mihi complacui in tuâ deuotione; ecce, quia me hac coronâ quotidie honorasti, impetraui à Filio meo tibi gratiam miraculi faciendi, & prædicandi; & tandem scias, te in cælo mecum sine fine lætaturum, participem meorum gaudiorum!* O sublimem famuli Deiparæ titulum, quo ipsa non reperit digniorem vt eum compellaret, cui prædicationis, miraculorum, & prædestinationis gratiam erat annuntiatura! Quâ te ostenditur, non tantùm humilitatis esse epitheta, sed etiam dignitatis encomia, seruum, famulum & mancipium dici MARIÆ. quod apertè dicit S. Anselmus citatus à Salazar in Prouerb. cap. 8. Vbi vsurpans ipsum mancipij vocabulum: *Seruire*, inquit, *huic Reginæ, regnare est; & inter eius mancipia numerari, plusquam regium.* Neque titulum aut officium aliud quàm mancipatus petebat S. Bonauentura his verbis, libello in Remed. def. Relig. *Dulcissime Domine* IESV, *dignare donare mihi misero peccatori, Matri tuæ dignè deseruire.* Vbi etiam Filio quodammodò agente, eumque per gratias suas commendante, exoptat in Matris familiam ad mancipatum admitti. Et S. Ioannes Damascenus, quando tam humiliter ac frequenter eam Dominam ingeminat, nónne verbis ipsis declarat, se ad infimam famulorum, qui mancipatus est, humilitatem descendere? quis, amabo, alius horum verborum sensus, quæ oratione primâ de Dormitione adfert: *Tibi nos quoque hodiernâ die assidemus, ô Domina, Domina, atque iterùm dicam, Domina Dei genitrix Virgo, animas nostras ad spem tui non secùs atque ad firmissimam quamdam anchoram alligantes, mentem, animam, corpus, totos denique nos tibi dicantes ac consecrantes, psalmis & hymnis spiritualibus, quantum possumus, honorantes.* Sanè vel mancipiorum erat ista congregatio, de quâ loquitur, aut certè hac ipsâ corporis, animi, mentis, totiusque hominis consecratione se Virgini mancipabat. Et S. Ildephonsus apertè fatetur lib. de Virginitate S. MARIÆ cap. 12. *Vt fiam seruus deuotus Filij generati, fideliter appeto fieri seruus Genitricis; & vt comprober seruire Domino, in testimonium quæro super me dominium Matris eius: sic enim refertur ad Dominum, quòd seruitur ancillæ; & redundat in Filium, quod impenditur Patri; sic transit honor in Regem, qui defertur in famulatum Reginæ.* Quin Filij generati mancipium, & si quid mancipio humilius est, esse voluerit sanctissimus Præsul, nemo dubitat, qui vel humilitatem ipsius, vel Dei maiestatem non prorsus ignorat: verùm vt ad tantam dignitatem admitteretur, insinuare se volebat per Virginis mancipatum, vt ibi fidelitatem, ingenuitatem, promptitudinem, ceterasque mancipijs proprias virtutes sibi inesse probaret, vt inde veluti gradu facto ad Filij ipsius admitteretur mancipatum. Non vtitur mancipiorum vocabulo B. Antoninus, verùm satis id exprimit in suo correlatiuo, quando dicit: *Decet te Matrem regeneratricem, Dominam & H[illegible]am cognominare, eò quòd ex te prodiuit Rex Dominus.* Denique S. Bonauentura in verba, *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ*, &c. ita pijssimè commentatur: *Ancilla Dominæ* MARIÆ *est qualibet anima fidelis, imò etiam Ecclesia vniuersalis: oculi huius ancillæ in manibus Dominæ suæ semper debent esse, quia oculi Ecclesiæ*

Ipsum mancipij vocabulum habet S. Anselmus.

Æquiualentes aliorum sententiæ.

S. Bonauentura fuit mancipium B. Mariæ Virginis.

Ecclesiæ & oculi omnium nostrûm ad manus MARIÆ *semper debent respicere, vt per manus eius aliquod bonum accipiamus: per manus enim huius Dominæ habemus quidquid boni possidemus*, attestante Bernardo, qui ait: *Nihil nos Deus voluit habere, quod per* MARIÆ *manus non transiret; per manus quoque huius Dominæ offerre debemus.* & pòst: *Benè nobis, charissimi, benè nobis, quòd talem Dominam habeamus.* Statuat secum qui hoc legit, quo loco se reposuerit in Dominæ istius familiâ zelosissimus humillimi Francisci discipulus, qui ei facit vniuersalem subiectam Ecclesiam. Profectò nemo est, quantum existimo, adeò superbiâ excæcatus, qui mancipium esse dedignetur MARIÆ, cui viderit Reginam illam gentium & Dominam omnium nationum ancillari. Item Richardus à S.Laurentio ante annos quadringentos mancipatum hunc & compedes in mente & ore habuit; nam lib.2.de Laudib.B.MARIÆ particulâ tertiâ ita ait: *Ex toto corde debemus nos seruitio ipsius constringere. Eccli.6. Audi, fili mi, in aure cordis, & accipe consilium intellectus, id est quod confert purum intellectum sine errore. Iniçe quasi voluntarius pedem tuum, id est, affectum in compedes illius.* Particularia enim seruitia MARIÆ, de quibus agitur in hoc loco, quasi quædam compedes sunt, tenentes seruos illius in statu iustitiæ, ne currant ad illicita. *Et ne acedieris, id est ne grauiter & tædiosè feras, sed cum hilaritate impleas præcepta sapientiæ &* MARIÆ, *in vinculis eius.* Et tamquam non solùm mancipia designaret, sed etiam Sodalitatis eorum regulas obseruandas proponeret, pergit: *In omni animo accede ad illam, id est, omnes cogitationes & desideria in illam conuerte: & in omni virtute tuâ conserua, id est, corde & opere serua vias, id est præcepta & exempla, per quæ venimus ad ipsam, & ipsa ad nos.* Non omittenda est hic pia & ordinaria S.Ignatij de Loyolâ ad Virginem precatio: qui, vt refert Spinellus in Throno cap.35. sacerdotio initiatus, antequam primum Missæ sacrificium peta-geret, per totum annum, quo sese ad tanta mysteria comparabat, obnixè & continenter Dei Matrem obsecrabat, vt aditum sibi ad Filium aperiret, & *vt ipsum cum Filio suo poneret*: hac enim loquendi formulâ ipsemet B.Ignatius in ijs quæ de vitâ suâ Patri Ludouico Gonçalez Hispanico sermone dictauit, cùm hæc ipsa narraret, ad verbum est vsus: qui modus loquendi Hispanis vulgaris, magnam vim habet ad beati Ignatij affectum declarandum, quo Virginem orabat, vt pro eâ, quâ plurimùm apud Filium potest Mater auctoritate, omnino perficeret, vt in numerum seruorum Filij, seu in Filij familiam, ipsum adscribendum curaret: haud dubiè, vt ipse qui posteà Societatem, quam vocari & esse voluit in oculis proprijs minimam, instituit, eâ in domo, tamquam seruorum minimus, & consequenter tamquam IESV ac MARIÆ mancipium famularetur, diceretque: *In habitatione sanctâ coram ipso ministraui.* Prætereo hîc præclarissima Matini & VValteri de Birbach exempla superiùs commemorata: quæ ostendunt, iam inde à tot sæculis fuisse, qui se solemniter mancipia profiterentur. Imò IESVM ipsum & MARIAM fuisse Dei, & quadam etiam ratione Deiparæ mancipia, deinceps probabimus, vt inde deduci possit huius deuotionis primum exemplar.

S.Ignatius mancipium fuit B. MARIÆ Virginis.

CAPVT XXV.

Diuam Virginem fuisse Dei mancipium.

QVAM certum est, omnis sanctitatis fundamentum, progressum & consummationem, quod iam ex D.Augustino docebamus, esse humilitatem, tam nobis facile foret ostendere, omnes omnino Sanctos summo studio semper affectasse mancipiorum statum & conditionem. & quidem respectu Dei quàm omnibus hoc familiare fuerit, in vnâ ostendemus, cuius mores ceteris omnibus norma fuerunt & regula sanctitatis. Hæc est enim certissima reliquorum Sanctorum vitas examinandi

Omnes Sancti studuerunt in primis humilitati.

sed maximè Deipara;

minandi ratio, vt quibus virtutis exercitationibus sanctissimam Dei Matrem præ alijs addictam fuisse cognoscimus, in iis plerosque deinde, ne dicam omnes omnino Sanctos, vehementer sese exercuisse. Cùm enim tota nostra in eo consistat sanctitas, vt duabus illis perfectissimis ideis IESV & MARIÆ vitam nostram reddamus quàm simillimam, quis negabit eos, qui singularem istâ imitatione laudem sint consecuti, quam omnes Sancti obtinuerunt, id maximè conatos fuisse exprimere, quod in exemplari suo in primis videbant excellere? Agedum ergo, id ostendamus, beatam Dei Genitricem semper Virginem MARIAM, cæli ac terræ Reginam, Dominam nostram clementissimam, mancipium fuisse diuinæ Maiestatis, atque eum statum vehementer adamasse, eum publicè præ se tulisse, eâ ratione quâ nos cupimus omnes omnino mortales eidem diuinæ Maiestati atque eius dilectæ Genitrici mancipari. Certum est in primis, in admirabili istâ legatione, quâ Angelus Gabriel nomine Sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis consensum B. MARIÆ Virginis exposcebat, vt eius bonâ voluntate liceret ei in vteri Virginei thalamo ex purissimis eius visceribus opus illud perficere, quod tot iam annorum millibus Deus promittebat, cælum exspectabat, hominum afflictum genus tot gemitibus & lacrymis expostulabat, verbum nullum vltrò citroque habitum fuisse non plenum mysterij & maiestatis: maximè cùm Virgo prudentissima, cuius è nutu mundi pereuntis salus pendebat, cogitaret, & exactissimis rationum ponderibus examinaret, qualis quantiq; momenti esset ista salutatio; quibus nimirum illa titulis ornaretur, quanta res voluntati eius committeretur, ad quem ipsa honorem assumeretur, tum quomodo verbis dignitate suâ, rei magnitudine & maiestate illius vnde veniebat legatus, dignis responderet. Postquam itaque breuiter modum rei gerendæ interrogauit & didicit, tribus verbis eam pronuntiauit sententiam,

cuius plenus mysterij in incarnationem consensus,

quâ potentiorem rerumque maiorum effectricem, quâ suauiorem aut magis salutiferam, quâ prudentiorem & inter res co[n]trarias magis securam nec mundus audiuit, nec cælum vnquam intellexit. Suspendamus nonnihil pietatem nostram, & antequam verba hæc proferamus, Sodalitatum Mancipiorum & totius Instituti nostri fundamentum, quæ eadem fuerunt etiam causa nostræ redemptionis, diuum Augustinum audiamus ad Virginem precatione ostendentem quid agatur, & quantum breui verbo Virgo perfecerit: *Responde iam Virgo sacra, assensum tuum Angelus præstolatur, inde est quod nuntius iste moratur. Iam audisti: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altißimi obumbrabit tibi, vt prolem gignas, & virginitatem non perdas. Ianua cæli quondam per Adam clausa, iam sonuit, per ipsam nuntius iste processit. Deus in portâ est, Angelum quem moraris exspectat.* O MARIA, *sæculum omne captiuum tuum deprecatur assensum, te Deo mundus suæ fidei obsidem facit, per te parentum suorum iniurias abstergi deprecatur. Ipse prior qui offensus est misit, claustrum quod iniquitas nostra cælo infixerat, reserauit. Est nobis aditus, si assensus tuus fuerit commodatus. Et nobis succurris, & tibi; quia nobis pœna succeßit, & tibi nuptias Filio suo in tuo thalamo Pater præparabit. Deus in ipsis sponsalibus gaudiis relaxat quidquid eum offenderat mundus.* Et plura in eamdem sententiam, quæ libro primo attulimus; vbi etiam citauimus diui Bernardi verba, plena mellifluæ dulcedinis: *Exspectat Angelus responsum, exspectamus & nos, ô Domina, verbum miserationis. In sempiterno Dei verbo facti sumus omnes, & ecce morimur; in tuo breui responso sumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur. Hoc supplices à te, pia Virgo, flebilis Adam cum miserâ sobole suâ exul de paradiso, hoc Abraham, hoc Dauid, hoc ceteri flagitant sancti Patres; patres scilicet tui, qui ipsi habitant in regione vmbræ mortis: hoc totus mundus tuis genibus prouolutus exspectat; nec immeritò,*

Serm. 17. in Natali Domini.

Hom. 4. super Missus.

ritò, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, salus denique vniuersorum filiorum Adam totius generis tui: da, Virgo, responsum festinanter. O Domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod exspectant & superi. Satis hæc duo Ecclesiæ lumina, Augustinus & Bernardus, quorum hic piâ suauitate, ille plenus est subtilissimâ pietate, ostendunt, qualis vox illa sit, quæ tanto totius vniuersi desiderio exspectatur. Verùm vt ad rem nostram accedamus, etiam audiendus est Patriarcha Venetus, agens de illis ipsis in D. Lucam verbis: *Isto vnico*, inquit, *responso compleuit cælum gaudio, Angelis omnibus exultationem præbuit, captiuo sæculo spem dedit, dæmones vniuersos exterruit, astantem lætum fecit nuntium, ac detentis in inferno Patribus libertatis gratiam repromisit. Affectu quippe auido, extensis in cælum manibus, propatulo cordis auditu huiuscemodi præstolabantur responsum: erat nempe illis præ libertatis amore diuturna nimis exspectatio, pauidaq; obseruatio, ne ob humilitatis virtutem reniteretur Virgo, consensumq; negaret. Verùm vt datum à* MARIA *percepère responsum, omnes pariter prorumpentes in laudes, Domino decantauère, dicentes: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.* Audis, quis fuerit Patrum istorum & orbis vniuersi timor, ne ob humilitatis virtutem reniteretur Virgo, consensúmque negaret. Posteaquam enim decreuerat Sapientia æterna non nisi habito Virginis MARIÆ consensu carnem nostram assumere; duæ potissimùm ex parte Virginis obstare videbantur difficultates, quæ consensum eius retardarent, amor nimirum virginitatis, & humilitatis: priorem dissoluere cùm non esset in eius manu, statim tamquam rationem peremptoriam Legato opposuit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quisquis tu es, aulæ cælestis paranymphe, cùm ab eo legatus sis Imperatore, cui cor omne patet, & omnis voluntas loquitur; non dubito, quin rem tantam mihi, cuius virginitatis seruandæ propositum illum non latet, proposituro, etiam difficultatis istius mentionem fecerit; quâ non sublatâ, vana foret & frustranea tanta legatio. Dic ergo, si ita videtur, quem Sapientia ipsa modum conceperit, quo tes tanta, saluo hoc meo proposito, perageretur. Et ille, vti in mandatis habebat, continuò subiungit: Ne dubites, & ne timeas MARIA; curæ fuit Sponso tuo, apud quem tu prima inter puras creaturas gratiam inuenisti, purissimum mentis illibatæ propositum: *Spiritus* enim *sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* vt quàm perfecta futura es mater, tam casta virgo permaneas; & vnde tu verebaris puritatis tuæ detrimentum, inde accedat ornamentum virginitati. Sublatâ hac per Dei promissionem temorâ, alteram fortè non leuiorem Virgo tacita secum agitabat, cogitabatque qualis esset ista salutatio; ad quantam scilicet dignitatem, si in eàm consentiret, ipsa attolleretur, quæ magis gaudebat tutæ humilitatis vmbraculo, quàm maximo cuiusuis splendore maiestatis; & vide quàm seriò hæc cogitaret, vt Patribus esset *diuturna nimis exspectatio, pauidaq; obseruatio, ne ob humilitatis virtutem reniteretur Virgo, consensúmque negaret.* Voluebat enim vtramque in partem animo suo argumenta & multa & maxima: alliciebat hinc diuinus amor, tantámque suadebat acceptare cum Deo coniunctionem, vt mater eius existeret; inde verò humilitas tetrahebat, quæ ex latebris in tantæ dignitatis lucem protracta, fortè vspiam ad nimium splendorem cæcutiret. Orabat illam, & purissima misericordiæ viscera facilè ad commiserationem mouebat, pedibus eius affusus flebilis Adam cum miserâ sobole suâ, exul de paradiso, & sæculum omne captiuum eius deprecans assensum: sed iterùm, vt humilitatem retineret, ad humiliationis respiciebat dispendium; dispiciebatque, quomodo illam cum tanta quæ offerebatur, dignitate coniungeret. Atque illæ erant cogitationes,

tum amore virginitatis,

tum vel maximè zelo humilitatis retardabatur.

attollebatur enim ad altissimam Matris Dei dignitatem.

quæ tamdiu anhelantem nuntium, & præstolantem in cæli ianuâ Deum remorabantur: neque, puto, assensum præbuisset Virgo, nisi modum repetisset, quo illum saluâ humilitate, & cum maximâ sui humiliatione præberet: sciebat mensuram humilitatis cuique ex mensurâ ipsius magnitudinis datam esse, & perfectissimè intelligebat, ad quantam maiestatis quodammodò infinitatem per Matris Dei titulum eleuaretur; neque ita subitò inueniebat oppositum locum, qui tanto illam hiatu ad profundissimam humilitatis abyssum demitteret, quanto Dei maternitas illam fastigio supra creata omnia in altissimo dignitatis throno collocaret. Quid ergo eo, quo responsum differebat, tempore fecisse eam existimabimus? quas cogitationes secum voluisse? quos humilitatis descensus in corde suo disposuisse, vnde vox ista tandem potentissima ac modestissima procederet, *Ecce ancilla Domini?* Ego sic existimo, vocis istius energiam & emphasim, quâ Virgo eam pronuntiabat, à nemine omnino percipi posse, nisi ab eo qui eâdem humilitate cor haberet imbutum: ad illam verò nemo facilè descenderit, nisi eâdem quâ Virgo dignitate fuerit exaltatus. Vnde sequitur, ne Gabrielem quidem Archangelum plenè comprehendisse quod Virgo eâ voce significabat: significasse autem non vulgarem istum ancillarum statum, quæ minimam sui particulam dominis obligatam cùm habeant, minus etiam quàm debent impendunt; sed infimum quoddam mancipatus genus, quo se corpore & animo, cogitatione, verbo & opere, intellectu & voluntate, omni superiore & inferiore homine deditam, addictam; obligatam Deo significabat; eâ ratione, vt sacrilegij maximi adinstar reformidaret, vel tantillam animæ operationem, vnicum cordis suspirium, leuissimum corporis motum non impendere in obsequium illius, cuius se tot nominibus agnoscebat ancillam. Ascendebat itaque primùm purissimo ac venerationis plenissimo mentis obtutu ad eam venerandam maiestatem, vnde sibi iste mittebatur Legatus; atque ibi contemplata potentiam, sapientiam, bonitatem, pulchritudinem, misericordiam, fidelitatem, charitatem, ceterasque virtutes & numero & magnitudine infinitas, mirabili animi lætitiâ eas dotes tantæ maiestati gratulata, laudabat illas, & exultabat spiritu in Deo salutari suo: mox oculos in seipsam reflectens, fugiebat scilicet ipsa se, & quodammodò euanescebat ex oculis suis, dum nihil in se suum, sed omnia Dei agnosceret: abiiciens itaque se in infinitam illam nihili abyssum, inde alteram infinitatis abyssum intuebatur, ad quam de istâ profunditate in silentio clamabat: Placet mihi, Domine, & perplacet quòd nihil ego sum, & quòd nihil possim; gaudeo, quòd à te esse & posse, à te naturam, à te gratiam, à te virtutem omnem habeam: dolerem, si quid in me esset, quod non esset ex omni parte tuum; & quanto ego me sacrilegio obstringerem, si quid tibi de re tot nominibus tuâ auferre conarer? Absit à me, absit, Domine mi, tantum scelus à famulâ & ancillâ, imò ab humillimo mancipio tuo: ecce, Domine, manus & pedes vinctos voluntatis tuæ legibus: ecce intellectum, ecce voluntatem catenatam compedibus tuis, vt sese nusquam moueant, nisi ad nutum voluntatis tuæ. Nolo ego oculos, nisi qui te respiciant; non aures, nisi quæ mandatis tuis obediant; non linguam, nisi quæ loquatur de te; non cor, nisi quod te amet; non manus, nisi quæ tibi famulentur; non pedes, nisi qui te quærant; non corpus, nisi quod tibi de membris suis victimam faciat; non vitam, nisi quæ tota tibi immoletur: cupio enim tua esse Domine, & me ipsâ omnino spoliari; tuæ voluntati, quidquid sum aut possum, & quidquid gratuitò à te accepi, committo: ad hæc velle nolo, nolo nolle, nisi quod & quomodo placitum est tibi: in omni negotio id mihi arridet, id placet, id me oblectat & recreat, quod placitum esse scio voluntati tuæ; & in hoc maximè omnium nego-

cui parem quærebat humilitatis profunditatem:

hanc reperit in ancillæ submissione.

quam mirabili exprimebat affectu.

negotiorum negotio, quod voluntati meæ tam singulari beneuolentiâ permisisti, nihil meum esse volo: matrem me tuam vis esse, gaudeo & ex animo gaudeo Domine, quòd etiam in illo tibi possim ancillari, quidquid id libertatis & auctoritatis est, totum id offerens beneplacito tuo: *ecce* enim *ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum:* ancilla, omnium infimo & humillimo famulatu; ancilla quæ nec velit nec possit vmquam esse libera; ancilla vincta & catenata manicis & mille compedibus; ancilla quæ nihil suum nec habeat nec speret; sed omnia Domino suo operetur & lucretur: ecce ancilla Domini, fiat mihi non secundùm voluntatem meam, sed secundùm verbum tuum: matrem me vocat ille & facit, gratias ago bonitati eius infinitas pro tanto honore & priuilegio. Verùm tu hoc intelligas, paranymphe cælestis, magis me in ipsâ humilitate meâ quàm in maternitate Dei acquiescere; scias hoc me maximè in ipsâ maternitate delectare, quòd per eam multò humilior eius fiam ancilla & famula. Oculos non habet, qui hîc non videt B. MARIAM Virginem infimum quod quidem fingi potest seruitutis genus, quod Mancipatum nos dicimus, affectasse; in quo cùm multa alia, tum maximè humilitas est, quam alia seruitutis genera non habent. Quare exprimens alibi modum seruitutis suæ Virgo, *Respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ*. Imò quid verbis opus, cùm res ipsa loquatur? Si enim vel leuiter animaduerterimus, quâ in re mancipium à seruorum & famulorum aliorum generibus distinguatur, iam apparebit contumaciæ genus esse, negare velle Virginem Deiparam fuisse ex genere mancipiorum. Differunt enim in primis famulus & mancipium, quòd ille certis atque condictis in rebus, mancipium in omnibus seruiat: quòd ille tempore limitatam, hic perpetuam seruiat seruitutem: quòd mancipium sibi neque laborare neque lucrari possit, famulus vbi domino suo ex compacto satisfecerit, potest in reliquis sibi ipsi vtilem nauare operam: mancipium denique præter operam, vitam etiam suam domino habet obstrictam, sic vt liberrimè de eâ ex voluntate suâ dominus possit disponere. Quis autem affirmauerit, aliquid de se Virginem sibi reseruasse, atque ita furtum, quod maximè odio habet Dominus, in holocausto suo admisisse? Non illa exiguo aut vili corde se Deo mancipabat, ad omnia magna & parua, honorifica & vilia, amara & iucunda se promptam ostendebat, nihil aliud spirans, nihil aliud cogitans quàm, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum:* etiamsi vel ipsa interni supplicia me subire velles ad tuum obsequium; neque hoc per exigui durationem temporis, sed prorsus, si ita Deo videretur, in omnem æternitatem. Quo in obsequio hoc maximè commendabat seruiendi promptitudinem, quòd nullâ spe præmij alliceretur, nullo pœnæ timore vrgeretur ad præstandum obsequium; sed optabat illa sæpiùs posse gratuitum aliquem Deo offerre laborem, & cum liberalitate eius amantissimè certabat, dolens quodammodò de tantâ eius liberalitate, quæ non possit etiam minimum creaturarum obsequium non maximis præmijs remunerari. Conabor ego certè, inquiebat, liberalissime Deus, cùm tantis à te momentis singulis pro tantillo obsequio meo cumuler beneficijs, id efficere, vt nullum eorum apud me vacuum resideat, quod non ipso quo acceptum fuerit momento impendam in obsequium largitoris, ne videar ego rem meam agere dum tibi seruio. Iam quod ad ius vitæ & necis attinet; dabat illa & resignabat in manus Domini, sciens, siue moreretur, siue viueret, eius esse, cui viuere summa voluptas, & cui mori æterna esset felicitas. Iam si peculiares vitæ eius actus, qualis est ista oblatio quam primo conceptionis suæ momento fecit, quando vndique in se inundantia, & extra se exundantia cernebat diuina beneficia; & illa item quando primùm de matre nata hanc lucem aspexit, & humum nostram tetigit; & rursus quando trimula in templo

affectans ancillæ nomine infimum genus mancipatus,

& omnia resignans diuinæ bonitati.

fuit oblata: profectò inueniemus, in ijs omnibus miro spiritus feruore & incredibili animi demissione Virginem ante Deum prostratam, et se in mancipiorum omnium humillimum consecrasse. Quamuis enim nemo mortalium vmquam meliùs penetrauerit virtutes, dona, priuilegia, gratias, & prærogatiuas quibus cælitus donata fuit, quàm ipsa Virgo quę acceperat; hoc tamen etiam omnium clarissimè videbat, quantamcumque suam perfectionem & excellentiam, quantamcumque sanctitatis & pulchritudinis magnitudinem, quantamcumque immensam gratiarum congeriem, non esse nisi guttulam ab illo diuinæ pulchritudinis, bonitatis & amabilitatis oceano deriuatam: vnde illa cogeretur, etiam si non accepisset à Deo id quod habebat, tamen ob istam tantam excellentiam ei subijci & humillimè famulari; quantò magis, cùm hoc ipsum quod possidebat sciret totum esse eius beneficium, ita sibi concessum, vt tamen nihil non remaneret eius, qui non potest sese vllo rerum dominio abdicare?

CAPVT XXVI.

Christum Dominum fuisse seruum Dei, & mancipium.

Ea quæ Capite superiori de B. MARIÆ Virginis mancipatu respectu diuinæ Maiestatis attulimus, testimonio Filij eius maximè confirmantur; qui nullâ in re magis videtur posuisse fiduciam suam, quàm quòd ipse verna esset & natus à matre tam singulari ratione addictâ diuino seruitio. Maxima petiturus erat à Patre suo, Psal. 85. misericordiam, imperium, signum ex quo omnes cognoscerent eum Deo cordi esse, atque in protectione eius commorari. Ratio autem motiua, quâ tanta niteretur petendi confidentia, sola hæc additur: *Et saluum fac filium ancillæ.* vel singulari præ ceteris ratione, vel sola debuit fuisse Domini ancilla, cuius tantum apud eum valebat mancipatus: iam enim impetratis ijs rebus, quas anteà petierat, exultabundus & gratias

Fiducia Christi in eo quòd sit filius ancillæ.

Deo agens, Psal. 115. cum emphasi rationem exprimit, per quam impetrauit: *O Domine, quia ego seruus tuus; ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea,* &c. Poteratne clariùs dicere, & quasi per gradus descendere, vt perueniret etiam ad profundius seruitutis genus, quàm quo mater descenderat? *Ego,* inquit, *seruus tuus.* nec hoc satis: seruus enim etiam tuus est Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, & tot Legis antiquæ ornamenta. repetit ergo *seruus tuus*, magis particulari ratione; ego mancipium tuum, totum seruitio tuo addictum, & quasi per excellentiam mancipium. Sed neque hîc sisto: tale enim mancipium etiam illa, quæ per antonomasiam vocatur ancilla tua, mater mea: quam cùm ego tanto interuallo superem apud te dignitate, necesse est inuenire me, quo eam ex parte meâ vincam humilitate. Inueni, Deus meus, inueni: *Ego* enim *filius ancillæ tuæ*; verna ego sum, qualis mater mea non erat: illa enim licet à sanctissimis, ab ijs tamen parentibus nata est qui istam habebant infelicem libertatem, vt aliquando tibi non seruirent; ipsa verò à primo creationis suæ instanti tibi subdita, cauterio gratiæ & prædestinationis tuæ signata, compedibus originalis iustitiæ vincta fuit, vt non posset abire in vias suas vt non seruiret: atque ex huius vtero me formasti seruum, mancipium & vernam tibi; quapropter tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo: cùm non sit nomen quo ego libentiùs te appellem, quàm Domini, quia libentissimè me gero seruum tuum: itaque vota mea, quæ à primo illo instanti concepi, quo tu animam meam corpori infudisti, tibi Domino reddam in conspectu populi, non occultè tantùm & in animo me seruum tuum agnoscens, sed in conspectu populi tui tibi Domino meo veluti humillimum mancipium vota reddens. Licet enim CHRISTVS quà homo verè sit Filius Dei naturalis, quatenus scilicet humanitas illa subsistit in personâ Verbi, quæ est Filius Dei naturalis; tamen idem est & seruus ratione ipsius natu-

hoc est, plusquàm seruus.

ræ, puta humanitatis quam assumpsit: hæc enim est creatura, ac proinde serua sui Creatoris: tota enim creatura subiecta est dominio Dei, vtpote quæ totum suum esse à Deo, perinde ac radius à sole accepit, & semper accipit; prætterquam quòd creatura rationalis obligetur in omnibus Deo quasi Domino parere, eum uereri & colere. Quæ CHRISTO conuenire docet Franciscus Suarez 3.p.disp.44.sect.1. vbi ego notatum diligenter volo, vt nullus pietatem nostram interturbet error, me non docere, CHRISTVM seruum esse seruitute legali vel pœnali, quæ scilicet extrinseca & superaddita sit naturæ, quâ quis seruus constituitur vel ob culpam, vel quòd iusto bello sit captus, vel ob emptionem: quâ ratione Adrianus Papa in Concilio Francofordiensi negat CHRISTVM esse seruum; & S. Ioannes cap. 8. Euang. huic seruituti Filium opponit, negans implicitè Filium Dei esse seruum, eâ scilicet ratione: sed de eâ seruitute quâ quis ex seruâ seu ancillâ nascitur, quæ videtur respectus quidam naturæ CHRISTI superadditus, quo ipse vehementer gloriatur; nihil addit ipsi vilitatis aut abiectionis, sed plurimum potiùs dignitatis, quòd scilicet ex eâ natus sit, quæ omnium rationalium creaturarum propriè fuit ancilla & famula Domini: in quò cùm consistat naturæ rationalis summa perfectio, honestissimum fuit CHRISTO quòd humana sua natura ab illâ producta sit, quâ nulla pura creatura Deo erat subiectior. Vnde sequitur, totum id quod status mancipij & vernæ superaddit in CHRISTO seruituti isti communi, quâ seruus erat Dei vt omnis rationalis creatura, mirabilem quamdam addere humanæ eius naturæ quâ tali splendorem & dignitatem: vti eiusdem summus fuit honos, Creatori suo in omnibus subiectum fuisse. quo etiam ex capite posteà euidenter inferemus, rem esse naturâ nostrâ dignissimam, profiteri nos & esse MARIÆ Virginis mancipia. Dignationis quidem summæ fuit, quòd is qui in formâ Dei erat, neque rapinam arbitrabatur esse se

non seruitute legali aut pœnali,

sed naturali:

quæ perfectionis est,

æqualem Deo, semetipsum exinaniret, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: sed positâ eâ dignatione atque suâ exinanitione quòd homo fieret, non fuit sui abiectio noua aut exinanitio, quòd homo iam & seruus existens, infimum & obedientissimum eligeret seruitutis genus, quo & nasceretur ab eâ, quæ singulari ratione & omnium purarum creaturarum infimâ subiectione erat Dei ancilla, & quo ipse se adhuc magis quàm mater subijceret, & accuratiùs Domini voluntatem adimpleret. Humilitas hæc quidem fuit, & infima quæ potest fingi humilitas: abiectio autem vel exinanitio humanæ naturæ non fuit, sed potiùs eiusdem exaltatio & glorificatio; cùm, vti posteà adhuc latiùs ostendemus, omnis creaturæ gloria sit humiliari coram Deo; & ei vel tantillum dissentire, summum eiusdem dedecus. Maneat ergo, CHRISTVM Dominum quâ hominem fuisse seruum Dei, & quòd omnia sua, pro omni tempore & omnibus officijs, & vitam ipsam Deo obligatam haberet, fuisse mancipium; & quòd ex eâ natus esset, quæ eâdem conditione Deo seruiebat, vernam se & natum à matre ancillâ fuisse, & profiteri: nam in feruentissimis suis ad Deum precibus se ita gestit appellare; & Patrem eius Deum vehementer in tali seruo gloriari, Isaias testatur cap. 49. *Seruus meus es tu Israël, quia in te gloriabor*; & matrem eius Virginem in hac Patris gloriatione exultare, dum ipsa ad illa verba alludens, ait: *Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ*. Puerum enim Latinis auribus idem quod seruum sonare, hîc dici non debet, cùm satis hoc indicet ad locum priorem allusio, vbi dicitur: *Seruus meus es tu Israël.*

non vilitatis.

Luc. 1. 54.

CAPVT XXVII.

Non solùm Dei mancipia esse IESVM *&* MARIAM, *sed vtrumque etiam fuisse quadam ratione Matris Dei mancipium.*

QVÆ in manuscripto breui, quod initio per manus tradideram, vt incognito auctore, liquidiùs, sine humanis alijs affectibus, pietas erga beatam MARIAM Virginem propagaretur, præfixeram prologi instar septem præcipuis mancipiorum exercitijs; ea hîc suo in loco iam eò libentiùs repetam, quòd ea quæ tum non sine contradictionis aliquo murmure verecundiùs prodibant in publicum, iam videam summorum virorum iudicijs approbata, & nonnullorum etiam primæ notæ auctorum scriptis illustrata; quales sunt illustres Sodales Colonienses, qui ea compendioso libello, quem suæ deuotioni de Mancipatu B. MARIÆ Virginis concinnarunt, inseruerunt cap.4. & R.P. Stanislaus Phœnicius in Poloniâ, vt audio, mancipatus B.MARIÆ Virginis zelosus & pius amplificator, qui ea libello de Mancipio ex Hispanico nostro, vel alio fortè quo ad illum venerunt idiomate, suis verbis Latinè reddita, adiungenda curauit; vt ijdem Colonienses testantur sub finem, dissertatione 6. Probabam autem ibi breuiter, ipsum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM ratione aliquâ dici posse primum B.MARIÆ Virginis mancipium: quæ optimè à Reuerendo isto, vti credo, Patre Stanislao Phœnicio Latinitate donata, nòn mutanda iudicaui, quòd ad verbum Hispanico nostro respondeant, & ijs etiam quæ Gallico sermone Cameraci, Audomaropoli, & Bruxellis varijs annis fuêre impressa; erat autem discursus eiusmodi.

Occasione humilitatis Marianæ tempore incarnationis ostensa instituta Mancipiorum Sodalitas.

Inter cetera pietatis operā, quæ in honorem Virginis Matris deuoti eius clientes solent frequentare, facilè princeps est, se vniuersi Dominæ seruum & mancipium profiteri: hoc enim exercitium in potentissimâ dignissimâque actionum, quas Virgini etiamnum viuenti visitatas meminimus, fundatur; in eo, inquam, humilitatis actu, quem sacratissimo Angelicæ salutationis die exercuit, cùm mysterium diuinæ incarnationis nuntianti Archangelo respondit: *Ecce ancilla Domini*. Cùm enim his verbis in profundissimam humilitatis abyssum, & ad ipsissimum eius adeò centrum, & summam perfectionem se dimiserit, quod ipsamet Deipara Virgo protestata est, dicens: *Respexit humilitatem* (vel, vt alij ex Græco vertunt, *vilitatem* seu *nihileitatem*) *ancillæ suæ*. Considerando infinitam Dei nostrûm caussâ se exinanientis bonitatem, magnitudinem, maiestatem, dubitare minimè oportet, quin infimum extremumque seruitutis gradum, qui mancipiorum est, iam ancillantibus animæ corporisque obsequijs promptissimè delegerit; & sanè quisquis admirabile Virginis & Archangeli colloquium illud expenderit, facilè intelligat, quamdam sacri mancipatus catenam, & Virginea quædam vincula, quæ Deum ipsum ad clementiam & exequendum promptissimè incarnationis mysterium quodammodò cogerent, fuisse id temporis à Matre Virgine formata, illustrissimis excellentissimisque virtutibus, velut totidem pretiosissimis annulis in Parthenias compedes insertis.

descendit enim ad imum ancillæ gradum.

nectens sibi ex varijs virtutibus catenam.

Primum vinculum fuit Virginis pudor & amabilis verecundia: nam *turbata est in sermone eius*. Secundum, matura quædam & cælestis prudentia: *Cogitabat qualis esset ista salutatio*. Tertium, salutaris & sanctus timor, cuius causâ eam affatur Archangelus, *Ne timeas* MARIA. Quartum, purissima & immaculata virginitas: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quintum, perfectissimum parendi studium, & accuratissima obedientia: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Sextum, fides viua: *Beata quæ credidisti*. Septimum, humilitas: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* quæ vel vnica virtus Virginis Deum è cælis in terras euocauit, teste Bernardo Homil. 1.

mil. 1. super Missus est, in laudibus Virginis Matris, vbi ait: *Maria, etsi placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit.* Vincula adeò robusta & valida, quæ vel ipsam Dei immensitatem & infinitatem arctissimè constringerent, & ex cælis ad terras detraherent; ita vt non citiùs hæc catena fuerit absoluta, & ardentissimis MARIÆ votis in cælos transmissa, quàm Verbum caro factum sit. Sic mystica hæc altissimarum humillimæ Virginis virtutum catena, aureâ illâ, sed fabulosâ Homeri (Iliados lib. 8.) catenâ infinitè nobilior validiorque, Deum è cælis hominibus attraxit; atque ita Deus omnipotens excellentissimarum virtutum Virginis amore captus, in eius sanctissimo vtero arctissimo ac indissolubili vinculo vnionis hypostaticæ æternaliter humanæ naturæ colligatus, compedibusque mortalitatis nostræ constrictus à Virgine, & in carcerem humanitatis à Matris suæ amore, dulci illo tyranno (sic amorem vocat S. Gregorius Nazianzenus Orat. 27. aliàs 28.) dulciter reclusus est. quod olim Ieremias prædixerat: *Femina circumdabit virum.* & ipse Spiritus sanctus in Cantico canticorum Salomonis c. 7. præsignificauerat: *Purpura Regis vincta canalibus*: id est, iuxta Septuaginta Interpretes, *Rex ligatus in transcursibus*: iuxta alios, *Rex stipatus canalibus*: iuxta alios, *Rex ligatus in tignis*; seu, *Rex ligatus in domo.* Transcursus hi & canales, fuit virginalis ille, *calum* à S. Ioanne Damasceno Orat. 2. de Natiuitate B. MARIÆ vocatus, Deiparæ Virginis vterus, in quo Rex æternæ gloriæ suaui ligaturâ humanæ carnis, ex purissimis sanguinibus Virginis matris à Spiritu sancto formatæ, ligatus est; sicque Virgo beatissima domus Deo grata, dignum Dei Filio hospitium exstitit. Miram sanè Virginis potentiam, quæ vnigenitum Dei Filium e sinu æterni Patris in suum virginalem vterum euocauit, illumque fortem, portantem omnia verbo virtutis suæ (ad Hebr. 1.) humanæ mortalitatis ergastulo incarceratum, suisque virgineis visceribus catenatum, mundo edidit Saluatorem, infantemque & vagientem Deum fasciauit: *Pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio.* Hæc eadem aliter translata, vti dicebam, habet auctor Mancipij Coloniensis cap. 4. qui hanc subnectit conclusionem, cuius nos causâ totum hunc primò discursum formauimus: *Quis igitur*, inquit, *hoc mancipiorum MARIÆ albo, vbi CHRISTVS ipse princeps annulatur, extritum se velit? Ne erubesce, quisquis CHRISTVM ducem non erubescis, hæc vincula corpori appressa circumferre, cælestis militiæ donatiuum, MARIANI tesseram amoris.* Audis, vt principem captiuorum & mancipiorum B. MARIÆ Virginis ipsum esse concludat Dei Filium; nec vllum vmquam mancipium tam promptâ, sincerâ, integrâ voluntate subiectum fuit domino suo, quàm ille, qui nos parentibus obtemperare iussit, obediuit Matri Deiparæ. Princeps ergo mancipiorum B. MARIÆ Virginis, quique agmen ducat Sodalitatis nostræ, ipse filius eius est: *non enim infirmitatis, sed pietatis ista subiectio est.* Nobilis est, ingenua, plena laudis & honestatis subiectio, quæ de virtute pietatis enascitur, nihil de libertate diminuit, nihil de ingenuitate detrahit. detraheret quidem, fateor, aliquid de infinitâ istâ Dei dignitate quæcumque subiectio, nisi intercederet vinculum illud admirabile vnionis hypostaticæ, quod ita æterna temporaneis, diuina humanis, altissima imis coniunxit, vt vna eademque persona æterna esset & mortalis, Deus & homo, omnibus imperans, altissima, liberrima; & tamen subiecta, etiam naturæ lege, parenti, subdita re ipsâ tortoribus, & obnoxia plurimis mortalitatis nostræ necessitatibus: nihil itaque de nouo mirandum in isto Filij Dei mancipatu inueniemus, si semel, quanta sint quæ in ipsâ incarnatione admiremur, ceperimus. Habemus ergo dignissimum mancipatus nostri auctorem, eumdem qui salutis nobis omnisque libertatis auctor fuit, Dominum IESVM, qui agmen ducat virorum sese Virgini mancipare cupientium. Habemus

Margin notes: *quâ deinde cepit Dei Filium.* — Ierem. 31, 22. — *sibi se subiecit promptiùs quàm ipsa mancipia obedientem;* — Ambros. lib. 2. in Lucam. — *quod, positâ vnione hypostaticâ, non est mirandum.*

Ipsa MARIA Virgo primum Deiparæ mancipium.

mus & alteram feminei chori ducem, vnicam illam sexus infirmioris gloriam, Virginem MARIAM, eam ipsam quæ omnium studijs & obsequijs colenda proponitur. hanc enim primam omnium fuisse Sodalitatis huius auctorem, primumque matris Dei, si non re ipsâ, voluntate saltem, mancipium, non obscurè probari potest. Quid enim putamus quindecim istis annis, qui insperatam Gabrielis legationem præcesserunt, egisse præcipuè virgunculam MARIAM, quibus studijs, quibus occupationibus, quibus pietatis exercitijs maximè dedítam fuisse existimabimus? Ego sanè sic statuo: quibus eam rebus occupatam nuntius cælestis deprehendit, ijs plurimum temporis impendere solitam fuisse. Res autem ipsa loquitur, quamuis tot Patrum id confirmantium silerent testimonia: quando ingressus ad eam est Archangelus, illo ipso mysterio mentem habuisse occupatam, de quo ille acturus veniebat. Suspirabat nimirum ardentissimis votis ad felicia illa sæcula, quæ natum mundo visura essent Saluatorem. Adorabat in spiritu puerum istum, quem de virgine nasciturum legebat: tum verò intimis animi sensibus ad gratulandum matri partum tam felicem conuertebatur; ac beatum exclamabat ventrem qui concipiet, beata viscera quæ portabunt, beata vbera quæ lactabunt æterni Patris Filium. Felicem te prole tuâ matrem, & felicia te matre sæcula, quibus continget vel pedum tuorum vestigia lingere! Quàm ego, si daretur in ista reseruari tempora, me beatam existimarem, si virginem istam aspicere, si venerari, si infimis colere obsequijs contingeret! Quàm ego cuperem illi famula, vel ancillula, vel vltimum sanè mancipiorum existere! Magna mihi esset, magna profectò felicitas, magna dignitas, vel abijci ad mancipiorum eius vestigia, si illâ ratione præstare possem gratum tantæ Dominæ ac Reginæ obsequium. An isthæc abhorrere videntur ab humillimo MARIÆ spiritu? an non conuenire cum isto stupore, qui eam perculit, quando intellexit se in eam ipsam, quam ita laudabat, matrem electam? an non probari illâ responsione, quâ mentem ancillaribus matris Dei obsequijs intentam, cùm iam ea sibi audiret impossibilia, ad id quod proximum erat conuertit, vt se Dei ancillam profiteretur? Hisce ergo desiderijs & votis cùm dubium non sit, quin Virgo Deipara sæpiùs æstuauerit, certum esse debet nobis, hunc sese Deiparæ mancipandi modum primam ab eâ ducere originem, primamque eam fuisse quæ sese Dei parenti voto & voluntate mancipium dedicauerit. Iam hortatur nos in Psalterio S. Bonauentura: *Mariam induite quotquot diligitis eam: hæc luceat in moribus, splendeat in actionibus.* &, *summa religio est imitari quam colis.* Ergo nihil præstare possumus religiosius, nihil MARIÆ charius, quàm si tali nos ratione consecremus ipsi mancipia, quemadmodum illa voluisset matri Dei, si quæ alia fuisset, æternis obsequijs mancipari.

Quibus id affectibus exprimeret.

CAPVT XXVIII.

De signis externis Mancipatus.

TANTIS auctoribus & auctoritatibus, quibus vel obitam vel approbatam diximus rationem sese Virgini Deiparæ mancipandi, quidam cedentes, optimam fatentur eam pietatis exercitationem, quâ homo sese, post Deum, quantâ potest humilitate Deiparæ Virgini submittit; conspirationemque fieri ac congregationem eorum Sodalium, qui se mancipia profiteantur B. MARIÆ Virginis, iam non molestè ferunt: at signa quædam externa catenularum, compedum, annulorum adiici huic professioni, atque publicè eius mancipatus circumferri insignia, concoquere non possunt. Sunt enim qui nimiam, sunt qui inutilem, sunt qui saltem affectatam nimis existiment eam cærimoniam: nam illis qui hanc irrident, quòd nullas omnino admittant cærimonias, hîc respondendum esse non iudico; tum quòd illud, præter ceteros, abundè fecerit Petrus de

Obiectiones contra signa externa.

Arragon

Arragon noster de Iure & institia secundâ secundæ ad art.7.quæstionis 18. Didacus Stunica item noster de Verâ religione lib.1. cap.16. & seq. præterea Hosius Confessionis Polonicæ Tom.2. cap.27.& 28. Demochares in libro de Sacrificio propitiatorio capite 3. & 4. Dematius de Instaurandâ religione libro 9. Conradus Brunus in libro de Cerimoniis, Albertus Carpensis Contra Erasmum lib.6.& alij; tum quòd aliud sit, fidei dogmata contra hæreticam prauitatem defendere, aliud, pietatis sacratioris exercitia iis qui sine controuersiâ sunt Christiani tradere: hæ verò; cùm B. MARIÆ Virginis constituamus familiam, tantummodò nostræ sunt partes, vt scilicet iis probemus exercitia nostra, qui sunt per lumen fidei ad omnem hauriendam pietatem inclinari. Quibus hoc in primis concedimus fieri posse, vt cærimoniæ externæ vno aliquo ex tribus allegatis capitibus vitientur, quòd vel nimiæ sint, vel inutiles, vel tandem vtentium vitio nimis affectatæ: hanc autem, quâ gestatis publicè catenulis quis se fateatur B.MARIÆ Virgini infimam seruire seruitutem, aliquâ earum conditionum vitiari, id verò negamus: nam multitudo cærimoniarum tum vitiosa est, quando nec percipi aut intelligi sine magnâ animi curâ, nec sine magno corporis labore exerceri possunt: inde fit in primis, vt animi nostri vis tantâ erga res sensiles curâ obruatur potius quàm excitetur ad diuina; deinde temporis fit iactura occupatione hominis circa minoris momenti reculas, qui se posset maioribus impendere: tertiò denique periculum est, ne nimiâ istâ cærimoniarum frequentiâ paulatim in eam persuasionem inducantur homines, vt putent, vel totam vel præcipuam pietatis partem in iis positam esse. quorum nihil potest de hac gestatione catenarum affirmari, vtpote quæ nec animi nec corporis singularem adferat occupationem, maximè cùm sit ad finem spiritualem vtilissima, quemadmodum latiùs ostendemus; nec ex instituto nostro adhibeatur in vanam ostentationem pietatis, sed ad humilem professionem animi sincerè mancipati Deiparæ obsequiis: si verò quispiam eo vtatur ad hypocrisin, magnum quidem erit vitium, teste S. P. Nostro super Psalm. 63. dicente: *Simulata æquitas, duplex iniquitas est.* sed illud non cærimoniæ erit, sed hominis vtentis cærimoniâ. Audiamus ergo potiùs Virginem Deiparam adhortantem ad hæc mancipatus sui signa, quàm alios dehortantes. dicit enim Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Quæ verba, licet iis, ex communi Patrum sententiâ, Sponsus dilectissimam suam alloquatur, hîc beatæ MARIÆ Virgini tribuam, non ideò quòd apud Hebræos puncta adhibita faciant pronomen *tuum*, quod bis repetitur, masculini generis, vt consequenter ex textu eorum Sponsus potius quàm Sponsa loquatur: non enim tanti mihi sunt nouæ Hebræorum inuentiones, vt propter eas antiquissimum sanctorum Patrum consensum deferendum existimem; sed multò meliori ratione ea B. MARIÆ Virgini accommodando, ideò quòd illa pari ratione nos seruos suos adamauerit, vltrò quæsierit, seruitute suâ nobilitauerit, amore inebriatit, quemadmodum Sponsa illa à Sponso inebriata, nobilitata, quæsita & amata fuerat: quapropter iure verba illi tribuemus, quibus nos ad amorem sui, vt mox explicabimus, vehementer adhortatur. præcesserat: *Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua:* vel, vt Septuaginta vertunt, *ibi cum dolore peperit te mater, ibi cum dolore peperit quæ genuit te.* Notum est sacris & profanis scriptoribus, mali arborem amoris esse hieroglyphicum, vt probat fuse Pierius in Hieroglyphicis cap.54. & Sponsa ostendit Cant. 2. vers.5. dum ait amore saucia: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* & vers. 3. *Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios.* Sub arbore ergo malo, inquit Domina nostra, suscitaui te peccati

Cerimoniæ tribus modis vitiantur.

nullus autem eorum conuenit signis nostri mancipatus.

Vult MARIA poni vt signaculum super cor & brachium nostrum.

somno indormientem: sub arbore crucis, arbore amoris, vnde pendebat fructus vitæ, suscitaui à mortuis, & vitæ gratiæque vnà cum Filio meo reddidi. quæ vt non leuiter transeamus, subnectit ex versione Septuaginta: *Ibi cum dolore peperit te mater, ibi cum dolore peperit quæ genuit te.* matrem se appellat, quia isto nomine tunc respectu nostri fuit insignita, dum Ioanni dicebatur: *Ecce mater tua.* vel *mater*, quia ipsa ex eò quòd Filium Dei genuit, mater est per excellentiam, & mater quædam communis. Dicit ergo emphaticè ibi *mater*, quæ sine dolore pepererat fructum istum, propter quem verè matrum mater vocatur; *te peperit*, sed non vt Filium istum benedictum expers dolorum, sed *cum dolore* ingenti: & ideò repetit, vt inculcet, *ibi cum dolore peperit*, cùm anteà cum gaudio peperisset, *quæ genuit te.* significantiùs autem in tertiâ personâ loquitur, quia plus significat illa vox *mater*, & *quæ genuit te*, sic emphaticè prolata, quàm si simpliciter diceret, Ibi ego genui te. Dicit ergo illa, quæ tantis, vt Libro 1. ostendimus, doloribus nos in CHRISTO & cum CHRISTO regenerauit in filios gratiæ: Sub arbore malo, ibi ego te suscitaui, peperi, & regeneraui, vt iam tibi liceat vitam dignam gratiæ filio degere, & vitam gloriæ sperare. Tu igitur *honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius*, hoc est in æternum: *memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in* corde *suo.* Peto autem, vt in signum gratitudinis ponas *me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Attentiùs perpendamus verba ista; quia tali occasione & tam insigni præfatione à matre nostrâ inculcantur, vt in re tanti momenti non inueniamur ingrati Dominæ ac genitrici nostræ. Notandum ergo in primis, signaculum vel sumi pro ipso illo instrumento, quo signamus quidpiam, quod tam in sacris quàm profanis sæpissimè annulus appellatur, quia annulo plerique vtebantur ad signandum; vel certè pro eiusdem annuli impressione, imagine, seu charactere: vtrumque ad explicationem faciet voluntatis Dominæ nostræ. Atque in primis vult ipsa poni vt signaculum seu annulus super cor & brachium nostrum; id est, ipsa vult nobis esse post Deum rerum omnium charissima. Hac loquendi figurâ Aggæi 2. v. 24. Dominus alloquitur Zorobabel: *Assumam te*, inquit, *Zorobabel fili Salathiel, serue meus, & ponam te quasi signaculum, quia te elegi.* Dicamus nos MARIÆ Virgini: Assumam te Domina mea, & ponam te quasi signaculum, quia te elegi in Dominam mihi rerum omnium charissimam. Iterùm similem loquendi phrasim habes Ieremiæ 22. v. 24. *Viuo ego, dicit Dominus: quia si fuerit Iechonias filius Ioakim regis Iuda, annulus in manu dexterâ meâ, inde euellam eum.* Annulus autem gestatus in digitis erat ingenuitatis indicium; hinc mancipiis eum gestare erat interdictum: satis autem nos Lib. 3. cap. 2. & seq. mancipiis nostris ingenuitatem vindicabimus, vt periculum non sit, si annulum hunc portauerint, ne quid præter conditionem suam fecisse arguantur: cùm autem gestabant eo in digito, qui minimo manus læuæ est proximus, in quo neruulus quidam desinit è corde proueniens; erat is neruus, ait Pierius lib. 41. de annulo, cordis indicium; ideoque institutum ab Ægyptiis, vt annulo tamquam coronâ honestaretur: in eo autem gerebant eorum imagines, quibus solis cor suum & fidem illibatam seruabant. Ex istâ consuetudine, vt mancipia B. MARIÆ Virginis annulis suis vel effigiem Dominæ suæ, vel saltem dulcissima hæc verba AVE MARIA insculpant, eaque cordis neruulo imponant, vehementer suaderi potest, ad testandam fidem erga hanc Dominam suam illibatam. Verùm cùm seruitus hæc ingenua quidem sit, vt ideò annuli isti ingenuitatis non vetentur, sit tamen vera seruitus & mancipatus; aliud prætereà requiri videtur, vt scilicet annulorum istorum non pudeat nos, quæ seruitutis erant indicia, quos boias, compedes, & numellas,

Tob. 4.

Signaculum autem vel est instrumentum, quo signamus nostra.

mellas, vel manicas dicimus, iisque publicè gestatis profiteamur sacrum hunc Virginis mancipatum. Sed de his Capite sequenti: nunc signaculorum & annulorum vsum explicare pergamus: iis enim non tantùm litteras, sed & quæcumque curiosiùs asseruata volebant, obsignabant; ita legis in libro Danielis, Darium Regem, misso Daniele in lacum leonum, posuisse lapidem super os laci, *quem obsignauit Rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem.* Imò Clemens Alexandrinus libro 3. Pædag. cap. 2. putat ideò sponsæ dandum à maritis annulum: *Dat ei*, inquit, *annulum aureum, nec eum quidem ad ornatum, sed vt eo obsignet quæ domi digna sunt quæ custodiantur; propterea quod seruanda domus ad eam cura pertineat.* & posteà: *Atque honestum quidem est, vt viri vxoribus suis fidem habentes, eis domus custodiam permittant, vt quæ iis opitulatrices data sunt.* Et secundùm hunc signaculi vsum, dum MARIA Virgo petit poni vt signaculum super seruorum suorum cor & super brachium, hoc sibi velle videtur: Cùm te sub arbore crucis suscitauerim in seruum charissimum, teque ibi summis doloribus pepererim, vt filiali amore seruires; signaculum aliud habeas nolim præter me ipsam, matrem ac Dominam tuam; me vt signaculum serua super cor tuum, quo quidquid cogitationis aut desiderij ex illo prodierit, obsignatum prodeat huiuscemodi signaculo: eademque ratione me super brachium teneas tuum, vt quidquid operis à te per illud fuerit factum, me sit obsignatum: nam eum alium non habeas seruandum thesaurum in vitam æternam præter opera tua, iisque deperditis ipse pereas, suadeo, vt quidquid vel corde cogitaueris, vel brachiis aut lacertis operatus fueris, me tamquam tutissimo signaculo illud munias. Quamquam meliùs hæc videntur explicari, si nomen signaculi passiuè accipiamus pro ipsâ illâ imagine aut charactere, qui ceræ verbi gratiâ imprimitur, quive in litteris rebusque aliis ex imprimente sigillo perseuerans secretas eas seruat, ratas & tutas. vt sensus adhortationis sit: Si mihi seruatas velis cogitationes tuas & desideria, cor tuum mei liquescat charitate, vt in illo veluti in molli cerâ me habeas impressam; idemque facito & super brachium operationum tuarum, vt quidquid operatus fueris, imagine meâ & similitudine virtutum mearum insigniatur. Demum verbis hisce allusio fit ad binas veterum, quæ multis in partibus etiamnum durant, consuetudines; id quod maximè ad Sodalitatis nostræ Institutum spectat. Prima est, quâ serui ferro candenti notis quibusdam signari solent; vt ex iis noscerentur, tum quòd serui & mancipia essent; tum etiam cuius essent. Altera, quâ gentes quædam eorum quos diligunt notas & signa quædam igne sibi imprimunt, vel super cor, vel super brachia, quo ipsos licet absentes quoquo modo habeant præsentes, nullaque illos ex eorum corde deleat obliuio; qui mos etiamnum apud Mauras Saracenasque feminas est frequentissimus. Vult ergo mater & Domina nostra, cùm seruitutem ei seruiamus non coactam timore, sed amoris plenissimam, vt hanc amantium & seruorum consuetudinem obseruemus: vt scilicet characteribus ipsius signemur in brachio & in corde, vt constet cui dilectio nostra seruiat: non quidem vt hæc cauteria materialiter membris nostris inuramus; sed vt ita firmiter imaginem & formam viuendi, quam nobis dedit Domina nostra, cordi imprimamus, vt cogitationes omnes & desideria, quæ in corde tamquam in matrice formantur, referant illam imaginem quam cordi habemus impressam: ita circumponamus eam brachijs, vt nullum eorum opus lucem publicam videat, quin simul appareat ad cuius imitationem imaginis sit efformatum: vt hic veri Deiparæ serui simili quadam ratione, quâ Apostolus, dicere possimus: *De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini* IESV *in corpore meo porto.* Audio magni Apostoli

Daniel. 6. v. 16. & 17.

& ita Virgo suo amore & deuotione signari vult opera nostra.

vel ipsa imago quæ sigillo exprimitur;

& ita cordi nostro, vt ceræ vult imprimi.

vel est cauterium seruitutis vel amoris;

& ita vult actiones nostras sui imitatione signari.

Galat. 6. v. 17.

Imò etiam de externis mancipatus signis potest intelligi:

stoli vocem: & quidni liceat illa, postea quam spirituale signaculum, quo super cor & brachium signanda sunt B. MARIÆ Virginis mancipia, explicuimus, ad materialia seruitutis eius insignia conuertere? Fateor quidem nobilius signum esse mancipatus nostri, si cordi impressa sit illa castitas & humilitas, quæ Deum è regalibus sedibus suis in terram detraxit; si brachio circumligata sit illa modestia & morum compositio, quæ illam ex actionibus singulis mundo reddebat admirabilem & venerabilem; tamen iam verbis Apostoli denuntio: *De cetero nemo mihi molestus sit:* nemo vel pio zelo, qui tamen non omnino est secundùm scientiam, vel malo in Virginem affectu, nobis contradicat, quòd signa externa, catenas, compedes, laminas, boias, publica mancipatus nostri indicia gestanda mancipijs distribuimus: stigmata enim & cauteria Dominæ nostræ portamus, serui eius stigmatici, litterati, inusti sumus: (tot enim antiqui nominibus seruos suos appellabant, quos ad ignominiam inscriptione frontis notauerant:) volumus enim ita ipsi asseri, vt iam fugere, licet velimus, non possimus; vt scilicet publicum de seruitio nostro testimonium contra nos dicant, si quando (quod pia Domina auertat) eius mancipatum deserere vellemus, quotquot nos viderunt eius compedibus insignitos. Atque in hunc pæne sensum Apostoli ego verba intelligo. Molesti enim ipsi erant legis zelatores, qui Moysaicas obseruantias cupiebant CHRISTI suaui iugo admisceri, contendebantque ita faciendum ipsiusmet Pauli exemplo, qui per varias occasiones sese legis obseruatorem probauerat. Concludit ergo suam ad Galatas Epistolam hisce verbis: *De cetero nemo mihi molestus sit:* nemo de me spargat apud vulgus, quòd legem Moysaicam defendam, ac Moysis me discipulum ac seruum profitear; verba sileant (parum est enim maledicos istos verbis conuincere) opera loquantur: *Ego enim stigmata Domini* IESV *in corpore meo porto:* ipsa illa quæ in corpore passus, publi-

vt stigmata Apostoli signa externa erant quòd serui ret CHRISTO,

cum dicent de me testimonium cui seruiam: pro quo enim sum ego carceres passus? pro quo compedes & catenæ corpus onerarunt? pro quo alapas in faciem recepi? pro quo flagella toties membra dilacerauerunt, vt etiamnum vibices inhæreant corpori? pro quo ego mundo crucifixus sum, & mihi mundus? Si Moysis causâ hæc tolero, si eius signaculum & cauterium gero, eius sine dubio sum seruus, eius legi obtempero: si verò hæc stigmata sint Domini mei IESV CHRISTI, quid mihi molesti sunt Moysen obijciendo, cùm CHRISTVM toto corde profitear, cùm tot signis & stigmatibus inscriptum sit corpori meo, quòd non alteri seruiam quàm Domino meo IESV CHRISTO? Nota verò, quàm gloriosè dicat, *Stigmata porto:* non tantùm ea habeo, aut recepi; sed porto ad ostentationem, omnibus ea ostento: non erubesco Euangelium nec Dominum meum crucifixum; sed stigmata eius, vulnera quæ pro ipso recepi, signacula & cauteria seruitutis ipsius, ad pompam circumfero, exultans & glorians me Domini istius esse seruum, & tot seruitutis meæ citans testes, quot homines me & in me stigmata Domini IESV CHRISTI conspexerint. Docent prætereà irrefragabiles historiæ, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM ita seruis suis delectari, vt aliquando illis non ad ignominiam, sed ad fauorem singularem imprimat externa passionis suæ insignia, quemadmodum *nouo & stupendo miraculo retroactis sæculis non concesso* (verba S. Bonauenturæ sunt) seruo isti suo fideli S. Francisco concessit, notans eum in manibus, pedibus & latere, manifestis quinque vulnerum suorum notis. Admirabiliori deinde ratione S. Claræ de Monte Falco, Ordinis S. P. N. Augustini Moniali sanctissimæ concessit, vt cordi eius imprimerentur omnia passionis insignia; quæ singulari pietate hodieque ab infinitis peregrinis visuntur. Rem orbi vniuerso stupendam breuiter verbis Cornelij Curtij, Ordinis nostri historiographi, narrabo, cùm eius pio zelo & docto calamo

quæ omnibus ostentabat.

Et multi signati fuerunt stigmatibus passionis Dominicæ,

præsertim Religiosi S. Augustini.

calamo plurimæ Vitæ Sanctorum Ordinis nostri, qui nescio quâ temporum iniuriâ, vel hominum incuriâ, vix noscebantur, eruantur è tenebris in lucem, styli elegantiâ & veritatis simplicitate conspicuæ. is ergo in Vitâ S. Claræ de Monte Falco num. 31. postquam narrauit, quomodo cor ipsius mortuæ sorores non sine diuino instinctu diuisissent, subdit: *Et ecce, ô rem inauditam! parent omnia in eo passionis sacra instrumenta (quod dictu quoque mirum) illæsa, & à sectione istâ prorsus intacta: in dexterâ cordis parte* IESV CHRISTI *cruci affixi, & vulneribus liuidis signati figura videbatur. Pendebant ibidem ex tribus neruiculis quasi filis tres clauiculi duri, acuti, nigri; quorum duo breuiores ex breuiori filo, longior tertius ex longiori filo, vinciebantur. Iuxtim erat alius neruiculus, cui cuspis ferruginea, dura & acuminata, qui lanceam; & circulus tortuosus, hirsutus, aculeatus, qui coronam spineam referebat: denique neruiculorum quædam multa rubea, informis congeries, quam spongiam interpretabantur. In sinistrâ iacebat sindon aliquammultis guttulis sanguinolenta; & flagellum ex quinque neruiculis nodosis; & manica carnea, ligno non absimilis; item funiculi tabo atri; & propter ista neruiculus alius rectus, funiculis quasi circumseptus, qui columnam significabat. Porrò simulacra hæc omnia, tametsi carnea essent, colorem tamen habebant & duritiem eorum quæ repræsentabant*. Imò cordis vulnerati signaculum videtur Dominus noster singulare priuilegium dedisse illius sanctissimi Doctoris asseclis, qui cor habuit tam singulari amoris igne inflammatum: & cuius mater, vt contendit Didacus Lopez de Andrada noster Tract. de S. Monicâ cap. 21. prima fuit in Ecclesiâ Dei, quæ accepit super cor reale passionis & Crucis Dominicæ signaculum. Nam S. Hugolini de Mantua cùm septuaginta à primâ sepelitione annis corpus translaturi exhumarent, inuenerunt vestibus & corpore incorruptis in pectoris latere vulnus apertum, recentem stillans sanguinem, & lilium ex carne, in testimonium admirabilis eius puritatis. Rursus in alterius sanctissimæ Augustinianæ familiæ alumno, cui Cherubino de Auelania nomen, inuentum est vulnus apertum in latere, quod omni vitâ occultauerat. Et nuper Valentiæ eiusdem Ordinis nostri Religiosi Melchioris de Arazil latus apertum est vi: sum ingenti plagâ, quod ei cælestis Cherubim diuino amoris telo in vitâ aperuerat; celauerat tamen id toto vitæ decursu Sanctus, nudi illud cooperiens cilicio. Et ne longior sim; en frontem seruilem in morem, eodem passionis cauterio signatam in nostro Ordine: nam de B. Ritâ de Cassia narrat suprà citatus Cornelius Curtius in eius Vitâ, num. 8. quòd sacro die Parasceues ecstasi quasi violentè extra se rapta, summè desiderauit communicare de grandibus illis Saluatoris nostri tormentis. Secreto itaque cellulæ suæ se includit, abijcit ad pedes crucifixi (qui etiamnum in Cœnobij oratorio asseruatur) & inundata spisso lacrymarum imbre, supplicat pro sacratum pœnarum quantulacumque participatione. neque frustrà fuit tam ardens amantis viduæ desiderium. E vestigio (mirum creditu!) fulgurauit spinea CHRISTI corona, eiaculans radium ita acutum in frontem sanctæ mulieris, vt plaga nullo vmquam tempore sanabilis vestigium reliquerit in ipso etiam cadauere. Atque hæc non alio fine allata sunto, quàm vt pateat non ingrata esse Deo externa seruitutis ista corpori impressa signacula; quandoquidem singularis beneficij loco ea ipse Sanctis imprimenda curarit. Si ergo non eò feruoris perueniant B. MARIÆ Virginis mancipia, vt ipsi Dominæ suæ sacratissimum nomen vel imaginem cordi aut brachio suo inurant; quid vetabit ea saltem externa quædam assumere seruitutis & mancipatus sui indicia, quibus mundo vniuerso testentur, cui proposuerint ad extremum vitæ spiritum fideliter inseruire? præsertim cùm videamus etiam in profanis amoribus eum obtinuisse morem, vt signa quædam gestent amasij, quibus ignem suum, satis diaboli sugge-

Vnde consistitur, benè signa mancipatus gestaris

ſtionibus ventilatum, quotidie magis ſuccendant. Et veterem illum morem fuiſſe teſtatur Clemens Alexandrinus, & ſimul iam olim requiſitam fuiſſe à Chriſtianis eiuſdem in re ſacrâ imitationem, indicat lib.3. Pædag.c.11. *Sunt nobis*, inquit, *ſignacula, columba, vel piſcis, vel nauis, quæ celeri curſu à vento feratur, vel lyra muſica, vel anchora nautica; & ſi ſit piſcans aliquis, meminerit Apoſtoli, & puerorum, qui ex aquâ extrahuntur. Neque enim idolorum ſunt imprimendæ facies, quibus vel ſolùm attendere prohibitum eſt; ſed nec enſis nec arcus ijs qui pacem perſequuntur, nec pocula ijs qui ſunt moderati & temperantes. Multi autem libidinoſi nudatos habent eos quos amant, vel amicas, vt ne, ſi velint quidem, poßint affectionis amoris obliuiſci, quòd libido & intemperantia eis perpetuò in mentem reuocetur.* Non diſputo, quare iſta columbæ, piſcis, nauis, &c. ſigna requirat: tantùm morem noto, & iſtam in more admirabilem vim, quâ de amatoribus ait: *Vt ne, ſi velint quidem, poßint affectionis amoris obliuiſci.* Si tantum valeat in profanis imago & figura eius qui amatur; an non tantum valebit in pectore mancipij B. MARIÆ Virginis nomen eius aut imago in compedibus & catenis deſcripta, vt memor reddatur cuius Dominæ ſit ſeruus, cuinam heræ & matri cor, cogitationes, actiones, vitam denique vniuerſam conſecrarit? Miram imaginibus vim tribuunt quidam apud Lipomanum in Catenâ, ad excitandam diuinorum memoriam, & erga ea pietatem: eius namque quod Scriptura Geneſ.4. v.26. de Enos affirmat, *Ipſe cæpit inuocare nomen Domini*, interpretationem ab hac imaginum vi deſumunt. Cùm enim veriſimile non ſit, Adamum non inuocaſſe Deum, quando *eduxit illum à delicto ſuo*, Sap.10.v.2. Abel ſiluiſſe, quando tam feliciter ad fratris inuidiam litabat: Seth virum adeò ſanctum, adeò ſingulari Dei munere datum parentibus, numquam labia ſua aperuiſſe, vt inuocaret Creatorem ſuum: tot alios, qui piè obierunt, antequam Enos naſceretur, oblitos fuiſſe Dei; cùm Propheta dicat: *Et erit; omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit*, Ioël 2. v.32. cùm inquam incredibilis ſit tantus in Patriarchis ceteris ſtupor, ita explicant quòd Enos cœperit inuocare nomen Domini: Enos, inquiunt, videns corruptos ſæculi ſui mores ruere quotidie in peius, vt fræno aliquo ſiſteret impetum multitudinis, *primus inuenit imagines quaſdam, per quas orationum deuotio excitaretur.* quo medio eos tam potenter auocauit à vitijs, & ad Deum reuocauit, vt de eo tamquam de pietatis tam inſolitæ auctore dictum ſit: *Ipſe cæpit inuocare nomen Domini.* hoc eſt, ipſe per imagines ſuas auctor fuit frequentis iſtius & ſolemnis inuocationis, quæ fiebat à populo. Tantum valebat apud rudem iſtam ætatem imaginum vſurpatio; quid non poterit apud cultiſſima Deiparæ mancipia, ſemper habere ante oculos Dominæ ſuæ dilectiſſimæ imaginem; maximè ſi, quod priùs curandum eſt, ita eam cordi ſuo impreſſerint, vt, quod in profanis notat Clemens, ad minimum eius ſignum exteriùs ſtatim amoris flamma excitetur; itaque fiat, quamdiu quidem ſigna illa externa verſantur ante oculos, *vt, ne ſi velint quidem, poßint affectionis amoris obliuiſci?* Quæ verba ſufficiunt ijs qui vel extremis tantùm labijs deguſtarunt, quid ſit B. MARIAM Virginem diligere, vt ſollicitè ſigna ſeruitutis eius circumferant: nullum enim tanti facient ornamentum, atque id quod ita Dominæ ſuæ refricat memoriam, vt ne quidem, ſi velint, poſſint amoris eius obliuiſci.

Vt ſemper innouetur Dominæ amantiſſimæ memoria.

CAPVT XXIX.

Ignominia compedum & catenarum per Virginis mancipatum vertitur in gloriam.

QVAMQVAM alia ſigna externa Mancipiis non tribuant Sodalitatis leges, quàm compedes, catenulas, ſimiliaque, quæ ſine vllo corporis incommodo aut membri alicuius deformatione

matione seruitutem nostram testantur: sunt tamen qui ab iis aliquâ ratione abhorreant, quòd ignominiæ & captiuitatis signa assumpserimus. Quibus primò ostendam, licet frontis cauterizatio in testimonium seruitutis nostræ præscriberetur; non tamen idcircò mancipatum hunc esse subterfugiendum: tum particulariter quas contra ea quæ præscribuntur difficultates obiiciunt, refutabo. In primis ergo fateor, *frontis inscriptionem*, sic enim vocabant illud supplicium, quo seruis notas quasdam inurebant vt ab omnibus agnoscerentur, legereturque statim in ipsâ fronte cuiusnam addicti essent mancipatui, fuisse ignominiæ & dedecoris plenissimam: atque ideò Caius Caligula Imperator, teste Suetonio, hoc morte ipsâ peius supplicium Senatorum nonnullis inflixit: & Philippus ingratitudinem cuiusdam militis eodem plectebat, vt innotescente omnibus crimine, tam sceleratum quàm scelus ceteri declinarent. Imò res hæc tanti erat dedecoris, vt piissimus Imperator Constantinus legem tulerit, ne facies humana deinceps inscriberetur, l. Si quis. 17. C. de pœnis. *Quò facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis cælestis est figurata, minimè maculetur.* vt non nisi in barbaris tyrannorum moribus perseuerarit illud supplicij genus, qui Christianorum frontibus crucis signaculum inurebant, quæ res illis cedebat in gloriosissimam fidei confessionem: versâ enim in gloriam crucis ignominiâ, nihil dedecoris habere poterat crucis signaculum. Quam rem mirabiliter doctus fuit à sancto Rocho ex Purpuratorum ordine quidam, qui lue per ciuitatem Romanam grassante, & omnia latè inflammante, supplex huic Diuo publicæ in malis istis hominum tutelæ facto, vt à communi eriperetur incendio, signatus est à sancto Rocho crucis signaculo in fronte: quod adeò constans in eâ reliquit sui vestigium, atque si cadente ferro ei inscriptum fuisset. quæ res cùm eius apud quosdam collegas suos æstimationem imminueret, sensit nimirum istam

Inscriptio frontis erat ignominiosa:

Idcò à Constantino prohibita.

Crucis inscriptio gloriosa:

vir animi non satis constantis iniuriam, atque iterùm S. Rochum supplex rogauit, vti signum istud sibi auferret. cui ille: Et quisnam mortalium est, qui Regis sui ac Domini insignia detrectauit? ô rebus terrenis tantò magis addicte, quò altiùs supra earum fastigium es eleuatus; si minùs terrena saperes, intelligeres quantæ gloriæ sit istud Domini nostri IESV CHRISTI fronti impressum trophæum: quo, vt Tractatu 38. in Ioannem ait S. Augustinus, *Nihil erat tunc in carne intolerabilius, nihil nunc in fronte gloriosius.* Eâdem obiurgatione non leuiter mihi perstringendi videntur, qui omnis illius quod crucis sapit ignominiam impatientes, nondum mentis aciem eò eleuarunt, vt perspicere possint eius gloriam: quare non stigmata tantùm & inusta membris nostris cauteria reformidant; sed etiam catenulas & compedes & similia piæ seruitutis gloriosa indicia abominantur. Quis enim seruus Dominæ ac Reginæ suæ dedignatus est insignia? quis vmquam gloriosum putauit alicui seruire, cuius seruitutis ignominiosa foret professio? Si ergo, vt satis constabit ex iis quæ Lib. 3. disputabimus, nihil nobis obtingere possit gloriosius, quàm adscribi in B. MARIÆ Virginis familiam, eique humillimo famulatus genere inseruire; iisdem rationibus confirmatum habebimus, gloriosam esse mancipatus eiusdem ostentationem. Mitto iam stigmata, quæ non requirimus; ad catenas & compedes, quæ seruitutis indicia Mancipiis gestanda præscribuntur, stylum verto. Atque in primis, quotiescumque oculos in congregationem Mancipiorum coniicio, quorum singula sunt seruitutis & amoris catenis constricta; ingredi mihi Sancta sanctorum, antiquis istis multò sanctiora, videor: cuius imaginationis occasionem mihi aliquam suppeditauit Psalmista Regius, dum 72. Psalm. ait: *Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* & causam addit: *Quia non est respectus morti eorum.* Hebræa originalia dicunt: *Quia non sunt vincula in morte eorum.* videbat

ergo etiam gestatio signorum mancipatus

per quæ congregatio Mancipiorum similis fit Sancta sanctorum:

bat Propheta in vitâ iustos catenis & compedibus onustos, seruitutis & miseriarum gestare insignia; peccatores contrà, liberos ac dissolutos, erectâ ceruice vagari, nullius seruitutis iugo depressos: exspectabat vitæ finem, existimans transferendas iustorum catenas in ceruices peccatorum: exspectauit, morientes vidit, & vidit in puncto ad inferna descendentes; hoc est, ne quidem iis morborum catenis impeditos, quas mors solet ante extremum vitæ supplicium hominibus iniicere; & *zelaui*, inquit, inuidiâque nescio quâ commotus fui, quòd ne quidem in morte eorum vincula reperirentur: *existimabam*, id est versabam omnem in partem intellectum, *vt cognoscerem hoc*, & quid? *labor est ante me*; nec labor exiguus: tantus enim fuit, vt pænè dimoueretur à viâ iustâ vir secundùm Dei cor, ipsomet testante: *Mei autem pænè moti sunt pedes*. Quamdiu verò durabit hic labor? *Donec intrem*, inquit, *in Sanctuarium Dei*. alia lectio dicit: *Donec intrem in Sancta sanctorum*. Non ignoramus vulgatam Sanctuarij explicationem, quæ hoc loco intelligitur; sed vide, quid hæc lectio suggesserit, catenas ac Virginis Deiparæ mancipia conspicienti. Si materialiter capiamus Sancta sanctorum, sine dubio aliquid ibi reperiemus, quod Dauidem labore isto, quo tam vehementer exercitabatur spiritus eius, leuabat: videbat enim omnia, quæ ibi præcipuo quodam decore fulgebant, catenis vincta; idque verbis tam expressis à Scripturâ designari, vt non dubitaret quin mysterium catenis absconditum innecteretur: si enim columnas illas fortitudinis & firmitatis, quarum vna *Iachin*, & altera *Booz* dicebatur, adspiceret, videbat capitibus earum catenas superimpositas: *Et superposui eas* (catenulas) *capitibus columnarum*. si verteret oculos ad parietes, sculptæ in iis occurrebant palmæ: *Sculpsitq; in eâ palmas*. & statim additur: *Quasi catenulas se inuicem complectentes*. Si promoueret gradum & lumina, occurrebat mensa, in quâ panes propositionis, his verbis præscripta

vbi omnia ligata catenis:

2. Paralip. cap. 3.

vt fieret: *Facies in eâ mensam de lignis setim, faciésque illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam interrasilem*. Silen Rabbi 61. Psalmo legebat: *Faciésque illi catenam per circuitum*. posteà: *Malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit*. Quid autem Psalmista noster hic aliud habebat animo suo, contra insurgentium opinionum conflictus muniendo, nisi quòd clarè videbat, ornamenti genus esse catenas, quo Deus eos cohonestari volebat, qui sibi in isto æternæ felicitatis Sanctuario futuri erant propinquiores, & quasi in Sancto sanctorum reponendi? Nos autem, an non possumus ex eâdem istâ contemplatione liquidò colligere, eos, qui Sancta sanctorum, id est familiam B. MARIÆ Virginis, quâ locus nullus in terris est sanctior (in eâ enim Deus tamquam propitiatorio resedit) intrare cupiunt, catenis ornari debere? Ne autem quis obstare putet vel personæ dignitatem, quia summæ honestatis demonstrauimus esse B. MARIÆ Virginis mancipium; vel amoris excellentiam, quo flagrare Mancipia nostra desideramus, leget: *Rationale quoque iudicij facies opere polymito iuxta texturam superhumeralis, ex auro, hyacintho, & purpurâ, coccoq; bis tincto, & bysso retortâ*: * *facies in Rationali catenas sibi inuicem cohærentes ex auro purissimo*: * *& stringatur Rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vittâ hyacinthinâ*: * *pones autem in Rationali iudicij Doctrinam & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino*. Quæ dignior persona in totâ Lege, aut venerabilior Aarone, aut summis Pontificibus eius successoribus, maximè quando omni istâ sacerdotalis ornamenti pompâ ad maiestatem ornatus prodibat, oracula vel populo editurus, vel Deum rogaturus? erant tum in præcipuo eius ornamento Rationali illo, in quo ipsa Doctrina & Veritas, catenæ: *Facies in Rationali catenas*. nullum expressiùs commendatur, tamquam si nullum esset necessarium magis summi Sacerdotis & Rationalis ornamen-

Exod. 25. v. 23. 24. & 25.

ipse etiam summus Sacerdos portans Rationale:

Exod. 28. v. 15.
* v. 22.
* v. 28.
* v. 30.

namentum. Nec longè petita est seruorum B. MARIÆ Virginis cum Sacerdote comparatio. Audi Siracidem Eccli. 4. vers. 15. *Qui seruiunt ei, obsequentes erunt sancto.* Græca habent λειτουργήσουσιν ἁγίῳ. id est, ministerium sacrum seruient Sanctuario, vel Sancto sanctorum: hoc enim ἅγιοι significat, quando sine articulo ponitur. Facit ergo Scriptura omnes Sapientiæ seruos, & consequenter omnia B. MARIÆ Virginis, ex quâ Sapientia æterna nata est, mancipia ministros esse Sanctuarij, & auctoritate suâ quasi confirmat hanc nostram de Sanctuario meditationem; in quo omnia, & maximè summus eius minister, catenis exornatur, gratissimo & pulcherrimo seruitutis nostræ ornamento. Præcipuum enim Sacerdotis ornamentum erat Rationale; locus autem sanctissimus erant duo Cherubim, sustinentes propitiatorium. *Fecit etiam Cherubim duos opere statuario.* Non excuset se amor quòd catenis non egeat, quòd nobilior videri possit quàm qui stringi aut cogi debeat, quando Cherubim ipsa inter catenas videt. Sumant ergo, & vinciant se voluntariis catenis mancipia MARIÆ Virginis, & externis seruitutis indiciis ita amorem suum orbi vniuerso testentur, vt posteà, etiam si velint, non possint dilectionis obliuisci. Magnum est amare, maius perseuerare in amore, maximum non posse ab eo desciscere: hæ sunt necessitatis catenæ, quas ipse sibi inicit amor, dum magnus est, quæ nullâ ratione ei bonum, quod ex libertate habebat, tollit, sed perficit. hæc est Sanctorum in cælis felicitas, hæc est seruorum B. MARIÆ Virginis in terris prærogatiua, vt catenis vincti sint honestissimæ seruitutis; quam illi nullâ ratione, hi vix vllâ possint dirumpere.

quin & ipsa Cherubim.

CAPVT XXX.

Conuenientissimè gestari à Mancipijs compedes & catenas.

NON vno notarum genere seruos olim notatos fuisse variæ docent gentium historiæ: & in primis omnium ore celebrabatur Lacedæmoniorum prouerbium, Δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις; id est, *Seruus cùm sis, comam alis?* iactatum in eos qui præter decorum quid facerent: apud Lacedæmonios enim ingenui tantùm comam alebant. De stigmatibus & signis inustis iam suprà mentionem fecimus: & etiamnum apud Indos Christiani Regum serui in facie & brachio litterâ C. candente ferro notantur, auctore Ioanne Metello; Syracusani seruis equi figuram inurebant. Sed omissis ceteris, præclarè docuerunt, quale seruitutis signum assumendum sit nobis, Athenienses & Samij: hi enim cùm mancipiis Atticis noctuam inussissent, Athenienses vicissim Samijs samænam reposuerunt: id erat nauis genus à prorâ veluti suilli rostri speciem proferens; nomen autem à Samijs acceperat, quòd ij essent ipsius inuentores: propria nempe cuique inurebant insignia, vt non suam tantùm, sed totius gentis suæ præ se ferrent ignominiam. Nos autem gementes & flentes exules filij Heuæ, si insignia nostra in signum seruitutis vertenda sint, an alia assumere poterimus quàm captiuitatis nostræ compedes, boias & catenas? Profectò nihil potentiùs mouebit Dominam, quæ eadem est mater misericordiæ, ad compatiendum nobis, quàm ostentatæ miseriæ: nihil libertatis nostræ auctricem magis flectet ad studium stabiliendæ salutis nostræ, quàm si videat antiqua captiuitatis opprobria versa esse in suæ seruitutis obsequia: nihil denique Matrem pulchræ dilectionis fortiùs inflammabit amore nostri, quàm si in nobis charitatis illa sint indicia, quæ Filio fuerunt passionis instrumenta. Serui sumus, & tot nominibus serui MARIÆ: hæc est gloria nostra, hæc dignitas, hic titulus vanis omnibus inscriptionibus præferendus: gestemus ergo, & publicè ostentemus huius nostræ conditionis signa, compedes & catenas. Serui eramus diaboli & peccati, hæc erat origo nostra, in hoc nati eramus: venit mater misericordiæ, & eripuit nos de tantis miserijs, liberauit

Quia sunt signa miseria, vnde sumus erepti.

uit nos, & ſtolam gloriæ induit nobis, reddens priorem libertatem, & offerens omni libertati præferendam ſeruitutem, vt ratione peculiari aſſertrici noſtræ mancipemur. Quid gratius ipſi, quid modeſtius, quid conuenientius faciemus, quàm ſi memores conditionis antiquæ catenas aſſumamus, quæ ſimul teſtentur & illud vnde erepti ſimus, & quò tam ſingulari Virginis priuilegio tranſlati? Auſonius ita Regis cuiuſdam modeſtiam decantat:

Ita laudatur Agathocles cœnans fictilibus:

Fictilibus cœnaſſe ferunt Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio ſæpè oneraſſe luto.
Fercula gemmatis cùm poneret aurea vaſis,
Et miſceret opes pauperiemq; ſimul;
Quærenti cauſam, reſpondit: Rex ego qui ſum
Sicaniæ, figulo ſum genitore ſatus.

Et gratiſſima ſemper orbi viſa eſt iſta ſtatus ſui antiqui memor modeſtia; iudicaruntque ſemper prudentiores, Regem iſtum vel eo monſtraſſe meliori iſtâ ſe fortunâ non indignum, quòd tam ſapienter prioris recordaretur, vt non immeritò in exemplum ab eodem Poëtâ omnibus proponatur:

Fortunam reuerenter habe, quicumque repentè
Diues ab exili progredière loco.

Non tam felicibus fortunæ auſpicijs Agathocles rotam coronâ mutauerat, quàm nos admirabilibus Mariæ fauoribus ſeruitutem in Regnum vertimus, de omnium miſeriarum barathro ad faſtigium æternæ felicitatis eleuati. Fortunam igitur, imò Mariam, quæ nobis noſtra fortuna eſt, reuerenter habeamus; ei veterum miſeriarum noſtrarum catenas oſtentemus, eas in honorem ipſius geſtemus: dumque inter cæleſtis ipſius amoris delicias accumbimus, ſemper catenæ reſonent ſeruitutis, vt grati pro beneficio, gratitudinis immolemus obſequium noſtrum, voluntarium mancipatum. Solent ij qui Turcicâ vel crudeliori quapiam ſeruitute eripiuntur, ſi quando melior illos fortuna reſpiciat, manicas & compedes argento includere, eas oſtentare inter raros domus ſuæ theſauros, vel conſpicuo aliquo in loco reponere, vt ab intrantibus domum ſtatim conſpiciantur. Et quid vetabit boias ſeruitutis noſtræ, quibus diabolus nos conſtrictos habebat, iam auro diuinæ charitatis incluſas conſpicuo corporis loco circumferre, vt ijs teſtemur erga Liberatricem noſtram obſequium? Volebat S. Babylas Antiochenus Epiſcopus & Martyr, poſt fidei confeſſionem, in vinculis vitam finiens, ſecum catenas ſuas ſepeliri, quaſi ſuæ pugnæ teſtes, & victoriæ decora. Et nos in catenis viuificati, & tracti ex carcere in vinculis charitatis, refugiemus cum catenis viuere in gloriam illius, quæ nos tam admirabiliter illis eripuit, & melioribus hiſce implicuit? Si intelligeremus Apoſtolum glorantem in vinculis & catenis, quibus propter Mariæ filium alligabatur, profectò & nos exultaremus, quòd ſaltem voluntarias haſce liceat catenas in matris gloriam induere. *Ego Paulus vinctus* Christi Iesv, inquit ille ad Epheſ. cap. 3. quæ verba aureâ ſuâ eloquentiâ ſic illuſtrat Chryſoſtomus Homil. 8. in eum locum, vt operæpretium ſit ijſdem catenas noſtras aliquatenus deaurare: *Vinctum eſſe propter* Christvm *illuſtrius eſt, quàm ſiue Apoſtolum, ſiue Doctorem, ſiue Euangeliſtam eſſe. Magna dignitas hæc & Regno quouis ac Conſulatu maior: qui diligit & ardet* Christvm, *eligit potiùs vincula ferre propter* Christvm, *quàm cælos inhabitare. Non enim caput ita ſplendidum reddit impoſita corona margaritis conſpicua, vt catena ferrea quæ propter* Christvm *fertur. Quòd ſi quis mihi vel vniuerſi cæli, vel huius catenæ copiam & optionem largitus eſſet, catenam hanc ego planè elegiſſem: ſi mihi cum Angelis, & ijs qui prope thronum Dei ſunt, ſtandum fuiſſet ſurſum, aut cum Paulo vincto; carcerem vtique præoptaſſem. Nihil hac catenâ beatius. Non ita beatum dico Paulum, quòd in paradiſum raptus, atque quòd vincula ſuſtinuit. Potius mihi habetur malè affici pro* Christo, *quàm honorari à* Christo.

& Turcicâ ſeruitute erepti catenas oſtentant.

Quanti facienda catena pro Christo *geſtata:*

O beata

O beata vincula! ô beatas manus, quas catena illa exornauit! Indulgeamus nonnihil huius Sancti affectibus, vt, quibus deinde exemplis ac miraculis hæc vincula illustrat, audiamus: *Sic Petrus*, inquit, *vinctus fuit, & ab Angelo solutus. Hîc si mihi quispiam dixisset: Elige vtrum velis, vis esse Angelus Petrum soluens, an Petrus vinctus? Petrus vtique esse maluissem. Maius hoc vinculorum donum est, quàm solem sistere, aut mundum mouere, aut dominari dæmonibus, eosq́; expellere. Commotus est carcer vincto Paulo, solutaq́; sunt omnia vincula, Act.10. Vides naturam vinculorum vincula soluentem: nam sicut mortem interemit mors Domini, ita ligatos soluerunt vincula Pauli, carceremq́; concusserunt, ac ianuas aperuerunt. Paulus ergo vinctus vinctis dominatur. Rursum Act.28. Paulus vinctus nauigabat, & naufragium soluebat, & tempestatem ligabat, & à viperâ lædi non potuit.* Magna & præclara dicuntur de vinculis istis, nescio an non eodem pæne splendore dici possint de catenis seruitutis nostræ. Nam in primis, si mancipium esse diuæ Virginis illustrius esse pronuntiauero, quàm vel Apostolum, vel Doctorem, vel Euangelistam esse; erit quidem quod mundus obstupescat; nihil tamen erit quod arguere falsitatis quispiam possit: cùm enim mancipij munere sine maximâ Dei Deiparæq́ue charitate fungi nemo possit, possit autem Apostoli, Doctoris & Euangelistæ, quis dubitabit vtrum alteri sit præferendum? Vnde facilè statuetur & illud, quòd caput non ita splendidum reddat imposita corona margaritis conspicua, vt ferrea catena quæ propter MARIAM gestatur. Æquo longius esset repetere singula. Duo obiter tantùm noto; primò quod dicit: *Potius mihi habetur malè affici pro* CHRISTO, *quàm honorari à* CHRISTO. deinde: *Vides naturam vinculorum vincula soluentem, sicut mortem interemit mors Domini.* Primò, causam indicat, cur tanto in honore hæc vincula habeamus; deinde mirabilem eorum indicat proprietatem: non enim ferrum honoramus in vinculis, sed causam; non materiam admiramur vnde conficiuntur, sed rationem laudamus propter quam circumferuntur. Cùm verò hæc in Paulo fuerit ministerium CHRISTI, in nobis sit seruitus MARIÆ, non video cur pari in causâ dispar vinculorum sit honos; aut quare, cùm ista sceptris & fascibus, prodigijs & miraculis, cælis & Angelis præferantur, hæc sint cuipiam istorum postponenda. exclamemus ergo cum eodem Chrysostomo: *O beata vincula! ô beatas manus, quas catena* mancipatus Virginei *exornauit!* præsertim cùm ea sit vinculorum istorum natura, vt vincula soluat. Quibus verbis mirè explicatur natura liberæ nostræ seruitutis: mancipia enim sumus B. MARIÆ Virginis, sed libera; serui sumus, sed ingenui; vincula gestamus, sed quorum natura est vincula soluere. *Sicut mortem interemit mors Domini.* Aptissima ad rem nostram comparatio: vt enim mors illa CHRISTI, omni vitâ nobilior & fortior, verè mors fuit; ita seruitus hæc, libertate omni illustrior, verè est seruitus: vt ille verè ligatus, vnctus, & sepultus fuit, ceteraque mortuorum officia accepit; ita nos verè compedibus & manicis adstringimur, tributa soluimus, ceteraq́ue seruorum obimus ministeria: & tamen, sicut mors illa mortem omnem superauit, & omni mortis ignominiâ caruit; ita seruitus hæc, siue mancipatus MARIÆ, omnem seruitutem exstinguit, & omnia mancipatus aufert opprobria. *O pedes* ergo nostri, sic cum S. Cypriano exclamare liceat, *feliciter vincti, qui itinere salutari ad paradisum diriguntur! O pedes ad præsens in sæculo ligati, vt sint semper in cælis apud Deum liberi! Memores estote vinculorum meorum*, scribit ad Colossenses Apostolus; quod ita moribus aptat Chrysostomus: *Deliciarum concupiscentiâ prehenderis? recordare carceris Pauli; discipulus es illius & commilito: quam rationem habet, commilitonem quidem tuum in vinculis esse, te verò in delicijs? In afflictionibus es? putas te esse derelictum? audi sermones Pauli, & vide quomodo*

quanti item quæ sunt indicia mancipatus.

Epist.71. ad Nemesium de vinculis Martyrum.

Cap. 4. v.18.

Sunt virtutis occasio.

modo in afflictionibus esse non sit dereli-ctionis indicium. Velles sericis indui? me-mor esto vinculorum Pauli, & vide-buntur tibi serica indumenta quibusuis faeculentis panniculis abiectiora esse. Vel-les aureis indumentis amiciri? recordare vinculorum Pauli, & ostendent tibi, ni-hil illa caeno protrito melius habere. Vis ornari capillis, formosaq; videri? consi-dera squallorem Pauli in carcere, & accenderis circa illam pulchritudinem, hancq; extremam deformitatem esse pu-tabis; atque amarè ingemisces, desiderio illorum vinculorum correpta. & sequen-tia, quibus Orator ille eximius praeclarè nobis viam ostendit, quomodò ex vin-culorum nostrorum gestatione haurire debeamus vtilitatem. Si enim absentia Pauli vincula tam multiplicem nobis praebeant virtutis segetem, quid fa-cient nostrae hae mancipatus catenae, quas ipsi induimus, ipsi ante oculos quotidie habemus, & omnibus visen-das ostendimus? Cap. 6. Deuter. v. 6. de Lege dicitur: *Erunt verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo: & nar-rabis haec filijs tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tuâ, & ambulans in iti-nere, dormiens atque consurgens; & li-gabis ea quasi signum in manu tuâ, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos, scribesq; ea in limine & ostijs domus tuae.* Ita frequentem Legis suae commenda-bat meditationem Dominus: nos eam obseruantes, vti spero per Dei gratiam, à iuuentute nostrâ, insuper mancipa-tum hunc B. MARIAE Virginis volun-tariè assumpsimus: onus quidem ali-quod mandatis additum, sed quale curribus rotae, volucribus alae, nauibus vela. Vt igitur diligentius ea, quae Do-mina nostra requirit, obseruemus, fre-quentiùs eadem sunt meditanda: fa-cient autem catenae istae, ne recedant vmquam ab oculis, ne auferantur à corde mandata Dominae, vt ambulent, vt dormiant, atque consurgant nobis-cum, scripta in manu sint, & ligata ante oculos: numquam enim poterimus ser-uitutis nostrae obliuisci, qui semper nos ipsos mancipatus catenis videbimus astrictos, tum ad Regulas Sodalitatis obseruandas, tum ad reliqua Christia-ni hominis officia maximo incremen-to. Etenim si ambitio intentis ad mun-di vanitatem circumstrepat auribus, le-uissimâ catenularum istarum concus-sione ei silentium indicet; qui cogita-uerit MARIANAE familiae adscriptum mancipium non posse alienâ in domo quidquam praetendere, praesertim cùm plus iam honoris & dignitatis tantae Dominae seruiendo acceperit, quàm possit alibi ambitiose imperitando spe-rare. Si femineâ leuitate ad vestium splendorem adhaerescit animus; pon-dere istarum compedum subsidet, si ex-penderit regendo seruili corpori abun-dè esse, quod ex Herae desiderio neces-sitati atque honestati sufficit. Superbè autem nemini sese anteponet, quem circumsonantes semper catenae admo-nebunt mancipiorum se vltrò locum delegisse. Neque cupidè nimis opibus congregandis inhiabit, quem quotidie eaedem catenae admonebunt eius se Dominae ingressum familiam, quae *fa-cta est quasi nauis institoris, de longè portans panem*, vt det *cibaria ancillis suis*, & cuius omnes domestici vestiti duplicibus. Iam verò qui vinctos habet pedes & manus, ei neque pugnas inire licet, neque expedit inimicitias susci-pere. Acediae denique vel luxuriae non potest locus esse apud eum, qui scri-ptum habet in manibus & pedibus stylo catenarum ferreo, ad hoc se tradi-tum esse mancipatui, vt operetur. Ar-mamentarium ergò sunt catenae istae, vnde tela desumant mancipia ad om-nem ingruentium peccatorum impe-tum retundendum: impositae sunt ca-tenae capitibus columnarum fortitudi-nis & firmitatis, vt possint stare man-cipia aduersus nequitias diaboli: palmae quasi catenulae se inuicem complectun-tur, vt intelligant inde eis conficiendas coronas vnde obtinuerunt victorias; hinc etiam malogranata centum cate-nulis interposuit, vt videamus ibi cate-nas esse, vbi inueniemus coronas: men-sa panum propositionis circumdata catenis, quòd mancipia non debeant nimiùm esse sollicita quid comedant

& praesidium contra vitia.

Prou. 31. v. 14.

aut

aut bibant: eisdem enim catenis, quibus ipsi mancipatui B. MARIÆ Virginis astringuntur, panum mensa circumdatur, vt sciant necessaria illis non defutura, quamdiu in pio hoc famulatu perseuerauerint. Rationale etiam, in quo Doctrina & Veritas, catenas habet, quòd mancipatus hic doceat obseruare mandata Domini, quæ sapientum omnium sunt disciplina & veritas, quæ ducit ad vitam. Cherubim denique ligata catenis, vt doceamur, ipsam amoris pharetram hisce collo nostro circumligari, vnde ignita depromantur amoris iacula, quæ penetrent cor Matris & Filij; Matris pulchræ dilectionis, & Filij qui speciosus est formâ & amabilis præ filiis hominum. Concludamus ergo ex totâ hac de catenis disputatione, non reijcienda nobis illa seruitutis nostræ indicia, vnde tam multiplicia ad animum proueniunt commoda; exosculemurque catenas, quæ nobis erunt non tam seruitutis indicia, quàm veræ argumenta libertatis. Neque pudeat seruos & mancipia B. MARIÆ Virginis signis quibusdam ab alijs distingui in terris, cùm non improbabile sit, eamdem distinctionem seruandam in cælis. In quam sententiam priscam, piam & eruditam, quemdam Doctorem citat P. Cornelius à Lapide in Prouerbia cap. 31. adfertque hæc eius verba: *Sicut serui Regis & Reginæ in curiâ regiâ certis vestibus & insignibus deaurati procedunt, per quæ agnoscuntur esse serui Regis vel Reginæ, ac speciali purpurâ vestitu ambulant: ita in curiâ cælesti serui beatæ Virginis speciali ornatu & gloriâ, quâ præ alijs discernuntur quòd sint serui* MARIÆ, *fulgebunt, iuxtà illud Prouerb. vlt. Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.* eâ tamen, vt ego existimo, lege, vt qui Virginem erubescet & eius seruitutem, hunc & ipsa erubescat in Regno suo.

M. FR. BARTHOLOMÆI DE LOS RIOS
DE
HIERARCHIA
MARIANA
LIBER TERTIVS.

PROOEMIVM.

Propositum huius Libri,

QVANTA sit, ac quibus titulis Domina Virgo MARIA illustrata; tum qualis à nobis ei debeatur seruitus, & quomodo publica eius professio instituta sit in Hispaniâ, delata in Belgium, propagata per orbem vniuersum, hactenus declaratum est: restat, vt, priusquam vel Regulas eam profitentibus præscriptas explicemus, vel proponamus pietatis opera quæ solent à Sodalibus obiri, rationes eas adferamus, quæ suadere possint, subeundum esse sub Heræ tam potentis imperio mancipatum. cui rei tertio hoc Libro, mancipij conatum adiuuante, vt spero, Deiparâ, insudabo; quamquam vix suasione hac opus, tum quòd omnia quæ Libro primo de Hierarchico Virginis imperio attulimus, necessariam conuincant eiusmodi seruitutem, quo nullum compendiosius est aut fortius ad suasionem iter; tum quòd tot Regum & Principum, tot vrbium atque Regnorum, tot nationum ac populorum Mancipatum hunc profitentium exempla, quæ Libro secundo dedimus, etiam necessitati stolidè obluctaturos rapere possint quasi impetu quodam ferentis vndæ, ad nobile illud præcipitium, vnde ex nihileitatis suæ abysso, pænè infinitam Dei genitricis sublimitatem ancillantibus omnibus animi facultatibus iugiter inclament. Quia tamen non diuturni officij magister est metus, nec vllus fidelem seruiat eâ in domo famulatum, quam non sponte suâ elegit seruiturus: postremò, quòd ea demum sit mentis humanæ peruersitas, vt eo ipso quo facere quid cogitur, aut prohibetur, in vetitum ruat, & ab eo quod imperatum est abhorreat; satius esse duxi, efficacibus argumentis ducere mortales ad hunc Mancipatum, quàm durâ necessitatis lege cogere, ne contingat Dominæ nostræ habere quot seruos, tot hostes. Vt igitur simplicissimè suasionem hanc instituam, & clarissimè, hoc tantùm affirmabo, omnem rationem boni in hominem ex hoc Mancipatu redundare, vt verè plaudere sibi possit quisquis eum profitetur: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum eo.* Omnia dico, non solùm quòd genus nullum sit bonorum, vnde non aliqua, sed quòd singulorum generum bona omnia præstet hic Virginis mancipatus. Patebit hoc luce clariùs, si priùs satis obscuram de partitione boni disputationem elucidemus. In genere ergo, bonum, de quo hîc agimus, dicitur, quod

quos hactenus necessitatis & potentium exemplorum vi traximus,

nunc suauibus argumentis ducere ad mancipatum:

adfert enim ipse omne bonum:

Sap. 7, 11.

quod diuiditur secundum animi facultates in

quod omnia appetunt, siue, quod rei cuique secundùm se est conueniens: vnde factum, vt cùm animi humani tres sint, siue partes eas, siue vires facultatésve nominari velimus, singulisq; diuersa conueniant, nos boni rationem in tot etiam species distinxerimus, sic vt dicamus bonum vtile, quidquid vitæ tuendæ aut instruendæ inseruit. Et primæ quidem parti vegetabili dictę, atque alendo curandoque corpori intentæ, nobisque non cum animantibus modò, sed etiam cum stirpibus communi, quæcumque conueniunt, vtilia vocamus: sic enim appellamus ea bona, quæ ad vitam & alendam & defendendam valent. Altera verò pars corporum varias species, coloresque atque sapores percipiens, quæque sentiens nuncupatur, quibus capitur, ea boni delectabilis nomine censentur; estque hæc etiam nobis cum animantibus communis: mouentur namque istæ, perinde ac nos, dulcedinis sensu, voluptatisque sunt auidæ. Restat tertia hominis facultas, siue pars, rationis intelligentiæque particeps; veri vna cultrix atque amatrix: quæ, vt hominum propria, & præstantior atque excellentior ceteris, ita capitur & alitur præstantissimo atque excellentissimo bono. id autem est bonum intelligibile, quod contemplationi propositum veritas est; ad regendas actiones translatum, appellatur honestum: quod nihil est aliud, quàm ad veritatis præscriptum moderata actio: cuius tantus est splendor boni, tamque plena dignitatis species, nihil vt eâ sit neque pulchrius neque admirabilius. Vt autem aptiùs hæc Mancipatui nostro deinde accommodemus, & semel intelligamus accuratam horum bonorum distinctionem, illud præterea obseruandum, singulis hisce animi facultatibus quasi instrumentum duplex esse additum, quo vel bonum suum appetant, vel malum à se repellant. Duplex enim est animi motus; quorum hic fugâ, ille accessu constat; quibus vnaquæque istarum facultatum vel conuenientia sibi colligit, vel noxia reiicit.

[margin: vtile, quod vegetabili, — iucundum, quod animali, — honestum, quod rationali conuenit: — quod quæque facultas apprehendit sibi connaturalium instrumenta.]

Vocantur autem hi motus in vegetabili contractio & dilatatio, in sentiente cupiditas & odium, in mente ac ratione voluntas, &, si ita contrarium voluntati motum vocare liceat, inuoluntas. Quibus probè intellectis, iam patet, quam forte sit ad persuadendum argumentum, dicere, Mancipatum hunc omnia bonorum genera continere: perinde enim est, atque si diceretur, nullum esse malum vel malorum periculum, quod non arceat; nullum vitæ commodum vel ornamentum, quod non adducat; nihil esse sensibus ingratum aut asperum, quod non amoueat; nihil ijsdem iucundum aut delectabile, quod non offerat: fingi non posse vllum dignitatis, gloriæ virtutisve decus, quod per eum non impetremus, nullam denique turpitudinis labem admittere quâ contaminemur. Ex quo consequatur necessariò, vt nos disponat, & dispositos transferat ad plenitudinem omnis boni, quam post breuem vitæ huius mancipatum percepturi sumus in vitâ æternâ: ad quam cùm vita Christianorum omnis medijs supernaturalibus dirigatur, magisque ipsi viuant spe bonorum vitæ futuræ quàm spiritu, quo in præsenti miseriâ animantur; rursus oritur ex comparatione istius alia vtilitas, alia iucunditas, atque honestas item altioris ordinis, quam pleniùs etiam præstat Virginis mancipatus. Cùm enim gratiâ animetur atque alatur vita ista, de quâ agimus, sublimior, fit, vt quidquid ad eam sustentandam vel augendam conducit, vtilitatis melioris nomine indigitemus. Est præterea sensus quidam, & quasi lux, color, sapor harmoniaque cælestis, quâ vel contemplando res diuinas, vel exequendo virtutum opera, animus recreatur; quæ voluptatem spiritualem appellamus. Denique familiaritati & amicitiæ hominum cum Deo maxima vis inest honestatis, atque ex admirabili nostrâ quodammodò per gratiam deificatione, reuelatióneque rerum supernaturalium, maximum accenditur lumen dignitatis, quo magè mens humana capitur, quam omni

[margin: Quid sit mancipatum adferre omne bonum. — Alterius datur generis bonum, — vtile, — iucundum, — & honestum.]

omni veritatis contemplatione, aut naturalis actionis honestate. Si ergo nullâ re quàm mancipatu Deiparæ abundantiùs tum naturalis tum supernaturalis boni copiam suppeditari probauerim, an satis eum mortalibus nullius rei nisi boni auidis persuasero? Age verò, hoc conemur, & Virginem esse optimam primùm hierarchico sancti Dionysij argumento, tum ipsiusmet testimonio comprobemus.

CAPVT I.

Triplex ista boni species in Virgine eiusque mancipatu reperitur.

Quanti faciendus Dionysius,

OMNIA Areopagitæ Dionysij verba nobis oracula, conceptus mysteria sunt; ideò quod naturali ingenio Philosophus maximus, postquam intellectum suum captiuauerat in obsequium fidei, subtilissimarum rerum indagationi non tantùm, vt de se fatetur, semper adhibebat sacrorum eloquiorum regulam, sed etiam viuum sanctorum Apostolorum magisterium; qui non secùs informabant suos in primitiuâ Ecclesiâ discipulos, ne errarent, quàm ipsi à Spiritu sancto firmabantur, ne possent vspiam vacillare. testantur id breuia quæ scripserunt interrogati de rebus sublimioribus Apostoli per Epistolas responsa: quæ deinde temporum iniutiâ intereiderunt, vti constat ex ipso S. Dionysio, qui lib. de Myst. Theol. cap. 1. §. 3. S. Bartholomæum citat in hæc verba: *Hac vtique ratione D. Bartholomæus ait, & copiosam esse Theologiam, & minimam; atque Euangelium amplum & magnum, & rursus concisum.* Vnde constat, quàm sedulò hæc diuina apis, cuius toto hoc Volumine suauissimum doctrinæ mel sæpiùs delibamus, omnia Apostolorum scripta perlegerit, verbaque exceperit, vt nos intellectu humano sublimiores speculationes doceret. E quibus hîc vnam colligemus innixam Hierarchiæ nostræ MARIANÆ fundamentis, quæ mirum in modum suadebit quem commendamus Deiparæ mancipatum. Verba ipsius Sancti sunt hæc lib. de Diuinis nominibus cap. 4. §. 20. *Id quod magis vel minùs appropinquat bono, pro suâ portione bonum erit: nam perfecta bonitas, quæ per omnia se diffundit, non solùm ad illas optimas, quæ ipsi vicina sunt, essentias dimanat, sed ad extremas vsque protenditur; alijs quidem se totâ præsens, alijs autem inferiori modo, atque alijs infimo, pro captu scilicet singulorum. Eorum autem quæ existunt, alia quidem bonum planè participant, alia autem eo magis minúsve priuata sunt; alia verò tenuiorem quamdam boni præsentiam sortiuntur, aliis denique boni vltima resonantia obtingit.*

quia instructus ab Apostolis solidis Theologiæ fundamentis:

eò quid melius, quò Deo vicinius.

Quam sententiam sic illustrat sanctus Maximus: *Suppone aliquem altè vociferari, ac vicinum quidem auditúque valentem totam vocem excipere, remotos autem pro ratâ distantiæ proportione, remotissimum verò obscurissimè, tamquam sibilum quemdam vltimum vocis quodammodo percipere.* Pulchrè vterque ad demonstrandam supereminentem Virginis Deiparæ bonitatem. Si enim essentiâ suâ ita bonus est DEVS, vt tamquam substantiale bonum bonitatem in omnia porrigat, idque eâ ratione, vt per modum vocis vicinioribus perfectiùs se insinuet, maioremque bonitatis rationem communicet; quid de eâ dicemus, cui DEVS non vt alijs creaturis, per modum vocis aut soni à se distincti, bonitatem suam communicauit, sed Verbum ipsum substantialiter, quantum quantum est infudit; & sibi tam vicinam effecit, vt nulli possit à se distincto esse propinquior? Si de re vllâ dici possit, quòd optima sit, quòd ei diuina bonitas se totâ sit præsens; de Virgine profectò negari non poterit vlla bonitatis species; quandoquidem Deo tam fuerit vicina, vt de eâ sumptum sit, vnde caro & sanguis ipsi incarnando formaretur. Satis est hunc superabundantem & supereminentialem bonitatis gradum attigisse; vt constet, eam famulatum suum triplici istâ ratione boni, quod vtili, iucundo & honesto continetur, ita imbuisse, vt verè non tantùm ipsa, sed etiam famulatus

Dionys. de Diuinis nominib. cap. 4. §. 2.

B. MARIA Virgo Deo vicinissima;

horum vni Virginis Deiparæ bonitatem superstruemus hac argumentatione;

vnde & ipsa, & mancipatus eius.

latus eius dici possit vita, dulcedo, & spes nostra. Vita, propter vitæ honestatem: nam quæ cum turpitudine coniungitur, qualibet mihi semper visa est morte deterior. Dulcedo: quia, vt sanctus Damascenus Orat. 2. de Assumptione ait, *Dei mater est inexhaustum pelagus gaudij, vnica mæroris oblitteratio, pharmacum ex omni pectore dolorem propulsans.* Igitur illi famulari est, isti se pelago gaudij immergere, pharmacum voluptatis degustare, & mœrorem omnem ex animo delere. Spes verò est: quia iam non est alia via ad vitam, nisi MARIA; nulla ad MARIAM, nisi humilis MARIÆ famulatus. Audiamus ipsam triplicem hanc de se bonitatis rationem deprædicantem. De honestate ait: *Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ.* Vide quàm sese honestâ & gloriosâ specie visendam offerat, veluti arborem latè extensis ramis, denso frondium honore comatam: & qui porrò rami, quæ sunt eius propagines, nisi famuli & asseclæ? propagines honoris, quia illis conciliat gratiam, honorem & gloriam: imò tanta est honestas in Virginis famulatu, vt, quemadmodum arboris decor & honor sunt folia, flores & fructus, Poëtâ teste:

vita,

dulcedo,

& spes nostra:

hinc ei seruire, honestissimum,

Eccli. 24. vers. 22.

> *Frigidus & siluis Aquilo decussit honorem;*

Georg. 2.

ita Virginis MARIÆ honor & decor eius sint famuli & mancipia, quibus illa coronata & comata, augustior & gloriosior incedit. Iam verò, cuius honoris & honestatis est, inter eius ornamenta censeri, quæ solis adinstar ornat atque illustrat vniuersa? Vtilitatem verò deprædicatura, ne res fidem superet, præmunit, dicens: *In me gratia omnis viæ & veritatis.* adeò vt non magis de eo quod subiunctura est, fas sit dubitare, quàm ipsam veritatem mendacij coarguere. quid autem? *In me omnis spes vitæ & virtutis.* Spes non agricolarum tantùm, sed vel maximè famulorum est altrix: oculi enim eorum semper in manibus dominorum suorum; & ipsi perpetuâ exspectatione pendentes à beneuolentiâ eorum, vt alimenta, vestem, libertatem, promotionem aliquam tandem accipiant: vnde felices etiam vocantur inter mortales, quibus contingit potentibus dominis inseruire, quòd tandem putentur dignitate aliquâ & lautiùs viuendi commoditate remunerandi. Felices ergo Heræ istius famuli, in quâ *spes omnis vitæ & virtutis*; quæ sola potest quidquid voluerit famulis conferre, & sine cuius voluntate irrita sit omnium aliorum potestas, quantumcumque benefacere tibi desiderauerint: in illâ enim *omnis spes*, quæcumque in creaturâ aliquâ potest, cuiuscumque demum vtilitatis, collocari. Quantum ad dulcedinem denique, etiam de se loquitur Virgo: *Spiritus meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & fauum.* Audi mellifluum Doctorem suauissimè, tamquam si ad verba singula faui istius dulcedinem lamberet, hanc iucunditatem & suauitatem exprimentem: *Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est qui inuocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem seruuli tui ceteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potiùs nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur; sed misericordia miseris sapit dulciùs, misericordiam amplectimur clariùs, recordamur sæpiùs, crebriùs inuocamus.* Ponamus igitur nobis ante oculos Dominam hanc nostram benedicto fructu ventris sui, velut speciosissimam vitem botro suo grauidam, atque illi verba, quæ D. Henricus Suso ad æternam dirigebat Sapientiam, nonnihil inflexa accinamus: *In te pulchritudo est supra omnes puras creaturas amabilis, vtilitas honesta, honestas iucunda, iucunditas vtilissima: in te gratia mirè formosa, sermo cum bonis moribus, nobilitas cum virtute, diuitiæ cum potentiâ, interna libertas cum externâ claritudine coniuncta: & præter hæc, quod in toto mundo nusquam comperi, plena virtus ac facultas per fructum tuum explendi omne votum, omne desiderium, & quantumuis sitibundam cordis probè diligentis voluntatem:*

vtilissimum,

Eccli. 24. vers. 25.

Ibid. v. 27.

& iucundissimum est.

Serm. 4. de Assumpt.

In Dialog. 7.

Apostrophe ad B. MARIAM Virginem quâ hoc ipsum inculcatur.

tem: quò perfectiùs agnosceris, eò ferventiùs amaris: quantò tibi quispiam est familiarior, tantò te sentit amabiliorem. Papæ! quàm tu es bonum, vtile, ac iucundum, bonum inæstimabile, sed prorsus desiderabile! Quæso, aduertite mortales, quàm miserè illis impositum sit, qui suum amorem in quiduis aliud conferunt. Procul à me recedite amatores stultissimi ac vanissimi; non mihi appropinquetis vmquam, hanc vnicam delegi amicam cordi meo, quæ cor, animam, appetitum, affectum & vires meas reficit, & exsatiat amore dulcissimo. O vtinam, Virgo MARIA, cordi meo te inscribere, vtinam in ipsas cordis & animæ medullas aureis litteris eliquare te possem, ne vlla te deleret aut aboleret vetustas! Heu me miserum! heu me infelicem, quòd cor meum non citiùs tibi dedi, amore tuo id non frequentiùs occupaui! Quid mihi ex alijs amoribus reliqui est, nisi temporis iactura, verba in ventum iactata, manus vacua, perexigua bona opera, atque conscientia vitijs onusta? Sed vt affectus hi vehementiùs concitentur, deinceps accuratiùs examinandum, quid speciatim honestatis, vtilitatis atque iucunditatis in Mancipatu B. MARIÆ Virginis reperiatur: non enim magnis opus erit stimulis ad incitandam voluntatem, vt illi se tradat exercitio, vbi totam bonitatis amplitudinem, tamquam propriâ in sede, tam latè viderit explicatam. Atque ab ipsâ honestate, quæ cum Mancipiorum statu quamdam videtur habere repugnantiam, ordiamur.

CAPVT II.

De honestate quæ inest Mancipatui MARIANO *in particulari; ac in primis, quòd honestum sit Dei esse mancipium.*

Ab honestate incipimus; primò, vt gradatim ad ea, quæ fortiùs mouent homines, ascêdamus:

EXIGERE videbatur naturalis rerum ordo, vt ab vtilitate minimo omnium bonorum exorsi, per iucunditatem, quæ sensus titillat, ad ipsam honestatem, quæ rationis est ornamentum, ascendentes, de singulis, quâ ratione Mancipatui MARIANO conueniant, inquirerem: verumtamen quòd suasoris munus hîc susceperim, aliam prorsus secutus sum viam, non præstantiam cuiusque boni quam in se habet, sed vim mouendi quâ pollet, respectu mortalium attendens. Postquam enim partes animæ inferiores per esum cibi vetiti, veneníque infernalis afflatum, flammis correptæ atque accensæ fuêre, ac, ruptis omnibus pudoris atque modestiæ legibus, efferre sese ac liberiùs agere, & contra rationem rebellantes ruere præcipites ac turbare omnia cœperunt, tandemque, excusso vero Domino, animi imperium per tyrannidem occupauerunt; præpostero ordine plus apud eumdem animum ad persuadendum valent ea quæ partibus dominantibus grata & bona sunt, quàm illa quæ rationi captiuæ conueniunt. Ab honestate ergo veluti pigerrimo omnium stimulo incipiens, ad vtilitatem ibo; inde verò ad voluptatem progrediar, odij scilicet palæstram & cupiditatis, quæ vbi delectabilium specie semel corpori atque sensibus incubuerunt, eos ita commouere atque perturbare, itaque inflammare solent, vt vel ipse ignis frigere præ ijs putandus sit. Accedit & illa ratio, quòd statim initio lapis offensionis sit remouendus, ad quem allisæ generosæ mentes, simulatque Mancipatus nomen audiuêre, resiliunt, tamquam proposito dedecore atque ignominiâ repercussæ: in eorum igitur gratiam ignominiam omnem à Mancipatu hoc remouebo, & priùs ostendam eum esse honestissimum, quàm vtilitatis ac iucunditatis titulis commendabo. Quòd autem tanta sit connexio inter Mancipatum qui B. MARIÆ Virgini, & eum qui Deo à creaturis præstatur, quanta est inter Filium & Matrem cognatio, priùs de Filij quàm de Matris seruitute est disputandum. Hoc ergo Capite quæritur, an cum honestate & laude coniunctum sit, Dei esse mancipium: vbi claritatis causâ binas quæstiones verbis illis inuolutas explicabo. Prima in hæc verba concipi potest,

Tum quia opinio ista euellenda, quâ homines putant vilitatem inesse mancipatui.

Viam sternimus, quærendo, an honestum sit Dei esse mancipium.

an honestus sit ille status, qui nos facit Dei esse mancipia; altera verò, num item honestum sit, mancipium se gerere, ac munia illa, quæ mancipiorum sunt propria, Dei respectu obire. Ac de primâ quidem hoc vehementer facit dubitare, quòd mancipatus dignitati & honestati è diametro sit oppositus: cùm enim in absoluto Dei dominio maxima eius consistat gloria, consequi videtur, quòd in mancipatu & subiectione summa debeat esse ignominia.

Causa dubitandi, quòd Deo soli debeatur gloria;

Vbi hoc in primis dico: Si increata illa honestas, illa gloria independens, honor ille omni ex parte infinitus, & status ille, quem ipse per sese obtinet, qui seipso vti beatus, ita est gloriosissimus, cum quolibet alio statu, honestate, gloriâ vel honore conferatur; Deus solus eminet, cetera omnia delitescunt; illi gloria, illi honor debetur, ceteris confusio & ignominia; illi denique verè ab Ecclesiâ accinitur: *Tu solus Dominus, tu solus Altissimus.* Proinde si hoc quæratur, quid Mancipatus noster gloriæ habeat, quod in contentionem venire possit cum splendore istius Dominij, cui soli debetur honor & gloria; respondendum, nihil prorsus habere, sed è diametro gloriæ & honori opponi, ita vt ne venire quidem possit in eius participationem: quidquid enim habet, illi debet fonti & origini, illi subiectum est Domino, illi seruit Hero, illi cultum latriæ debet Numini; id est, gloriam illius infinitam & absolutam ita fateri debet, vt è contrario infinitam in sese agnoscat similis gloriæ non tantùm priuationem, sed etiam contrarietatem, & accipiendi incapacitatem; ita vt, quantò ei Deus plura & plura de perfectionibus suis communicauerit, tantò magis magisque agnoscat sibi gloriæ nihil inde deberi, totumque quod à creaturarum aliquâ præstaretur, tamquam idololatriæ genus quoddam detestetur: in quo consistit profundissima illa humilitatis abyssus, in quam Sancti omnes eò descenderunt profundiùs, quò altiùs fuerunt à Deo eleuati. Cùm enim ceteris in rebus eò creaturæ perfectiores ac nobiliores sint, quò plus de diuinis istis perfectionibus participant; hac vnâ in re eò sunt pluris faciendæ, quò minùs sibi de gloriâ diuinâ arrogauerint; adeò vt quærendum non sit, quando de creatâ honestate sit sermo, an honestum sit cum increatâ in contentionem venire: nam cùm hoc per sese sit ignominiosissimum, & ipsum superbiæ vitium, non potest in eo quid esse honestatis.

cuius incapax sit omnis creatura.

Dum ergo quid honestum aut gloriâ dignum inter humana dicitur, non intelligitur tale, quod cum Creatore suo contendat de gloriâ, sed quod omnem ei soli deferat gloriam: quidquid enim de illâ aliquid decerpit, eo ipso honestatis leges transgreditur, fitque eò inhonestius, quò plus sibi vsurpat de honore diuinæ maiestatis. Licet ergo status mancipiorum directè opponatur statui absoluti dominij, qui Deo est gloriosissimus; fit tamen vt nullâ ratione creatæ honestati repugnet: quin potiùs sequitur, quòd statum mancipatus sui verè agnoscere, sit omnis honestatis, quæ hominibus communicari potest, fons & origo.

Honestas creata consistit in verâ humilitate,

Hoc est quod B. MARIAM Virginem, quando se exornare cupiebat, vt Filium Dei conceptura Sponso cælesti occurreret tamquam Mater honorificata, ad illa verba coëgit, *Ecce ancilla Domini.* agnoscebat scilicet nihil esse gloriosius, quàm omnem in Deum transfundendo gloriam, ad mancipatus humilitatem sese abijcere.

Lucæ 1. v. 38.

Omnis ergo gloriatio, omnis iactantia nostra esse debet, quòd simus diuinæ maiestatis mancipia; in ipsâ illâ humilitate triumphandum & gaudendum, quòd tantus ille noster sit Dominus, ad quem solum omnis gloria, omnis honor pertineat, cui nos omne obsequium atque seruitium deferre debeamus. ait enim S. Ambrosius: *Dignitas est, seruum esse potentis.* & Philo lib. de Cherubim: *Seruire Deo, maxima est gloriatio, non modò libertate maior, sed & diuitijs, & principatu, & omnibus rebus quas mortales miramur.* Atque hæc est iam quæstionis vtriusque legitimè propositæ liquida resolutio, an scilicet honestius quid sit inter creata ipso

quæ habetur per mancipatum.

ipso Dei mancipatu; & num dignius homo possit in vitâ obire munus, quàm præstare se reipsâ Dei mancipium? respondetque Philo: *Seruire Deo, maxima est gloriatio.* respondet S. Ambrosius lib. de Paradis. cap. 4. *Religiosa seruitus subdita Dei verbo, multò melior est quàm sæculi libertas.* respondet S. Agatha tyranno: *Multò pretiosior est Christiana humilitas & seruitus, Regum opibus & superbiâ.* respondet Cassiodorus: *Tibi, ô Domine, nobilius est seruire, quàm mundi Regna capessere.* respondebit, si auctoritates quærimus, omnium Sanctorum consensus, qui seruitutem istam omnibus honoribus prætulerunt. Cuius honestatis maximum argumentum est, quòd vel inter res creatas eò sit quæque perfectior & dignior, quò magis huic subiecta est seruituti. Per ipsas rerum naturas (si philosophari tantisper lubet) discurramus, atque examinemus, cur ea, quæ vitâ omni atque animâ carent, infimum inter creata locum sortiantur; cur, quæ vegetatiuo animantur spiritu, dignitate præcedant, hæc ab animatis vincantur, homo corporea omnia superet, hic rursus à spiritibus Angelicis superetur; & tantò minus reperiemus in vnoquoque dignitatis, quò minus est seruitutis. Inanimata, quòd nihil præter inertem corporis molem habeant, & Creatori non aliud præstent obsequium, quàm quòd existentiâ suâ, specierum diuersitate, & diuersissimis speciem quamcumque comitantibus operationibus nos doceant existere Numen aliquod, vnde ipsa habeant quòd sint; illudque Numen simplicis essentiæ suæ indiuisâ virtute per tot rerum species diffundi, tamquam mancipia minùs vtilia infimum inter creata locum occuparunt. Addunt his quæ vegetatiuâ constant animâ illud seruitij, quòd vitam immortalem sui Creatoris viuendo adumbrent; additur hoc etiam illis honoris, vt animata omnia dignitate præcedant. Animalia sentiunt, & quintuplici istâ atque omni admiratione dignissimâ operatione laudes annuntiant Dei, qui tam viuaciter in illis operatur; & quia plus ceteris faciunt, pluris fiunt in familiâ huius vastæ vniuersitatis. At homo, diuinum animal, rector & dominus mundi visibilis constituitur, quòd mentis cognitione & libertate voluntatis exactiùs & sublimius præstare possit Domino suo seruitium; quod tamen pigram trahat corporis massam, quæ non ita celeriter atq; excellenter feratur ad obsequium, paulò minoratum ab Angelis, quorum totum esse, est Deo seruire: toti enim quanti quanti sunt, administratorij sunt spiritus, semper non tantùm parati, sed etiam occupati obsequio sui Creatoris: atque hinc maxime resoluitur prima quæstio, quòd gloriosus sit ille status qui nos facit Dei mancipia.

Eò enim res quæque dignior, quò magis Deo seruit.

hinc inanimata sunt infima,

succedunt vegetatiua,

his animalia.

Homo visibilibus omnibus dignior, Angelis inferior.

De secundâ autem, num sit honestum, id est cum laude & gloriâ coniunctum, actu ipso seruire, & mancipiorum munia obire, qui dubitat, idem ille ambigit num honestum sit naturæ obsequi, officio suo fungi, libertate, eâque optimâ, benè vti; denique, num regnare honestum sit: omnia enim hæc sine controuersiâ honestissima munus mancipiorum complectitur. Quid autem magis tritum illâ rectè sentientium Philosophorum sententiâ, qui omnem honestatis rationem hac vnâ metiuntur regulâ, vnâque libellâ examinant, an quis naturæ obsequatur? videretur enim illis naturam prorsus exuisse, cui in mentem veniret dubitare, an honesta sint ea, quæ ipsa facienda dictauerit. Quid autem naturæ magis consentaneum, quàm superioribus inferiora subijci? quid magis contrarium eius legibus, quàm si ordine peruerso inferiora imperitent, superiora subijciantur & seruiant? perficiuntur enim à superis infera, quando ijs subsunt; atque inde fit, vt, cùm perfectionis suæ quæque sint auidissima, naturali suâ dispositione fruantur, quando superioribus obtemperant. Opus non est exemplis ad probandum id, quod tota loquitur rerum vniuersitas. Vt à proximis ordiamur; numquid corpus animæ, anima rationi & menti, mens Deo si seruiunt, id assequuntur, vt mens diuinas, anima rationales, corpus animales quasdam influen-

Honestum etiam, mancipatus obire ministeria;

quia honestum est naturæ obsequi,

quæ inferiora per subiectionem perficit.

influentias participent, quibus supra statum quodammodò & ordinem quodque suum eleuatur atque perficitur? Si altiora placent; vide in cælo spirituales illas Hierarchias ordinatione tam compositâ sibi inuicem ita subiectas, vt omnis perfectio à superioribus ad inferiora quasi gradatim descendat. Idem in cælestibus corporibus licet animaduertere; qui motum suum & influentias à primo mobili sic participant, vt à proximo sibi cælo cælum quodque inferius dependeat: neque virtute superiorum influentiarum gauderet, si quo casu ab istâ subordinatione recederet.

Secundò, quia honestum fungi officio suo. Quid autem de officij ratione dicam, quæ solet in actionibus humanis esse altera mensura honestatis? adeò vt actiones multæ turpissimè sint factæ à quibusdam, quæ ab alijs honestissimè obeuntur, non aliâ de causâ, quàm quòd ex officij ratione hi fecerint, quam illi in eâdem actione neglexerunt. Exempli gratiâ: Militiæ quis adscriptus est; honestissimè arma gestabit, quæ Religiosæ professionis alius non facilè sine dedecore assumpserit: tanta est officij ad actiones humanas cohonestandas vis. Cùm autem indubitata res sit, quin serui & mancipia simus Dei, certum debet esse, seruitutis ministeria nos honestissimè subire. Non solus ego ita sentio; generis humani ista vox est. Quis enim seruum suum laude, honore & præmio dignum non iudicat, si diligenter, si gnauiter, si fideliter munera seruitutis præstet? nemo autem quod turpe est factu, rectè honore dignum iudicauerit: turpe ergo non est seruo seruire, non magis quàm cuilibet sibi impositum obire munus. Si ergo nulla in ipso mancipiorum statu sit turpitudo, in mancipiorum munijs obeundis summa erit gloria; cùm etiam cum laude eius seruitutis præstentur munia, quæ non sine dedecore acquiritur.

Tertiò, quia regnare honestum est. Tertia ratio, qua turpitudinem à mancipatus munijs remouemus, est veritas illa certissima, quam Franc. Piccolominæus de Principijs virtutum gradu 2. cap. 37. veluti paradoxam proponit; quòd scilicet optimus vsus libertatis hominis, est vsus veræ seruitutis eius. quod si verum est, iam tantam habemus Mancipatus nostri laudem & gloriam, quantam nemo vmquam dedit vlli libertati. Neque potest de veritate paradoxi illius suboriri dubitatio, cùm non tantùm omnium Philosophorum, sed omnium etiam hominum nondum insanientium sit opinio, libertatis humanæ rectum vsum in eo consistere, vt rationi, & Deo, atque dictatis ab vtroque legibus obtemperet; hoc autem quamdiu fecerit, numquam legitimo Domino refragabitur. Sed rem magis in speciem paradoxam addit ibidem citatus suprà Franciscus, quando absolutè pronuntiat: ***Homini melius est seruire quàm regnare; & vniuersa perfectio hominis in seruitute posita est.*** *Regnat autem qui Deo seruit.* O præclaram nostram seruitutem! de quâ dicere cum Sapiente possumus: ***Præposui illam Regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius.*** *Sap. 7. v. 8.* Quia si, vt suprà docuimus, inferiora à superioribus perficiantur, nihil potest homo regnando consequi, nisi vt per illum interioribus suis melius sit; seruiendo autem cùm superiores suos respiciat, perfici ab ijs, & semper crescere potest, quamdiu aliquid supra sese reperiet. Deinde, qui iungitur Regi aut Principi, cum eo regnare dicitur; vti seruis & mendicabulis iunctus, vilem eorum conditionem induit, & pariter cum illis contemnitur. Deo autem nemo est coniunctior, quàm is qui per mandatorum eius obseruationem ei copulatur: arctius enim hoc est, ipsâ Veritate testificante, vinculum, quàm id, quod ex eiusdem sanguinis vel communicatione vel participatione inter matrem & filium, vel fratres & sorores, nectitur. Denique, melius esse Deo seruire quàm regnare, vel inde patet, quòd omnis qui regnat, eatenus regni bono fruitur, quatenus id facit quod decretis Dei eiusque voluntati est consentaneum; & ideò in eo est posita perfectio Regni humani, vt Deo & legibus eius obtemperet: quare maiorem hominis dignitatem exprimimus, dum illum *Cur melius sit Deo seruire quàm regnare.*

 appel-

appellamus seruum Dei, quàm dum vocamus Regem vel Principem mundi. Cùm itaque & rerum creatarum eò quæque sit perfectior, quò statum mancipij habet Deo magis subiectum; & mancipatus exercere munia, naturæ atque officij rationibus consentiat; sitque hoc libertate & Regnis præferendum; dubitari non potest, quin sit honestatis & gloriæ illius, quæ creaturis potest competere, summa perfectio, humillima Dei seruitus: præsertim quia per illam omnia nostra Deo impendimus, nec vllam omnino nobis arrogamus gloriam; cùm sit status ita demissus, vt fingi non possit inferior, & omnium eorum quæ possidet Deo honorem transscribat. Hisce ita de seruitute Dei confirmatis, difficile non erit, quomodo eadem proportione quadam in B. MARIÆ Virginis mancipatum conueniant, demonstrare; quod sequenti Capite, fauore eiusdem Dominæ nostræ aspirante, facere conabor.

CAPVT III.

Quid sit iste Virginis mancipatus, de cuius honestate hic agitur: & quomodo à cultu tum Superiorum, tum Sanctorum distinctus.

Humilitas omnibus subijcitur propter Deum;

EA est humilitatis Christianæ generositas, vt, licet omni humanæ creaturæ subiiciatur propter Deum, nulli tamen corde & animo facilè mancipetur, nisi soli Deo: ceteris enim, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tamquam ab eo missis, quòd promptè adeò & submissè viri sancti obediant, tantùm fit propter eumdem Deum, ne scilicet potestati resistentes, ordinationi illius resistant, cuius voluntati iurauerunt in omnibus obtemperare. atque ita verissimè de iis dicitur respectu hominum, quod Seneca lib. 3. de Beneficiis affirmat: *Si quis existimat seruitutem in totum hominem descendere, fallitur; pars eius melior est excepta: corpora obnoxia sunt & adscripta dominis, mens quidem sui iuris est.* Deo autem totis ingenij viribus, omni mentis operâ, omni voluntatis libertate deseruire, honestissimum putant, propter infinitam eius gloriam & maiestatem. Sed difficultas est, quomodo mancipium esse B. MARIÆ Virginis, non corpore tantùm, sed etiam omnibus internis facultatibus, à dedecore excusabimus. Nam si nihil aliud per Virginis mancipatum intelligimus, quàm cultum aliquem & obedientiam, quæ creaturis propterea præstatur, quòd illa voluntas sit Creatoris, propter finem politicum, seu rectam vniuersi administrationem; facilè quidem summam isti rei honestatem inesse demonstrabimus, propterea quòd ita diuinæ voluntati, omnis honestatis regulæ, Virginem colendo parebimus: sed non tam facilè, quare hoc genus obedientiæ potiùs mancipatus dicendus sit, quàm quælibet Magistratibus exhibita obseruantia, ostendetur; atque illâ ratione, non magis essemus B. MARIÆ Virginis, quàm omnium Superiorum nostrorum & Sanctorum mancipia; meritoque argueremur, quòd rei vulgari nouum præfigentes titulum, cùm mira promisissemus, tandem delaberemur ad vulgaria: & magno molimine propositum atque defensum mancipatum, ad primam difficultatem proderemus cautè, quòd rationem honestatis in eo defendere non possemus, ex mancipiorum collegio ad vulgarium subditorum turbam delapsi. Cuius velut praeuaricationis ne quam moueamus tergiuersando suspicionem, clarè & apertè profitemur, aliud nos intelligere, quando nos B. MARIÆ Virginis mancipia esse profitemur; aliud, quando vel Superiorum subditos, vel Sanctorum ceterorum cultores, aut vulgari ratione seruos & famulos esse dicimus: & liquidò affirmamus, mancipatum istum propriâ & strictâ significatione, quâ scilicet Virgini dedicamur, nulli posse nisi soli Deo & Matri ipsius præstari: Deo, propter infinitum & naturale suum in creata omnia dominium; Virgini, propter communicatam aliquâ ratione, non essentiæ (quod fieri non potest) sed dominij (quod quâ

sed non omnibus mancipatur:

nec honestum vlli mancipari, nisi Deo & B. MARIAE Virgini.

quâ ratione factum sit, mox latiùs discurrendo videbimus) infinitatem: atque hinc deinceps, quam honestatem habeat iste mancipatus, etiam puræ creaturæ præstitus, colligemus. Ne quid autem obscuritatis remaneat, mancipia nos Virginis MARIÆ esse dico, prout ex titulis fusè anteà probatis clarum est istâ ratione; vt omnia nostra fortunæ, omnia corporis, omnia animæ bona B. MARIÆ stricto iure sint propria, eâ ratione, vt neque habere neque sperare quidquam possimus, quod non eo ipso quòd nostrum sit, fiat iuris illius; adeò vt in obligationem, quam erga ipsam habemus, non dico gratitudinis, quæ etiam est immensa, sed stricti iuris, peccaremus, si de vllo vel fundo, vel domo, vel veste nostrâ, de corpore, aut vllo ex corporis sensibus, de animâ, vel de aliquâ ex eius facultatibus contra B. MARIÆ Virginis voluntatem disponeremus. Atque hanc obligationem, hanc seruitutem, hunc mancipatum contendo nobis esse honestissimum; idemque affirmo, non videre me quid in eo foret honestatis, si vlli creaturarum, quæ nunc à diuinâ omnipotentiâ producta est, isto eodem mancipatus genere subderemur. Magna profectò debet esse corporis istius claritas, cuius vel vmbra est lucidissima; magna dominij istius gloria, à quo in oppositam sibi seruitutem honestas deriuatur. Nescio an hæc eâ ratione explicare possim, prout ipse cogitans ea sentio. Qui enim perperàm seruitutem hanc cum humano famulatu conferunt, vbi vulgare est ex dominorum excellentiâ seruis dignitatem accrescere, non vident quid hîc tantopere admiremur; quia non satis quæ dicta sunt perceperunt. Quòd enim dignior inter homines habeatur potentis domini seruus, non ita oritur ex domini dignitate, vt ex magnitudine dominij, quâ talis in ipsum illum seruum deriuetur dignitas; vt videlicet ideò sit dignior, quia seruitute inferiore & magis addictâ illi subiicitur; sed è contrario potiùs, quia scilicet heri & domini potentes minùs subiectos habere solent famulos suos; tum quòd propter seruorum multitudinem pauciora obeant munia, tum quòd propter potentiam magnam illis concedant, & ferè maiorem promittant libertatem. At nostro in casu, vti superiùs de Deo ostendimus, ipsa honesta est seruitus, eoque honestior, quò magis subiecta, & quò minùs habet vel spei vel possibilitatis ad libertatem. quod propriè est honestam esse seruitutem: nam in reliquis honesta non est seruitus; sed tantùm hominibus non turpissimum videtur aliquam subire turpitudinem, propter lucrum quod inde percipitur, aut voluptatem. Quare semper ij fuerunt magnanimi Sanctorum spiritus, vt mortalium nemini vmquam seruirent; sed omne quod iis præstabant obsequium, immediatè referrent in Deum; Sanctis verò paradiso iam receptis cultum præstabant non tamquam dominis, sed tamquam conseruis suis apud communem Dominum gratiosis; per quorum fauorem sperabant obtinere ea quæ videbant sibi ad Domini gratiam obtinendam necessaria: eâ ferè ratione quâ homines hominibus obsequium præstant, spe inde percipiendæ alicuius vtilitatis; in quo nulla erat vtilitas, quia iis se vt mancipia dominis non dedicabant: at in Deo longè alia erat ratio; huic enim se subiiciebant, coram illo se omni proprietate & seipsis exuebant, descendentes in ipsam nihileitatis suæ abyssum; vbi cùm nihil suum reperiebant, summi honoris, summæ felicitatis iudicabant, quòd corpus, quòd animam, quòd tot vtriusque facultates, quòd externa fortunæ bona concedi sibi viderent, vt iis possent tantæ Maiestatis abysso, quam ex istâ nihileitatis suæ item abysso intuebantur, obsequium præstare; eoque plus sibi honoris existimabant obuenire, quò profundius atque humilius præstarent obsequium: non quòd inde sibi libertatem, aut aliud quodcumque sperarent commodum aut honorem, sed quòd commodorum & honorum omnium maximum arbitrarentur, tantæ Maiestati posse seruire, nullum petentes,

Quid sit iste mancipatus:

cui inest honestas eò maior, quò ipse est demissior.

quod non conuenit vlli subiectioni qua alteri præstatur.

Quomodo viri boni Superioribus & Sanctis seruiant:

quomodo Deo:

tentes, nullum intimis suspiriis aliud exoptantes seruirutis stipendium, quàm semper magis & magis posse deseruire, ac humilius fieri quotidie mancipium. O quàm profundè in hanc abyssum descenderat illa quæ dicebat: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*: verbo illo non tantùm exemplum nobis præbens, vt eâdem ratione nos offerremus Deo in mancipia, sed etiam acceptando Dei maternitatem, se eam constituens, cui, inter creaturas omnes quæ non sunt Deus, soli possemus simili quadam ratione mancipari. Reddit enim incredibilem quamdam & prorsus inconceptibilem auctoritatem & dignitatem MARIÆ Dei maternitas: quæ quanta sit, hic paucis examinandum est, vt appareat, quantum sit in mancipatu nostro honestatis.

omnium perfectissimè id fecit Virgo Deipara.
Lucæ 1, 38.

CAPVT IV.

Honestas mancipatus MARIANI *probatur ex dignitate maternitatis Dei.*

NE scrutantes tantam Maiestatem opprimamur à gloriâ fidei, modestiæ & pietatis facienda sunt vmbracula; ideoque contra Collyridianos protestamur, nullâ ratione nos cum Deo Matrem eius Virginem in contentionem adducere, nec vllum diuinum honorem ei velle adscribere; id tamen, moti ei seruiendi desiderio, contendimus, medium quemdam inter creaturas & Deum ei honorem deberi, ad quem creatura nulla, quæ Deus non sit, possit vllâ ratione aspirare. Iam dudum habuimus sanctissimos Deiparæ seruos opinionis huius auctores. Sancti enim Anselmi sententia est, quòd *eâ puritate niteat, quâ maior sub Deo nequit intelligi*. Doctor Angelicus *ait, quòd *Mater Dei cùm sit, dignitatem obtineat propemodum infinitam*. Sanctus Bernardinus Senensis dicit *tantam esse Virginis perfectionem, vt soli Deo cognoscenda relinquatur*. Andrèas Cretensis, quòd *solius Dei sit Virginem pro dignitate laudare*. S. Damascenus Orat. 1. de Dormitione Virginis: *Dei Matris, ac seruorum Dei, infinitum est discrimen*. Et Sophronius Sermone de Assumptione: *Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita & in comparatione Matris Domini nullus perfectus inuenitur, quamuis virtutibus eximiis comprobetur*. Ex quibus omnibus facilè colligitur dignitas quædam humanâ maior, & supra omnis creaturæ dignitatem eleuata. Pro quâ re hoc notandum est, dignitatem, ius, dominium & similia entia mortalia relationes quasdam esse, quæ cùm ex binis terminis existant, plurimum solent ab vtroque participare; atque hinc minùs periculosam esse in iis locutionem, si quando, quòd alter terminorum, imò & ipsa ratio fundandi relationem, diuinitatis quid habeat, illis proprietates quædam attribuuntur, quæ aliàs puræ creaturæ non possent conuenire: ita dignitas illa, quam humana natura Saluatoris nostri obtinuit ex eo quòd Verbo hypostaticè sit vnita, non facilè inter creatas dignitates abiicietur; cùm fieri non possit, quin infinitum semper aliquid in genere dignitatis concipiamus, vbi terminorum alterum, vnde ista existit, Deum imaginamur. Eodem prorsus modo de humanitatis CHRISTI dominio in actu primo licet ratiocinari; quòd cùm tale sit, aut saltem esse possit, vt cum ipsâ Dei potentiâ extendatur, vt scilicet illa vel ratione vnionis hypostaticæ obtineat, aut saltem Deus illi concedere possit dominium in res omnes, quas ille possit omnipotentiâ suâ producere; quis tale dominium mente concipiens, finitum quid imaginabitur, cùm illud non alijs, quàm quibus Dei potentia terminatur limitibus, sit circumscriptum? Non quòd inde sequatur, infinitum quid aut diuinum humanæ CHRISTI naturæ secundùm physica conuenire, cùm per omnia nobis sit similis, & habitu inuentus vt homo; sed quòd ex vtroque termino, Deo scilicet & istâ naturâ, morale quid exurgat, quod finitum non sit, & verè dici possit isti naturæ conuenire.

Nunc eâdem ratione discutramus de

Medius inter Deum & creaturas alius honor debetur B. MARIAE Virgini.

De Concept. Virg. cap. 18.
* p. 1. q. 26. art. 6. ad 4.
Tom. 2. Serm. 51. art. 3. c. 1.

Infinitudo licet creaturis conuenire non possit, potest tamen relationibus quibusdam

patet in dignitate

& dominio humanitatis CHRISTI.

Ita maternitas Dei dici potest dignitatis infinita.

de Virgine MARIA, & de dignitate eius maternitatis, quam ego finitam simpliciter nullâ ratione dicendam puto: finitum enim esse non potest, id quo dignius eo in genere ne Deus quidem efficere potest; nequit autem Deus, ipso Angelico Doctore attestante, matrem facere digniorem Matre Dei. Cùm enim maternitatis dignitas oriatur ex dignitate filij, quando filius est infinitæ dignitatis; rationem nullam ego puto assignari posse, si finitam dignitatem maternitatis esse contenderis, cur istâ potiùs quam assignaueris quantitate, quàm qualibet aliâ, orietur ab infinitæ dignitatis Filio? Imò da mihi quamcumque volueris dignitatem maternitatis, modò finita illa sit, poterit per diuinam potentiam existere mater tantæ dignitatis, quantam tu assignaueris, quæ non sit Mater Dei. id quod satis absurdè dici existimo. Neque hinc sequitur, ne quem hoc turbet, infinitam esse vllâ ratione beatam MARIAM Virginem, sed tantùm dignitatem maternitatis Dei esse infinitam, illamque esse matrem infinitæ dignitatis; quia filium genuit infinitæ maiestatis: vti humanitatem CHRISTI vnitam esse Verbo, illam non facit infinitam, facit tamen infinitæ dignitatis.

quam sequitur dominium in creata, & fortè in omnia creabilia.

Dignitatem hanc sequitur dominium absolutissimum, non in ea tantùm quæ modò creata sunt, sed etiam fortè in omnia illa quæcumque continentur in infinitis thesauris diuinæ potestatis, ita vt creare nihil possit Deus, cuius dominium non competat CHRISTO Deo & Matri Dei. Quâ sententiâ nullâ ratione deprimitur Dei omnipotentia; sed explicatur dignitas Filij eius & Matris. cùm enim liberum fuerit ei humanitatem illam assumere, & nasci ex istâ Virgine; non maior fit ei vis, si dicatur, postquam eam assumpsit, & natus est ex MARIA Virgine, iam non posse creaturas illis non subijcere; quàm si dicatur, post liberum aliquod decretum, in potestate eius non esse illud contrarijs actionibus violare: liberum enim fuit Deo naturam istam humanam, atque istam Virginem euehere ad tantam dignitatem; vnde istud dominium absolutè sequeretur. Vbi, si vera est illa Theologorum sententia, quòd Deus posset dimittere assumptam humanitatem, hoc etiam B. MARIÆ Virgini præ illâ conuenit, quòd non possit suam amittere dignitatem, cùm hæc fundetur in actione transeunte, quæ iam non potest non acta fuisse; illa verò in re permanente, vnione scilicet hypostaticâ. quæ differentia intelligitur permanentibus vtrisque terminis: nam si & humanitatem & Virginem MARIAM destrueret, tunc par esset vtriusque ratio, cùm non entium nulla sit dignitas. Quamquam piè magis affirmari posse videatur, hanc ipsam dignitatem hoc in vtraque illâ personâ inferre, vt neque dimittere assumptam, & neutram destruere possit. Nulla enim videtur causa posse inueniri, cur Filium suum Deus istâ quasi ignominiâ destructionis hypostaticæ vnionis afficeret; vel cur aut illum, aut Matrem suam destrueret. Quæ impossibilitas simili quadam ratione videtur sequi vnionem hypostaticam & maternitatem Dei; quemadmodum eamdem vnionem sequitur in CHRISTO impeccabilitas. quæ latius hic probaremus, nisi vel iam materiæ suauitas nimium nos extra oleas abduxisset.

Infinitudo ista dignitatis necessaria ad cohonestandum mancipatum.

Vt igitur redeamus vnde abiuimus: ideò hanc quasi infinitam dignitatem & dominium in B. MARIA Virgine probare nitebamur, vt inde honestas mancipatus nostri innotesceret: nisi enim tanta illa sit, vt aliquid in eâ reluceat infinitatis, ratione cuius nihil sit quidquid in nobis reperitur; non inueniemus, cur alicuius sit in nobis dignitatis, totos nos illi esse traditos. Quid enim in eo magnifici, si dicamus, omne quod habere possemus, nostri dominium esse quodammodò absorptum à personâ aliquâ, cuius nos ipsi dignitatem crescendo potuissemus adæquare? At verò, cùm finiti nulla possit esse comparatio cum eo quod infinitum sit, numquam, accumulando illam dignitatem quæ exsurgeret ex nostri possessione, æquaret eam quam acquirimus ex eo, quòd possideamur à Dominâ

dignitatis & dominij infiniti; maximè cùm ius illud quod in nos habet illa, oriatur ex eodem iure quod Deus in nos obtinet. Mater enim communicatione quadam & iure veluti hereditario idem dominium habet quod Filius. Cùm ergo Capite superiore docuerimus, dignitatem eò maiorem nobis accedere, quò magis humiliter Deo seruimus; idem intelligendum erit de Matris ipsius seruitio, illi debito propter infinitam quamdam à Deo participatam dignitatem. Hæc enim est inter vtramque distinctio, quòd Mater à se non habeat dignitatem illam atque dominium, sed à Filio acceperit; Deus autem à nemine habeat infinitam suam excellentiam, cùm ipse sit à se, & consequenter vndequaque infinitus. est ergo infinitas illa, quam reperiri diximus in dignitate maternitatis Dei, non res aliqua distincta à Deo, cùm nihil esse possit extra Deum infinitum, sed relatio ex eo resultans, quòd Virgo genuerit Deum: quæ relatio in ipsâ vocetur & sit dignitas infinita, propter quam honestum sit nobis, submissionis atque mancipatus relatione ad eam referri. Si enim Deo, vt suprà probatum est, subijci eò honestius est, quò ea submissio & subiectio est humilior propter dignitatem istam quam à se habet infinitam, & dominium absolutissimum; communicatur eadem honestas mancipatui nostro erga Virginem, quandoquidem ipsi eadem infinitas dignitatis atque dominij tamquam Matri fuit communicata.

Quomodo ea distinguatur à dignitate Dei.

CAPVT V.

Alijs quibusdam rationibus probatur honestas MARIANI *mancipatus.*

PRIMVM fundamentum honestatis, quæ inest B. MARIÆ Virginis seruitio, superiùs paulò subtiliùs examinauimus; nunc eam alijs quibusdam magis plausibilibus rationibus persequemur. Vbi in primis offert sese Aristotelis sententia lib. 1. Politic. cap. 4. dicentis: *Seruus quidem pars quadam est domini, animata scilicet, etiamsi separata pars; quapropter aliquid est quo simul profit: & amicitia est seruo & domino inuicem secundùm naturam ita dispositis.* Præclara seruorum encomia, si quidem seruiant laudato hero. Magnam enim laudis herilis partem in se transfert seruus, si ipse pars est heri. Quid magis excitare animum possit ad seruiendum B. MARIÆ Virgini, si quidem vllo capiatur gustu honestatis? O nobilem seruitutem, quæ nos membra constituit istius virginei corporis, quod Spiritus sanctus obumbrauit, de quo carnem Dei Filius assumpsit, quod omnium gratiarum & donorum cælestium fuit receptaculum, quod totius sanctitatis, quam vmquam pura creatura obtinuit, fuit instrumentum! pars MARIÆ & membrum est, quodque eius mancipium; nec pars ignobilis, sed animata, videns & intelligens dignitatem suam. Alibi *instrumentum animatum domini* vocat seruum idem Philosophus; vt sciamus, non otiosa nos esse membra, sed quibus Hera nostra vtatur ad executionem rerum memorabilium & laude dignissimarum, quarum magna semper pars redit ad ipsum instrumentum. Propheta verò Dauid etiam quodnam eius membrum simus, explicat Psal. 77. v. 72. Vbi de felici imperio sic ait: *Et pauit eos in innocentiâ cordis sui: & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Per manus enim ministros passim intelligunt Interpretes; quorum intellectibus, id est prudentiâ & consilio, Respublicæ administrantur. Vnde vulgare istud:

Seruus est pars animata,

instrumentum,

& manus heri sui,

An nescis longas Regibus esse manus?

Dicit autem Psalmista, *In intellectibus manuum*, vt ostendat, non benè illos de seruorum officio iudicare, qui eos intelligentiâ & prudentiâ spoliant. *Non benè dicunt*, inquit Philosophus 1. Politic. cap. vlt. *qui seruos spoliant ratione, dicentes præcepto vti dumtaxat.* tamquam si ille optimus sit seruus, qui cæco impetu tantummodò mandata exequitur, de cetero nihil cogitat, aut iudicat. Frustrà Seruator noster prudentiam in seruo commendaret Matth. 24. v. 45.

sed intellectualis, & cui propria sit prudentia, quâ sit particeps laudum heri.

v.45. *Fidelis seruus, & prudens.* & item Sapiens Prouerb. 14. v. 35. *Acceptus est Regi minister intelligens.* Si neque prudentia neque intelligentia requiratur in seruis; non ita inquit Aristoteles, sed optimus minister ac seruus ratione pollet, & præcepta cum iudicio & prudentiâ peragit. Manus ergo, & manus intelligens Dominæ nostræ sumus, quotquot eius mancipatum profitemur: vnde quidquid illa mulier fortis operatur *consilio manuum suarum*, nostra laus est, noster est honor. Rursus eamdem seruitutis nostræ honestatem indicat Regina Esther cap. 14. v. 11. *Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt.* Vbi Dei seruos vocat sceptrum Dei; & contrà, qui illi non seruiunt, nihil omnino esse, siue non esse pronuntiat: seruos hoc ipso quòd tales sint, ad summam quæ fingi potest dignitatem & gloriam eleuat; eos qui renuant seruire, ne quidem inter res vilissimas recensendos putat. Ambitio multos retrahebat ab humili mancipiorum obsequio: sed cæca est ambitio, nescia quid petat, aut fugiat. Potéstne status esse honestior, aut studio, curâ, solicitudine maiore appetendus, quàm in manu potentissimæ cæli terræque Dominæ sceptri locum obtinere, vt quò illa potentiam, eò quoque extendat gloriam suam? Sceptrum eius alibi esse diximus eum, quem semper manibus gestat, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM: sed ecce quot illud ornatum sit margaritis & vnionibus: quot habet mancipia Virgo, tot baccas pretiosas habet virgam illam virtutis suæ exornantes; quæ ita eam obtegunt, vt magis hæ quàm illa appareat. Cùm enim Regnum eius totum sit misericordia, magis ostentat in nobis miseris quàm in Filio suo potentiam & diuitias Regni sui: imò tantùm ideò assumere videtur priorem illam virgam virtutis IESVM Filium suum, vt fundamentum habeat, cui nos vniat, & appendat, ad gloriæ suæ magnificentiam ostentandam. Quid autem gloriosius, quàm gloriari in nobis illam quæ gloria est Filij Dei? *Gloria* enim *filiorum patres eorum.* Exclamare hîc liceat cum Isaiâ Prophetâ: *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam.* Propter te, ô MARIA, vera Sion, id est specula futuræ felicitatis; & Ierusalem, id est visio pacis; non tacebo: quia *videbunt Gentes iustum tuum*, qui tibi seruiet ex iure tot titulis tibi debito, *& cuncti Reges inclytum tuum*, quem tu tot honoribus & fauoribus supra ipsos honoraueris, vt sit *corona gloriæ in manu* Dominæ, *& diadema Regni in manu* Heræ suæ. Et quid est, diadema Regni in manu Heræ suæ, nisi diadema hoc ad manum, id est, ad ius & partem MARIÆ spectare? diadema hoc ei in pretio & delicijs esse, quod semper manu teneat, ac oculis suis objiciat? diadema hoc ab eâ factum esse, & ad tantum splendorem euectum? denique hoc diadema in manu, in tutelâ atque protectione esse istius, quæ illud sibi præparauit? vnde summa illi securitas, quòd non eripietur ab hostibus, cùm à tam potentibus & prouidis manibus conseruetur. Dignitas mancipatus nostri etiam ex eo non parum innotescit, quòd Pelbartus de Temesuar in Stellario Virg. lib. 12. p. 1. art. 3. docet, eos qui hîc illâ fuerint gloriâ insigniti, in cælesti curiâ Virginem singulari aliquo signo ostentaturos, vnde omnibus appareat in cælis, eos fuisse seruitio eius singulariter mancipatos. Verba eius sunt: *Sicut serui Regis & Reginæ in curiâ Regiâ certis notabilibus clenodijs deaurati procedunt, per quæ agnoscuntur esse serui Regis vel Reginæ, & speciali purpurâ vestiti ambulant: ita in curiâ cælesti serui Virginis speciali ornatu & gloriâ, quâ præ alijs decernuntur, quòd serui sunt* MARIÆ, *fulgebunt:* iuxta illud Prouerb. 31. v. 21. *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Iam si ex gratitudinis quadam obligatione honestatem hanc deducere velimus; hoc statuendum erit, non posse nos sine summo dedecore illius detrectare seruitium, quæ tot beneficijs meruit, vt totos nos illi impenderemus. Si ex honorabili consortio eorum, qui nobiscum præstant idem obsequium, non infimæ dignitatis esse reperiemus, in Ange-

Prou. 31. v. 13.

Sceptrum Dominæ sunt serui MARIANI,

aut certè gemmæ ex eo dependentes.

Prou. 17. v. 6.

Isaiæ 62. v. 1.

Ibid. v. 2.

Ibid. v. 3.

Gloriosum item est esse mancipia, quia notabuntur in cælo signo aliquo mancipatus.

Ex conseruorum consortio probatur honestas seruitutis.

Angelorum, Dominam nostram sine intermissione colentium, in Sanctorum omnium, id semper vnice post Dei cultum commendantium, in prædestinatorum, quorum nemo Virgini non seruit, societatem admitti: denique, si ex Filij Dei exemplo, Matri suæ supra seruorum promptitudinem obsequentis; nonne summa erit gloria, illam perfectissimam honestatis ideam posse imitari? Maneat ergo honestas ista seruitij & mancipatus B. MARIÆ Virginis tot probata rationibus; ne quem deterreat illa vulgaris opinio, nihil dignitatis reperiri posse in infimo gradu seruitutis. Fateor quidem eam, quam hominibus homines præstant seruitutem, si nihil admixtum habeat turpitudinis, etiam nihil habere, vnde magnoperè possit commendari, sanè ab intrinseco suo magis vergere ad dedecus quàm ad laudem: quia ingenia plerumque vnà cum corporibus abijcit, vt infinitæ seruilium vitiorum catenæ multò accuratiùs quàm dominis seruiant ea mancipia. At Dei Deiparæque mancipatus, tum ab intrinsecâ ratione suâ, vt probauimus, est honestissimus, imò omnis complementum honestatis: quia per illum solum infinitis istis dignitatibus præstari potest non quantum merentur, sed quantum nos exhibere possumus cultum & obsequium; tum etiam extrinsecis istis à gratitudine, à conseruorum societate, à IESV CHRISTI exemplo petitis rationibus mirum in modum exornatur. Nam admirabile istud lumen honestatis omitto, quod ex diuinis illustrationibus, ex gratiarum diuinarum participatione, ex Dei familiaritate, & mancipiorum, vt Hierarchicus Magister noster loqui solet, quadam deificatione exurgit; tum quòd explicandi nulla facultas suppeditet; tum vel maximè, quòd alius erit de hisce discurrendi locus.

Item à Filij Dei exemplo.

Huius & æternæ cuiuslibet seruitutis collatio.

CAPVT VI.

Quàm sit vtile esse mancipium beatæ MARIAE *Virginis.*

Multum ad persuadendum

MAGNAM habet ad persuadendum vim ostensa in re, quæ in deliberationem venit, ratio honestatis, præsertim quando agitur cum ingeniis magnis, liberalibus & generosis; qualia eorum in primis iudico, qui sub generoso B. MARIÆ Virginis mancipatu aspirant ad libertatem filiorum Dei; atque ideò ante omnia lapidem istum offensionis amouimus, ad quem omnia reliqua argumenta allidenrentur, si putaretur, vile quid & abiectum esse beatæ MARIÆ Virgini mancipari: ostendunus enim, ipsam in eo consistere honestatis rationem, si nos coram Deo atque Matre ipsius omni possessione nostri exuamus, totos nos, id est omnes animi corporisque facultates, illis tradamus; quibus cùm diligentissimè obsecuti fuerimus, nullam nobis inde gloriam adscribamus, sed totum referamus in Deum, cuius donum est si quid egimus, & in Matrem eius, cuius meritis gratiam ad præstandum illi Filioque ipsius obsequium impetrauimus: tanta enim ipsius seruitio inest ratio honestatis, vt accipiamus, non conferamus beneficium, quando nobis licet tantæ Dominæ mancipij titulo inseruire. Quæ honestas si oculis corporeis cerneretur, Deus bone, quantô impetu tuerent mortales omnes in obsequium Matris Dei! Iam verò, quòd neque dignitas B. MARIÆ Virginis satis sit nobis perspecta, neque honestas tardam nostram, & ad temporalium splendorem attonitam, mentem iis incitet stimulis, qui satis possint omnia terrenarum affectionum & amoris proprij retinacula disrumpere, opus est alias prætereà admouere machinas, quæ propiùs sensum tangunt, & familiarius quodammodò nos impellunt ad amplectendum quod suadent. Quo in genere vtilitas facilè principem locum obtinet: ipsa enim validè non minùs quàm callidè illabitur; & insinuat se in animos mortalium, vincitq; non inuitos; irrepit, non irrumpit in voluntatis arcem; suadet, non cogit; & tamen æquè nos facilè rationibus eius duci sinimus, quàm vi necessitatis trahi. Imò quid? dissimulo genium & ingenium nostræ mortalitatis, quæ vtilitatis

valet honestas, quæ in mancipatu sita est:

non tamen sufficit:

iungenda est vtilitas:

vtilitatis causâ omnia facit, vix aliquid solius vi necessitatis aut amôre honestatis. Vtilitas polus est, quem omnes societatis humanæ actiones respiciunt: vtilitas centrum est, quò operationes & intentiones omnes vergunt: vtilitas scopus est, quò homines cuncti collineant: vtilitas denique vnica ratio est, quâ facilè bonum omne persuadeas; imò, prô dolor! & malum. Quid lucri faciam, apud Comicum est, si mentior.? vbi argumento certissimo probare se putat homo ceteroquin non religiosissimus, quòd scelus non designauerit, si nullum ex scelere lucrum illi obueniat. Tanta omnem in partem vis est speratæ vtilitatis, vt sola vel ad scelus, vel ad virtutem impellat, si adsit; si verò desit, neutram in partem magnopere commoueamur.

cuius ingens vis.

Aeneid. 3.

— Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames? ———

exclamat Poëta: nos hoc de cuiuscumque lucri spe dicere possumus; nec solùm admirari scelera quæ perpetrantur, sicubi spes lucri affulserit, sed etiam incommoda & molestias quæ subeuntur ab iis, qui sperant insignem aliquam post exantlatos labores sibi vtilitatem obuenturam. Decantantur agricolæ sudores, mercatorum curæ, militum labores, nautarum pericula: neque ipsimet qui ea perferunt, desinunt obstupescere, tantum apud se valere petitas ab vtilitate rationes, vt animos ad tam ardua suppeditent; & nihil poterit apud cælestium bonorum sectatores tam multiplex, quæ ex MARIÆ mancipatu speratur vtilitas? Agricolarum solatium est messis copiosæ probabilis spes; quam si post anni vertentis tædia acceperint, distentis illis manipulis omnem iucundissimè abstergunt sudorem: sed nihil messis ista ad MARIÆ famulos, qui venientes venient, dum ceteri se montibus & vallibus abscondent, portantes manipulos suos; quos benigna illa Ceres, cuius in campis laborauerint, implebit millies adaucto fœnore. Currit impiger mercator ad Indos populosque, quos nondum docuit acta per scelera omnia ambitio; lapidibus flauæque terræ visceribus pretium ponere; vt inde referat quæstuosa criminum nostrorum alimenta: sed quoties mare citiùs ab eo pœnas expetit auaritiæ, quàm ille possit suos auro gemmisque grauis repetere? quoties actâ in syrtes & scopulos naui frustrà optat vitam saltem tam ambitiosè quæsitis mundi alterius diuitiis redimere? At nos cùm simus lucri (quid enim negare iuuat?) cupiditate etiam non mediocriter feruentes; quin istam conscendimus nauem institoris, quæ vel ipso MARIÆ nomine indicat, quòd satis firma sit laterum compage aduersus omnes maris procellas, quæque non perituris onusta diuitiis certò nos perducet ad portum æternitatis? Si ex innumerâ militum multitudine; vnus alterve ad nobiliorem aliquam fortunam aut lauream peruenerit, quanta se hominum caterua per pericula & vulnera præcipitat præmij istius auida, quod tam rari consequuntur? quòd si verò pericula nulla, labor exiguus, laureæ, diuitiæ & honores certi, militare sacramentum exciperent, quis non vellet auctorari? & quænam segnities erit, obsequio beatæ MARIÆ Virginis nolle mancipari, si hanc ei vtilitatem inesse demonstrauerimus, quam nulla militibus felicitas audebit polliceri? Apud generosa quidem pectora plus valet honestas quàm vtilitas: verùm si hæc honestati ita permisceatur, vt & pulcherrimum sit quod suscipitur, & præterea abundet spe non sordidæ vtilitatis, tum scilicet admirabilis solet vis ista existere, quæ cunctos rapiat ad obeunda munera quæstuosæ honestatis: cuius rei exempla non est opus vel ab antiquitate repetere, vel quærere in finibus gentium longè à nobis dissitarum; cùm in oculos incurrat orbis terrarum splendor ille, qui vibratur è throno suæ Catholicæ Maiestatis: cui licet propter stemmatis incomparabilem nobilitatem, propter Monarchiæ prærogatiuam, propter pares orbis imperio animæque corporisque dotes, denique propter singularem illum Orthodoxæ atque auitæ religionis

Vtilitas maior in mancipatu MARIANO quàm in agricultura,

mercatura,

aut militia.

Conspirans cum honestate vtilitas, etiam generosa mouet pectora:

patet in tot Principibus Catholicæ suæ Maiestati seruientibus.

nis zelum, Ecclesiæque propagandæ curam, seruite sit honestissimum; non tamen ita potenter accirentur ex omnibus mundi partibus tot illustria Principum capita, qui se volentes ad obsequium eius inclinarent, nisi præter magnitudinem illam & excellentiam Regis nostri, de quâ dictum, etiam ipsi adesset facultas, quâ posset vtilitatem in omnes spargere qui sibi obsequuntur: non quòd vel amor tantæ Maiestatis, qui allicit exteros, vel in obeundo officio suo fides, quæ mouet subditos, virtutes sint mercenariæ; sed quod iucundiùs ibi sese exerant, vbi mercedem quam summam merentur, etiam maiorem meritis suis possint accipere.

Qua tamen ipsa Maiestas B. MARIAE Virgini etiam vtilitatis causâ seruiri.

Quòd si hoc in Maiestate illâ valet, quâ nullam in terris maiorem inter Reges agnoscimus, quantum valebit ad incitandos animos nostros, vt isti obsequamur Reginæ, cuius imperio videmus humillimi mancipij titulo hanc ipsam Maiestatem, non sine ingentium bonorum spe, libentissimè famulari? Non mediocre est hoc ad mancipatus huius vtilitatem ostendendum argumentum, quòd lucrum ex eo speret is, cuius magnificentiæ est omnibus dare, à nemine accipere. Hoc tuum esse, Rex maxime, cùm re ipsâ comprobatum sit, non inferius Maiestate tuâ, scio, arbitraberis, si quæ tu ex mancipatu hoc MARIANO expectas commoda, scilicet æternæ prædestinationis certitudinem, in afflictionibus consolationem, in periculis defensionem, in rebus dubiis instructionem, in omnibus curam & fauorem, in mortis articulo solatium; eadem illa minimum quemlibet subditorum tuorum, qui tuo exemplo mancipatum hunc subierit, iubeam sperare.

& eadem nobiscum abeâ sperat.

CAPVT VII.

Vtilitas à fine desumenda, qui nobis est vita æterna: quàm multipliciter sit mancipatus B. MARIAE *Virginis prædestinationis ad eam causa.*

CVM vtilitas rei omnis à fine desumenda sit, non possumus de mancipatus MARIANI vtilitate prudenter sermonem instituere, nisi ante omnia in finem vltimum, quem mortales omnes spectamus, oculos coniiciamus, indeque definiamus, quàm multiplex sit mancipiis ad eum obtinendum subsidium ab hoc Deiparæ mancipatu: quot enim nos modis eò disponit, quot media vel necessaria vel commoda ad eum mancipatus iste suppeditat, tot ei rationes insunt vtilitatis. Indubitatum est autem, finem nostrum esse possessionem vitæ æternæ: igitur neque controuerti potest, quin omnia ea, quæ nos ab eâ disturbant, nobis sint inutilia; quæ media ad eam obtinendam suppeditant, sint vtilissima. Vnde nihil prius est vtilitatem mancipatus MARIANI ostensuro, quàm declarare, quid faciat ad prædestinationem vitæ æternæ, esse mancipium MARIANVM: quæ res cùm tangat maximè lubricum Theologiæ totius locum, quasi suspenso pede erit nobis per altiora quædam dogmata incedendum; quibus facem prælucebit Apostolus ad Rom. 8. v. 30. *Quos autē prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Vbi ostendit, ad felicitatem iustorum æternam quatuor requiri summa Dei beneficia, prædestinationem scilicet, vocationem, iustificationem & glorificationem. Et prædestinatio quidem, vt S. Thomas 1. part. quæst. 23. artic. 4. docet, tribus rursum constat diuinis actibus: quorum primus est amor, quo Deus *secundùm consilium voluntatis suæ* amauit quosdam supra reliquos; non quia aliquid in iis boni reperiret, propter quod eos ceteris præferret, sed quòd eos amando meliores fecit. *Hoc namque*, inquit maximum ætatis & Ordinis nostri lumen B. Thomas de Villanouâ, *inter amorem Dei & nostrum distare solet; quòd nos bonitatem in aliis diligimus, sed eam illis diligendo minimè præstamus: Deus autem quos diligit, diligendo optimos & illustres facit. nos aliquid diligimus, quia bonum est; in Deo è contrario euenit, quia propterea aliquid bonum est, quia diligitur ab eo.* & pro-

Ad felicitatem æternam quatuor requiruntur Dei beneficia. Primum est prædestinatio, constans amore Dei erga nos

qui non amat, quia bonum, sed amando facit bonum;

& prosequendo subtilissimè explicat naturam huius diuini amoris; quòd scilicet voluntas diuina sit prima & summa bonitas, bonum reddens quidquid amat. Nam cùm nulla creatura intrinsecè & essentialiter bona sit, vt est diuinitas, sed ab extrinseco suam bonitatem participet; statui debet aliquid, quod sit in rebus creatis esse bonum: hoc autem aliud non est, quàm primæ & supremæ bonitati esse conforme, hoc est, gratum & acceptum; quanta diuinæ voluntatis libertas, cui omne quod placet, eo ipso quod placet bonum est. Diligat Deus quidquid voluerit; omne quod ipse voluerit, eo ipso quo volitum est, bonum est. non est ibi alia petenda ratio. Vnde superfluum & superbum, ne dicam stolidum & curiosum, videtur, quærere cur Deus velit hoc? cur Deo placeat hoc vel illud? id namque est in primâ omnium causâ petere causam, & inuestigare rationem vbi non est: nam optimè & propriè Deo conuenit,

Actione,

Sic volo, sic iubeo, stat pro ratione voluntas.

Ratione ergo illius sui amoris, Deus in ipsis istis quos diligit, satis inuenit causæ, cur eos aliis præferat, qui ita specialiter amati non sunt; quæ prælatio electio vocatur. Hanc excipit decretum certum & immutabile eos perducendi mediis infallibilibus ad finem suum, atque ex tunc ea ipsis præparat media; atque hoc decretum, si strictiùs loquamur, propriè est prædestinatio, quamquam vox hæc tres illos actus ex vsu plerumque significat. Sequitur prædestinationem vocatio, ex textu Apostoli. *Quos* enim *prædestinauit* Deus ab æterno, explicat Cornelius, *hos & vocauit* in tempore, dando eis gratiam & vocationem, ad quam eos prædestinauit. Vocauit, inquam, eos tum vocatione externâ, per exempla, flagella, conciones; tum maximè internâ per gratiam præuenientem & excitantem, quæ externæ vocationi respondet & commensa est: per quam trahit fortiter & suauiter in funiculis Adam, in vinculis charitatis, prædestinatos ad iustificationem: ad eam scilicet tandem ordinatur tota vocatio: hæc ad primam animæ gratiam conferendam, si eâ sit destituta; vel ad datam augendam, si eam nondum amiserit: atque hoc non alio fine, quàm *vt*, secundùm Principis Apostolorum mentem, *per bona opera certam* suam *vocationem & electionem* faciant, & fructus producant dignos vitâ æternâ; qui numquam à Deo in istum finem acceptarentur, nisi gratiâ eius essent veluti animati. Non inferius his muneribus beneficium est ipsa glorificatio: nam gratiâ & iustitiâ, quæ est veluti semen gloriæ, paulatim crescente, ac tandem ad perseuerantiæ finalis maturitatem perductâ, id solum restat, vt colligatur tempore messis, hoc est, in horâ mortis, atque in horrea cælestia inferatur. De hac enim glorificatione cum S. Augustino de Prædestinatione Sanct. & S. Fulgentio ad Monim. c. 11. malo, vnà cum Scholâ Theologorum, τὸ *glorificauit* S. Pauli accipere; quàm cum S. Chrysostomo, Theophylacto, Theodoreto, de gloriâ præsentis vitæ: quòd scilicet sint Filio Dei in ærumnis, tentationibus, martyriis, aliisq; patientiæ & virtutum heroicis actibus & meritis similes. Hæc prima est scala necessariò transeunda, vt ad intelligentiam illius mysterij peruenire possimus, quo probabo, mancipatum hunc maximi in hac ipsâ prædestinatione fuisse momenti; nunc post tantillam quietem, ad scalam alteram gradum faciamus, à prædestinatione scilicet in genere, ad IESV CHRISTI Redemptoris nostri, nostramque in specie prædestinationem: non enim solùm existimo CHRISTVM Dominum nostrum primogenitum esse in multis fratribus, & caput principemque omnium prædestinatorum; sed etiam causam principiumque prædestinationis nostræ. Causam principiumque voco, primò, quòd ipse sit idea & quasi forma prædestinatorum, Apostolo teste ad Rom. 8. v. 29. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* Iterùm, causam dico CHRISTVM nostræ prædestinationis; quòd nemo

Marginalia: *& decreto.* — *Secundum, est vocatio.* — *Tertium, iustificatio.* — 2. Petr. 1. v. 10. — *Quartum, glorificatio.* — CHRISTVS Dominus est verè causa nostra prædestinationis. — *Quare?*

nemo accepturus sit effectum prædestinationis aliquem, neque vocationem, nec iustificationem, multò minùs glorificationem, nisi per merita ipsius CHRISTI. Tertiò, causam & principium prædestinationis nostræ appello CHRISTVM Dominum: quia nostra prædestinatio, & quatenus est prædilectio omnibus communis, & quatenus electio est vnius præ alijs, siue alijs neglectis, est ex meritis CHRISTI: adeò vt isti qui ita electi sunt, debeant hanc ipsam electionem suam CHRISTO referre acceptam, ac dicere cum Apostolo ad Ephes. 1. v. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri* IESV CHRISTI, *qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in* CHRISTO. Quomodo autem verum est, omni benedictione nos esse affectos per CHRISTVM, si benedictionum omnium maxima, quæ est electio efficax ad gloriam, à CHRISTO nullâ ratione dependeat; præterquam, quòd ægrè ostendi possit, quomodo prædestinatio ad gratiam, mediaque ad eam assequendam, sit ex meritis CHRISTI? quod certum est, nisi concedatur, quod hîc asserimus, electionem ad gloriam esse ex ijsdem meritis. Cùm enim efficax intentio finis necessariò imperet & eliciat electionem mediorum ad finem necessariorum; quomodo dici potest, Deum nos ante CHRISTI præuisa merita voluisse efficaciter glorificare, nisi dicatur, quòd simul etiam indepedenter ab eiusdem meritis nos intenderit in filios adoptare, gratiam & merita dare, quibus gloriam nobis prædestinatam assequeremur? præsertim cùm merita CHRISTI non sint medium ad finem hunc necessarium & connaturale; gratia verò & iustitia sint per se ad glorificationem necessaria. Sed ne hisce inhæreamus, vlteriùs affirmo, nec desunt ita sentiendi duces, Deum in ipso illo admirabili prædestinationis opere, cuius vel sola cogitatio sacro omnes horrore defigit; non tantùm ad CHRISTI merita respexisse, vt omnes prædestinatos eligeret, eosque illi tamquam sanguinis sui pretium obtulisse; sed prætereà in voluntatem eius oculos coniecisse, quâ ille quosdam erat veluti amicos ac magis charos selecturus, ad quos vellet maiorem sanguinis meritorumque suorum efficaciam deriuari, atque ex tunc ipsi concessisse hanc cordis petitionem, neque vllum excepisse ex ijs, quos ipse voluit singularibus ijs donis exornatos.

Maximè, quia habita est ratio voluntatis eius, quâ erat quosdam singulariter dilecturus.

Nihil est quod hanc sententiam concutere possit, priore stabilitâ: nam si merita CHRISTI, quæ nondum existebant, poterant mouere diuinam voluntatem, vt efficaciter eligeret omnes saluandos; quid ni potuerit actus ille voluntatis CHRISTI, quo specialiter quibusdam collatos volebat fauores non vulgares, mouere eamdem Dei voluntatem vt omnia ipsi concederet? Non video quidnam vel ex parte CHRISTI, vel ex parte Patris æterni huic sententiæ opponi possit: neque abhorret ab incredibili pietate dulcissimi Saluatoris, neque à Patris amantissimi per omnia Filio gratificari cupientis indulgentiâ: neque dubitari potest, quin redemptionis pretium etiam huic gratiæ promerendæ abundè suffecerit. Ecce nos, superatis his etiam gradibus, viciniores illi quod meditamur fastigio, quod breuiter Capite insequenti proponemus.

CAPVT VIII.

Prosecutio eiusdem discursus.

At, cùm prædestinatio dicatur generatio,

GENERATIO cælestis in Paginis sacris vocatur prædestinatio. in Epistolâ 1. Ioannis cap. 5. v. 18. *Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum.* Quem locum S. Bernardus Serm. 4. de Diuersis, qui est de Triplici cohærentiâ, &c. sic exponit: *Generatio cælestis est æterna prædestinatio, quâ Deus præuidit nos conformes fieri imaginis Filij sui: ex his nullus peccat, id est, in peccato perseuerat; quia nouit Dominus qui sunt eius, & propositum Dei manet immobile.* Oportebat autem vt generatio hæc esset omni ex parte perfecta, non tantùm Patrem esse, sed etiam Matrem cælestem, qui producerent

oportet in eâ non tantùm Patrem, sed etiam Matrem assignare:

ducerent & educerent filios salutis, illisque de rebus omnibus necessarijs prouiderent, donec eos perducerent ad possessionem illius hereditatis, ad quam ius acquisiuerunt vi generationis huius spiritualis. Ostendimus autem, quâ ratione CHRISTVS Dominus noster, & Pater futuri sæculi, generationis illius auctor sit, vt viam sterneremus de MARIA Dominâ nostrâ & Matre item futuri sæculi eadem demonstrandi. Cuius primam rationem suggerit Propheta Regius Psal. 126. v. 3. *Ecce hereditas Domini, filij; merces, fructus ventris.* Quæ verba, si quâ hîc interpunximus ratione distinguantur, reddent eum quem S. Ambrosius lib. 1. in Lucam, & S. Petrus Chrysologus Sermone 140. ijs tribuunt sensum; quòd nimirum Domini Seruatoris nostri hereditas, quam Pater cælestis ei, quemadmodum suprà ostendimus, tribuit in mercedem tot laborum, quos in eius honorem exantlauit, simul etiam sit fructus ventris virginalis. nam cùm Seruator ipse verè sit fructus ventris eius, electi autem sint fructus Seruatoris; videntur vno eodemque partu à Virgine esse editi Seruator & seruati. Est ergo primò Mater viuentium, & Parens omnium prædestinatorum; quòd in Filio suo, in quo omnes tamquam in causâ meritoriâ continebantur, omnes ipsos in lucem ediderit, vereque pepererit. Caúsa prætereà prædestinationis nostræ dici potest Virgo Deipara quasi materialis aut subiectiua. Insolentiam verbi qui admiratur, audiat mysterij magnitudinem: cumque Patrum locutiones nonnullas & rationem ipsam examinauerit; tum statuat, an rectè hoc causalitatis genus Deiparæ circa prædestinationem nostram tribuamus. S. Epiphanius Serm. de S. MARIA Deiparâ, Virginem appellat *librum incomprehensibilem, qui Verbum & Filium Patris mundo legendum exhibuit.* Andreas Cretensis Oratione 2. de Dormitione Deiparam sic alloquitur: *Tu es liber verè viuus eius, qui in te tacitè fuit inscriptus, Verbi paterni, viuifico calamo Spiritus. Tu sola verè es noui Testamenti volumen à Deo scriptum, quod Deus antè fecit cum hominibus.* S. Ioannes Damascenus Oratione 1. de Natiuitate ait: *Hodierno die, is qui omnia effecit Deus Verbum, quod Pater è pectore eructauit, librum nouum condidit; Dei linguâ à Spiritu tamquam calamo quodam in ipso conscribendum.* Georgius autem Nicomed. in Oratione de Oblatione Deiparæ, *Eam*, inquit, *indicauit liber obsignatus, quem nullus legit sciens litterarum, præter eum qui obsignauit, & seruauit supra rationem; cum chartâ significauit purissimâ, in quâ Verbum sine scriptis impressum scidit fraudis chirographum.* Hæc fuit Patrum istorum, quantum speculando assequor, argumentatio: Cùm Filius Dei vocetur ac verè sit Verbum Patris, liberque nihil sit aliud, quàm instrumentum, quo nos verba, ne excidant & obliuioni tradantur, excipimus; cur vterus Virginis castissimus, & intemerata illa viscera, quibus exceptum & conceptum est Verbum istud, liber dici nequeat? Imò, si Apostolo in mentem venit, ipsum incarnationis opus appellare sensibilem Patris loquelam ad Hebr. 1. v. 2. *Locutus est nobis in Filio*; ideò quòd per eam manifestauerit nobis Verbum absconditum, quod habebat in cogitationibus æternis, illud carni commiscens, vnumque cum homine efficiens; quemadmodum nos manifestamus cogitationes internas, eas voci sensibili miscentes, & quodammodò incorporantes: imò, si nos facimus per sonum audiri, per scripturam videri, & manibus per chartam contrectari cogitationem, quæ in nobis erat prorsus insensibilis & spiritualis; quidni incarnationem Filij Dei scripturam Patris appellabimus, cùm verba interiora non tantùm ea voci incorporando audiri, sed etiam atramento aut alteri colori ea miscendo, legi & videri faciamus? Instrumento ergo, quo Verbum hoc ita sensibiliter excipitur, subtilitate quadam & proprietate sermonis librum dixerunt; cumque Verbum quod illi inscriptum erat, esset Verbum vitæ, optimè librum quo exceptum, librum vitæ appellarunt. Habemus ergo,

ea est Deipara.

Causa item prædestinationis subiectiua est Deipara;

quia Verbum excepit; estque liber vitæ:

nam incarnatio scriptura est Patris.

Declaratur hic liber vitæ per alterum, qui est intellectus Patris.

librum vitæ esse Virginem MARIAM: id quod comparatione alterius libri vitæ etiam paulò fiet illustrius. Theologorum omnium erat sententia, quam deinde suffragio suo S. Thomas sigillauit 1. p. q. 24. in Deo esse librum vitæ, cui characteribus indelebilibus inscripta sint omnium electorum nomina; puta in capite libri Seruator ipse, tamquam omnium caput, ac suo deinde quisque ordine, quo plus minúsve est de fructibus passionis ipsius participaturus. Atque vlteriùs dicunt, librum istum non esse aliud quàm ipsum intellectum diuinum, in quo ipse perfectè legit nomina omnium eorum quibus aliquando daturus est vitam æternam; quæ sola meretur nomen vitæ. Vnde Cassiodorus, citatus à S. Thomâ de Villanouâ Sermone de Natiuitate B. MARIÆ Virginis, ait: ***Liber vitæ est notitia eorum qui eliguntur ad vitam.*** Et sanè cognitionis proprium est scribere, pingere, figurare in intellectu id quod offert cognoscendum; vnde fit, vt recordaturi rei alicuius, non secùs in intellectu relegamus, atque si esset in libro aliquo descripta. Eâdem prorsus ratione Deus, recogniturus electorum suorum nomina, oculos suos conijcit in intellectum suum, in quo ea seruat descripta tamquam in libro signato; qui, secundùm Apostolum 2. ad Timoth. 2. v. 19. est ***habens signaculum hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius.*** Suppositâ itaque probabili multorum sententiâ, ex D. P. N. Augustino & D. Thomâ Aquinate deductâ, ista cognitio vitæ quam Deus habet de suis, est scriptura vitæ: cumque sit eadem illa cognitio substantialis, notionalis & personalis Dei; sequitur, eam simul esse productionem Verbi æterni, in quo, & per quod Pater vnico actu cognoscit omnia. Pater ergo concipiens Verbum æternum, concipit, & cognoscit, & distinguit, vnâ eâdemque, vt sic loquar, operâ, omnes prædestinatos in suo intellectu. Ex hisce iam clarum fiet, quàm rectè cum SS. Patribus Virginem MARIAM appellemus librum vitæ, per quamdam titulorum communicationem; cùm & ipsa conceperit Verbum æternum, in quo sunt omnes prædestinati, & in quo vitam eam quam sperant, habuerunt ante mundi constitutionem, quando in ipso vita erant. Nam si Pater dat Verbo esse, & vitam diuinam; Mater dat ei esse, & vitam humanam: si Pater id concipit & producit per locutionem substantialem; Mater concipit & producit per locutionem accidentalem: Pater illud concipit inuisibile & intellectuale, in diuino suo intellectu; Mater visibile & corporale, in sacro suo vtero. Imò intellectus Patris, quòd ita concipiat Verbum, vt gignat Filium, in sacris Litteris vtero materno comparatur: ***Ex vtero ante luciferum genui te,*** Psal. 109. v. 3. Quin ergo Matris vterus, cùm Filium concipiat, qui simul est Verbum Dei, optimo iure intellectui paterno comparetur? Audeamus nunc ergo, & affirmemus de libro hoc vitæ: quòd, sicuti Pater concipiens ab æterno Verbum suum, in ipso & per ipsum concipit omnes electos; ita Virgo concipiens in tempore idem Verbum, simul concipiat omnes prædestinatos: quemadmodum Pater conceptione istâ æternâ originaliter eis dat vitam; ita Mater conceptione hac temporaneâ eis secundariò eamdem dat vitam: vti per conceptionem diuinam ipsi sunt ab æternitate in intellectu Patris; ita per conceptionem humanam in tempore sunt repositi in visceribus Matris: quemadmodum in intellectu Patris Verbum increatum & intellectuale est scriptura, idea & causa inuisibilis prædestinationis; ita in vtero Virginis Verbum incarnatum & corporale est scriptura, idea & causa visibilis prædestinationis. Nemo potest ad prædestinationis gratiam aspirare, qui non sit cum Verbo increato in intellectu Patris, qui est primus liber vitæ; nemo similiter ea sperare potest, qui non sit cum Verbo incarnato in visceribus MARIÆ, qui est secundus liber vitæ. Est ergo duplex vitæ liber; nimirum intellectus Patris, & sinus Matris: ille simpliciter & absolutè liber vitæ, hic cum adiectione liber vitæ Agni, ob carnem

In vtroque concipitur Verbum, & per illud omnes electi.

nem quam Verbum ab eâ est mutuatum. de vtroque autem dicitur, quòd non intrabunt in Ierusalem cælestem, *quorum non* sunt *scripta nomina in libro vitæ Agni.* Quoniam semel altum sumus ingressi, sequamur Spiritus sancti impetum, videamusque, an non alijs alijsque modis probari possit, Virginem esse causam electionis & prædestinationis. Quid autem, si sic argumentemur? Salus, felicitas & principium prædestinationis electorum est Verbum incarnatum: atqui non datur id ijs nisi per Virginem: non ergo datur prædestinatio nisi per Virginem. Quid verò si sic? Quando natura humana suppositaliter vnita est Verbo, eodem tempore, eodemque mysterio vniti ac reuniti sunt omnes electi Deo per ipsum Verbum: atqui vnio humanitatis ad Verbum non est facta, nisi in Virgine, & per Virginem: ergo simul vnio electorum ad Deum facta est in Virgine, & per Virginem. Vide autem quanta hinc gratitudinis obligatio in nobis oriatur: nam, quemadmodum consensus Virginis requisitus fuit, vt in ipsâ fieret vnio humanitatis ad Verbum; atque ab eâ pependit, vt vel assentiretur Angelo incarnationem Filij Dei annuntianti, vel non; vnde alibi ostendimus, quàm sollicitè genus humanum eam deprecaretur, vt omnipotens illud fiat ne dicere grauaretur; ita ab eodem eius Verbo pependit, vt reunio hæc prædestinatorum cum Deo fieret: in quam cùm liberè consenserit, verè dici potest causa prædestinationis, atque omnis nostræ felicitatis. Etiam hîc superiora repetamus, vbi ostendimus corredemptricem generis humani posse appellari Virginem; non tantùm quia nobis genuit Redemptorem, sed etiam quòd voluntatem doloresque suos verè pro nostrâ salute cum Filio Deo obtulerit, fueritque oblatio illa à Deo pro omnium electorum salute acceptata, non tamquam æqualis, aut quæ possit eam de condigno mereri, quemadmodum oblatio quam sui faciebat CHRISTVS Dominus: sed gradu multò inferiore; ita tamen vt verè ijs applicaretur eo modo quo ipsis expediebat. Poterit denique hoc ipsum quod intendimus probare istorum Patrum consensus, qui dicunt, Deum omnia nobis dare statuisse per MARIAM, eamque dispensatricem esse thesaurorum Dei: quòd si omnia ei debemus referre accepta, id certè quod est omnium maximum, referamus ei ante omnia. Ipsa enim est thesauris cælestibus eò iure præfecta, vt nequeat gratia vlla sine eius voluntate hominibus communicari.

Apocal. 13. v. 8.

Alijs item modis est Virgo Deipara causa prædestinationis.

CAPVT IX.

Mancipatum hunc in particulari multis causam fuisse prædestinationis.

Si quod sit toto hoc Libro capitulum, quod lætitiæ & gaudij segetem præbeat mancipijs; hoc profectò tale est, vt mentem eorum possit perpetuâ quadam demulcere voluptate. Nam si CHRISTVS ipse discipulos tam disertè hortatus sit Lucæ 10. v. 20. *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur; gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis:* iure mihi videor mancipia posse alloqui in hunc modum: Non in hoc tam vehementer gaudete, quòd mancipatus hic MARIANVS vobis sit causa tot bonorum, tantarumque atque mox proferam vtilitatum; sed in hoc gaudete, quòd propter ipsum nomina vestra scripta sunt in libro vitæ. Propter ipsum, dico; an ergo electio ex meritis? absit: nam neque hoc ipsum meruimus, vt tanto mancipatus sui nos MARIA Virgo dignaretur honore. Audiant ergo mancipia, & lætentur, quid mihi cogitationis suggerat eorum tam nobilis mancipatus; quam vti credendam tamquam certum fidei nostræ articulum nullatenus contendo, ita quid ei possit firmæ rationis opponi, non video. Potuit Deus Filio suo in eo gratificari, & haud dubiè fecit, vt meritorum ipsius præstantiâ moueretur ad eligendos illos, ex quibus ipse Ierusalem suam cælestem tamquam ex viuis lapidibus erat constructurus: motus etiam fuit,

Gaudij materia in hoc Capite.

vt suprà dicebamus, dulcissimâ voluntatis eius quam præuidebat inclinatione, quâ ipse in suam quasi familiam & familiaritatem quosdam asciscerent, ac proptereà ipsos prædestinauit ad eam gloriam, eamque participationem meritorum CHRISTI, quæ digna esset eo honore, eoque affectu, quam ijs Dominus noster IESVS CHRISTVS erat impensurus: quidni ergo piè credemus etiam, licet inferiore quadam ratione, motum fuisse Deum per præuisa merita Virginis Deiparæ, Filij eius meritis ac passioni vnita, vt electis omnium maximum prædestinationis beneficium conferret? Imò quid vetat nos affirmare, Patrem, cùm præuideret benigna illa pietatis viscera ipsius Matris misericordiæ aliquando commouenda, vt hos vel illos speciali quodam amore diligeret, illosque misericordes oculos, nutu suo vitam & salutem circumferentes, ad quosdam, hoc ipso vere beatos, conuerteret; ex tunc motum fuisse voluntate gratificandi dilectissimæ Filiæ suæ, ac Matri Vnigeniti sui, illosque ipsos ideò non solùm Beatorum numero adscripsisse, sed ijs prætereà singularia illa præparasse dona, quæ præuidebat fore vt Deipara ijs vellet conferri? Assurgamus nunc, Sodales, ad dignam vocationis nostræ cogitationem; & memores tot titulorum, propter quos supremam omnium creaturarum Reginam esse Dominam nostram alibi probauimus, imaginemur illam ante mundi constitutionem, imò ante vllam creaturarum, quæ omnes propter eam & Filium eius factæ sunt, decretam in mente diuinâ productionem. Licet enim nobis, vt ingenij tenuitatem adiuuemus, in æternitate istâ, quæ omnis expers vicissitudinis, simul & semel decreuit quidquid est volitura, quædam veluti momenta distinguere, vt humano modo diuina concipientes, ea supra omnem humanam sublimitatem veneremur. Imaginemur, inquam, in voluntatis diuinæ decretis solam adhuc productam cum CHRISTO Domino Virginem MARIAM, eamque omni istâ, quam independenter ab alijs creaturis obtinet, dignitate exornatam, vt Patris æterni Filia, Filij Dei Mater, & Spiritus sancti sit Sponsa, & consequenter imperium ac dominium habeat in omnia quæ Deus extra se erat molliturus. Quid verò iam? an non decere videtur, vt tantæ Reginæ statim è creaturis, vbi eas producere Deus decreuerit, constituatur familia? quis autem constitutam arbitrabitur, non exquisitâ de singulis famulorum voluntate? Pertinebat profectò id tum ad dignitatem Reginæ conseruandam, tum etiam ad obtinendum promptum amorisque plenum à famulis obsequium, quando intelligerent tantum, quod in isto famulatu experirentur, bonum sibi eius ipsius voluntate collatum, cui famularentur. Videte nunc, quomodo mancipatus hic MARIANVS, quod Capitis initio dicebam, nobis non tantùm signum sit, sed etiam causa exstiterit æternæ prædestinationis: licet enim in tempore contigerit ista nobis felicitas, quòd Virgo oculos ad nos direxerit, ac benigno obtutu gratiam impetrarit, vt videremus quàm dulce sit iugum eius, vltroque manus & pedes iniiceremus in vincula ipsius; tamen hæc eius voluntas mouit ab æterno Deum, vt ratione eius nos, vti certò confidimus, in librum vitæ referret, atque inter illos collocaret, qui erant singularibus cumulatam priuilegijs salutem æternam consecuturi. O Sodales! ó dilecta & electa Deiparæ familia, quanto me sola hæc cogitatio perfundit gaudio, quòd vos estis mancipia istius Dominæ, quæ Deum futura omnia tamquam præsentia intuentem, electione quam vestri factura erat in tempore, ab omni æternitate mouit, vt omnes qui de suâ futuri erant domo prædestinatis adscriberet; vos, inquam, estis mancipia, id est, abiectissimi & humillimi in istâ familiâ, vbi nouissimi sunt primi, & primi nouissimi. Affectent qui volunt, fortè etiam non sine sensu & fructu pietatis, filiorum, sponsorum amicorumque nomina & officia; modò nobis ex Dominæ nostræ ingenio liceat postremum mancipiorum & ancillarum locum occupare, vt

Multi ideò prædestinati sunt, quòd B. MARIA Virgo oculos in ipsos coniecerit.

ac in primis famuli: familiam namque ei constituit qualem volebat.

Quanta felicitas, esse de eius familiâ.

eò

eò feruentiùs quò humiliùs tantæ Dominæ seruiamus. Non quòd nobis aspirare non liceat ad beatam filiorum ac sponsorum sortem; sed quòd magis expediat filiali amore ei mancipari, quæ ipsa magnam felicitatis istius partem, quâ Filia, Mater & Sponsa Dei facta est, mancipatui suo refert acceptam, dicens: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.*

Lucæ 1. v.48. *Certam reddit* B. Maria *Virgo electionem suorum,*

Quomodo per vocationem & iustificationem certam faciat electionem suorum, nihil attinet multis probare, cùm ipsa de se Eccli. 24. v. 12. & 13. disertè loquatur: *Tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium: & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Israël hereditare, & in electis meis mitte radices.* Grano frumenti mortalium singulos comparari, qui ad grani primarij, id est Christi Domini, imitationem in terram mitti, putrefieri & consumi debent, vt fructum multiplicem bonorum operum producentes, inferantur in horrea paradisi cælestis, è sacro Euangelij textu notius est, quàm vt dici debeat: verùm, quantum vndique periculum, ne vel in spinas, vel in petram, aut viam, aut terram non bonam, grana hæc cadentia sine firmâ radice exarescant. Quantum ergo beneficium contingit Virginis Deiparæ electis mancipijs, quòd pro ipsis curam gerat prudens diuinæ familiæ œconoma, ne ipsa cadant vbi radices agere nequeant? *In electis meis*, inquit, quos etiam propter te elegi, *mitte radices*, ne & ipsi sine fructu pereant. Quadripartitam verò esse eam radicem, quâ illos contra omnes tentationum tempestates muniat, posteà in eodem capite ostendit v. 24. *Ego*, inquit, *mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Prima pars est, quòd vti ipsa mater est pulchræ dilectionis, ita producat in seruorum suorum pectoribus mirabilem dilectionis spiritum: adeò vt perinde atque olim dignoscere erat Apellis discipulum inter ceteros pictoriæ artis magistros, ex tractu & stylo quem à magistro suo hauserant; ita modò cognoscere sit Virginis Deiparæ famulos ex spiritu isto dilectionis, quo omnia perficiunt non tam spe præmij, aut pœnæ formidine, quàm suaui quadam amoris inductione. Addit secundam radicis partem, *& timoris*, filialis nimirum, qui pullulat ex eodem cum amore trunco; & proprius est mancipijs Deiparæ, quæ nihil æquè reformidant ac offendere dulcissimam illam Dominam, quam norunt erga se materna gerere viscera. Spinosa est nonnihil hæc radix propter timoris aculeum; sed spinis adeò necessarijs, vt vix putem diutiùs amorem posse conseruari, nisi hoc spinoso timoris stipetur satellitio. Tertia pars est agnitio, vel cognitio; siue cognitionem intelligas, quâ ipsa pectora suorum illuminat, vt cognoscant Filium eius Iesvm Christvm, cui propagandæ agnitioni ipsa sollicitè incumbit, vt scilicet gustent & videant conuersationis eius dulcedinem, amicitiæque diuinæ percipiant fructus; siue eam, quâ Deo nos quodammodò notos facit, quando ei preces & bona opera nostra indicat, quando pro nobis deprecatur, & vbera ostentat Filio suo, vt nostri misereatur. Eant nunc cateruatim peccatores ad Mariam, vti quondam gentiles ad Philippum, dicentes: Domina, cupimus Iesvm videre, cupimus faciem eius auersam à nobis aspicere; ô Maria, benedictum fructum ventris tui nobis non solùm post hoc exilium, sed etiam in hoc exilio ostende: & agnoscamus auctorem salutis nostræ, vt nos ab eo agnoscamur in die illâ quando venturus est iudicare, ne audire cogamur tristissimum istud, *Nescio vos*, quo paradiso quidam excludentur cælesti, flammis æternis addicendi. Quarta & ferè dulcissima radicis huius pars est spes firmissima, quâ ipsa corda suorum corroborat, vt confidant, Dominam suam in nullis sibi necessitatibus abfuturam. Spes hæc & fiducia firmissimis nixa fundamentis non vanitatem mentis arguit in mancipijs; sed cùm Dominam habeant quæ Mater sit, & Mater pulchræ dilectionis, non possunt sine pusillanimitatis notâ non maximopere confidere in vi-

per spiritum dilectionis, *timorem filialem,* *agnitionem,* Matth. 25. v. 12. *& sanctam spem.*

fcetibus charitatis, è quibus videtur tota esse conflata; præsertim cùm tot annorum & fæculorum iam constet experientiâ, numquam fuisse repulsam passos, qui sincerè ad Dei Matrem recurrerunt. Fideiussorem pro Virgine se dedit S. Anselmus apud Antoninum 4. p. tit. 15. cap. 14. §. 9. *Vt enim*, inquit, *impossibile est vt illi, à quibus oculos sua misericordiæ auertit, saluentur; ita necessarium, quòd hi, ad quos conuertit oculos suos, pro eis aduocans, iustificentur, & glorificentur.* Stabilitur rursum ista infallibilis fiducia certissimâ illâ sententiâ, quâ credimus, inexhaustum meritorum IESV CHRISTI thesaurum Matri esse commissum. Fulcitur denique auctoritate istâ, quam obtinet apud Deum, qui nullis eius solet voluntatibus refragari: vnde fit, vt immota stet hæc menti fiducia, quòd numquam Mater illa misericordiæ permissura sit, vt serui eius tradantur manibus iustitiæ seueri illius Iudicis, qui etiam iustitias iudicabit; cùm ipsa in familiâ suâ particulare ius habeat, erexeritque tribunal misericordiæ, vbi ipsa ius dicit Regina & Mater misericordiæ. Faciamus ergo, quòd, præter naturam suam & consuetudinem, hæc clementissima Mater permittat quempiam è seruorum suorum numero æternùm condemnari; an non necesse erit hoc sepulchro eius dare epitaphium?

Quàm hæc spes sit certa.

HACTENVS IN SOLO
TAMQVAM IN SALO
VIATOR FLVCTVAS,
QVOD
NVSQVAM FIRMA HÆREAT
ANCHORA SPEI TVÆ:
POSTHAC NEC POLO CREDE,
NAM
SERVVS SPEI COMMVNIS
HIC MORTE ÆTERNA
DAMNATVS IACET.

Quid autem dictura est sera posteritas, si hæc in cæli contumeliam marmori sepulchrali inscripta legerit? an non communi zelo eruet blasphemas notas, atq; vnanimi consensu clamabit falsum atque insanum esse epitaphium? neque fieri posse, vt Virgo Deipara ita boni communis, ita honoris Filij, ita sui, ita naturæ suæ obliuiscatur, vt rem permittat ita communi sensui repugnantem, atque ita scandalosam miseris peccatoribus, qui, post amissa omnia firmamenta spei, solent in hac vnâ collocare fiduciam, quòd Patre irato, Matrem benignam inuenient; quòd clausâ cæli ianuâ, per hanc eius fenestram aditum inuenient; quòd repulsi à CHRISTO, à MARIA recipiet? Sit ergo iam satis probata prima mancipatus MARIANI vtilitas; quòd scilicet prædestinationis nostræ causa sit, & certam reddat per iustificationem, & perseuerantiam in bono, vocationem & electionem nostram. Nunc alia eius commoda videamus.

CAPVT X.

Ingens MARIANI *mancipatus vtilitas probatur ex Dominæ liberalitate.*

CERTVM est non solùm Philosophorum apophthegmatis, Principumque oraculis, sed etiam communi rationalis creaturæ iudicio, nullam virtutem æquè regiam ac principalem esse, atque liberalitatem. nam si Xenophontem interroges; *Multò præclarius*, inquit, *ac laudabilius est beneficiorum quàm trophæorum memoriam post se relinquere:* si Regem Anaxilaum, quid in Regno sit omnium felicissimum; respondet, *In conferendis beneficiis numquam vinci.* Imò Demosthenes sublimius extollit liberalitatem: nam & ipse rogatus, quid Deo simile haberent homines, respondit, *Benignè facere.* Trophæa B. MARIÆ Virginis, quæ ipsa de tartaro debellato fixit, non tantùm ad nominis sui gloriam, sed etiam ad salutem nostram sempiternam, suprà commemorauimus; Reginam & Imperatricem eam esse omnium maximam, suo loco ostendimus, denique diuinâ eam affinitate supra humanam sortem

Liberalitas virtus est regia & diuina.

Stob. Sermone 48.

Ibidem.

Max. Sermone

ſortem eleuatam diximus. Tempus nunc eſt, vt fixa de hoſtibus trophæa exornemus innumeris in amicos collatis beneficiis; vt Regiam eius indolem non tantùm ſtupeamus in magnificentiâ, ſed etiam in munificentiâ amemus; vt denique liberalitate virtutum omnium diuiniſſimâ diuinam eius comprobemus affinitatem: tempus, inquam, eſt, vt quod agimus agamus, ac potentiſſimè perſuadeamus hominibus Virginis Deiparæ mancipatum, oſtendendo eam ſupra omnem humanam munificentiam eſſe prodigæ in ſuos liberalitatis. Plato non ſemel in Dialogis ſuis amorem miſerabili ad ſpeciem depingit imagine, laceris nimirum veſtibus, ſine capitis pedumque integumentis: vt, quantum aſſequor, ſignificet, puerum iſtum verè prodigum nihil ſibi reſeruare, ſed omnia in amicos profundere: Ageſilai nimirum eſt indole, qui, teſte Plutarcho in Lac. dicere ſolebat, *ſibi multò eſſe iucundius, ſi milites ſuos ditaret, quàm ſi diteſceret ipſe.*

amori propria,

Et ſanè non aliud, credo, amor habet ſui indicium, quàm liberalitatem, cùm Deus ipſe non aliter hominibus amorem ſuum manifeſtet, quàm iis benefaciendo: vnde mirum non eſt, ſi Virginem MARIAM, quâ nemo propius ad diuinam naturam accedit qui Deus non ſit, mox videbimus non (prout cæci olim cæcam ſuam imaginabantur Deam) in ſuppoſitum ſibi mundum ſine delectu munera ſpargentem, ſed conferentem petentibus tam facilè ac liberaliter, vt videatur in dando delectus eſſe non poſſe, vbi nihil ad impetrandum requiritur, quàm vt petatur. Magnifica fuit olim legiſlatori Hebræorum facta promiſſio à Deo, cùm dixit: *Oſtendam omne bonum tibi.* & æquè liberalis promiſſi adimpletio, quando ei oſtendit ſemetipſum fontem omnis boni, & bonitatem ipſam, cuius comparatione nihil dici poteſt bonum. Hæc eſt promiſſio quæ tot Martyres egit in certiſſimam mortem, tot Confeſſores in exilia, tot Virgines in abditiſſima clauſtra; quòd nimirum ſcirent cui crederent, & quis eis dixiſſet, quòd per iſta incommoda adepturi eſſent omne bonum.

& vnicum eius indicium.

Hæc in Deiparâ tanta,

Exod. 33. v. 19.

Et cùm boni acquirendi causâ omnis mortalium deſudet induſtria; quinam eorum, ſi ſaperent, non totis viribus virtuti incumberent, per quam Deum, hoc eſt, bonorum omnium accumulatiſſimam perfectionem, poſſunt adipiſci, cùm omni alio ſtudio tandem vix aliquam boni ſcintillam poſſint acquirere? Nolo nunc exagitare iſtam numquam ſatis deploratam hominum cæcitatem; ſed mancipiis Deiparæ verbo vno dicam, lætari & exultare eos poſſe in hoc ſuo mancipatu, quòd per eum inuentâ Dei Genitrice MARIA, inuenerint omne bonum. Doctiſſimus iuxtà ac pientiſſimus Idiota nobis hîc eſt auctor audendi, & tam magnifica tamque vtilia promittendi de Virgine: ipſe diſertè ait in procœmio Contempl. de B.Vi[illegible] *nuentâ* MARIA, *inuenitur omne b*[illegible] Inſanus ſit, qui hæc de ipsâ eâ[illegible]ſus ratione dici exiſtimet, quemadmodum de ſe ſumma & infinita bonitas pronuntiarat; cùm in Deo ſit tamquam in fonte, in Virgine tamquam in riuo ſummum bonum. Cùm Deus de ſe & à ſe habeat quidquid optari & fingi poteſt bonitatis; Virgo accipiat à Deo quidquid vel habet ipſa, vel liberali manu diſpergit in alios. Intereà tamen multò etiam minus ſanitatis illi ego tribuerim, qui de veritate huius ſententiæ vllatenus auderet dubitare, *Inuentâ* MARIA, *inuenitur omne bonum.* Cùm enim de potentiâ precum eius apud Deum conſtet, nihil ipſi denegandum quod ſit in eius, cui nihil eſt difficile, poteſtate: ruſuſque certum ſit, eius factam eſſe ad omnem Regiam liberalitatem naturam, & viſcera eius tranſiiſſe in viſcera miſericordiæ, poſteaquam in iis ipſa, quæ ex Deo eſt, miſericordia nouem menſibus requieuit; quomodo non poterit omnia habere, qui Virginem iſtam obtinuerit? Non eſt melior ad corroborandam fiduciam ratio, quàm ipſa experientia: nihil enim magni non ſolemus ſperare, ſi videamus paſſim maiora aut paria obtineri à multis.

vt eâ inuentâ, inuentum ſit omne bonum.

Id explicatur & confirmatur.

Triplicia bona,

multis. Igitur doctrinæ causâ diuidamus omnem boni rationem in tria genera, vt videamus, an omnia Virgo suis conferre soleat, & num debeamus eadem à liberali manu eius sperare. Primum ergo bonorum genus est, quod extra nos situm, vulgò fortunæ bona appellamus; huiusmodi sunt diuitiæ, opes, honores, potentia, proles, amici, prosperi rerum successus, & aduersorum remedia. Secundum genus vti propiùs tangit hominem, ita etiam maioris quàm primum fieri solet, continetque omnia bona corporis; qualia sunt sanitas, bona corporis habitudo, vires, pulchritudo, vita diuturna, & multa id genus alia. Tertium verò animæ bonis definitur; vt sunt bona indoles, ingenij viuacitas, capacitas, subtilitas, iudicij maturitas, scientia, virtus; ad extremum, omnia tam gratiæ dona quàm gloriæ. Huc iam properate Virginis mancipia, aperite desiderij sinum, dilatate votorum vestrorum angustias, petite, & accipietis. Non enim tantùm cum fiduciâ dico, sed etiam cum certitudine; quòd nemo passurus sit repulsam apud tam piam Dominam. imò ampliùs dico, nullam ambitionem nouorum quotidie titulorum inuentricem; nullam auaritiam quantumuis inexplebilem, nullam scientiæ cupiditatem quamuis auidissimam, nulla denique hominum desideria semper insaturabilia, tot tantaque excogitare posse quæ optent, quot quantaque Virgo vltrò suis obtulerit beneficia. Factis hæc dicta comprobare non esset difficile, si luberet per verissimas ac testatas historias decurrere; ex quibus breuitatis ergô pro singulis bonorum generibus breuiter aliquot delibabimus.

fortunæ,

corporis,

animæ.

CAPVT XI.

Largitur beata MARIA *Virgo bona fortunæ & corporis.*

Hæc bona Deo & Virgini sunt liberalitatis materia,

BONI est proprium, aiebant Stoici, semper prodesse & iuuare, sicut caloris, calefacere. Et disertè eorum inter Latinos princeps lib. de Vitâ beatâ cap. 24. *Diuitias nego bonum esse: nam si essent, bonos facerent. Nunc, quoniam quod apud malos deprehenditur, dici bonum non potest, hoc illis nomen nego.* Quæ sententia titulo Capitis huius obstrepere videtur, qui fortunæ bona inter liberalitatis MARIANÆ obiectum videtur ponere, cùm liberalitas dare non possit nisi profutura. Quâ obiectione non id efficitur, quòd beneficij materia non sint Virgini Deiparæ diuitiæ, ceteraque fortunæ & corporis bona; sed quòd illi, Deoque ac ceteris Cælitibus pænè solis sint materia istius virtutis. Si enim admittamus quod obiicitur, liberalitatem numquam dare nocitura: neque enim liberalis vocabitur, qui alteri venena quamuis pretiosissima propinauerit; sequetur, homines inter sese diuitias largiendo vix posse liberalitatis laudem obtinere. Cùm enim diuitiis benè quis possit & malè vti, spargunt eas plerumque homines in eos qui malè vtentur. Hinc diuina Senecæ admonitio de liberalitate suprà: *Errat, si quis existimat facilem rem esse, donare. Plurimum ista res habet difficultatis, si modò consilio tribuitur, non casu & impetu spargitur. Plurimum,* inquit, *habet difficultatis.* & deinde ostendit, quàm sit in benefaciendo occupatus. *Hunc promereor, illi reddo: huic succurro, huius misereor: illum instruo, dignum quem non diducat paupertas, nec occupatum teneat. Quibusdam non dabo, quamuis desit; quia etiam si dedero, erit defuturum. quibusdam offeram, quibusdam etiam inculcabo.* Non dubito, quin multis auferre diuitias, ex Philosophi istius mente, liberalitas vocaretur; quia illis in perniciem suam abutuntur. Cùm ergo nos eam habeamus Dominam, quæ sinum habeat facilem, non perforatum, vnde exeant profutura dona, non excidant nocitura; optimè possumus inter liberalitatis ipsius materiam fortunæ corporisque bona numerare; cùm nemini sit collatura, nisi cui nouit, quantum quidem ex vi ipsius donationis, profutura. Caro enim, ah! nimis caro constarent bona illa, si darentur

vix ceteris hominibus.

rentur cum periculo damnationis. Respondebit potiùs pia Mater petentibus nocitura sapientissimis Filij verbis: *Nescitis quid petatis.* vnde fit, vt ferè diuitias à Virgine collatas videamus hominibus in necessitatis remedium, non in luxus luxuriæve instrumentum. *Hanc*, ait Epistolâ 74. Seneca, *imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cœtum honores, diuitias, gratiam excutere.* En autem pulchriorem imaginem, Virginem Deiparam ludos facientem, ac missilia spargentem, non casu, sed consilio. Hic sinum omnes expandant, ac multas etiam exoptent manus; quia nihil datur, quod serà luendum sit pœnitentiâ: non hîc, quod fortunæ muneribus contingit, alia inter diripientium manus scinduntur, alia diuiduntur infidâ societate; alia, magno detrimento eorum in quos deueniunt, prenduntur: quædam dum temporaneo ora deliniunt melle, semper cruciaturum spargunt venenum: quædam insidiosâ escâ nociturum abscondunt hamum: sed omnia profutura, omnia recreatura, omnia verè bona sunt quæ mittuntur; ideò quod à vero ac prouido Virginis amore, non à cæcâ fortunæ temeritate sparguntur. Vnde autem ego hos ludos incipiam? quam primùm commemorem missilium istorum felicitatem? Pecuniam? nulli auidiùs solet hominum cupiditas inhiare. ecce verò illam à Virgine suppeditatam. Gregorius Turonensis mihi testis, qui lib. 1. de Gloriâ Martyrum cap. 11. narrat, Ierosolymis Virgini MARIÆ dedicatum fuisse Monasterium, amplissimâ instructum dote in subsidium peregrinorum: quos cùm liberalissimè aleret, euenit, dubium quo casu, vt non solum peregrinantibus nihil superesset, sed ipsis Religiosis deessent ad vitam necessaria. quâ re cùm turbatos nonnihil suos Abbas conspiceret, blandè eos affatus, bono animo esse iubet; secum noctem vnam orationi impendant, sperare se omnia à communi misericordiæ Matre, quæ non soleat deserere sibi dedicatos. Facilè à viris etiam aliàs pientissimis noctem vnam abstulit Prælatus. Ecce autem Deiparam dona spargentem. accedit altare pro more discoperturus sacristanus; & inuenit illud auro argentoque ita onustum, vt præsenti necessitati abundè prouideretur. Nec semel pecunia data est: alterum missile, quod eam inscriptum gerit, producit alter Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 9. in hunc modum: Sanctus Bonifacius Ferentinæ ciuitatis Episcopus, cùm duodecim aureos sui nepotis eo inscio in eleëmosynam pauperibus erogasset, eosque posteà nepos sibi restitui importunè flagitaret; beatæ Virginis Ecclesiam ingressus, eleuatis manibus, extenso vestimento orauit, vt ei redderet vnde furentis nepotis insania mitigaretur: tunc repentè in veste inuenit duodecim aureos, perinde fulgentes, quasi ex igne producti eâdem horâ fuissent.

Matth. 20. vers. 22.

Comparatio fortunæ missilia spargentis & Deiparæ.

Collata pecunia à Virgine MARIA.

Item duodecim aurei ab eâdem dati.

Quàm maternè Hermanno Contracto lapidem ostenderit, sub quo reperiret pecuniam cuique necessitati prout occurrebat sufficientem, notum est magis, quàm vt commemorari debeat. Vt tamen sciant mancipia, quid ipsi debeant ab Herâ suâ liberalissimâ sperare; quid VValtero à Birbach contigerit, non omittam hîc ex Cæsario repetere. ait is libro 7. Mirac. cap. 39. Cùm quodam tempore inter multos VValterus stans Missam audiret, Sacerdos, vt in Canone Calicem leuauit, Crucem auream sub eius pede conspexit; cui annexa fuit carthula hæc continens verba: Crucem hanc defer ex parte meâ (MARIÆ scilicet Matris CHRISTI) amico meo VValtero militi prope Birbach. quam cùm Sacerdos legisset, post completionem Missæ pulpitum ascendit, & clamauit, Estne aliquis hîc miles qui vocetur VValterus de Birbach? respondentibus quibusdam, Ecce iste est; Sacerdos eum seorsum duxit, crucem porrexit; & vbi eam inuenerit, vel quis miserit, intimauit: quam lætus suscipiens, in cœnobio Hemmenrode posteà Conuersus, eam Abbati consignauit. Cuius

Crux aurea missa VValtero à Birbach.

Crucis aurum tanti est fulgoris, vt omne aurum in eius pallescat comparatione.

Pecunia miraculosè per mare directa.

Euentu suo est admirabile quod narrat Dionysius Carthusianus Serm. 4. in Assumptione B. MARIÆ Virginis in hæc verba: Constantinopoli quidam mercator diues & iustus ad tantam deuenit inopiam, vt à quodam Iudæo sibi postulauerit mutuari pecuniam, dicens: Dabo tibi fideiussorem sanctam MARIAM, & eius imaginem, quòd die statuto tibi persoluam. Acquieuit Iudæus, sciens sanctam MARIAM esse post Deum primam spem Christianorum. Perrexit ergo mercator cum pecuniâ in Alexandriam, & infra annum multas valdè ibi acquisiuit pecunias: cumque die statuto imminente non posset reuerti, posuit pecuniam persoluendam in repositorio ad hoc apto; scriptum quoque annulo suo signatum tale apposuit: Suscipe Abraham pecuniam quam mihi accommodasti. & nocte diei quo fuerat pecunia persoluenda, posuit repositorium illud supra mare, rogans Virginem piam, vt repositorium illud ad Constantinopolim atque ad manus præfati Iudæi dirigeret. O magna fides viri, sed maior gratia Virginis sacræ! nam ipsâ dirigente, repositorium illud per tanta maris spatia vnâ nocte peruenit vsque ad littus Constantinopolitanum. Porrò Iudæus pro pecuniâ suâ sollicitus manè exiuit ad littus, si fortè aliquam videre posset nauim de Alexandriâ venientem; & ecce vidit repositorium applicari ad littus: quod sumens, ac titulum legens, accepit repentè pecuniam. & quoniam nullus adfuit, eam abscondit; redeunteque mercatore nomine Theodorico, Iudæus petiit debitum sibi solui. Respondit mercator se illud ei misisse; sed Iudæus negauit se accepisse. Causâ autem ad Iudicem deductâ, Iudex dictauit, vt Iudæus coram fideiussore, videlicet sanctæ Virginis imagine, iuraret se non accepisse illam pecuniam. quod cùm Iudæus coram cunctis iuraret, sermo ab imagine prodiit, dicens: Mentiris, quoniam repositorium cum pecuniâ accepisti, & abscondisti. Tunc confusus Iudæus totam rei veritatem aperuit, seque Christianum fieri postulauit. Quibus cognitis, plures Iudæi facti sunt Christiani.

Longus ero, si per omnes ætates & gentes discurrens, excerpere vndique voluero exempla, cùm nusquam non impressa reliquerit Virgo suæ vestigia liberalitatis: itaque contentus vnum alterumve delibasse, non plura referam ex iis quæ suis præstitit in eo genere bonorum, quod propiùs corpus ipsum tangit. quorum nullum citiùs vel sæpiùs commemorandum, quàm id quod S. Ioanni Damasceno præstitit; quod Francisci Stanislai Phœnicij, zelosissimi, vt audio, in Poloniâ mancipatus MARIANI propagatoris, verbis producam. Plenus est in suis diuinissimis operibus Sanctus hic Doctor laudibus & encomiis Virginis sacratissimæ: selectissima epitheta, admirabiles titulos, rarissima elogia Augustissimæ cælorum Reginæ dat feruentissimus hic Deiparæ encomiastes, & præclarissimum Ecclesiæ Catholicæ lumen. quippe manum suam dextram (quæ rabidum furorem impij illius iconomachi Leonis Isaurici Orientis Imperatoris, contra sacras imagines stultè debacchantis, Christiano calamo, hoc est, liberè & magnanimiter, expresserat) à Principe Damasci, barbaro Saracenorum tyranno, per fraudem & nequitiam Isaurici innocenter & crudeliter amputatam, at ope Virginis sanctissimæ miraculosè restitutam, liberatricis & Dominæ suæ hymnis & præconiis æternùm consecrauerat humilis Damascenus, professus seruitutem & perpetuum MARIÆ mancipatum. cuius mancipatus insigne & symbolum in manu dextrâ quoad vixit perpetuò gestauit, circulum videlicet purpureum, seu lineam quamdam lucidam, & sanguine suauè rubentem, quæ iuncturam præcisæ à tyranno, à Deiparâ verò sanatæ dextræ ambiens, non sine magno miraculo iucundissimè in manu Ioannis relucebat: signum certissi-

Manus S. Ioanni Damasceno.

certissimum, & euidentissimum indicium inflicti pro honore sacrarum imaginum vulneris, & æternum mnemosynon fauoris & amoris in suos clientes magnæ Matris. O felicem Damasceni manum, quæ felicem mancipatum Dominæ suæ sanguine proprio subscripsit, dum pro defensione sacri cultus imaginum Deiparæ crudeli ferro abscinditur! ô nimiùm fortunatam manum, cui sanatæ ipsamet beatissima Virgo talem circulum velutì manicam, mancipatus tesseram, manu suâ propriâ fabricauit! Affine est superiori quod Speculum distinct. 9. numero 22. narrat exemplum: Euphemia, inquit, nobilis quædam virgo, in annis puberibus castitatem Deo dicauit; sed cùm parens propter ipsius pulchritudinem eam, quamuis renitentem, cuidam Comiti desponsasset; ipsa Capellam ingressa opem Deiparæ inuocans, cultro nasum sibi præcidit & labia: quare ab irato patre cuidam rustico in ancillam tradita, magnis laboribus & plagis ab eo affligebatur. quæ omnia læto animo ferens, Deo, quòd aliquid pro eo pateretur, gratias agebat. Septennio verò in his expleto, nocte Dominicæ natiuitatis, familiâ ad mensam considente, ipsa ad stabulum laudes Deo redditura se contulit: vbi Deipara, Angelorum & Virginum multitudine stipata, immenso fulgore circumfusa, eam ad constantiam est hortata, nasum & labia ipsi restituit. Quod vbi resciuisset pater eius, in loco stabuli Virginum claustrum construxit; in quo Euphemia Deo seruiens breuî quieuit in Domino. Percurrat breuiter Historias earum imaginum quas Virgo Deipara miraculis quotidianis reddit celebriores, qui videre vult sexcenta corporis humani incommoda, quæ generali benignitatis suæ panaceâ MARIA sanauit: non enim propositum mihi est hîc longum eorum texere catalogum; sed tantùm exempli gratiâ, singulorum quæ spargit Virgo bonorum dare indicium. itaque, quid in animi bonis quibusdam præstiterit, videamus.

Nasus & labia Euphemiæ virgini restituta.

CAPVT XII.

Animi bona à Virgine Deiparâ conferuntur.

PRÆSTANTIORA sunt animi bona quàm corporis; sed, quemadmodum ab animi excellentiâ pretium accipiunt, ita à spiritualitate etiam hoc participant, vt minùs ab hominibus animaduertantur: hinc factum, vt ingentia scriptores edidesint volumina eorum beneficiorum, per quæ vel fortunæ difficultatibus solatium, vel corporis infirmitatibus remedium attulit Deipara; eorum verò, quibus animum vel ingenij acumine nobilitauit, vel scientiis instruxit, vel virtutibus sanctificauit, altum vbique silentium; cùm tamen hæc quàm ista libentiùs & frequentiùs præstet illa, & à nobis sint ardentioribus votis expetenda. quod cùm nos apertè doceat Hermanni Contracti exemplum, non omittam ex Trithemio lib. 2. de Viris illust. Ord. S. Benedicti cap. 84. narrare, vnde ipsi contigerit tam excellens omnium disciplinarum scientia. Erat hic Hermannus ex Comitum de VVeringhen nobili genere in Sueuiâ ortus, Cœnobita Ordinis S. Benedicti, & circa annum 1060. claruit. Huic, cùm Dei genitricem pro valetudine consequendâ enixiùs precaretur, ab eâdem per visum optio datur, vtrùm omnium Scripturarum scientiam, an bonam corporis valetudinem consequi mallet; cumque illud huic prætulisset, ex eo tempore, cùm rudis esset & idiota, rebus tamen spiritualibus ac pietati deditus, & Scripturarum studio accensus, vsque eò profecit, vt & in diuinis Litteris, & omnibus humanis disciplinis, Philosophiâ, Astronomiâ, Musicâ, Poëti, ad summam eruditionem peruenerit, nullique ætate suâ secundus fuerit. Trium quoque linguarum idiomata, Latinæ scilicet, Græcæ & Arabicæ (cuius quidem vsus propter Philosophos Arabes, qui eo tempore clarebant, non parum vtilitatis adferebat) perinde callebat, ac si eas cum

Animi bona minùs animaduertuntur, quia spiritualia.

Hermannus Contractus omni doctrinâ ope B. MARIÆ Virginis eruditus.

nutricis lacte suxisset: cuius eximiæ doctrinæ & studij licet non alia exstarent monumenta, quàm diuina illa cælestisque dulcedinis plena Antiphona, cuius initium, *Salue Regina*; quandoquidem eam Ecclesia Catholica assumpsit ad laudes Virginis MARIÆ decantandas, & Angeli eam in finem eumdem vsurparunt; & tam multi vel iusti, vel peccatores, per eamdem gratiarum cælestium impetrant abundantiam; satis mihi magnum illa videtur reliquisse testimonium. Immortalis sit Homeri Virgiliique ob Poëticam gloria, Aristotelis pænè supra humanam capacitatem celebretur ingenium, diuina Platonis appelletur eloquentia, Tullij in ore omnium versetur Latinæ sapientiæ & eruditionis elegantia; non ego commutem tamen omnem eorum laudem, doctrinam, eruditionem cum istâ Hermanni Contracti gloriâ: quòd illius sit monumentum ingenij hymnus ille diuinus, quo videtur singulariter Domina nostra ac cæli terræque Regina Virgo Deipara delectari. O si vel vnicum calamo hoc meo verbum excidat, vtinam vel vnum mens formet conceptum, qui propagatus in posteros, augeat Dominæ tot titulis omnia merentis obsequium! Sed, ne abripiat nos à materiâ affectus, ex Hermanni discamus exemplo, animi dona præferenda esse corporalibus beneficiis. Et ne per multa capita, quibus ingenium, quibus scientiam, quibus virtutem Virgo contulerit, distinguamus; in vno verè per Virginis obsequium & fauorem Magno Alberto videamus completam in tribus hisce animi beneficiis Virginis munificentiam; priùs tamen Beatum hunc virum (sic enim iam ipsum per Sanctissimum Dominum nostrum Vrbanum VIII. vocare & inuocare licet) deprecantes, vt, quâ pollet apud Virginem gratiâ, nobis impetret partem aliquam istius; quem ipse luculenter accepit, MARIANI fauoris. Fuit enim Albertus, si quis alius, verissimum B. MARIÆ Virginis mancipium. Probat id, dum ex Ferdinando de Castillo 1. parte Chronici S. Dominici lib. 3. cap. 45. historiam narrat Spinellus de Laudibus B. MARIÆ Virginis cap. 36. Albertus, inquit, cùm ab ineunte ætate Virginis colendæ studiosus in primis esset, in eius honorem tamquam peculiaris aduocatæ certum quemdam precum numerum, veluti famulatus sui pensum, singulis diebus persoluebat; eamque obnixè orabat, vt actiones suas omnes ad diuinum obsequium & animæ salutem dirigeret, seque in eo vitæ statu, qui huic fini consequendo maximè congrueret, quasi manu suâ collocaret. Tandem beata Virgo ei apparuit, ac mirificè recreatum admonuit, vt terrenis rebus omnibus nuntium remitteret, & ad Prædicatorum Ordinem sese conferret. quod cùm post aliquod tempus aliquibus difficultatibus exhaustis perfecisset, ac litterarum studiis operam daret, esseteque inter alios condiscipulos ingenio rudis, & ad discendum planè ineptus; tanto animi dolore affectus est, vt de Religiosæ vitæ instituto deserendo magnis tentationum fluctibus agitaretur. Cùm autem in eo cogitationum conflictu versaretur, nocte quadam per quietem sibi visus est discessum à Religione constituere, & iam per scalas ad ostium eo consilio properare; cùm Virgines quatuor specie formosissimæ transitum ei prohibuerunt: à quarum vnâ, cùm, cur abire vellet, interrogaretur, causatus est ingenij sui tarditatem. verùm illa blandè hominem consolata monuit, vt à Deiparâ mox affuturâ, cuius se ancillas profitebantur, certam opem exspectaret: & iam ab ijs ad Deiparam perductus, & benignè ab eâ exceptus, cùm interrogaretur quid potissimum expeteret; respondit ipse, cupere se in Philosophiâ, cui eo tempore operam dabat, plurimùm excellere. Deipara bono eum animo esse iubens, in eâ facultate insignem eruditione eum euasurum prædixit; addiditque: Vt autem intelligas meâ ope, non tuo ingenio id te assecuturum, extremâ vitâ omnem doctrinam inter docendum ex tempore amittes. Tradunt alij, quia naturalem scientiam potiùs, quam adolescens attigerat, & non diuinam

Omnia animi bona B. Alberto Magno à Virgine MARIA collata.

uinam sibi dari poposcisset, idcircò hoc ei in extremâ vitâ euenturum Deiparam illi significasse. quidquid fuerit, ex illâ horâ breui in litteris eos progressus fecit, vt præstantissimus suæ ætatis Philosophus sit habitus, & Magni nomen consecutus. Quod tum docendo, tum scribendo, testatum posteris reliquit: plurimos enim, eosque eximios, habuit auditores, in ijs S. Thomam Aquinatem, Doctorem planè Angelicum, & Ecclesiæ lumen: plurimos etiam libros in Theologicis & Philosophicis eruditione & doctrinâ refertissimos edidit: in ijs, de Beatâ Virgine suâ singulari patronâ librum prorsus admirabilem composuit. Nec tamen propterea tantus ac talis Doctor, ea quæ ad spiritus profectum pertinent, negligebat: nam puritati cordis, regulari disciplinæ, & orationi mirificè studebat. quod constantissimè de Alberto testatur Thomas Cantipratensis eius auditor, veluti testis oculatus, in lib. 2. Apum cap. 57. num. 50. Tandem sub vitæ finem senio confectus, dum è cathedrâ doceret, omnium, quæ ad litterarum scientiam pertinent, repentè oblitus, hæc quæ sibi adolescenti acciderunt, narrauit; seque ad vitæ terminum peruenisse testatus est: itaque discessit, auditoribus cum lacrymis, non secùs ac si iam obijsset, prosequentibus. Reliquum deinde vitæ in oratione, alijsque pietatis officijs, ad extremum vsque spiritum maximâ vitæ sanctitate perduxit. Habes hic ingenium, doctrinam, virtutem, hoc est omnia animi bona, vnico beneficio à Virgine Deiparâ mancipio suo collata: vt facilis sit æstimatio, quantum nobis profuturus sit Virginis mancipatus.

CAPVT XIII.

Ex Ecclesiastico probatur mancipatus MARIANI *vtilitas.*

SI beneficia quæ seruis suis præstat Virgo MARIA, omnia enumerare velim, numquam erit narrandi finis; quia nullum illa facit vmquam benè merendi: verùm iam filum abscindam, maximè quòd pulsari me sentiam tacitâ quadam legentium obiectione, quos iam dudum interrogantes audio, quid hæc exemplorum congeries faciat nominarim ad persuadendum nostrum institutum, cùm tantumdem dici possit de quolibet erga Virginem pietatis exercitio: non enim probatur, mancipatos fuisse Deiparæ eos, quos tanta dicimus ab illâ obtinuisse beneficia. Cui obiectioni breuiter respondeo, cuique eorum exemplorum, quæ mox attulimus, inclusam esse tacitam à minori ad maius argumentationem. Si enim (sic nos possumus excitare ad mancipatum B. MARIÆ Virginis) benignissima illa Domina tam mirabilibus supra spem & votum priuilegiis affecit hos vel illos, propter aliquod illi præstitum obsequium; quid sperare non poterunt illi, qui se in familiam eius insinuarint, qui apertè seruos se ipsius & mancipia professi fuerint, qui res omnes & spes suas ad eam detulerint? Profectò neque naturam suam exuere poterit Virgo MARIA, vt non sit semper liberalissima; neque ita præposterè illâ vtetur, vt, suis prætcritis, totam se effundat in externos. Licet ergo, quidquid Domina nostra munificentissima in alios contulit, magnâ confidentiâ ab eâ sperare, si modò fideliter in mancipatu ei seruierimus. Quamquam non desunt particularia commoda & beneficia, quæ Spiritus sanctus promittere videtur ijs, qui peculiari ratione compedes eius induerint. Aduerte, quæso te, num mancipia nostra alloqui videatur Siracides, dum ait: *Audi fili, & accipe consilium intellectus, & ne abijcias consilium meum.* Rem magnam sine dubio parat dicere ille Sapientis discipulus, quam admonitione tam paternâ & affectu plenâ præmunit; & quid quæso? ipsam illam, quam iam dudum suademus, rationem seruiendi B. MARIÆ Virgini symbolicè commendat. quam commendationem operæ pretium duxi paulò attentiùs examinare; quia tam mira, tam regia, tam vtilia nobis promittit, si consilio eius auscultauerimus. *Inijce*, ait, *pedem tuum in compedes*

Quidquid alijs contulerit Deipara, licet mancipijs sperare.

Eccli. 6. v. 24. *ideo suadet Ecclesiasticus, vt adstringamus nos vinculis eius;*

Ibid. v. 25.

pedes illius (Deiparæ Virginis; de quâ omnia bono sensu dici posse, quæ hic de Sapientiâ adseruntur, certius est quàm vt probare debeamus) *& in torques illius collum tuum.* Constringe te vinculis ipsius, & tamquam mancipium captum te præbeas illi, ne latum vnguem discedere possis à seruitio ipsius. *Inijce collum tuum in torques illius*; audiant nimis delicatæ illæ aures, quæ velut asperum nimis reformidant nomen mancipij. Quòd torqueat & cruciet instar tormenti & torturæ, torques vocatur collare illud & numella, quâ te constringi vult Spiritus sanctus. vt sensus sit: Sicut pedes equorum, vaccarum & boum in pascuis & septis, ne ea transiliant, arctantur compedibus; & sicut canes cinguntur collari, vt per catenam illi annexam ab hero duci regique possint: sic pariter B. MARIA Virgo disciplinâ & legibus, quasi compede & collari, liget & stringat tam collum & caput, id est mentem, voluntatem, & affectus, quàm pedes, id est, gressus, motus & actiones nostras, ne illecebrâ aut concupiscentiâ abrepti exorbitent, nosque in abyssum præcipitent; sed eius ductum & disciplinam quaquauersum sequantur, itaque rectam virtutis in cælum viam incant. Cùm enim dominentur in nobis animales appetitus tamquam feræ quædam indomitæ, ex re nostrâ est, illos compede & collari isti Virgini domandos, frenandos & captiuandos tradere; in cuius sinu cælestis ille rhinoceros deposuit omnem quam conceperat contra peccatores ferociam, & factus quasi agnus mansuetus, ductus est ad occisionem pro peccatis nostris. Pergit Siracides: *Subijce humerum tuum, & porta illam.* Vide an non mancipiorum sint, quæ requirit ministeria, vt supposito humero portes illam, prout mancipia portant in hexaphoro dominos suos. *Et ne acedieris vinculis eius.* Totos nos cupit illi astrictos, & omnibus membris seruire, compedes inijci pedibus, torques collo, sarcinam humeris, manicas & vincula manibus, vt omnia membra, omnes sensus, omnes actiones nostræ illi seruiant: ac speciatim per *collum* phantasia & intellectus, per *humeros* appetitus, præsertim irascibilis, in quo regnat cupido se extollendi, & dominandi arrogantia, & fastus: sicuti enim humerus collo adiacet & subiacet, ita appetitus subiacet phantasiæ & cognitioni. hæc autem omnia regenda sunt Virgini. Per *manus* significantur actiones, per *pedes* motus & gressus. Quæ omnia legibus certis astringit & moderatur Virgo sapientissima: nam compedes quibus vinciat pedes, sunt modestia; manicæ quibus adstringat manus, sunt continentia; torques quibus liget collum, sunt obedientia; ipsa denique est onus, sed onus leue per leges & regulas suas, cui humeros supponamus, & feramus eam per diligentem earum obseruationem. Totos nos cupit MARIA, pedes, manus, collum, corpus totum; ideò totos nos hisce vinculis deuincit & adstringit. Rabanum audi; de Sapientiâ quidem ille æternâ, sed nos ea de Dominâ nostrâ intelligemus: *Inijcit pedem suum*, inquit, *in compedes illius, qui progressum vitæ suæ munit præceptis illius: indit collum suum in torquem eius, qui temperat sermones suos secundùm regulam ipsius: subijcit illi humerum ad portandum, qui actus suos subijcit magisterio illius, & implet opere quod iubet.* Iam consilium audiuimus, vt nimirum nos tot vinculis constrictos mancipemus B. MARIÆ Virgini; audiamus nunc, quibus promissionibus id persuadere conetur: *In nouissimis enim inuenies requiem in eâ.* Hoc primum est & præcipuum præmium quod nostro hoc mancipatu prætendimus, vt in nouissimis strictè ita dictis, id est in horâ mortis & die iudicij, ipsa contra omnes dæmonum insultus & furias nos protegat, roboret & defendat; sit in iudicio Aduocata nostra, quæ causam nostram apud Filium suum peroret. Exemplo suo promissionis istius stabiliet veritatem, qui primum fuit nobis huius mancipatus exemplum, Marinus S[illegible]tri Damiani frater; qui in articu[illegible] ortis Dominam suam intuitus, his eam verbis est allo-

Ibid. v. 26.

promittit, requiem in nouissimis. Eccli. 6. v. 29.

allocutus: *Et quid est, ô Domina mea, Regina cæli & terræ, quia visitare dignata es pauperculum seruum tuum? benedic me, Domina mea; nec patiaris me in tenebras ire, cui lucem tantæ præsentiæ dedisti.* Tum ad circumstantes, vt testatum relinqueret præmium illud se accepisse, quod Siracides per istum mancipatum & vincula nos assecuturos promiserat; *Venit*, inquit, *Regina mundi, venit mater Redemptoris æterni, hilaritatem mihi sereni vultus ostendit.* En alterum quod promittit Scriptura: *Et cõuertetur tibi in oblectationem.* Pergit Marinus: *Benedixit, & abijt.* & ipse statim post Dominam suam tamquam fidele mancipium intrauit in gaudia & requiem quam illi præparauerat. Superius allatam promissionem Syrus vertit: *In fine inuenies requiem & blanditias, & lætaberis in nouißimo tuo.* Iam compara Marini sententiam, & inuenies totidem penè verbis eum adimpletam fateri in se promissionem: *Venit mater*, inquit, *Redemptoris.* non pigeat repetere verba tam suauia. Nonne inuenerat requiem, cui in omnium perturbationum maximâ, in illâ tempestate, quâ corporis carina dissoluitur, & sæpè anima mergitur in profundum inferni, exoriebatur illa stella, cuius conspectu sedantur æquora, & cui flatus suos ponunt omnes spiritus conturbatores huius vniuersi? Pergit, *Hilaritatem mihi sereni vultus ostendit.* ô blanditias! ô oblectationem! *Benedixit.* ô ingentem lætitiæ segetem! Si nihil aliud mancipijs promitteremus, nónne operæ & obsequij, etiam multorum annorum, pretium videretur ista tam opportuna, tanti momenti visitatio, consolatio & benedictio? Sed plura promittuntur, & multò etiam plura præstantur mancipijs. Pergit Scriptura: *Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ.* Duo versu superiore promittebantur, requies & lætitia; hîc quatuor alia subiunguntur non contemnenda bona; protectio, corroboratio, libertas, & gloria. quasi dicat: Compedes quas tuis gressibus & pedibus iniecit Virginis mancipatus, primâ fronte visæ sunt gressus tuos & pedes impedire, ignominiâ & seruitute afficere, deprimere & debilitare; at vbi iis assueueris, senties tibi eas verti in protectionem fortitudinis, id est, protectionem fortem: & bases virtutis seu roboris, id est robustas: firmabunt tuos pedes & gressus, vt in iis quasi in basibus firmis liberè ac firmè consistas, ne timeas lapsum aut ruinam in peccatum, & pœnas illud consequentes, aut dæmonum aliorúmve hostium incursum; quia contra hæc omnia te validè protegent & corroborabunt. Rursum, torques, siue numella, quam Virgo iniecit collo tuo ne fugias, vertetur tibi in ornamentum, & in stolam gloriæ; quia tamquam Rex liberè & liberaliter imperabis omnibus affectibus tuis. Quis ad seruiendum non excitetur, vbi ea promittuntur quæ vitam possunt reddere honestissimam, & omnium bonorum fruitione quasi perfectam? Quid enim aliud optare quis posset, qui contra mala ingruentia habet protectionem firmissimam, in bonis corroborationem fortissimam, in vitæ statu libertatem liberrimam, in affectibus requiem pacatissimam, in omnibus lætitiam defæcatissimam, ex omnibus gloriam immortalem?

& lætitiam.

Ibidem v. 30.

Item quatuor alia promittit.

CAPVT XIV.

Quid sit mancipatus B. MARIAE *Virginis in articulo mortis profuturus.*

Quanta præstet suis.

Eccli. 6. v. 29.

ETIAMNVM dulci resonantiâ tinnit in auribus illa promissio Capite superiore tacta: *In nouißimis enim inuenies requiem in eâ.* Nimis terribiliter iis intonaret tuba nouissimorum, nec sineret vllam vel dormienti vel comedenti quietis partem capere; nisi contrà insusurraret Ecclesiasticus: *In nouißimis inuenies requiem in eâ.* si nempe pedes inieceris in compedes illius, atque istud Spiritus sancti consilium secutus fueris, quod superiore Capite expressimus. Videtur mihi peropportune suos Prophe-

tæ

tæ Isaiæ verbis alloqui posse Deipara, dum cap.65. v.13. ait: *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis: ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis.* Magnum profectò esset, si in communi istâ generis humani miseriâ, atque in mortis angustiis, quæ tremere faciunt quidquid in terris roboris est ac firmitatis, Virgo suis adesset, minueret pericula, leniret dolores, frangeret morbi mortisque aculeum: maius etiam (sed ita magnum, vt vix eò videatur aspirare posse vlla mortalium felicitas) si omnia aduersa abigeret, mortemque tot malis obsitam omnibus difficultatibus euolueret, vt præberet mancipiis suis transitum ad vitam meliorem sine vllo tot anxietatum tributo. Verùm, non tantùm malis liberare, sed cumulare bonis contrariis, non tantùm omni tristitiâ exsoluere, sed etiam replere lætitiâ; hoc beneficium est, quod vti ab alio post Deum sperari nequit, quàm à Dei Genitrice; ita solet ab illâ liberaliter omnibus fidelibus seruis suis atque mancipiis conferri. Profectò *speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis.* Nihil enim plus auget rationem beneficij, quàm opportunitas id conferendi. Si terræ solis ardoribus exsiccatæ, quæ ingentibus rimarum hiatibus testetur quantâ siti laboret, grata cælitus affundatur pluuia; tum scilicet videre est non tantùm plagas eius sanari, asperitatem resolui, sparsum inutiliter puluerem colligi in substantiam profuturam; sed lætitiam quodammodò nouam latè campis omnibus dispergi, ridere flores, exhilarari frondes, fructus nouo succo pinguescere. Talis; inquit Ecclesiasticus, est misericordia in tempore tribulationis; speciosa scilicet, quæ tristem illam atque inamœnam tribulationis faciem exhilaret, quæ dolores non tantùm pellat, sed etiam commutet gaudio. Quodnam verò tempus, quod verè dici debeat tempus tribulationis, nisi tempus mortis, in quam, tamquam in sentinam vitæ humanæ, colligitur quidquid malorum potest cor hominis contristare? Torrentes isti qui de montibus longo terrarum tractu fluunt, quòd verrant omnia secum quæ per viam occurrunt, tantum inueliunt sordium in fluuium qui eos excipit, vt sæpè totum conturbent & inficiant: ita fit cum homine in horâ mortis, ad quam, tamquam ad portum omnium malorum, confluit quidquid triste vel horribile potest mortalitati contingere. Emphaticè hoc describit S. Gregorius Homil.35. in Euang. his verbis: *Vltima tribulatio, multis tribulationibus præuenitur; & per crebra mala quæ præueniunt, indicantur mala perpetua quæ subsequentur.* Aduerte quid intendat, imaginem scilicet aliquam rudi carbone delineare illarum miseriarum, quæ perpetuis cruciatibus exercebunt eos qui æternùm damnabuntur. quid ergo dicit? Ista *tribulatio*, vt intelligatur quid sit, vt timeatur & fugiatur ab hominibus, *multis tribulationibus* ad mortem hominum concurrentibus *præuenitur*; vt ista malorum omnium temporalium coaceruatio adumbret aliquâ ratione mala æterna damnatorum. In hoc tempore tribulationis speciosa erit mancipiis Deiparæ ipsius misericordia, quia veniet quasi nubes pluuiæ tempore siccitatis: hoc est, tam opportunè adueniet, tam efficaciter mala dispellet, tam suauiter cor eorum exhilarabit, quàm solet hæc eadem præstare pluuia terræ sitienti. Quæ clariùs intelligentur, si quæ maximè conturbare solent homines tempore mortis, distinguamus, atque quid singulis adferat solatij & remedij Deipara, videamus. Nam primum quod mortem reddit formidabilem, est ipsa separatio animæ à corpore, totque eam præcedentes morbi, cruciatus, aliaque accidentia naturali nostræ inclinationi contraria. Secundum, incertitudo temporis; quòd nesciamus quando euenturum sit, quod certò aliquando exspectamus. Tertium, est pugna cum aduersariis eo tempore peracris. Cùm enim agatur de rei summâ, omnes

& quàm opportunè Deipara, Eccli.35. v.26.

ipso tempore tribulationis,

quod est tempus mortis:

cuius tribulatio est figura malorum inferni.

Quæ mortem præcipuè reddant formidabilem.

omnes illi expendunt vires, ne præda, quam toto vitæ tempore sunt insecuti, elabatur è manibus. Quartum est examen iudiciumque exactissimum, quod eam sequitur; in quo sententia de nobis proferetur, felicésne an miseri futuri simus in æternum. Quintum denique est ignis ille purgatorius, quem adeò pauci euadunt; in quo animæ sanctæ à terrenis quæ adhæserunt sordibus expurgantur. Singulis hisce quid remedij adferat seruis Deipara, breuiter percurramus.

CAPVT XV.

Diua Virgo suos aduersus naturalem mortis metum roborat.

SENTIMVS omnes quotquot homines nati sumus, vt vitæ naturalem amorem, ita mortis horrorem maximum. Neque hoc dissimulandum iudico, postea quam Athleta iste fortissimus, qui in hunc mundum venerat terribilia omnia debellaturus, sese confessus est ad eius conspectum consternari, dicens: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* quamquam in ipso non tantùm naturalis infirmitatis indicium, sed egregium prætereà redemptionis nostræ mysterium fuisse existimem illum mortis timorem, quem non potuit sine sanguine triumphare. Venerat enim ipse omnes miserias atque infirmitates nostras transsumpturus in se, easque patiendo deuicturus; inter quas cùm terribilissimum omnium terribilium mortem homines apprehenderent, nolebat ipsam Seruator aggredi, nisi priùs anteambulonem eius atque armigerum timorem profstrauisset. Igitur plenas dedit imaginationi atque apprehensioni suæ habenas, vt sibi mortem quàm possent horribili specie depingerent, metum, timorem, horrorem, & quidquid opinione instantis mali præsenti se torquet miseriâ, accerserent, totâque, quam secum trahunt, tristitiæ ac tædij mole cor eius premerent; vt, postea quam præcepisset omnem mali tædiosissimi violentiam, diuino mentis robore obluctatus ante

CHRISTVS mortem timuit.

Matth. 26. v. 38.

mortem viuus spitansque mortis timorem debellaret. Infirmitas ergo naturæ fuit in Seruatore nostro, quòd sentire potuerit; mysterium, quòd senserit; diuinitatis argumentum, quòd vicerit mortis timorem tam graui pondere incumbentem. Quà eius actione hoc etiam, inter multa, boni accepimus, quòd excussa sit nequissima ista philosophari cupientibus dissimulandi necessitas: quâ ferè cogebantur, vt sapientis nomen sustinerent, licet nihil æquè ac mortem exhorrescerent, tamen nihil minùs timere se vanissimè iactare; vnde, nescio quibus non friuolis tantùm, sed etiam impiis argumentis timorem hunc sæpiùs incursantem abigebant; verba, inquam, vt sæpè ipsis obiiciebatur, Philosophiæ, non opera tractabant. Patebit ex omnium mortalium Philosophorum solidissimo, atque, si ita loqui fas est, sanctissimo, quàm impiè se confirmarent. Sic enim Consol. ad Marciam ait: *Cogita, nullis defunctum malis affici: illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est. Nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia, nec obliuionis amnem, nec tribunalia, nec reos vllos in illâ libertate tam laxâ, nullos iterùm tyrannos. Luserunt ista Poëtæ, & vanis nos agitauêre terroribus. Mors omnium dolorum & solutio est & finis; vltra quam mala nostra non exeunt, quæ nos in illam tranquillitatem, in quâ antequam nasceremur iacuimus, reponit.* Præclaram verò consolationem. numquid id visus est dicere? Quòd si vera illa sint, quæ Poëtæ post mortem canunt horribilia, si ea, licet ab illis fabulis quibusdam inuoluantur, sint tamen re ipsâ multò etiam horribiliora, quàm possint vllis fabulis adumbrari; nullum restare viuentibus contra mortis timorem solatium, nullum esse in vitâ ad tanta mala euadenda remedium. Licet autem id fieret, quod ipse stolidissimè arbitrabatur, quòd in eam tranquillitatem iremus, in quâ fuimus antequam nasceremur; quæ ista tandem consolatio est naturæ suæ dissolutionem timenti, si adiungas etiam sine spe recu-

Philosophi hunc metum vel dissimulabant,

vel vanis se dare conabantur solatijs.

perationis esse dissolutionem? O efficacem consolationem! quis post hanc dubitet eo vultu & animo mortem, quo conuiuium, quo triumphum solet, exspectare? At quantò meliùs Virgo MARIA suos consolatur, quando non fabulas esse inferos, vt ille fabulatur; sed cùm longam seruorum suorum seriem æternæ felicitatis mensæ accumbentem ostentat, ex quâ nemo vnus ad carcerem istum detrusus est, in quo tot hominum millia vel dictu vel cogitatu horrenda tormenta patientur æternùm? Terribilium omnium terribilissimum mortem esse proponit apprehensio naturalis: somnum eam esse suorum, & transitum ad immortalitatem opponit Deipara. Timetur mors, quòd videatur multa bona eripere, & nos ex hac cui assueuimus copiâ educere? quàm non bona sint hæc terrena docet Virgo, & in quam mors soleat rerum omnium abundantiam eos, quos cælo transscribit, inducere. Sui cuique amor est, & permanendi conseruandique se insita voluntas, atque aspernatio dissolutionis: contrà, Dei amorem pectoribus ingenerat Mater Dei, ostenditque certissimum conseruandi sui modum, perdere se, vt se quis inueniat; & dissolui, vt sit simul cum CHRISTO. *O ignaros malorum suorum*, exclamat idem Philosophus, *quibus non mors vt optimum inuentum naturæ laudatur!* & causam dat tantæ vociferationis, dum pergit: *Quæ siue felicitatem includit, siue calamitatem repellit, siue satietatem aut lassitudinem senis terminat, siue iuuenile æuum, dum meliora sperat, in flore deducit, siue pueritiam ante duriores gradus reuocat; omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum: de nullis meliùs merita, quàm de his ad quos venit, antequam inuocaretur.* Iustiore titulo videor exclamaturus: O ignaros bonorum suorum, qui constituti in Virginis Deiparæ mancipatu, non mortem, vt malorum omnium remedium, bonorum æternorum principium, exspectant! nam quod timeri posset in eâ asperitatis, vide quàm multiplici id consolatione, cui seruiunt, Domina abstergat? ipsa voluntatem replet ardentissimis amoris diuini affectibus: ipsa desiderium accendit videndi Regem gloriæ in magnificentiâ suâ, & laudandi Seruatorem mundi per omnem æternitatem: ipsa animum roborat aduersus dolores morborum non frigidis Philosophorum ratiocinationibus, sed diuinis fidei nostræ argumentis, vt eos non solùm inter mala non reponant; sed veluti singularia diuinæ bonitatis dona & argumenta eius beneuolentiæ alacres patiantur, & maiora etiam non fictis desideriis exoptent: ipsa vitæ iacturam, quæ graui obrueret moribundos desperatione, solatur certissimâ spe resurrectionis: ipsa difficultatem, quæ est in durissimâ à parentibus, amicis, tot charis capitibus abstractione, aufert memoriâ istius Sponsi, qui ingruentibus mortis tenebris suum recludit thalamum, vt vniti cum ipso, parentum, propinquorum atque amicorum eum loco habeant: ipsa continet omnes animæ potentias in arctâ quadam pace, licet corpus, id est, animæ saccus, multis discindatur doloribus; vt tantò faciliùs euolet anima in locum suum atque in sinum amantissimæ Dominæ suæ, vt ab eâ sistatur Regi gloriæ, vestimentis eius, hoc est, gloriâ & honore induenda, & in æternum saturanda ab vbertate domus illius. Quàm autem ista præstet efficaciter, omnes seruos suos voluit docere, quando sæpiùs etiam visibiliter ostendit varios consolationum apparatus, quibus feralem istum lectulum dolorum, in quo illi exspirabant, vertit in consolationis ac lætitiæ ferculum, omnibus triumphantium curribus inuidendum. Pone tibi, si lubet, ob oculos hinc Pompeium, quem falsò vocant Magnum, currum triumphalem, sparsis orbe toto latrociniis, conscendentem; inde verò Nicolaum Tolentinum, qui verè dicitur Sanctus, accensâ mundo vniuerso salutari exempli sui face, in lectulo decumbentem: vter, quæso, propiùs à felicitate abesse videtur? vter longiùs ab ignominiâ, ab

At B. Maria Virgo ita suos consolatur,

vt melior sit in famulatu eius morientis quàm triumphantis conditio.

ab infamiâ, ab extremâ miseriâ distare? Pompeius vitam egit in superbissimo liberi populi principatu, Nicolaus in humillimo Reginæ cæli mancipatu: ille cogitationes, studia, actiones, vitam denique vniuersam impendit gloriæ; hic eadem illa omnia multò etiam maiori studio consecrauit MARIÆ: ille conscendit currum, & simul attingit fastigium illud, quod homines positum arbitrantur terminum humanæ felicitati; Vrbem, inquam, inter festas suorum acclamationes triumphabundus ingreditur; hic lecto detinetur, & peruenit ad eum terminum, quem homines statuunt omnis compendium infelicitatis & miseriæ, ac finem suum inter amicorum desideria & lacrymas moribundus opperitur: sed ille currum conscendit, vnde mox est in fugam, in exilium, in mortem delapsurus; hic lectulo incumbit, vnde breuî est in cælum atque in vitam æternam assumendus. Nolo statum hinc triumphantis, inde morientis, futurorum exspectatione æstimare; sed potiùs comparare præsentia, vt intelligamus, feliciùs Virginis Deiparæ mancipia mori, quàm terrarum dominos triumphare. Quid enim ex triumpho isto, de quo cœperamus, omnium celeberrimo, vis cum hac morte in comparationem adducere? Tempus, locum, comites, acclamationes, interna vtriusque gaudia contemplare: nihil in triumpho hoc magnopere exoptandum, nihil in morte illâ non votis omnibus expetendum reperies. Pompeius vno die de longinquo itinere Vrbem ingrediens, stipatus victoribus plaudentibus, victis lacrymantibus, inter dubios ipsorum acclamantium affectus, dubius ipse Vrbem suam ingreditur; ad Nicolaum verò, sex mensium spatio quotidie innouato plausu, vltrò cælestis Curia descendit, atque ipsum ad cæleste Capitolium immortalibus canticis summo animi affectu inuitat: vnde tanta in animum eius redundabat lætitia, vt se non contineret, quin in ipso mortis articulo, cuius vel cogitatione solent ceteri exanimari, ipse cantaret. causamq́; interrogatus lætitiæ, simul ostendit, quisnam ei tam lætos tot mensium spatio triumphos instruxisset: Venit enim, inquit, optimus Magister ac Dominus meus, innixus Matri suæ & sancto Patri nostro Augustino, qui mihi dixit: *Euge serue bone, intra in gaudium Domini tui.* Quæ verba mors ipsa excepit ita placida, ita plena testimoniis æternæ felicitatis, vt insanus necessariò iudicandus sit, qui eius felicitatem non præferat quibuscumque vitæ deliciis.

Non tantùm æstimatione futurorum,

sed etiam in gustu præsentium.

Pompeii triumphus & mors S. Nicolai Tolentini.

De S. Fulberto Episcopo Carnotensi, qui obiit anno 1028. narrat ad eum annum Cardinalis Baronius Tom. XI. ei in extremis vitæ angustiis adfuisse Virginem Deiparam, ac tantâ eum tractasse amoris suauitate, vt etiam lacte virgineo nimios morborum ardores restingueret, sugenda ei aperiens sacra vbera. De S. Arnulpho Suessionensi Episcopo refert 15. Augusti Surius, quòd ei Virgo Deipara moribundo adfuerit, posteaquam primò Apostolorum Principem præmisisset; qui certiorem eum reddidit anteactæ vitæ peccata esse remissa, atque ipsi parere cæli ianuam: comitabatur hunc læti nuntij auctorem ingens modulantium Beatorum cœtus: deinde Principem etiam misit Angelorum cum maximo cælestium spirituum comitatu; promisitq́ue Michaël ducem se ipsi futurum in cælos: venit tandem ipsa cælorum Regina frequenti Virginum choro stipata, atque inter præsentiæ suæ inexplicabiles consolationes, hanc addidit omnium maximam, Arnulphum gaudiorum cælestium fore participem ipso Assumptionis suæ in cælos die.

S. Fulbertus.

S. Arnulphus.

CAPVT XVI.

Quàm sit mancipiis singulare priuilegium, mortis liberari terroribus, Seruitarum morte ostenditur.

NIHIL attinet ex omni historiâ huc transferre infinitam exemplorum multitudinem, cùm vix vllus fuerit vmquam vel mediocriter Deiparæ in vitâ addictus, qui eius non sit in morte expertus patrocinium.

Sed quàm hoc seruis eius ac mancipiis singulare sit priuilegium, non tantùm ex Marini & VValteri à Birbach suprà commemoratâ morte patet; sed etiam ex felicissimo eorum obitu, qui se iamdudum institutâ Religione sub regulâ S.P.N. Augustini, professi sunt Seruos B. MARIÆ Virginis. Feci instituti eorum alibi mentionem; hunc autem spectat mortem commemorare, quòd nullâ re certiùs probare possimus, miram mancipiis Deiparæ exspectandam esse in morte consolationem; cùm nulli ex septem eorum Fundatoribus, qui Seruitæ dicuntur, non particulare obtigerit solatij MARIANI priuilegium. Primus eorum fuit B. Bonfilius; cuius morti nullum potest comparari humanum solatium. Cùm enim anno 1261. ipse cum suis in locum quemdam, quò post decantatas mediâ nocte Laudes matutinas conuenire solebant, descendisset, ecce tibi vox subita de cælo: *Bonfili, ideò quòd audiuisti vocem Filij mei, & amore eius reliquisti omnia, centuplum accipies, & vitam æternam possidebis.* Quæ vox omnes qui aderant ita sacro horrore percussit, vt exanimati conciderent; ipsum autem, qui vocabatur, ita affecit, vt anima corporis soluta ergastulo, rectâ volaret in sinum eius Virginis, qui eam tam amicè compellabat. vbi credibile est, eam tantisper totam fuisse deliciis cælestibus, & sustentatam præuio quodam gustu paradisi, donec secundò Virgo intonuit: *Adeste Sancti omnes, procedite obuiàm glorioso spiritui, honoris causâ stipate eum, qui mihi tam fideliter seruiuit tempore peregrinationis suæ mortalis; vosq. serui mei amantissimi sumite quas vobis reliquit exuuias, & quo decet honore terræ committite.* Quâ voce rursum recreati omnes, corpori appropinquant iam defuncti Generalis sui; atque ex suaui quem spirat odore, & plusquam humanæ pulchritudinis quibus lucet radiis, ex risu mortui oris amabili facile colligunt, quâ gloriâ fruatur ista anima, quæ sic absens suum exornat hospitium.

Mors beati Bonfilij.

Septimo pòst anno Patrem secutus primogenitus eius filius Amatus nomine, qui etiam gratissimo relicto odore ac luce (quæ cubiculo in quo iacebat exiens, paulatim nubibus immiscebatur) ostendebat, quo enim Virgo deduxisset tramite ad gaudia cælestia. Sed etiam memorabilior mors fuit B. Bonaiuntæ, qui vtrumque tempore præcesserat: hic namque ritu Christiano Sacris operatus, vt erat facientis ornatus habitu, conuocat omnes, quorum Generalem agebat, B. MARIÆ Seruos: & conuersus ad congregatos, longum sermonem exorditur, quo tria maximè complectebatur capita; quanta scilicet vigere deberet inter eos charitas, quanta Virginis Deiparæ auxilio Ordo iste capturus esset incrementa, & quàm certò de morte sibi instante cognouisset: deinde, quæ Dominus noster IESVS CHRISTVS pro nobis perpessus est tormenta; ordine cœpit enarrare ita accuratè, vt spectare; ita dolenter, vt pati eadem videretur: vbi verò ad eum locum peruenit, in quo mundi salutem in crucem sustollendam erat expositurus, lacrymis, gemitibus, planctibus verba intercidentibus, & sæpè impedientibus, aptissimè totius naturæ perturbationem, quæ tunc contigerat, in se vno adumbrauit, tandemque victus compassionis vehementiâ, quàm esset animo crucifixus cum CHRISTO, habitu corporis ostendit: extensis namque in crucis figuram brachiis, Deo & Virgini, qui bus fidelissime seruierat, reddidit spiritum. Non exspecto iam vt toties nobis Philosophia decantet Catonem suum; quem, vt non minùs humanæ felicitatis exemplum, quàm virtutis moralis viuam spirantemque fuisse ostentet imaginem, producere solet, vltimâ illâ nocte Platonis librum legentem, posito ad caput gladio, tandemque in animosa, vt ipsa indicat, verba prorumpentem: *Nihil egisti Fortuna, omnibus conatibus meis obstando: non pro meâ adhuc, sed pro patria libertate pugnaui: nec agebam tantâ pertinaciâ, vt liber, sed vt inter liberos viuerem: nunc, quoniam deplorata sunt res generis*

Amati,

B. Bonaiuntæ,

eiusq. cum Catone moriente comparatio.

neris humani, Cato deducatur in tutum. Animi profectò crescere legenti ista videntur, certè sanguis verbis animosis excitari, vt solet tubarum ac tympanorum sono. Altiùs assurgit Seneca: *Liquet*, inquit, *mihi, cum magno spectasse gaudio Deos, cùm iam ille vir, acerrimus sui vindex, alienæ saluti consulit, & instruit discedentium fugam; dum etiam studia nocte vltimâ tractat, dum gladium sacro pectori infigit, dum viscera spargit, & illam sanctissimam animam, indignamq́; quæ ferro contaminaretur, manu educit.* Impresserat enim mortiferum corpori vulnus: quo obligato à medicis, cùm minus sanguinis haberet, minus virium, animi idem, iam non tantùm Cæsari, sed sibi iratus, nudas in vulnus manus egit, & generosum illum contemptoremque omnis potentiæ spiritum non emisit, sed eiecit. Addo ego, & subscribo antiquitati, nihil eam habere quo gloriosiùs ostentet, & quo moralem virtutem, quam solam nouerat, fortiùs commendet, quàm, quòd per illam videantur quidam feliciter occubuisse, quia mortem contemnebant. Sed quid hæc ad seruorum & mancipiorum B. MARIÆ felicitatem? quorum modestissimo mortem feliciorem præstat humile Virginis obsequium, quàm antiquorum gloriosissimo superbum totius vitæ studium. Nec enim tantam sanctissimis rebus ego aspergam maculam, vt sacrosancta CHRISTI Euangelia cum Platonis Dialogis; vt spem certam vitæ æternæ cum superbâ in morte desperatione, vt suauissimas, quibus tum gaudia cælestia prælibabat Bonaiunta, delicias cum vanâ Catonis iactantiâ, inutilique per magnifica verba gloriatione componam. Aderat, aderat Bonaiuntæ clementissima illa, cui fideliter seruierat, Domina: illa pectus emolliebat; illa flammas succendebat amoris, quæ cor ipsum distillabant in lacrymas, & paulatim animam non eijciebant è vitâ, sed emittebant ad vitam æternam.

Restant è septem quatuor: è quibus B. Manetus anno 1268. tantâ animi consolatione viuere inter mortales desijt, vt certum omnibus relinqueret se vitam deinceps viuere immortalem. Et B. Alexis, post expletum centum & decem annorum curriculum, quorum septuaginta seruitio B. MARIÆ Virginis in Religione impenderat, quas putas habuit in morte delicias? Proprium est senectuti, minui & deperire suauiter, &, vt propriè dicam, liquescere: non enim impelluntur, sed in finem suum, naturâ soluente dilabuntur senes. Sed non est concessum senibus cunctis, quod B. Alexi contigit, vt ijs Seruator mundi visibili infantis specie morientibus coronam imponat, vt Angeli candidissimarum auium adinstar, alarum plausu, & suauissimo gutturis sono augurium ferant æternæ felicitatis. hæ mancipiorum sunt deliciæ, hæc Dominæ suauissimę sunt lenocinia.

B. Maneti, B. Alexis.

Felicia hæc sociorum fata inter deambulandum commemorabant, & sanctâ æmulatione inuidebant, qui restabant è septem B. Sosthenes & Vguccio, rogabantque Dominam suam, vt dignaretur extrema sua morti eorum facere similia, quorum in eius seruitio conabantur vitam imitari; cùm subitò defertur ad aures eorum vox: *Heus, heus viri Dei, cessent querelæ: citò enim finientur labores vestri, & participes eritis quietis sociorum vestrorum.* Primùm ex voce timor, deinde gaudium, mox etiam ecstasis, ceteræque lenocinantis cæli affectiones sic iter facientium pectus occupauerunt, vt domum reuersi, ambo exiguâ correpti febriculâ, paulò pòst suauissimè obdormierint in Domino, anno 1271. Ipso autem quo obierunt die, vidit B. Philippus Tudertus duo candidissima lilia iam iam à radice recisa, B. MARIÆ Virgini offerri. quod de horum morte interpretatus suis indicauit; repertumque est eâdem horâ hoc ipsum vidisse quâ isti exspirauerant.

B. Sosthenis & Vguccionis.

Incidit mentio B. Philippi Tuderti, cuius non possum hîc obitum sine scrupulo præterire: tantùm enim pro amplificando Ordine Seruorum B. MARIÆ Virginis laborauit, tanta effecit, vt, licet ex septem iam comme-

B. Philippi Tuderti.

moratus non fuerit, nomen tamen Fundatoris passim obtinuerit. Hic ergo seruus zelosus B. MARIÆ Virginis, postquam à Dominâ suâ intellexisset, diem obitus sui casurum in festum eius Assumptionis in cælum, cordique esse eidem Dominæ, vt Tuderti vitæ suæ exuuias relinqueret, eò statim tetendit. Effusa est ad famam aduentus eius ciuitas festâ supplicatione cum ramis oliuarum, eâ pompâ quâ olim ciuitas Ierosolymitana Seruatori occurrerat: quem ille honorem alio itinere declinauit. Non commemorabo quo feruore populum sit pridie Assumptionis adhortatus; ipse, tamquam si esset peccatorum omnium nequissimus, liquescens in lacrymas, easdemque exprimens toti multitudini: prætereo, quanto pietatis sensu ipso Festo, Viatico se muniendum curauerit: quod huc facit, est vox illa quæ cælitus audiebatur: *Euge serue bone & fidelis, quoniam super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* quibus auditis, expirauit. O felicem seruorum Deiparæ sortem! ô infallibilem mancipiorum B. MARIÆ Virginis spem! Seruiant quibuscumque libitum est alij dominis; vos, si sapitis, huic adhærete, quæ tam opportuno non solùm auxilio, sed etiam solatio est suis in die malo. Pleni sunt omnes libri similibus historijs, quibus probatur, quantæ sit Deipara cultoribus suis in morte consolationi. Sed hæc ideò commemoraui libentiùs, quòd ex his pateat hoc esse præmium certum & indubitatum eorum, qui se vel seruos vel mancipia B. MARIÆ Virginis & dicunt & gerunt.

CAPVT XVII.

Quid mancipijs remedij aduersus mortis incertitudinem à Dominâ suâ sperandum.

Impiorum de mortis incertitudine querela

MORIENDVM est omnibus: lata lex est, dicta sententia, adeò hoc hominibus fixum est, vt mortales se à mortis certitudine nominandos censuerint: additus ille vitæ nostræ, ceteroquin non iucundissimæ, extremus labor, vitam ipsam amittere. Res dura est mori. Sunt tamen ex impiis, qui hanc videantur Deo seueritatem facilè remissuri, si hoc saltem morti nostræ addidisset solatium, vt sciremus quando esset pereundum. Quid enim opus erat, ita loquuntur, rem per se satis exosam istâ sui incertitudine reddere inuidiosissimam? quid Deo in mentem venit, vitam nostram perpetuis suspendere insidiis, vt nusquam tuti, nusquam securi, semper timere debeamus, quod semel cognoscimus euenturum? quantò satiùs suum cuique scripsisset æui terminum, cui nihil casus vitæ incerti detraherent, nihil adderent hominum preces, aut fauor Diuorum; tum scilicet quisque animo expedito se cultui diuinæ Maiestatis impenderet, & ex animo faceret, quod iam timore semper minacis fati suscipere videtur. Sed ô impiorum voces semper impias, obtendentium excusationes in peccatis! quasi verò tunc peccandi securitas illos à peccatis esset auocatura, à quo iam non reuocat vitæ incertitudo: quò enim tandem rediret illa scientia in impijs, nisi vt tantò se profundiùs omnium vitiorum cœno immergerent, ex quo cùm se appropinquante morte extrahere vellent, non possent? Nónne vel iam ipsa nos docet experientia, si quis se vitio alicui liberiùs dederit, eum vinculis quibusdam consuetudinis atque necessitatis sæpè ita adstringi, vt, licet mortem habeat ante oculos certissimam, audiatque adhortationes ad vitæ emendationem grauissimas; diuinæ iustitiæ rigor, inferorum cruciatus, spes misericordiæ paternæ Seruatoris nostri proponantur; nihilo plus moueatur,

refutata.

Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes? *Æneid. 6.*

Quid fieret, si inter viuendi certitudinem, communi conspiratione securâque licentiâ se vitiis ijs dedissent, vnde iam ob qualem qualem consuetudinem impossibilis videtur regressus? Sed impios omittamus: neque enim mihi ad illos est sermo, quem omnem consecraui Deiparæ Virginis mancipiis, aut saltem per bonam voluntatem candidaris

Cur pij mortis horam scire desiderent.

daris

datis tantæ dignitatis; quos cùm certum est diuinæ acquiescere voluntati, quam sciunt optimè ordinasse, vt semper penderemus incerti, ne animum nimis creduli alicui creaturæ totum adiceremus; quem inter timorem tamen ipsi sæpè anhelant, & orant, vt diuinæ bonitati placeat, vel aliquod eis date mortis indicium, vel certe ita dispone re eorum animos, vt perinde sit ipsis, atque si de horâ mortis essent admoniti: cùm enim non aliam ob causam mortis suæ horam desiderent non prorsus ignorare, quàm, vt ne occupentur imparati; si impetrent animi ante mortem à Deo præparationem, perinde illis est, atque si mortis impetrassent notitiam. Quis iam explicare poterit multiplices Virginis cum suis hac in parte fauores? Non dico, quòd semper signo aliquo visibili mortis horam mancipiis seruisque suis denuntiet; sed hoc dico (quod idem ipsis valet) quòd numquam opprimi sinat imparatos: ipsa enim est luna, quæ ingruente mortis nocte plerumque exoritur, vel clarè in se videnda morituris, vel, si obstet aliqua peccatorum, negligentiæ in eius seruitio, aut alia occultorum iudiciorum Dei nubes, saltem influentiis suis mirabiliter in cordibus eorum operatura: nam si tempestiuè ipsis cor emolliat, vt iam non possint habere vllum cum peccatis commercium, nolintque ad horæ momentum, si quando illud fragilitate humanâ admiserint, in eo perseuerare: si principia Christianæ pietatis ita altè animis eorum insculpat, vt, ne oblatis quidem mundi vniuersi diuitiis, vmquam velint eo in statu viuere, in quo non essent parati mortem oppetere; profectò dicendum, eam satis suos de horâ mortis præmonuisse. Demandatam sibi existimat curam Virgo Deipara, vt suos per vitæ huius incertitudinem ducat & perducat ad Regnum cælorum: quapropter commendatum habet, vt, quò illi propiùs absunt à fine, eò plus fauorem suum erga ipsos augeat, lumen spiritale inrendat, feruorem ipsorum exciret, occultisque admonitionibus certiores reddat eius, quæ pro eo tempore conueniit, mutationis; adeò vt verè affirmari posse existimem, neminem Virgini Deiparæ mancipari; qui de horâ mortis suæ ab ipsâ tempestiuè non admoneatur, vel occultis inspirationibus, vel apertâ vitæ immutatione, vel tandem visibili aliquâ voce aut specie, vnde, quantum ad animæ salutem, satis intelligant, sibi ex hac vitâ breuî esse demigrandum. Iuuat historiâ vnâ alterâve ostendere, quàm id non vanè ab eius bonitate speretur.

Omnia B. MARIAE Virginis mancipia saltem virtualiter de morte admonentur.

Et prima quidem mitam habet in tenerâ ætate dulcedinem; cui vt certior fides adhibeatur, citabo summum in sanctitate & dignitate Pontificem: haud S. Gregorius Dial. lib. 4. cap. 17. narrat, filiæ tenerrimæ ætatis; cui Musæ nomen, oblatam fuisse per visum Virginem Deiparam, ingenti Virginum choro honorificentissimè stiparam; omnes vestium candor, omnes eadem, vti apparebat, iuuentus commendabat. Accedit eâ maiestate ad Musam Dei mater, &, num se comitari velit, sciscitatur. illâ annuente, atque hoc desideriorum suorum summam esse affirmante: Et ego, reponit MARIA Virgo, id volo, si tamen priùs mores tuos subinde in puerilem aliquam leuitatem diffluentes collegeris, & seueriore modestiæ zonâ constrinxeris; ecce tibi triginta ad emendationem elargior dies, vt tum mihi reduci adiungaris. Non frustrà admonuisse Deiparam, statim puellæ animaduertêre parentes, quos ipsa visionis certiores reddiderat; cui fidem astruebat tanta tamque subita filiæ mutatio, vt stupori esset cunctis eam contemplantibus. Intereà vigesima quinta à visione agebatur dies, cùm leui febriculâ Musa corripitur, quæ ipsam vsque ad diem trigesimam tenuit eâ dicentem, & agentem, quæ longè ætatis illius capacitatem & sapientiam excederent; trigesima verò illucescente die adest ipsi eodem comitatu Virgo Deipara, ægram blandissimè inuitans. illa coniectis vnam in partem aliquantisper oculis, tandem eos cum summâ reuerentiæ significatione deijciens, Vado, inquit,

Id Musa puella.

inquit, Domina, vado. inter quæ verba placidissimè exspirauit. Opus esset voce plusquam angelicâ ad æstimandas hasce delicias, & ponderandam momentis suis tantam piæ virgunculæ felicitatem; quæ sic mortis suæ fuit reddita certior, vt simul ad æternam felicitatem efficacissimè disponeretur.

& S. Opportunæ confirmatur historiâ.

Opportunè verò ad hanc illustrandam materiam faciunt, quæ S. Adelelinus Episcopus Sagiensis apud Surium Tom. 2. die 22. Aprilis de S. Opportunâ narrat: Virgo hæc & Monialium Abbatissa, cùm graui corporis ægritudine teneretur, exactâ quadam nocte vidit B. Cæciliam & S. Luciam causâ visitationis ad se venire; quas cùm vidisset, blando sermone ita salutauit: Auete sorores Cæcilia & Lucia; quid præcepit ancillæ suæ gloriosa Virgo MARIA, cælestis Regina, & omnium Virginum Domina? respondentes sacræ Virgines Cæcilia & Lucia dixerunt: O splendidissima sponsa CHRISTI Opportuna, exspectat aduentum tuum intacta Virgo MARIA, vt Filio eius coniungaris in cælo, quem totis visceribus dilexisti in mundo; ornata coronâ gloriæ tuæ, & accensâ lampade debes ire obuiàm Sponso & Spo[illegible]. Post lætitiam autem tam præcl[illegible] visionis & visitationis, dum Cle[illegible] in exitu sanctæ eius animæ & adsta[illegible]es Sanctimoniales Psalmos decantarent, & ipsa cum eis decantaret, respiciens ad ostium domus, dixit his qui Psalmos decantabant: Ecce aduenit Domina mea B. Virgo MARIA; cui vos commendo, quos in hoc sæculo ampliùs non videbo. Extendente autem eâ brachia, quasi Matrem Dei vellet amplexari, sancta eius anima carne est soluta, & viuit cum CHRISTO per æterna sæcula. Quis neget mancipium se Virginis gessisse hanc Sanctam, quæ tam promptè in ore habebat verba hæc, quæ Sodalitatis nostræ & totius huius voluminis sunt compendium? *Quid præcepit ancillæ suæ gloriosa Virgo* MARIA, *cælestis Regina, & omnium Virginum Domina?* In Regno nimirum absolutissimo & despotico Virginis dominio fundabat mancipatum suum, quo se cum Virginibus cunctis imaginabatur tamquam Dominæ & Heræ deseruire. Aduerte autem, quòd à Sanctis Cæciliâ & Luciâ non ancilla, sed sponsa vocetur; vt stabiliatur illud, *Qui se humiliat, exaltabitur*; & illud, quod suprà probauimus, nostrum esse ad mancipiorum humilitatem descendere, vt possimus à Virgine ad filiorum dignitatem exaltari.

CAPVT XVIII.

Assistit Virgo Deipara suis in agone contra diabolum in horâ mortis.

PRODVXIMVS nuper veluti Amazonem in arenam Virginem MARIAM contra diabolum decertantem, & summâ non tantùm voluptate, sed etiam vtilitate nostrâ victorias spectauimus, trophæa fiximus, triumphos instruximus; verùm non satis est illam pro nobis vicisse aduersarium nostrum, nisi & nos eumdem per ipsam vincamus. *Militia est vita hominis super terram*, scriptum reliquit Propheta Iob. quamuis post tot vulnera & cædes, post clades tam horrendas, post constratam cadaueribus damnatorum totam inferni viam, post tam opima, &, prô dolor! quotidiana hostis infernalis de mortalitate nostrâ spolia, intelligi poterat, nullo scribente, aut militiam esse vitam hanc, vbi tot cadunt, aut, quod multò est miserabilius, turpissimam generis nostri lanienam. Non opus est omnes militiæ calamitates colligere, vt inde miserrimam vitæ nostræ confingamus imaginem. nam, quemadmodum inter milites ita duri ad labores reperiuntur, qui riderent mollem calamum, hoc miserias appellantem, quod ipsi vitam; & sæpè etiam comparatione maiorum miseriarum, voluptatem arbitrantur: ita non pauci sunt inter mortales, qui ita animo obdurauerunt ad miserias spirituales, vt eas commemorantem aut rideant, aut non intelligant. Vnum est tamen in militiâ tempus, quo etiam fortissimi solent contremiscere, quando

Militia est vita nostra. *Iob 7. v. 1.*

Milites omnes, quando de summâ rei agitur, timent.

do nimirum est vnico conflictu de bonis, de vitâ, de honore dimicandum; isque occupandus est locus, vnde non liceat sine victoriâ discedere. Aliàs pericula contemnere, sit generositas; aduersarios lacessere, animi fortitudo vocetur; ridere ceteros vitæ labores, laudabilis habeatur pertinacia: verùm in vltimo rerum discrimine sine curâ, sine sollicitudine, sine timore versari, temeritas est, non generositas; insania est, non fortitudo; stupor est, non pertinacia. Non possum in spirituali militiâ tantum concedere, vt periculorum contemptum, aut aduersariorum prouocationem, aut voluntariam sui ad vulnera laboresve animæ obiectionem vllo possim virtutis titulo insignire; id tamen dicere possum, quamuis tanti faciendum non esset, sæpiùs in vitâ cadere, cùm iterùm liceat resurgere. Licet vulnera contemnerentur, quæ possunt obligari; tamen hoc dico, instans vnum omnibus imminere, quo etiam fortissimus quisque solet contremiscere: quia nimirum in illo de totâ rei summâ, hoc est, de vitâ, de animâ, de æternâ salute nostrâ est decernendum cum eo aduersario, qui & naturâ ad pugnam est instructissimus, &, propter insignem nostram toto vitæ tempore ignauiam, consuetudine vincendi factus est audacissimus. O quis periculo istius pugnæ calamo depingat? quis fando explicet istius conflictus discrimina, quando etiam sanctos Hilariones audiuimus post septuaginta annorum victorias, vix posse trepidantem animam in arenam propellere? quando tot vidimus nobilissimarum palmarum athletis omnes eas hoc temporis puncto quasi in manibus infringi? quando scimus ipsas etiam Ecclesiæ columnas horrore contremuisse, dubitantes an satis firmiter ad hunc sustinendum insultum suis insisterent basibus? Vide, quæso, hominem, non dico quemlibet ex peccatorum turbâ, sed vnum aliquem de numero eorum, qui extra Virginis sanctissimæ tenerrimam illam ac singularem deuotionem vitam egit ex legis diuinæ præceptis; vide, inquam, quomodo ad vltimum agonem istum accedat: rotantur ac nictant oculi, multus ore toto pallor retracto ad ima præcordia sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, pectusq; crebro insultu concutiens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, & sibilus, & stridor, & si qua his inuisior vox est, fœda visu & horrenda facies, eam deprauante formidine, complosæ manus, quasi è balistâ contorti pedes, & corporis totius iactatio, tum sudor omnibus membris erumpens, & sæpè formidine ipsâ terribilior fermo detestantis sese, vel complorantis: nemo è circumstantibus dubitat, quin anceps cum hoste teterrimo certamen inierit, cuius aspectum æquè horreat atque pugnam reformidat: nam quandoque dat signum manibus, vt monstra quæ conspicit, fugentur; quandoque certas laborare, vt obiicienti respondeat; quandoque negare, quandoque concedere: iam, facto aduersariis comitio, mendacium coarguere; iam, quasi desit quod reponat, ad auxilium & patrocinium circumspicere. O quis non magno emat vel istam euadere formidinem, vel certè in eâ firmo roborari auxilio, & opportuno solatio confirmari? Hæc mancipiorum B. M A R I Æ Virginis sors est, & eorum qui ipsi peculiari deuotione seruierunt. Quod ne temerè affirmare videar, priùs ratione confirmabo quàm oratione describam: nam certum est, extra commune Sacramentorum sanctæ Matris nostræ Ecclesiæ auxilium, quod eo tempore prorsus est necessarium, quodque Virgo Deipara suis tempestiuè solet procurare, duo alia esse capita, vnde ferè possit securitas, & etiam tranquillitas formidoloso illo & exercito tempore exspectari; quorum alterum habitibus acquisitis, alterum copiis auxiliaribus de cælo submissis continetur. Et habitus quidem sunt veluti organa quædam Spiritus sancti optimè disposita, & pulcherrimâ inter se proportione concordantia, quæ leui gratiæ flatu

agitur de eâ in mortis articulo;

inde tum metus.

Imago plena horroris cuiuspiam extra peculiarem Deiparæ obsequium morientis.

Mancipiis tum temporis quies & pax

propter habitus acquisitos

possit ipse ad solitum, hoc est, suauissimum edendum sonum impellere: nam si hæc absit dispositio, Deus bone! quanto opus erit molimine, quantâ & quàm extraordinariâ gratiâ, vt afflictæ & vi morborum pænè confractæ potentię excitentur ad eos actus, quibus anteà numquam assueuerunt? Sed exspectas quid faciat hoc magis ad peculiaria B. MARIÆ Virginis mancipia, quàm ad ceteros virtutum asseclas & ascetas. & non frustrà exspectas: nam si tunc quisque gratiâ Spiritus sancti aspirante id canit, cui maximè in vitâ assueuit; si, inquam, in istos virtutum erumpit affectus, quos solet anteà creberrimè exercere; quid præter quietem, quid præter dulcedinem & suauitatem, quid præter fiduciam & amorem, quid præter delicias & tranquillitatem tum eructabunt B. MARIÆ Virginis mancipia? quorum non fuit aliud vita, quàm actuum similium vel disciplina, vel exercitatio: quoties eam compellarunt amoris plenissimis affectibus? quoties se totos protectioni eius commiserunt? quoties, veluti seriò ludibundi, in materrios eius inuolarunt amplexus? quoties se sub alis ipsius ingruente tentatione absconderunt? quoties protestati sunt, quòd post Deum Virgo sit vita, consolatio, & tota ratio spei suæ? quoties denique omnem cogitationem & exspectationem suam in sinum misericordiæ ipsius proiecerunt, nihil cupientes neque in tempore, neque in æternitate, nisi quòd benignissimæ isti Dominæ placeret illis ex Dei voluntate concedere? Et quid, putas, consuetudines istæ operantur in horâ istâ calamitatis & miseriæ, in die belli & pugnæ? accedente scilicet minimo afflatu sancti Spiritus, in eumdem illum portum compelluntur, ad quem semper solent confugere: placida in illis & quieta sunt omnia; exspectant enim, vt humilia & obedientissima mancipia, quid Dominæ placebit de ipsis disponere, tantâ resignatione, vt in vultu ipso sit legere animæ serenitatem. Scit enim MARIÆ mancipium cui credidit, & cui seruiuit, scit cuius familiam veluti domesticus intrarit; nouit Dominam suam esse, quæ singulari ratione vocatur Virgo fidelis, ideò quòd ita soleat exactè promissa sua adimplere. Quid ergo facit? totum se ipsi credit, omnino salutem suam ipsi confidit, ne Dominæ suæ fidelissimæ pusillanimitate suâ faciat iniuriam. Ingruunt terribilia dæmonum spectra, & similes istis vultibus facies, quales sunt hostium vel ferarum cæde madentium, aut ad cædem euntium: qualia Poëtæ inferni monstra finxêre, succincta serpentibus & igneo flatu: quales ad bella excitanda, discordiamque populis diuidendam, pacemque lacerandam teterrimæ inferorum finguntur furiæ: quales denique non potest vlla, quantacumque tristitiâ obruatur, sibi proponere imaginatio. Quid facit Virginis mancipium? Conuertet se nimirum ad placidissimum illum Dominæ suæ vultum; cuius aspectu consueuit omnem ab animo tristitiam dispellere; ad cuius pulchritudinem & blanditias nulla durare solet, quantumcumque pertinax, fœdarum aut rerum terribilium imaginatio. Ingruunt, & petitis ex vitâ anteactâ argumentis conantur miserum obruere: rogat ille Dominam suam, vti pro se dignetur (quoniam semper pro suis solet) respondere; eam inuocat, vt hastam, vt scutum, vt robur, vt fiduciam omnem suam: Virgini adhæret vt robori suo, Virginem vt ducem sequitur, Virgine nititur tamquam principio ac fundamento salutis suæ æternæ: denique aduersarios quantumcumque ferocientes nullo dignatus alloquio, sermonem conuertit ad Dominam suam, atque cum eâ miscet de more suauissima colloquia. Quis non videt, quantùm mors ista tranquillissima isti turbulentæ ac timoris plenissimæ sit præeligenda? Quapropter eligenda est vita ea, quæ sub mancipatu Deiparæ exercitatur in ijs actibus, quorum tantus est inter moriendum vsus. Atque hæc prima est ratio, cur seruis B. MARIÆ Virginis plerumque soleat mors placidior obtingere. Alteram petebamus ex missis supernè suppetijs. Si commemorare velimus

ex quibus tum solita pietatis obeunt exercitia,

amoris & dulcedinis plena;

& propter auxilia tum Virginis ipsius,

limus ea quæ ipsa facit per se, infundendo cordi incredibilem affectuum dulcedinem, inducendo miram in animam serenitatem, figendo in cordis centro inflexibilem erga se fiduciam, loquendo cordi eorum verba suauissima, & inuitando morientes ad possessionem vitæ æternæ; necessariò Virgini ipsi & mancipatui eius faciemus iniuriam, cùm vel ipsis qui experti sunt, ea sit impossibile verbis declarare. Quare solummodò ea, quæ ex S.P.N. Augustino refert S. Bonauentura lib. 3. Speculi B. Virginis de auxilijs quæ ipsa mittit, post vtrumque dico: *Michaël Dux & Princeps militiæ cælestis tuis, Virgo, paret præceptis, in defendendis in corpore & suscipiendis de corpore animabus fidelium, specialiter tibi, Domina, & die & nocte se commendantium.* De famulis atque mancipijs loquuntur Sancti; ideò tam signanter exprimunt vocem, Domina, & obsequendi notant assiduitatem, qualis vix ab infimis mancipijs requiritur, Et die & nocte se commendantium. Scimus autem quanti Ecclesia Catholica faciat S. Michaëlis aliorumque sanctorum Spirituum in eo discrimine auxilium. quod patet ex crebrà & solicità eorum tum temporis inuocatione: neque ignorare possumus, si aliquid de auctoritate Virginis MARIÆ; si quid de mirà Angelorum in obediendo promptitudine cognouimus, quanto studio ipsi exequantur, si quid Dominam suam vel innuisse conspexerint. Tutus ergo erit Angelorum auxilio B. MARIÆ Virginis seruus, quando alij tam præsenti ipsorum ope destituti trepidabunt. Nihil opus est rem hanc ratione atque auctoritate solidà stabilitam Historijs, quarum vndique suppetit copia, stabilire; cùm eæ, quas superiùs retulimus, satis etiam quæ hîc diximus confirment, & tantus placidissimè sub alis B. MARIÆ Virginis morientium sit numerus, vt potiùs adferre oporteat communem tot sæculorum in plerisque seruorum B. MARIÆ Virginis experientiam: nam si subinde quosdam de suis permittat terroribus ac molestijs in horà mortis exerceri; facit tunc hoc præter indolem suam Mater misericordiæ, quòd ita expediat seruo suo, cuius mault vtilitatibus inseruire, quàm ingenio suo indulgere.

[margin: ...rum Angelorum.]

CAPVT XIX.

Proderit mancipium esse beatæ MARIAE Virginis in iudicio.

QVIBVS cum vitâ hac mortali & miserâ omnis viuendi spes abscinditur, etiam vtilitatem omnem, quæ homini potest contingere, vitæ huius angustiis circumscripserunt; nec quemquam coluerunt, vt sibi tum prodesset, cùm ne quidem futuros se arbitrabantur: verùm cùm vita nostra, melioribus instituta disciplinis, firmissimè nitatur iis fidei documentis, quibus vita alia nobis viuenda superesse traditur; cumque indubitanter credamus, eorum, quæ hîc gesserimus, exactam à morte reddendam esse rationem, & semel ex hoc temporis exiguo puncto de totâ æternitate statuendum ab eo Iudice, qui omnia iustitiæ momenta ita temperat, vt non tam iudicium eius ad iustitiæ libram, quàm huius probitas ad ipsius iudicium sit examinanda; maximè ad vtilitatem nostram spectare censendum est id, quod non solùm pro hoc tempore, sed etiam post illud pro totâ æternitate est profuturum. O stultam mortalium prouidentiam! ô stuporem potiùs dixero eorum, qui fide meliore imbuti, sciunt ad breuissimum se tempus editos, & citò cessuros loco, in hoc pactum venisse, vt tandem ex gestis ætatis huius, quæ incredibili celeritate conuoluitur, de totâ æternitate decernatur! Intereà tamen, toti ad vitæ huius vtilitates abiecti, nullam cogitationis partem ad ea extendunt, quæ tum maximè sunt profutura, quando æternitatis vel felicis vel miseræ pronuntiabitur sententia. Terram hanc cum populis, vrbibusque, & fluminibus, & ambitu maris, puncti loco ponimus, ad vniuersa referentes minorem portionem:

[margin: Habenda est cura de eo quod post mortem nobis accidet,]

[margin: quando de vitâ omni reddenda erit ratio,]

tionem: ætas nostra quam partem puncti habet, si tempori comparetur omni; cuius nulla mensura est, quia nullus est finis? Et quanto studio, curâ, diligentiâ sæpe laboramus, vt propter huius exigui momenti vtilitates perdamus æternitatem; cùm potius quidquid hîc habemus temporis impendendum foret, vt longissimis istis æternitatis spatiis vtilia procuraremus? Sed sit hoc impudentiæ nostræ, quòd toto vitæ tempore, cuius duratio nobis, quia parui sumus, longa videtur, non incumbamus in curam æternitatis. Quæ tandem dementia est, cùm vnum futurum sit momentum, quo audituri sumus Iudicis de æternâ felicitate vel miseriâ sententiam, non parare iam illud nobis patrocinium, quo vno possimus tunc placare iustum eius furorem, ne sæuiat in æternum? O miseros & miserabiles eos, qui tunc omni destituentur patrocinio! felices contrà beatæ MARIÆ Virginis seruos, qui tunc habebunt Matrem Iudicis patronam & aduocatam! felices inquam, qui seruiunt isti Dominæ, quæ semper prouidet vltimum istum diaboli, qui accusator est fratrum & clientis sui coram Iudice, conflictum; ideoque omnes gratias, fauores & priuilegia semper ita dirigit, vt tandem finalis consequatur perseuerantia, quæ omnibus pulcherrimam imponat coronidem & coronam: felices, qui mancipati sunt bellatrici, quæ eos armis induit, quæ facilè repellant omnes insultus inimici: felices qui affectum meruerunt istius Heræ, quæ non recusabit eum re ipsâ monstrare in eo periculo; cui si non eripiantur, nihil profit, quantulcumque ille anteà fuerit: felices denique, quorum causam aget ea, cuius oratio est irrefutabilis, cuius testimonium caret suspicione, cuius preces nesciunt repulsam, cuius auctoritas est sine limite, & gratia sine termino. Quid enim timeant, quibus patrocinatur Iudicis Mater & Sponsa? Matris namque preces sunt imperia; Sponsæ verbum, vis irrefragabilis; Matris & Sponsæ voluntas, infallibile & numquam effectu suo carens decretum. Non opus est verbis, quando rebus ipsis res hæc possit fieri probatissima. Ite, ite Sodales, ite mancipia B. MARIÆ Virginis, intrate sine dubitatione viam istam tenebrosam & opertam mortis caligine; ne reformidetis sistere vos Iudici, cuius Matri seruitis, cuius Sponsæ estis mancipati; non poterit ipse seueram pronuntiare sententiam, vbi tam pium est patrocinium; non poterit sæuire, vbi Sponsa vult parcere; non poterit damnare, vbi Mater vult saluare. Confidite; non deseret vos in isto periculo Domina & Hera cui seruitis, neque Matrem repellet Iudex, neque Sponsæ negabit petitiones cordis sui, quæ sunt, vt nemo pereat ex fidelibus suis mancipiis. Audite Virginem vobis loquentem, & animos suggerentem: *Seruus meus es tu*; cùm pertransieris per aquas tribulationum, quæ in morte inuenient te nimis, tecum ero; & *flumina* (de quibus Iob, *Quasi tumentes super me fluctus timui Deum.*) maxime in iudicio, quando ingenti agitatus irarum turbine magno fragore detonabit, *non operient te.* Dicat ergo seruus ipsius confidendo: *Pone me iuxta te*, vel in iudicio, *& cuiusuis manus pugnet contra me.* vel orando: *Sub vmbrâ alarum tuarum protege me; à facie impiorum qui me afflixerunt*; id est, dæmonum, qui afflixerunt in vitâ tentando, & affligunt in iudicio accusando. aut vaticinando: *In te*, id est, in patrocinio & auxilio nobis à te, Virgo, præstito, *inimicos* accusatores nostros *ventilabimus*, veluti paleam excutiemus: nam Regina sedens cum Filio *in solio iudicij dissipat omne malum intuitu suo: dissipat*, inquam, *cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperunt.* Licet enim incepissent MARIANVM mancipium iam ad inferni supplicia manibus suis detrudere; dissipabit ipsa cogitationes, ne possint implere manus eorum quod cœperunt. An vlla certiùs hoc ratio probabit quàm dignissima fide historia, quæ narratur lib. 1. cap. 35. Vitæ S. Annonis, & est apud Surium Tom. 6? Anno namque cùm

ideò iam de iudicio isto cogitandum,

parandaque potentissima Patrona,

qualis est Iudicis Mater & Sponsa;

qua fuit promissis auxilium, Isaiæ 41. v. 9.

Isaiæ 43. v. 2.

Iob 31. v. 23.

Iob 17. v. 3.

Psal. 16. v. 8.

præstatque

Prou. 20. v. 8.

Iob 5. v. 12.

vt patet per historiam S. Cæsarij fide dignissimam:

cùm anno millesimo septuagesimo Romam petiisset; à Sanctitate suâ accepit brachium S. Cæsarij Martyris; quod ipse summi beneficij nomine recipiens, instar thesauri ad suos Colonienses, quibus præerat Archiepiscopali dignitate, detulit: iámque erat summâ diligentiâ præparatus locus, vbi Reliquias venerabiles statuerat publico honore collocandas: quem vt ipse redderet illustriorem, cathedram conscendit, ac sermonem de virtutibus ac miraculis S. Cæsarij habuit: atque hic inter cetera rem commemorauit miram illam quidem, sed quæ, tam propter misericordiosissimam Virginis indolem, quàm ob irrefragabilem narrantis auctoritatem, certissimam meretur fidem. Romæ, inquit, Andreas quidam ita vitam instituerat, vt inter densissimas voluptatum, inter quas errabat, tenebras scintilla micaret exigua pietatis: sancti enim Cæsarij aræ frequens accidebat, eiusque corpori sæpius cereum accendebat: contigit autem morte eum ita subitâ defungi, vt pænè nullum concederetur sui cognoscendi atque emendandi tempus. nec mora, inhiantes prædæ aduolant dæmones, mortuumque sistunt diuino tribunali clamore tam horribili, vt satis indicarent se prædam iam spe deuorasse. Quid multa? accusatur acriter, nec inuenit quid respondeat criminantibus: dum trepidat, dum verba quærit, dum vndique quid triumphantibus aduersariis opponat, conquirit; ecce sanctus Cæsarius, clientem suum nolens in re tam dubiâ deserere, se ad pedes Matris misericordiæ prosternit, eamque obnixè rogat, dignetur opem suam homini misero ne denegare; causamque eam suscipiat, quæ, nisi patrocinij bonitate adiuuetur, erat desperatissima. non opus erat multis apud ista pietatis viscera, semper ad benefaciendum procliuia: assumit ipsum qui rogabat Cæsarium & Apostolos, Martyrumque cohortem non exiguam secum, atque ita se Iudici sistit. Non ferunt tantum splendorem tenebriones lucifugi qui accusabant: perorauit verò causam Andreæ ita potenter Deipara, vt mortuo rursum vita concessa sit mortalis, ne moreretur æternùm: mediâ ergo nocte sarcophago egressus, deprædicauit simul felicitatem suam, simul Martyris benignitatem, ac Virginis Deiparæ pronam ad miserandum potentiam.

vbi Virginis intercessione redditus ad vitam conceditur aliàs damnando.

Vnam narraui historiam, sed vim in vnâ citaui omnium, cùm nota sit mancipiis argumentatio: Ista regum Regina, ista potentissima cæli terræque Domina tam potens est, vt perditum iam, ac pænè condemnatum, certè criminis manifestè conuictum, iudicio eripiat: tam est clemens, vt verbo interpellata tam potenter intercedat pro ignoto & alieno (talis enim erat hic S. Cæsarij cliens, nullâ peculiari deuotione Virgini addictus) quid faciet pro domesticis, qui seruientes mancipiorum officio & sedulitate, filiorum affectu & pietate non aliam exspectant mercedem, quàm potentis istius aduocationis beneficium? Cantent illi, post talia benignitatis exempla, plenâ animi lætitiâ: *Qui habitat* in domo & *in adiutorio* altissimæ Dominæ, *in protectione Dei cæli commorabitur.* Ipse Deus cæli & Iudex viuorum & mortuorum proteget eum, quem viderit habitare in adiutorio & domo Matris suæ, vt ipsi in suis gratificetur antequam toget, cui externos etiam leuiter rogatus condonat.

Psal. 90. v. 1.

CAPVT XX.

Quid Virgo Deipara suis vtilitatis conferat in Purgatorio.

OSTENDI, quomodo B. MARIÆ Virgini conueniat quod Sapientiæ 10. v. 12. habetur, *Custodiuit illum ab inimicis*; sequitur ostendendum, quod ibidem dicitur v. 9. *Hos qui se obseruant, à doloribus liberauit.* Non tangam hic, quod satis probabiliter dici possit, neminem inferni tormentis æternùm cruciari, qui Virgini Deiparæ non debeat suam à multis doloribus præseruationem: multipliciter enim singulis damnatorum profuit, multa

Quomodo dici possit damnatis prodesse B. Virgo MARIA.

 peccata

peccata eorum, ob quæ grauiùs puniti fuissent; impediendo, Deum, tamquam additus ipsi misericordiæ fomes, vt alibi diximus, perpetuò mouendo, vt minùs etiam in illos, quos æternis flammis est addicturus, sæuiat: nam certum est, citra condignum omnes torqueri. Explico quæ dixi: Sol, licet Hemisphærium nostrum deseruerit, numquam tamen ita abest à nobis, quin in ipsis caliginosæ noctis densissimis tenebris adhuc eius fruamur beneficio; &, quamuis lumen eius non videamus, minoribus tamen inuoluimur tenebris, quàm si ille omnino non existeret: ita misericordia B. MARIÆ Virginis, licet damnatis positiuo fauorum suorum splendore iam non luceat, hemisphæriumque eorum prorsus deseruerit; sunt tamen etiam in isto carcere minores miseriarum tenebræ: quia hæc nobis orta est aurora vehens Solem iustitiæ, cuius illi nòn aspiciunt radios, sed vtcumque percipiunt effectus. Verùm nihil opus est istum desperatissimum intrare carcerem, vt ostendamus Virginis misericordiam iucundissimè lucentem in caliginoso loco: satis enim miseri sumus, etiam sine istâ miseriarum omnium extremâ, vt calamitatibus nostris opportuniorem & quasi illustriorem faciamus Dominæ nostræ misericordiam. Si enim istum aspiciamus locum, ad quem peruenisse, maximæ felicitatis loco habent Christiani; Deus bone, quæ rerum facies! nemo tam durus & ferreus, cui non membra concutiantur horrore, & genua contremiscant, ipsique erigantur capilli: nam, vt nihil aliud dicam, idem qui inferni flammas alit, hîc ardet ignis, eadem stagna aquarum rigentium, ijdem tortores; &, si durationis æternitatem mixtamque Dei odio desperationem excipias, eadem prorsus tormenta, quibus expiantur hîc noxæ veniâ dignæ, & quibus in inferno cruciantur aliæ inexpiabiles. Quos hîc gemitus & lamenta, quos planctus & lacrymas concitare liceret, si affectus isti essent scribenti propositi! Verùm cùm id agamus, vt spem fiduciamque excitemus Sodalium ex

Pœnarum in Purgatorio acerbitas.

multiplici vtilitate mancipatus sui, nòn tam exaggeranda suscepi Purgatorij tormenta, quàm indicandam Virginis MARIÆ misericordiam, quæ non sinet suos ibi vel diu, vel destitutos multiplici solatio excarnificari. Longum esset recensere tot inuentiones, quibus ipsa à primo conceptionis suæ momento animabus istis variè fuit propitia. Crediderim ego, Virginem simulatque se vidit tot donis & priuilegijs, tot gratijs & virtutibus, ipso quo esse cœpit instanti, locupletatam, simul ad Auctorem suum mentis aciem direxisse, vt ipsi obnixas ageret pro tantâ munificentiâ gratias; simul, ne vacare eas vel puncto temporis sineret, per orbem vniuersum oculos eiusdem perspicacissimæ mentis circumtulisse, vt aspiceret, quinam vbique essent miserabiles, quibus ipsa veniret solatio; statimque carcerem illum, de quo agimus, peruasisse non cogitatione tantùm, sed misericordiæ suæ radijs, orationumque vel tum potenti auxilio; vnde exultauerint & recreati sint vniuersi qui tenebris istis grauabantur: non secùs ac ægri spissæ noctis oppressi caligine, orto iam sole, licet ipsi radios eius non conspiciant, ex ipso tamen quod percipiunt morbi leuamine, facilè conijciunt, consolatorem illum communem generis humani pedem cælo nostro intulisse; ita sanctæ istæ, sed nondum felices animæ, quæ tum vel limbi tenebris, vel Purgatorij tormentis attinebantur, sentiebant haud dubiè insolitam quamdam ex orationibus conceptæ iam Virginis consolationem; vnde fortè nonnulli eorum facilè suspicabantur ortam esse illam auroram, cuius ipsi tot sæculis lucem exspectabant. Neque mirum est, quòd dicamus MARIAM Virginem tum statim, & nunc etiam frequentissimè, ac pænè semper oculos misericordiæ in Purgatorium habere coniectos: nam & tum videbat, & etiamnum meminit, se generi humano Matrem esse communem constitutam à Deo, vt ipsa omnes nostros miseraretur & curaret labores: quò autem citiùs, quò frequentiùs ire videas maternos

Primo conceptionis instanti B. Maria Virgo pro ijs qui in Purgatorio sunt orauit:

& ipsi senserunt eam conceptam esse.

Cur ita statim eorum meminerit?

ternos oculos, quò promptiore ferri misericordiâ, vbi magis totam impendi & expendi Matrem, quàm in eos filios, qui sine potestate semetipsos adiuuandi, grauibus decumbunt morbis excruciati? His similes cùm essent in vastâ mundi familiâ, qui Purgatorio igne expiabantur; non dubium est, quin eos & primò sit & sæpissimè consolata illa misericordiæ Mater; cui minùs graue est transferri in se, quàm non auferri à suis miserias. Hic ergo sit primus consolationis gradus, quem omnes experiuntur, qui in isto mundi valetudinario curantur à plagis, quas in hac militiâ, licet vicerint, inter certandum acceperunt. Alia multoque optabilior benignitatis eius inuentio est, quam cùm multis suorum impenderit, nemo debet desperare; vt ita fauores suos, ita gratias quas impetrat à Filio, ita labores quos serui eius hîc subeunt, dispenset, vt per hæc ignibus istis formidabilibus prorsus liberentur, & ne leui quidem eorum scintillâ afflentur. Re ipsâ præstitit hoc S. Lydvvinæ, prout narrat Ioannes Brugmannus Ordinis Minorum in eius Vitâ p. 3. c. 11. apud Surium Tom. 2. die 14. Aprilis. Cùm iam ad exitum tenderet Lydvvina virgo sanctissima, solaque esset, cunctis domesticis absentibus, ipso Paschatis die, & contemplationi summo manè vacaret, vidit ad se venientem Dominum IESVM cum sanctissimâ Matre suâ, cum duodecim Apostolis, multisque & Sanctis & Angelis. Sedit autem CHRISTVS ad lectuli eius dexteram, beatissima MARIA ad sinistram, alijs in orbem honestissimè eam cingentibus: vidit etiam mensulam ornatam, & in eâ ceu sacri Olei vasculum elegantissimum, crucem quoque pulcherrimam, & cereum valde luculentum totum cubiculum mirificè illustrantem. Erat tunc corpus Virginis innumeris angoribus à vertice vsque ad pedes oppressum & afflictum. & ecce sentit ab ipso Saluatore sacerdotalibus induto vestibus loca corporis sui omnia perungi, quæ in morituris sacro Oleo deliniri solent; sed nulla audit Saluatorem verba proferentem: inde CHRISTVS ponit in manu eius cereum, eumque tenet cum Matre suâ, cruce illic visibiliter permanente, donec exhalaret spiritum. Cùm autem inuncta esset, rogauit Dominum, vt extremum vitæ eius finem tot doloribus & afflictionibus cumularet, vt à corpore exiens anima sine Purgatorio mox ad illum possit euolare. respondit Dominus: *Ita fiet, filia, vt petis, post biduum cantabis Alleluia cum alijs Virginibus in regno Patris mei.* atque ipsa post biduum decessit. Talem qui merentur Virginis fauorem, eos sine dubio licet in primo ordine mancipiorum eius collocare. Sequitur secundus eorum, qui flammis Purgatorij non prorsus liberantur, sed ita eas delibant, vt multorum sit felicitas, seruum aliquem Virginis Deiparæ ad illos diuertisse. Narrat Fr. Hyacinthus Choquetius in Sanctis Belgij Ordinis Prædicatorum, de Henrico de Castris illius Ordinis, quòd morti vicinus, cùm rogaretur à quodam conscio istius familiaritatis quæ ipsi cum Virgine Deiparâ intercedebat, an speraret expers flammarum Purgatorij rectà in cælum tendere; responderit, satis se certum esse, Virginem Deiparam adfore tempore obitus sui, ducturamque animam suam ad cælum: item, constare sibi, quòd in transitu secum educeret ex carcere illo Purgatorij plusquam trecentas animas ex ijs quæ istic purgabantur. At si contigerit diutiùs aliquem de familiâ suâ istic detineri, non deseret pientissimæ Matris officium Virgo sanctissima, sæpiùs eum visitando, consolando, & pœnas in dies singulos rore misericordiæ, quem affundit, mitigando. Reuelatione variâ hoc Virgo ipsam S. Brigittam docuit: nec opus est rem adeò visceribus misericordiæ eius conuenientem pluribus confirmare. Quintum beneficium quod ijs confert, est, procurare, vt ipsis contingant pia viuentium suffragia, atque ita citiùs liberentur. Omni exceptione maior est historia, quam hanc in rem narrat Thomas Cantip. lib. 2. de Vita B. Lutgardis, quæ est apud Surium Tom. 3. Domnus Innocentius

Quosdam non sinit eò peruenire,

vt S. Lydvvinam:

alios per id transire, ad multorum solatium:

si qui detinentur, eos variè consolatur.

Procurat viuentium suffragia,

centius Papa tertius, inquit, post celebratum LateranenseConcilium, ab hac vitâ migrauit, moxque apparuit visibiliter Lutgardi: illa autem vt vidit eum ingenti flammâ cinctum, quisnam sit, percunctatur; respondit se esse Innocentium Papam. & illa cum gemitu: Quid hoc est, inquit, communem omnium nostrûm patrem tam dirè cruciari? respondit ille: Tres ob causas ita crucior, quæ etiam æternis supplicijs me iustissimè addixissent, nisi per intercessionem pijssimæ Matris Dei, cui Monasterium condidi, in extremis me pœnituisset; & æternam quidem mortem euasi, sed pœnis atrocissimis vsque ad iudicij diem cruciabor. Quòd autem ad te suffragia petiturus venire potui, mihi à suo Filio Mater misericordiæ impetrauit. His dictis, confestim disparuit. Magnum profectò priuilegium, quod ope Virginis impetrauit Pontifex, vt, postquam ex hac vitâ decesserat, & inter mortuos numeraretur, ei adhuc liceret cum viuis negotium suum agere. Atque has suos consolandi vias inuenit materna Virginis pietas, vnum adiunxit nec minoris efficaciæ Regalis eius auctoritas. Subditi, famuli & mancipia sumus B. MARIÆ Virginis, quotquot per sanguinem Filij eius sumus ab æternâ seruitute liberati. Quis dubitet ergo, quin illa Regina, quæ simul est Mater misericordiæ, nonnumquam Regiâ maiestate locum istum visat, in quem coniecti sunt miseri famuli eius, vt soluant vsque ad nouissimum quadrantem? visat, inquam, Regiâ maiestate: nihil autem magis est regium atque magnificum, quàm semper habere comitem beneficentiam; sic vt nusquam Rex aut Regina ferat pedem, quò non illa extendat manum. Ita videmus, si contigerit Regem carcerem intrare, statim squallidos illos ac miseros spe quadam libertatis excitari, & plerumque magnam eorum partem vinculis exsolui, tamquam si nefas sit, perseuerare in sordibus eos, quibus vel semel illuxit splendor Regiæ maiestatis. Quid ergo censebimus de eâ Regina, cuius solium est magnificentia, sceptrum misericordia, opus misereri & parcere? Poteritne illa carcerem miserorum Regiâ maiestate inuisere, ita vt non stipetur gratijs, fauoribus, beneficentiâ, &c. quod ei est proprium, potenti clementiâ, vel clementissimâ potestate? Audi quid referat Carthusianus Dionysius Serm. 2. de Assumptione in hunc sensum: Duorum, quos in vnum conflauerat amicitia, pars altera naturæ tributum soluerat circa Sanctis omnibus festam diem. id quod alteram pænè dissoluebat lacrymis: sociorum, inquam, superstes, quòd collega viuendi finem fecisset, plorandi neque finem faciebat, neque vllum statuebat gemitibus aut planctibus modum: itaque sensum pænè omnem lacrymis submerserat, vt ne quidem de animâ eius Christianâ pietate adiuuandâ cogitationem vllam susciperet. Huic ergo sub Domini nostri IESV CHRISTI Natalitia is qui obierat per visum offertur: Et quorsùm, inquit, tot lacrymæ? aqua scilicet quæ inutili liquore perluit oculos, & exsiccat cerebrum, nec vlla prætereà vtilitas ipsius: gemitus tui & suspiria nihil sunt nisi ventorum ludibria, interea dum ego iaceo sæuissimi incendij nutrimentum: scias autem, hanceo in mundo, quem nunc inhabito, obtinere consuetudinem, vt Virgo Deipara nocte ipsâ Natiuitatis Dominicæ locum Purgatorij ingrediatur, vt ex eo liberet quamplurimos, in memoriam, quòd eâ nocte pepererit eum qui veniebat ad redemptionem omnium. Quid ni ego sperarem vnus esse de numero liberandorum, qui reliqueram hominem mihi tam amicum in terris, qui facilè id precibus suis impetrasset? Verùm spe meâ excidi ob vanos tuos de morte meâ dolores; hos, si me amas, verte in lacrymas pietatis, vt nocte Resurrectionis Domini, quando tantumdem facit de more Regina cæli in memoriam descensus Filij sui ad inferos, ego sim vnus de numero felicium; efficaces autem fuerint preces tuæ, si ego non ampliùs tibi appaream. Orauit instantiùs amicus, nec ampliùs qui obierat comparuit. Narrat verò S. Petrus Damia-

vt Innocentio Papa.

Regiâ maiestate inuisit Purgatorij carcerem

nocte Natiuitatis.

nocte Resurrectionis.

Damianus Epist. vlt. lib. 3. quòd anno 1072. amicæ suæ apparens quædam defuncta dixerit, quòd ipsâ illâ nocte B. MARIÆ Virginis Assumptionem præcedente, Virgo plures è Purgatorij flammis liberauerat, quàm tum ciuitas Romana mortalium numerabat capita. cui dum ægrè fidem habet illa, cui dicebatur: Ecce, inquit altera, veritatis indubitatum signum: nam hac ipsâ die anno vertente morieris tu, vt morte tuâ Virginis Deiparæ clementiam astruas, quam credere ipsa tardauisti. nec aliter quàm prædixerat euenit. Ecce tres festos per annum Virginis Deiparæ munificentiâ in Purgatorio dies, quibus ipsa magnitudinem suam benefaciendo ostentat. Atque hisce concludo tractatum de vtilitate multiplice, quæ ex mancipatu MARIANO percipitur: nec enim cælos opus est conscendamus, vt etiam istic vtilitatem huius seruitij inuestigemus; cùm ibi nihil quisquam percipiat beatæ voluptatis, quod, post Deum, non referat Virgini acceptum. Et habent particulare insuper gaudium Beati ex Virginis aspectu, quod ipsa B.Birgittæ lib.4. cap.138. pulcherrimâ explicat similitudine: Ego, inquit, etiam sum mater omnium qui sunt in superno gaudio. Quamuis infantes habeant suam necessitatem secundùm suam voluntatem; tamen in augmentum suæ lætitiæ cumulatur eis gaudium, ex eo quòd vident faciem matris suæ blandam. Sic placet Deo dare omnibus in cælesti curiâ gaudium & exultationem de meæ virginitatis puritate, & mearum virtutum pulchritudine; quamuis habeant incomprehensibiliter ex eiusdem diuinitatis potentiâ totum bonum. Singulare tamen est illud, quod alibi docuimus, fore vt ibi serui & mancipia MARIÆ insigni aliquo decore fulgeant, vnde constet, ea fuisse de ipsius familiâ, quemadmodum hîc domestici Regis aut Reginæ insigniuntur. quod ibi erit magnifica gloriæ prærogatiua. Iam, quid dulcedinis aut suauitatis habeat hic mancipatus, videamus.

& nocte Assumptionis.

Quid Beatis conferat B. MARIÆ Virginis aspectus:

quid item Virginis mancipatus.

CAPVT XXI.

Inest mancipatui MARIANO *summa iucunditas. An hic propter eam suscipiendus?*

QVIA verissimum est, ideò tam est vulgatum, quòd punctum omne is tulit, qui vtilitati iucunditatem, commodo dulcedinem, lucro suauitatem miscuit. Sunt enim quæ vtilitate suâ vehementer alliciunt hominum animos; sed eosdem vel difficultate vel asperitate quadam & amaritudine rursus ita deterrent, vt paucos videamus ad eorum vtilitatem aspirare. Nihil est inter homines certius, quàm fructus scientiæ & sapientiæ esse dulcissimos, hoc est, vtilitatem hominibus parere incredibilem; sed, quòd radices eius tantâ respersæ sint amaritudine, quotusquisque est, qui ad eam incipiat incumbere? quàm multi verò ex paucis qui cœperunt, deficiunt, territi laboribus quos vident sibi in eâ consequendâ exantlandos? Medicinæ multæ, licet vtilissimæ ad sanitatem consequendam, ideò negliguntur, quòd nimiam habent in exsorbendo amaritudinem. Nihil opus est rem certissimam confirmare argumentis, cùm passim videamus, omni in re proportione quadam sibi inuicem respondere vtilitatem & difficultatem; vt, quod acquisitu est facile, parum afferat lucri; quod verò est lucrosissimum, tot septum sit laborum, periculorum molestiarumque spinis, vt non magis ferè quàm vilissima quæque videatur appetendum. Quod adeò certum est in rebus omnibus, vt insignis cuiusdam simplicitatis esse iudicetur, vel optare solùm, vt quod vtilitates producit quasdam singulares, idem sit acquisitu facile. Neque scio, an alibi duæ istæ diuersissimæ rerum proprietates conspirauerint, quàm in Dei Deiparæque Virginis mancipatu; vt simul sit in eo tanta, quantam iam explicuimus, vtilitas; & rursum tanta, quantam mox adferemus, vel in adeundo vel

Rarò iunguntur vtilitas & suauitas.

in Virginis mancipatu tamen conspirant.

in obeundo iucunditas, vt non sine emphasi singulari dixerit Sapiens: *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum; & hauriet iucunditatem à Domino.* Mulierem bonam ego intelligo, quam alibi fortem appellauit, & dixit esse de vltimis finibus pretium eius; imò dicendum, quòd de summo cælo egressio eius. Vnica enim illa erat singulari bonitatis diuinæ beneficio concessa mortalibus Virgo MARIA; mulier fortis & bona: de hac tam singulari loquendi modo dicit, quòd qui eam inuenerit, inuenit bonum, honestissimum scilicet atque vtilissimum, &, quod mirum est, simul etiam iucundissimum; ita vt suauitatem, iucunditatem & dulcedinem haustûrus sit amphoris plenis à Domino, qui eam inuenerit. Vetus est inter Stoam & voluptatis asseclas disputatio, quodnam sit virtuti & voluptati commercium: negant hi, posse voluptatem à virtute diduci, & aiunt, nec honestè quemquam viuere, vt non iucundè; nec iucundè, vt non honestè viuat. contrà illi asserunt, esse quædam iucunda, sed non honesta; quædam verò honestissima, sed aspera, & per dolores exigenda: quapropter discretam esse concludunt à virtute voluptatem, quâ virtus sæpè caret, numquam indiget. Et clarè patet apud solertissimum virtutum magistrum vtriusque diuersitas. Christiano calamo digna sunt verba; & quia robur atque animi celsitudinem, voluptatumque contemptum proprias mancipiis virtutes docent, ipsis sæpiùs inculcanda: *Altum quiddam,* inquit, *est virtus, excelsum, regale, inuictum, infatigabile; voluptas, humile, seruile, imbecillum, caducum, cuius statio ac domicilium fornices & popinæ sunt. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curiâ, pro muris stantem, pulnerulentam, coloratam, callosas habentem manus: voluptatem latitantem sæpiùs, ac tenebras captantem; circa balnea, ac sudatoria, ac loca Aedilem metuentia; mollem, eneruem, mero atque vnguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollutam.* Deinde vtriusque differentiam egregiè sanè prosequitur, vt euincat, voluptatem tanti non esse, vt propter ipsam virtus colenda sit; quam ille propter insitam sibi honestatem iudicat expetendam, & seriò persequendam, licet nullis stipata esset voluptatibus. In quo ego Senecæ, quantum ad mancipatus nostri rationem, vehementer assentior: iudico enim, & sæpiùs inculco, tantum in eo esse honestatis, vt propter nullas difficultates sit omittendus; imò, tantum esse dignitatis & excellentiæ in Dominâ nostra, vt obligemur ei sine præmij voluptatisque vllâ spe humillimè famulari. adde, tot ab eâ nos accepisse beneficia, vt iam integrum non sit nobis de seruitio & mancipatu eius deliberare, cùm gratitudinis lege teneamur ei fidelissimum etiam per cruciatus & mortes præstare famulatum: neque à magnitudine suâ, & dignis tantâ Dominâ cogitationibus animum mancipiorum abducere intendo, dum à iucunditate argumentum peto mancipatum suadendi: aliud est enim dicere, propter solam quam præstat iucunditatem expetendum esse mancipatum hunc nobilem; aliud etiam, coniunctam ei esse iucunditatem, quæ faciat, vt quod equidem facturi essemus, iam alacriùs & quodammodò faciliùs præstemus. Intellige quid dicam. Sicut in aruo quod segeti proscissum est, aliqui flores internascuntur; non tamen huic herbulæ, quamuis delectet oculos, tantum operis insumptum est; aliud fuit serenti propositum, hoc superuênit: sic iucunditas non est merces, nec causa mancipatus MARIANI, sed accessio: nec quia coniuncta est mancipatui ista iucunditas, nos seruimus; sed quia seruimus tam bonæ Heræ, illa necessariò mancipatui huic coniuncta est. Quamquam non ita rigidè philosophamur, vt negemus, cupiditati, sensibusque semper virtuti obluctantibus, etiam istos adhiberi stimulos posse, qui voluptates, quas ipsi ex rebus vilissimis sperant, ex sublimioribus certiùs promittant; vt ita simul exultet caro & spiritus in proposito Virginis mancipatu. Suadebant vete-

Marginal notes:
- Prou. 18. v. 22.
- Seneca lib. de Vitâ beatâ c. 7. *Virtutis voluptatisq; diuersitas.*
- *Nec virtus propter voluptatem sequenda;*
- *nec mancipatus MARIANUS propter iucunditatem;*
- *licet tamen ab eâ stimulos sumere ad benè seruiendum.*

res optimam sequi viam, non iucundissimam; nos efficacius credo persuadebimus, si quam optimam esse constat, eamdem etiam iucundissimam esse demonstrauerimus. Quod clarius patebit, si iucunditatem, quam mancipatui MARIANO propriam esse contendimus, ab aliis voluptatibus distinguamus. Nam in primis, iucunditas quædam est, atque incredibilis animi voluptas, quæ ex virtute percipitur, ita ipsi indiuiduus comes, vt citius lucem à sole, quàm hanc ab ipsâ separaueris: atque hæc fortè est, quam Epicurus egregius sanè Philosophus habebat propositam siccam & sobriam voluptatem; cuius nomen audientes quidam in voluptates pessimas effusi, ructabundi atque ebrij sapientiam vitiis suis inscripserunt; neque se tantùm, sed optimam etiam philosophiam pessimè traduxerunt, ad nomen scilicet aduolantes voluptatis, indeque libidinibus suis quærentes patrocinium aliquod & velamentum. De hac voluptate Stoicus noster, postquam animum virtuti perfectè deditum descripsit, ita scribit: *Hunc ita fundatum necesse est, velit, nolit, sequatur hilaritas continua, & lætitia alta, atque ex alto veniens.* quam deinde sic æstimat: *Quidni ista penset cum minutis & friuolis, & non perseuerantibus corpusculi motibus?* Et de hac voluptate Epicurus dicebat, *sapientem, si in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: Dulce est, & ad me nihil pertinet.* Imò de se, dum acerbissimis calculi doloribus cruciaretur, ac animam ageret, fatebatur, nullam sibi maiore voluptate refertam diem illuxisse: quid dixisset, si etiam istam habuisset veræ virtuti semper coniunctam consolationem, quòd per eam Creatori suo gratum præstaret obsequium? quam non tantùm pensabant nostri Philosophi Christiani cum corporis voluptatibus, sed etiam libentissimè emebant omnibus tyrannorum tormentis. Cùm ergo mancipatus MARIANVS virtutum perpetua sit exercitatio, non caret hac solidâ & sincerâ voluptate, quam appetere licet, & propter eam virtutem ipsam; si tamen à virtute aliter quàm cogitatione nostrâ distinguitur. Non est tamen ista iucunditas, quam hîc sumpsi præcipuè in mancipatu nostro commendandam: alia est, quæ sensus nostros & sensualitatem suâ titillat recreatione, quam passim videmus ita perdite expeti ab hominibus, vt propter eam exiguo tempore degustandam, non tantùm labores subeant, difficultates exsorbeant, sed etiam scientes & volentes in exitium ruant voluntarium: atque ea iam apud homines ita voluptatis nomine censetur, vt, si quis aliam quamdam voluptatem proponere inceperit, vacillare eum, ac à communi hominum sensu aberrare existiment. Quam hominum conditionem contemplatus Conditor hominum, volens eos suauiter ad virtutis studium adducere, non tantum summum eius fastigium illeuit isto voluptatum melle, sed viam ipsam quæ eò ducit, repleuit dulcedine & suauitate. Quod cùm omnes ij percipiant qui currunt viam mandatorum Dei; tum ij præcipuè superabundare gaudio se restantur, qui ex Virginis Deiparæ peculiaribus vel mandatis vel consiliis vitam instituunt: quorum omnium primi sunt, qui ei particulari famulatu mancipantur. quæ res tum ex suauissimâ Dominæ nostræ indole, tum aliunde mox fiet manifestior. Extenderat Ionathas Saulis filius extremitatem virgæ in mellis dulcedinem, eamque vix labiis extremis degustauerat, & ecce aperiuntur oculi ipsius: vtinam pari ratione nobis contingat calamum hunc in mancipatus MARIANI suauitatem extendentibus, vt oculi aperiantur, ac lumen oboriatur menti, quo videre possimus, quid sit ea dulcedo, & quibus potissimùm ex capitibus oriatur, atque ita mentem hæc legentium rapiat, vt omnes eam velint degustare.

Iucunditas quædam necessariò coniuncta est cum virtute;

etiam inter cruciatus perseuerans.

Alia, quæ sensus & sensualitatem titillat, voluptas dicitur:

eâ Deus voluit virtutem carere:

& quanta mancipatui insit, examinabimus.

CAPVT XXII.

Mancipatus MARIANVS *est schola voluptatis.*

Epicurus scholam voluptatis aperuit;

CVM accuratiùs olim consideraret Epicurus sapientissimus Philosophus mortalium auersionem à virtute, in quâ ipse naturale hominis bonum constituebat; prudenti consilio philosophiam suam captui imperitorum accommodans, eam voluptatis disciplinam inscripsit: vt desiderio rei iucundissimæ, quo omnes capiuntur, illecti mortales, se disciplinæ eius traderent; ac deinde per otium sub voluptatis vmbrâ, verâ virtute collustrarentur. Nec infeliciter res successit: produxit enim illa voluptatis schola non infima, prout in istâ gentilitatis obscuritate, lumina virtutum. Et non aberrasse ipsum à vero, etiam rigidissimi è Stoâ magistri fatentur, si quando liberi ab affectuum perturbationibus volunt præcepta eius penitus introspicere. hoc tamen quidam non ferunt, eum, vt plures alliceret, vocem ex vulgo arripuisse plausibilem, quâ deinde non aliud, quàm quod ipsi prædicabant, virtutis gaudium significabat: præsertim cùm, vt antè dicebamus, non omnes ita subtiliter distinguerent, sed voluptatis nomen audientes, cateruatim eius philosophiæ professionem facerent, quæ rem illis gratissimam honestissimo sapientiæ nomine videbatur commendare: itaque, quod vnum habebant in malis bonum, perdebant peccandi verecundiam. sic ista voluptatis laudatio, quamuis vtilis quibusdam, fiebat multitudini perniciosissima: quia honesta præcepta in abdito latebant, atque in penetralibus ipsius philosophiæ erant quærenda; quod verò mores corrumpebat, omnibus erat expositum, vnde passim laudabant quibus erat erubescendum, & vitijs gloriabantur. Ne idem iucunditatem & voluptatem, quæ ex mancipatu MARIANO percipitur, proponentibus vsu veniat, vt scilicet publico nomine, vel publicè feramus errorem; vel seuera nimis ac Stoica sit, quam mancipatui damus, lætitia: primùm, quid iucunditatis nomine intelligimus, exponendum est; vt deinde statuamus, an non iure meritissimo hic Virginis mancipatus schola voluptatis appellari debeat. In primis ergo, si quæratur, quoniam eo verbo rem proposuimus, quid iucundum dici debeat; respondendum videtur, id esse quod gaudio lætitiâque animum perfundat. Est autem gaudium passio concupiscibilis, prouenie ns ex perfectionis appetitæ coniunctione secundùm interiorem apprehensionem sensus vel intellectus. Ita B. Thomas 4. Sent. dist. 49. q. 3. art. 1. Quæ animi affectio si exterioribus signis demonstretur, lætitia dicitur. Distinguebant Stoici voluptatem & gaudium: quòd gaudium non nisi sapienti contingeret, voluptas in vitio esset, & stultorum oblectamentum. Tantillum è Philosopho nostro Epist. 23. reuolue, & ex contextu facilè mentem Stoicorum collegeris: *Hoc*, inquit, *ante omnia fac, mi Lucili, disce gaudere. Existimas me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita submoueo, qui spes, dulcissima oblectamenta, deuitandas existimo? imò contrà. nolo tibi vmquam deesse lætitiam. volo illam tibi domi nasci: nascetur, si modò intra teipsum sit. Cetera hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt, leues sunt: nisi fortè tu iudicas illum gaudere qui ridet. Animus debet esse alacer & fidens, & super omnia erectus. Mihi crede, res seuera est verum gaudium. An tu existimas quemquam soluto vultu, &, vt isti delicati loquuntur, hilariculo mortem contemnere, paupertati domum aperire, voluptates tenere sub freno, meditari dolorum patientiam? Hæc qui apud se versat, in magno gaudio est, sed parum blando.* Muta stylum, & numquid sacras paginas te voluere existimabis? vbi læti redeunt à contumelijs, à flagris & equuleis Apostoli; & libentiùs mortis sententiam accipiunt, quàm ambitiosissimus quisque triumphi decretum. Hoc est gaudium quod virtus præstat: quod Ethnicorum multi de

Margin notes: *benè quidem, & ad multorum vtilitatem;* — *ad perniciem tamen multitudinis non capientis eius subtilitatem.* — *Nos ergo quærimus* — *quid iucundum,* — *quid gaudium,* — *quid lætitia.* — *Quæ voluptatis & gaudij differentia.*

de longè quasi per nebulam speculabantur, rari sequebantur, nulli assequebantur: in quo semper esse dicebant sapientem istum, quem sibi fingere ipsis licebat, sed non contingebat conspicere. Iterùm Senecam audio: *In huius gaudij possessione esse te volo: numquam deficiet, cùm semel vnde petatur inueneris.* O verè, sed miserum te! Vnde petatur neque tu inuenies, neque alteri monstrabis. Inuenit, & monstrat S.P.N. Augustinus, tantus sanè Theologus, quantus tu Philosophus fuisti, dum dicit, quoddam gaudium esse quod non de creaturâ, sed de Creatore concipitur, quodque per charitatem inter duodecim fructus Spiritus sancti numeratur, estque complacentia in diuino ipsius Dei bono, &c. Ceterùm bene Seneca, qui pulcherrimâ comparatione hoc nostrum gaudium illustrat: *Leuium*, inquit, *metallorum fructus in summo est: illa opulentissima sunt, quorum in alto latet vena, assiduò pleniùs responsura fodienti.* Vbi hoc reperies, nisi in venâ istâ inexhaustâ diuinæ bonitatis? Pergit: *Hæc, quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfusoriam voluptatem: & quodcumque inuectitium gaudium est, fundamento caret.* Verè hoc de tuo illo virtutis gaudio, quod alibi ipse fateris *esse elationem animi suis bonis viribusq;*, fundamento sanè labili, *fidentis.* Fundamentum ergo veri gaudij est ipse diuinorum bonorum indeficiens thesaurus; cuius per virtutem communicatione verè solideque gaudet animus Christianorum. de quo pulchrè tractat Hieron. Platus lib. 3. de Bono Status Relig. cap. 7. & Franc. Arias Tract. de Oratione mentali p. 3. cap. 2. & seq. Quod huc facit, est, nos hoc mentis perfectissimum gaudium, quod ex Deo virtutis auctore, & non ex animi sibi fidentis elatione percipitur, in locum Stoici istius gaudij substituere; illis quidem concedentes, gaudium verum solidumque nasci ex bonâ conscientiâ, ex honestis consilijs, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore vnam prementis viam: addentes tamen, hisce solidum & sapidum fundamentum substerni debere Dei gratiam, vnde omnia oriuntur; & Dei amorem, quo iucundissimè condiuntur: ita vt non solùm inter molestias & persecutiones extrinsecas, sed etiam inter tentationes, tristitias, obscuritates & anxietates mentis semper possit consistere. Hoc gaudio, si ostendere esset animus, quantum præ ceteris affluant quicumque peculiari ratione MARIÆ Virginis mancipatui se tradiderunt; tantummodò opus esset Sanctorum res gestas percurrere; ostendereque, neminem ad insignem quamdam peruenisse diuini amoris excellentiam, qui Virgini MARIÆ non infinitis officijs fuerit famulatus. sed hoc esset cum Epicuro quodammodò voluptatem publico vulgi nomine profiteri; & deinde ad intima ista & sublimia virtutum, quæ paucorum sunt, gaudia recurrere, & voluptatem proferre ipsis tristitijs & doloribus austeriorem: quæ magnam vim non habet ad alliciendum eorum animos, qui nondum palatum habent factum ad sublimiorum istorum gaudiorum dulcedinem. Quapropter hoc potiùs ad mancipatus MARIANI honestatem reuocandum puto, quòd producat Heroës istos non tantum supra viles & abiectas carnis voluptates; supra formidanda fortunæ terriculamenta, aut horribilia tyrannorum supplicia positos; sed etiam earum voluptatum, quas castè Dei serui in parte sui inferiore participant, securos: vt etiam Teresias commemorare liceat, octodecim annorum spatio sine vllâ istius voluptatis consolatione in Dei Virginisque seruitio constantes. Quod autem hîc propono, si eâ ratione, quâ ipse illud cogitans sentio, possem explicare, aut si capi posset etiam à perditissimis hominibus, prout reuerà cum B. MARIÆ Virginis mancipiis geritur; non alio foret opus stimulo ad incitandos homines prorsus omnes ad Deiparæ mancipatum. Nam quid tandem est, quod miseros mortales agit tam variè in omnia vitiorum genera præcipites, nisi sperata, vel semel leuiter degustata in parte

Seneca Epist. 59.

Vnde nascitur verum & solidum animi gaudium:

hoc abundè mancipatus suppeditat;

& præterea aliam iucunditatem, quæ partes animi inferiores & corpus exhilarat.

te sensibili voluptas, quâ se putant amphoris plenis vnà cum vitiorum cœno pelluendos? quid est, quod eos tanto facit odio rem omnium amabilissimam virtutem prosequi, nisi quòd existiment, nullam sensibus, nullam corpusculo ex eâ sperandam voluptatem, quam ita proiectè diligunt? Quòd si ego probauero, ex mancipatu Virginis non tantùm gaudium illud sublime, quod animum solùm afficit, sed etiam sapidam illam, atque in partes animi inferiores ipsúmque corpusculum redundantem voluptatem copiosiùs percipi, quàm ab vllo prorsus peccato sperari possit; an non efficaciter omnes ad eum excitauero? Non dico, quòd hæc consolatio & voluptas præcipuè in mancipatu Virginis quærenda sit; sed hoc affirmo, omnes mancipatum illum quærere debere, cui tanta iucunditas sit annexa. Non dico hanc voluptatem esse, cui nos tradere & omnia studia impendere debeamus; sed promitto, quòd si nos studiaque nostra omnia glorioso mancipatu Virgini tradiderimus, non defuturam iucunditatem, quâ maior non est ea, propter quam nos vitiis turpissimè tradidissemus. Atque in eo mancipatum supra omnes Philosophorum scholas extollendum iudico, supra pestiferas satanæ cathedras expetendum deprædico; quòd eam voluptatem, quâ Philosophi virtuti interdicunt, quam satanas cum vitiis satis ieiunè & auarè propinat, mancipatus vnà cum ipsâ virtute largissimè suppeditet. Quâ autem id ratione fiat, deinceps videbimus.

CAPVT XXIII.

Beata MARIA *ob suauitatem ingenij est paradisus voluptatis, & Ecclesiæ vber; vnde iucundissimum est ei seruire.*

Seruitutis solatium est heri benignitas:

PLERVMQVE audire est, eos quos seruitutis nimiùm tædet, non tam conditionem suam, quàm dominorum asperitatem deplorantes: nam si cui indolis bonæ ac suauis herus obtigerit, magnum est abiectæ conditionis solatium: & sunt qui ita suauiter sub vmbrâ domini benignioris quiescunt, vt fortunæ acceptam ferant seruitutem, quòd plus ex domini dulcissimâ indole percipiant voluptatis, quàm molestiæ ex obsequiorum humilitate. Et hæc est prima ratio quæ iucundissimum reddit nostrum mancipatum, quòd eam nacti simus Dominam, quâ nihil fingi potest suauius. Eleganter id ostendit sanctus Bernardus Sermone, *Signum magnum: Quid ad* MARIAM *accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in eâ, nihil terribile: tota suauis est, omnibus offerens lac & lanam. Reuolue diligentiùs Euangelicæ historiæ seriem vniuersam; & si quid fortè increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel leuis indignationis occurrerit in* MARIA, *de cetero suspectam habeas, & accedere verearis. Quòd si (vt verè sunt) plena omnia pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis & misericordiæ, quæ ad eam pertinent, inueneris; age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissimâ miseratione prouidit, in quâ nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissimâ charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi; captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filij persona carnis humanæ substantiam, vt non sit qui se abscondat à calore eius.* Mirè commendat hanc Virginis suauitatem, quam remouet adeò longè ab omni asperitatis vitio, vt vel suspicionem paratus sit acceptare pro facto, si ostendi possit, quòd vel leuissimâ laborauerit Virgo mansuetissima. Res adeò rara atque amabilis, vt Sponsum atque alios nuptiarum cælestium paranymphos præcipuè in admirationem rapuerit ista suauitas, quando omnium gratiarum virtutúmque suarum faciebat ostentationem Virgo ipso suo in aulam cælestem introitu: *Quæ est ista*, inquiunt, *quæ adscendit*

ea in Virgine tanta,

vt nulla asperitatis in eam cadat suspicio:

Cant. 8. v. 5.

scendit de deserto deliciis affluens? Vbi rursum virgineâ dulcedine potatus Doctor mellifluus Sermone de Aquæductu: *Deus*, inquit, *totius boni plenitudinem posuit in* MARIA; *vt proinde, si quid spei nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab eâ nouerimus redundare quæ ascendit deliciis affluens. Hortus planè deliciarum, quem non modò afflauerit veniens, sed & perflauerit superueniens Auster ille diuinus, vt vndique fluant & diffluant aromata eius, charismata scilicet gratiarum.* & in eodem Sermone ait: *Copiosum illud balsamum* (Spiritum sanctum intelligit) *tantâ plenitudine influet, vt copiosissimè effluat vndequaque.* Deliciæ istæ, aromata, & balsamum effluens, omnia sunt indicia maximæ eius suauitatis. Nam balsamum illud, scilicet Spiritus sanctus, qui est dulcedo Patris & Filij, apothecam suam imbuit odore & sapore suæ dulcedinis: & electuarium illud, quod nouem mensibus in vtero eius requieuit, licet nasceretur & prodiret è corpore, numquam tamen recessit à mente, sed ibi reliquit suam suauitatem & dulcedinem; ideoque Cant. 6. dicebat Sponsus: *Pulchra es amica mea, & suauis.* Argumentum est S. Bernardi, quòd in viscera misericordiæ transiuerint MARIÆ viscera; quia in iis ipsa Dei misericordia nouem mensibus requieuit. Eâdem ratione argumentari licet ex suauitate & dulcedine Seruatoris; sed à fortiori concludere licet, in dulcedinem ac suauitatem transiisse totam Virginem, singulaque ipsius membra, cùm in iis ipsa Patris Filiique dulcedo non tantùm nouem mensibus, sed duobus & septuaginta annis requieuit. Quod satis efficaciter suprà indicat idem Bernardus, dum Virginem hortum deliciarum appellat; quod idem sonat atque illa Genes. 2. verba, *Paradisus voluptatis.* Verissimus enim paradisus fuit beata Virgo, quam ita salutat sanctus Ephræm: *Aue paradise deliciarum, totiusq; amœnitatis atque immortalitatis.* Sanctus verò Bonauentura de gratiâ, quæ eam tamquam paradisum spiritualem repleuit, sic agit: *Gratia mentem & animam* MARIÆ *fecit deliciosam deliciis spiritualibus, tamquam Dei viui spiritualem paradisum.* Deinde illud Ecclesiastici cap. 40. v. 17. *Gratia sicut paradisus in benedictionibus*, sic ipsi accommodat: *Verè paradisus Dei fuit in benedictionibus multiplicium deliciarum spiritualium.* Videndus est S. Ambrosius, qui in Psalm. 1. pulchrè dicit, Christum velut lignum vitæ in medio paradisi, id est MARIÆ vtero, fuisse plantatum. Paradisus ergo erat Virgo MARIA. Audi verò de terrestri paradiso Rupertum lib. 2. in Genes. cap. 24. *Omnes*, inquit, *aquæ potabiles atque salubres vbicumque fluant, vel vndecumque appareant, de fonte paradisi per occultos meatus originem trahunt; & eius dulcedine hoc habent, vt potabiles siue salubres sint.* & libro 4. in Cantic. sic loquitur de aquis salsis: *Ascendendo per illam quasi terræ mammam, scilicet paradisiacam terram, versa sunt in dulcedinem.* Ecce primum dulcedinis fontem: non vbera Matris suauissimæ, sed ipsamet Mater constituta mundi totius vber. Mirabilis sanè vberum virtus, vt sanguis, à quo potando abhorret natura, per nobilissimam eorum carnem quodammodò colatus in liquorem vertatur dulcissimum, qui non sitim solùm restinguat, sed famem etiam expleat; ita naturæ accommodatus, vt infantium nemo sit adeò tener, cui non præbeat suauissimum alimentum. Eamdem proprietatem habuisse terrestrem paradisum, Ruperti est sententia; eumque putat veluti mundi quoddam vber constitutum, per quod transeuntes aquæ marinæ in potabilium fontium mutarentur dulcedinem. Hunc autem paradisum esse Dominam nostram iam credo satis indicarunt Patrum sententiæ quas attulimus: eâdem ergo ratione dicamus illam esse *terræ mammam*, siue Ecclesiæ vber, per quod Deus ille terribilis & zelotes, totus conuersus in amaritudinem propter scelera nostra, quodammodò percolatus, conuersus est in eam dulcedinem, vt iam sugere nobis

transiuit enim quodammodò in Spiritus sancti dulcedinem,

Cant. 6. v. 3.

& facta est paradisus voluptatis,

totiusq; mundi suauissimum vber,

bis liceat lac de petrâ durissimâ, factúsque sit alterum vber Ecclesiæ Dominus noster IESVS CHRISTVS, clamans: *Sinite paruulos venire ad me*; vt, scilicet potum daret illis suauissimum illud lac, quo sustentabat infirmam illam & etiamnum nascentem Ecclesiam. Quæ non erit suauitas & iucunditas, adhærere istis vberibus, ex iis sugere medullam omnis dulcedinis! Dicere liceat Ecclesiæ sanctæ Sponsæ tam honorificæ: *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs. Duo vbera tua*, IESVS vnum, MARIA alterum, *sicut duo hinnuli*, iuuenes, teneri, molles; ne quid asperitatis imagineris, *capreæ*, animali cui inest festiuum quid & lepidum, quod alliciat eos qui intuentur ad propiùs accedendum, & manibus ipsum contrectandum: *gemelli*, ambo succulenti, ambo nitidi & mundi, vtpote pasti in vbertimis gratiæ diuinæ pascuis: ambo suaueolentes & fragrantissimum spirantes odorem, pasti scilicet inter candida & fragrantia lilia. Poteratne quid fingi suauius, aut dici poterit quid dulcius mancipius B. MARIÆ Virginis, quàm illud Isaiæ 66. vers. 12. *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis?* Scisne, quid sit mancipium esse B. MARIÆ Virginis? hoc est, ad vbera ipsa portari Ecclesiæ; hoc est, genibus ipsius insidere, vt blandiatur tibi, & ostentet tibi vbera sua, IESVM & MARIAM; vt aditum semper habeas ad istum dulcedinis fontem, semper tibi pateat illa cauea, vbi vinum suauissimum & optimæ notæ reconditum habet: vt meritò de illâ dicat Sponsus: *Quàm pulchra sunt mammæ tuæ soror mea sponsa! pulchriora sunt vbera tua vino*. Non pascet vos Domina nostra pane tribulationis, non cibo rudi & aspero, sed quidquid est in virtutis exercitiis & seruitio ipsius asperi aut crudi, ipsa priùs concoquet, & tamquam mamma suauissima conuersum in lactis dulcedinem vobis exhibebit: imò ne quidem vitiorum remedia, acerbas illas & amaras potiones medicas ita crudè propinabit, vt pæne maiore cruciatu auferantur morbi quàm tolerentur; sed, quod nutrix solet, ipsa illas exsorbebit, & conuersis in vbere suo in lac dulcissimum vim salutarem relinquet, acerbitatem auferet. Quis non miretur hanc MARIÆ dulcedinem, quæ, quanta quanta est, terræ mamma est, Ecclesiæ vber est? vt, si quando Dominam istam inter famulorum suorum agmina imaginari velis, non Didonem aliquam inter sudantium & anhelantium operariorum labores instantem operi, moras castigantem, & pensa diurna durè exigentem, concipere animo debeas; sed potiùs innocentem paruulorum turbam circa blandissimæ matris genu lusitabundam, atque vberibus inhiantem possis depingere, cuius maximus labor sit, ludendo pasci, & inter pascendum ludere. Seruos cogita, qui boiis & catenis, atque aliis obsequiorum vel signis vel operibus vmbratilem potiùs referant, quàm veram seruiant seruitutem; ita tamen, vt Matri isti pulchræ dilectionis gratiora sint ea obsequia, quàm si maximis operibus incumberent, grandes saxorum moles conuectarent, totique sudore diffluerent.

Marc. 10. v. 14.

comparatum capreæ. Cant. 4. v. 5.

Ibid. v. 10.

Per hoc vber colantur omnes virtutes, vt dulcescant.

Imago benignitatis MARIANAE.

CAPVT XXIV.

Iterùm fit paradisi & beatæ MARIAE *Virginis comparatio.*

NEMO delicias voluptatésque, quæ sunt in Virginis Deiparæ mancipatu, breuiùs expressit, nemo docuit explanatiùs, quàm breui hoc versiculo Sponsus Cantic. 4. vers. 12. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus*. Variè iam singulorum membrorum consideratione, iam generalibus laudum encomiis amicam capite toto Sponsus exultaret, pulchritudinem, gratiam, virtutem ipsius dilaudando. quâ consideratione, crescente paulatim in ipso voluptate, quam ex tot Sponsæ suæ deliciis percipiebat, hanc ipsam eius gratiam, vimque suauissimam non tantùm rapiendi cor eius subito aliquo impetu amoris,

Per horti figuram benè explicantur deliciæ MARIANAE.

amoris, resultante ad primum pulchritudinis eius splendorem; sed demulcendi perpetuâ solidarum deliciarum exhibitione, ita vt tempore ipso cresceret voluptas in amante, non iam vago quodam aspectu totam simul formam percipiente, sed singularum gratiarum curioso aspectu quasi per otium deliniti, dicit: *Hortus conclusus soror mea sponsa. Est enim*, inquit æui nostri Philosophus, *arcana quadam & congenita nobis vis, cuius intimas causas non facile reddo, quæ ad hanc innoxiam & ingenuam delectationem trahit non nos tantùm qui propendemus, sed illos ipsos serios & seueros qui renituntur. Atque vt cælum & aeternos illos ignes nemini aspicere fas, sine occulto horrore quodam & religione; non item terra sacras opes, & hunc inferioris mundi mundum, sine tacitâ quadam gaudij titillatione & sensu. Animum tuum mentemq. percontare: capi se hoc aspectu dicet, imò pasci oculos sensumq.: fatebuntur non alibi libentiùs se acquiescere, quàm in his hortorum areis & puluillis.* Pulchrè, & ad rem nostram diuinè. Qui cælum & ignes illos æternos aspiciunt, & toti sunt in Dei maiestate, immensitate, æternitate, piâ meditatione contemplandâ, non sine religione id quidem faciunt; sed cui plus admirationis occultique horroris mixtum est, quàm voluptatis. At qui sacras has terræ benedictæ, id est MARIÆ, opes, & inferioris mundi mundum ornatumque considerat, non id sine tacitâ quadam titillatione gaudij faciet, imò non sine sensu affundentis sese vndique voluptatis: *Animum tuum*, inquit, *mentemq. percontare: capi se hoc aspectu dicet, & pasci.* Dixit profectò, qui, simul atque hortum hunc MARIANVM intrauerat, canebat: *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* & mox omnes nos eòdem inuitabat: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Circumsiste, quæso te (sic enim vnumquemque Lipsij verbis alloquentem audiamus) paululùm hæc agmina florum, & augmentâ: vide mihi illum è calice, hunc è vaginâ, alium è gemmâ protuberan-

Lipsius de Const. lib. 2. cap. 2. *Capiuntur enim vel inuiti omnes hortorum voluptate.*

captus certè est sponsus: Cant. 5. v. 1.

& nos inuitat, vt omnes sensus in horto MARIANO occupemus.

rem: vide hunc morientem subitò, alium subnascentem: denique inspice in vno aliquo genere cultum, formam, faciem, mille modis paria & diuersa. Quæ illa tam rigida mens, quæ inter hæc non flectat se molli aliquâ cogitatione, & liquescat? Iam ades curiose ru ocule, defigere paulùm in nitores istos & pigmenta: inspice hanc natiuam purpuram, hunc sanguinem, hoc ebur, hanc niuem, hanc flammam, hoc aurum, & tot colores, quos artifici cuique penicillo æmulari fas; æmulari, sed non imitari. Denique, quis exhalans ille odor? & nescio quæ pars æthereæ auræ infusa ab alto? vt non vanè Poëtarum nostra gens flores plerosque natos finxerit ex succo aut sanguine immortalium deorum. Applica, ô Sodalis, & suauiter per has verborum delicias lude in horti nostri conclusi areolis, & tot virtutum colores, quos imitari non potes, artifice vitæ penicillo æmulare, & tuæ ab istis odorem trahent, & partem æthereæ auræ; imò ex eodem sanguine immortalis Dei, vnde illi tam iucundè picti in Virgine, & tui colorem bibent, licet non ita intensè saturatum. Sed antequam penitus hortum hunc penetremus; est quod percunctemur in limine, quis sit, aut quo nomine eum appellabimus: nam cùm Adonidis, Alcinoi, Tantali & Hesperidum hortos prouerbia & fabulæ loquantur, cùm plantaria Cyri Regis manu instituta, & Semiramidis aërios pensilesque flores, &, Africâ mirante, nouum & celebrem Massinissæ cultum veræ certæque commemorent historiæ, cùm hortum præterea deliciarum à Deo primo homini assignatum in domicilium ac sedem vitæ beatæ sacræ Paginæ deprædicent; non videtur aliunde quàm à sacris nomen desumendum pro horto nostro, quamuis pulchritudine suâ longè superet collectum ex omnibus simul ornatum. Vide autem cur persistamus in eo, quem superiore Capite horto nostro titulum inscripsimus paradisi voluptatis, siue, vt alij legunt, Hebraicè *Eden*, quod Latinè sonat deliciarum: nam si per omnes

Qui verè dicitur paradisus voluptatis.

paradisi prioris discurramus conditiones; reperiemus in Virgine eas quæ faciunt ad laudem multò celebriores, quæ solummodò ad indifferentem ipsius historiam, in hac per analogiam pares. Nam si tertio die sæculi factus est paradisus, numquid ante Legem computatur dies vnus, alter in Lege, & tertius sub Lege gratię, cuius fuit paradisus hic noster aurora, vt non tantùm tertio die facta, sed ipsa dies omnium clarissima cum ipsâ & ab ipsâ nata sit? Nutriebat hortus ille lignum vitæ, & lignum scientiæ boni & mali: nónne plantata est in medio paradisi MARIANI arbor illa, *in quâ sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*; & qui de se ipso profitetur; *Ego sum via, & veritas, & vita?* Paradisus, inquit Magister in historijs, adeò altus est, vt vsque ad lunarem globum attingat, vnde & aquæ diluuij illuc non peruenerunt. Hortus noster mons est positus in vertice montium, adeò altus, vt luna sit sub pedibus eius: quare diluuij istius aquæ, quandò *maledictum, & mendacium*, &c. *inundauerunt*, Oseæ 4. v.2. ad eum non pertigerunt. Superior terrâ, cælo inferior est paradisus terrestris; & beata Virgo omni homine, *qui de terrâ est*, Ioan.3.v.31. superior; Deo, qui ambitu potestatis suæ continet omnia, inferior. Optimè hoc proponit S. Anselmus: *Nihil*, inquit, *æquale* MARIÆ; *nihil, nisi Deus, maius* MARIA. Non egrediamur tam citò ex paradiso isto vtroque, sed paulisper cogitatione deambulemus in eo. Ecce fluuius de eo egrediens, quatuor maximis fluminibus terram irrigans vniuersam: numquid aduertis eum, qui Eccli.24. v.41. dicit, *Ego quasi fluuij Dioryx*, per carnalem natiuitatem è Virgine progredientem, atque limpidissimis quatuor Euangeliorum fluminibus omnia latè fecundantem? Mortalium nemo carnaliter in paradiso gignitur: *Tulit Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis.* Neque in paradiso nostro generatione carnali factus est *secundus* Adam *de cælo cælestis*, 1.Cor.15. v.47. sed operâ totius SS. Trinitatis, ac nominatim Spiritus sancti positus in eo, *vt operaretur & custodiret illum.* operatus est, dum fecundauit: *Quia fecit mihi magna qui potens est.* Custodiuit, dum virginitatis florem illibatum conseruauit. Semper viret paradisus, nec corpus Virginis vmquam emarcuit: enutrijsset totum genus humanum in voluptate & gaudio, nisi peccatum impediuisset; & omnes Virgo MARIA hîc voluptatibus perfunderet, & posteà æternâ felicitate bearet, nisi peccata quorumdam obstarent, quibus ipsi sibi causa sunt, quòd eijciantur è paradiso hoc voluptatis, qui custodit omnes qui se custodiunt. Hæc sunt paradiso nostro virginali cum terrestri illo communia; vide nunc, quanta habeat etiam superiora. Conqueritur Propheta Iob 3. cap. v.10. *Non conclusit ostia ventris qui portauit me, nec abstulit mala ab oculis meis.* Anteà vterum Virginis maternum paradiso comparauimus, Propheta vicissim paradisum confert cum vtero materno: *Non conclusit*, inquit, *ostia ventris*, hoc est, paradisi, vnde omnes tamquam è ventre materno prodiuimus, *qui portauit* & genuit *me*, sed aditum diabolo & peccato patefecit; ideò viderunt oculi mei mala omnia ista, quæ auferre poterat hortum istum claudendo. Hortus ergo patens & apertus est paradisus terrestris; & patens in miseriam & perniciem nostram. De Virgine autem dicitur: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus.* hoc est, vndique clausus, & sollicitè clausus, vt nusquam porta, nusquam rima pateat, per quam aditus sit vel mala in eum importantibus, vel bona eius auferentibus. Conclusit eum tota beata Trinitas: quia potentia Patris muniuit eum contra diaboli violentiam, sapientiâ Filij contra eius astutiam, bonitas Spiritus sancti contra malitiam. Clausus erat & circumdatus Angelorum militiâ: *Angelis*, inquit, *suis mandauit de te, vt custodiant te*, Psalm.90. vers.11. Clausus erat infusâ prudentiâ: clausus erat denique omni istâ custodiâ, ex quâ Virginis impeccabilitas existebat. Hortus denique fuit conclusus

multa habens cum paradiso communia.

Coloss.2. v.3.

Ioan.14. v.6.

Genes.2. v.15.

Lucæ 1. v.49.

multa meliora.

maximè, quòd terrestris apertus fuerit serpenti;

Virgo sit hortus conclusus: Cant.4. v.12.

clusus in concipiendo, conclusus in pariendo, vt, postquam mundo effudisset partum salutiferum, adhuc retineret virginitatis signaculum. Hinc illa etiam differentia exoritur, quòd è paradiso turpissimè eiectus sit primus homo circumdatus infirmitate & miseriâ; in Virgine honestissimè conceptus secundus homo, processerit de eâ tamquam sponsus de thalamo, splendorem indutus & fortitudinem: productus est in eo fructus qui totum intoxicauit, ex hac verò prodijt CHRISTVS qui totum resuscitauit & refecit genus humanum. Hortus ergo iste, quò voluptatis causâ deducenda sunt mancipia, meliore iure vocatur hortus & paradisus voluptatis, quàm ille quò Adam fuit à Creatore suo deductus: ille enim quantacumque voluptate abundauerit, huius delicias & pulchritudinem tantummodò adumbrauit. O gaudij & liquidæ voluptatis verè fons! ô voluptatum & gratiarum sedes! ô deliciæ paradisi MARIANI; quarum vix vmbra fuit, quidquid fingi poterat in hoc mundo gratiosum! ô felices, quibus vita & quies in istis vmbraculis, quibus fas procul ab omni peccatorum tumultu inter innocentes illas herbulas, inter illos noti ignotique orbis castissimos flores hilari & hiante oculo oberrare, & modò ad castitatis lilia, modò ad rosas charitatis manum vultumque circumferre, & cum vagâ quadam sanctâque allucinatione terrestrium curarum hîc omnium falli & laborum! Ad hortum, ad hortum hunc MARIANVM, Sodales, huc pedes, huc mentem, huc studia omnia conferamus, huc omnia quæ varijs Sanctis impendimus obsequia. Villæ sunt illæ suburbanæ, multum de vrbium tumultu & fœtore trahentes: MARIA hortus est longè remotus ab vrbibus, vbi aër purior quàm in villis, aura serenior, ventus tranquillior, lux temperantior, odor fragrantior, viror vernantior, vmbra iucundior, quies suauior, somnus quietior, esus sapidior, potus frigidior, sermo secretior, cantus placidior, fons lucidior, arbor frondosior, vbertas largior, flos gratiosior, fructus maturior,

reliqui Sancti villæ sunt suburbanæ.

quàm in ceteris Sanctis. Dici potest de eâ: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eâ, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei*, Isaiæ 40. v. 17. Non vt villas istas negligamus hæc dico, sed vt nobis faciamus iter non inamœnum per eas ad hunc hortorum omnium formosissimum hortum, & paradisum secretum ab omnibus mundi tumultibus & sordibus, in eoque deliciemur cum Dominâ nostrâ, cuius deliciæ sunt esse cum mancipijs & seruulis suis.

per quas via ad hunc hortum.

CAPVT XXV.

Christus summas inuenit, & nos singulorum sensuum reperiemus delicias in horto MARIANO.

HORTVM ostendimus & paradisum Virginem; sed quæ in horto deliciæ, in particulari nondum statuimus: quamquam quid opus est statuere, posteaquam diximus eam esse hortum voluptatis & paradisum deliciarum? nam si horti deliciæ sunt hominum; quid erit ipsarum deliciarum hortus, vbi scilicet se recreare possit gaudium, vbi deliciæ deliciari? Ita dico, gaudio ipsi & delicijs deliciosus factus est hortus MARIANVS. Audi ipsam: *Veniat*, inquit, *dilectus meus in hortum suum*. & quis eius dilectus, vel illam potiùs interrogemus: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* audióne respondentem? *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus*. hoc est, Dilectus meus candidior niue, nitidior lacte, murice rubicundior: ita, quidquid ex mixturâ candidi & rubri suauissimè conspirat ad consummandam pulchritudinem, complexus, vt non pulcher & formosus, sed pulchritudo & forma dici queat: ita delicijs omnibus abundans, ita excellens millia millium, ex quibus est electus, vt iam verba reperiri nequeant, quibus exprimatur decor ipsius & pulchritudo: ita suauis, ita plenus est delicijs, vt totus sit desiderabilis, totus amabilis, imò desiderium ipsum collium æternorum, & ipsæ paradisi deliciæ. Talis est dilectus meus,

Hortus est MARIA, in quo ipsæ delicianur deliciæ.

Cant. 5. v. 1.

Ibidem v. 9.

Ibidem v. 10. hoc est, dilectus eius.

meus, inquit Virgo: & talem audet ipsa in hortum suum, hoc est ad se, inuitare, vt delicietur in areolis suis: ipsam dico voluptatem, & gaudium Angelorum, recreat aromatibus & floribus suis. ait enim: *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat*, Cant. 6. vers. 1. & quas ibi delicias inuenerit ipse variè decantat: *Comedi*, inquit, *fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo*. Vt sciamus esse deliciarum hortum, omnia dulcia & suauia se fatetur inuenisse; mel & fauum, hoc est, actiuæ & contemplatiuæ vitæ perfectionem: mel enim eliquatum, putæ contemplationis designat dulcedinem: fauus exteriori facie rudem ceram ostentans, in cellulis autem suis mel occultans, vitam designat actiuam; quæ licet rudior appareat, continet tamen in singulis operibus dulcedinem præmiorum. Aut, si mauis, mel descendens è cælo contemplationem significat indidem descendentem; fauus verò actionem, quòd sit elaboratum quiddam, continens dulcedinem in melle, & lumen in cerâ. Vita enim illa sita in labore, continet dulcedinem bonæ conscientiæ quantum ad Deum, & lumen bonæ conuersationis quantum ad proximum. his primùm satiatus deliciis est.

Hic in eo inuenit

Cant. 5. v. 1.

mel vita contemplatiua, & fauum actiua.

Sed pergit: *Bibi vinum meum cum lacte meo*. Omne delectamentum inuenir in horto, ad quem voluptatis causâ diuertit; vinum, in quo est ebrietas, cum lactis dulcedine, quòd hac ita caperetur, vt, tamquam si vinum bibisset generosissimum, inebriaretur. ideò dicit: *Erunt vbera tua sicut botri vineæ*, Cantic. 7. vers. 8. & Sponsa ibidem vers. 12. *Ibi dabo tibi vbera mea*, in horto scilicet meo, vt inebriem te eorum dulcedine. Qui enim, antequam bibisset lac matris, districtè iudicans cum seueritate puniebat; postquam hortum hunc ingressus est, & hos gustauit botros vineæ, lacte materno velut inebriatus, peccatorum nostrorum fuit oblitus. Ita videas quosdam vini dulcedine demulceri, vt, iniuriarum obliti, iram vertant in liberalitatem, proniq́ue sint ad largiendum, quasi omnibus communicare volentes quam ipsi à vino hauserunt voluptatem: prorsus in hunc modum, lac, quod sacrosancta labia Domini expresserunt & traxerunt à maternis vberibus, ipsum delectauit, & inenarrabili quadam dulcedine inebriauit, ne recordaretur de cetero, sed facilè nobis condonaret irrogatas iniurias, & liberaliter omnia dona & beneficia cælestia in immensos dispergeret.

vinum item & lac, quo inebriatus oblitus est peccatorum nostrorum.

Quantâ, putas, cor humanum delinietur dulcedine ad ingressum horti istius, si Deus tactus dolore cordis intrinsecus, & totus conuersus in amaritudinem ob scelera nostra, & nihil præter flammas Gomorrhæas, aut Noëmica diluuia cogitans, statim conuersus sit in dulcedinem, vt iam non cogitet nisi cogitationes pacis; & non afflictionis? Longum esset ire per singulas horti delicias, & nares, manus, oculos admouere ad singula quæ insolitâ inuitant amœnitate. Nescias, quid primùm voueas, oculus cum Argo fieri, an nasus cum Catullo, an in quemlibet sensuum aliorum totus commutari; ita omnes permulcentur & titillantur incredibili quadam voluptate.

Nos ibi quoque reperimus

Oculos vis reficere? cælum hîc habes, non hortum; nec astrorum illi ignes profectò gratiùs nitent in serenâ nocte, quàm virtutum MARIANARUM scintillantes micanteśque variè flores. Non est tamen quòd nimias oculiśque ingratas timeas coruscationes: ita enim obumbrante locum Spiritu sancto temperatur splendor ille, qui verberaret oculos à latente in ipso diuinitate, vt infirmitati nostræ attemperatus euibretur fulgor, qui recreet & illustret, non noceat & excæcet.

oculorum.

Vis aurium oblectamenta? lenis susurrus aquarum, & concentus atque harmonia volucrum has iucundâ oblectant garrulitate: ab ipsâ enim fluxerunt pleraque sacrarum fluenta Scripturarum: MARIA enim *conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo*. quæ deinde in Apostolos atque Euangelistas effundebat, vt iis irrigarent vniuersam Ecclesiam.

aurium,

Lucæ 2. v. 19.

clesiam. Harmonia autem quæ in hoc resonat, est Apostolorum Prophetarumque de Virgineo partu vaticinantium consensus: nam quod Prophetæ omnes prædixerunt futurum, Apostoli factum annuntiauerunt. Horum nos cantui attendentes, atque auidè scrutantes quæ scripta sunt de Virgine, simul auribus voluptatem, simul animo salutem bibimus. *Audite*, inquit Isaias cap. 55. v. 3. *& viuet anima vestra.* & Ecclesiasticus cap. 24. v. 30. *Qui audit me, non confundetur.* Sed propria sunt horto narium oblectamenta, quæ percipiuntur ex herbarum, florum atque aromatum fragrantiâ; hæc autem spirat ex hoc horto ita viuaci spiritu, vt etiam qui foris sunt, nec intrant, eam percipiant. *Surge Aquilo*, inquit ipsa Virgo, *& veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius*. præcesserat: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus.* Nolebat scilicet zelosissimus eius Sponsus patêre hortum istum, vt quilibet profani eum impunè illotis intrarent pedibus. quapropter sollicita Virgo, ne pauci nimis ad eam accederent: Excitamini, inquit, ventorum principes Aquilo & Auster, mistiq; perflate hortum meum, quò ex me latè diffundantur aromatum odores, vt etiam ad istos qui foris sunt deferatur odorum fragrantia, desideriumque hi concipiant intrandi, & propiùs aspiciendi plantas illas; quarum tam longè odorem percipiunt, dicantque singuli: *Trahe me: post te currremus in odorem vnguentorum tuorum*. nam *odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*, Cant. 4. vers. 10. Notiora sunt hæc aromata singularium virtutum MARIÆ, quàm vt commemorari debeant: nam virginalis humilitas, vel humilis virginitas, sapientissima simplicitas, & mansuetissima constantia, ceteræque virtutes coniunctione quodammodò contrariâ intensæ, vim quamdam spargunt aromaticam, odoremque suauissimum, qui totum orbem recreat gratissimo odore, & Deum ipsum demulcet incredibili suauitate. Nec gustui deest, quod eum in horto nostro oblectet: nam & sapor fructuum, & potus fontium, & mel, & lac, & vinum, &c. quæ Filium DEI in eo pascunt, etiam facient ad stomachum nostrum, si quidem ille non est malo vitiorum humore prorsus deprauatus. Dicere certè licet cum quodam: Hortus deliciarum nobis est vterus tuus sacratissimus, ô MARIA: quia ex eo multiplicis gaudij flores colligimus, quoties mente recolimus, quàm magna multitudo dulcedinis orbi vniuerso inde profluxerit. Cùm igitur tantâ plenitudine deliciarum abundet hortus iste, & omnibus exponatur, imò etiam, quod plus est, quoslibet ad suam inuitet plenitudinem, dicens Cantic. 5. vers. 1. *Comedite amici:* miser est qui non esurit, æger qui fastidit, fœtidus aut mortuus qui eius odores non sentit, nauseabundus qui non sapit: vt, qui eiusmodi sunt, videantur dicere cum miseris Hebræis Num. 21. vers. 5. *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* & cap. 11. v. 6. *Nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.* Miseri sanè, quorum oculi nihil vident, aures nihil audiunt, nares nihil percipiunt, lingua nihil gustat, manus nihil tangunt in MARIA quod oblectare eos possit, plusquam omnia vel vanæ vel obscenæ voluptatis obiecta. Ite, ite omnes Arabum odores, qui nautea mera sunt præ habitu isto virtutum verè cælestium. Quid? musicam & symphoniam loquuntur? memoria MARIÆ est musica in conuiuio vini. quid, aliorum sensuum oblectamenta? sordes sunt, deliciæ non sunt, præ voluptatibus quæ hauriuntur ex horto isto MARIANO. nam quæ hîc nitela est? quis ordo? quàm aptè omnia in areolas suas puluillosque disposita? vt non magis astra ipsa in firmamento

Singula quæque locum teneant sortita decenter.

vt iam liceat ad areolam aromatum cum Sponso descendere, iam ad liliorum puluillos, iam herbulas, iam flores, iam fructus pomorum carpere. O honestissimum mancipatum nostrum!

Marginalia: *narium*, | Cant. 4. v. 16. | Ibidem v. 12. | Cant. 1. v. 3. | *palati oblectamenta*, | *magis quàm in sordidis aut vanis delicijs.*

strum! cuius opus est in hæc iucundissima studia incumbere,

Qualis apes æstate nouâ per florea rura
Exercet sub sole labor. ——

Sed satis sit sub horti metaphorâ inter MARIANAS luxuriasse delicias. Alia videamus.

CAPVT XXVI.

Iucunditas mancipatus ex eo quòd Virgo habeat seruos suos vt fratres & animam suam.

1. Thess. 2. v. 7. — DIXERAT suis Thessalonicensibus Apostolus: *Facti sumus paruuli in medio vestrûm, tamquam si nutrix foueat filios suos.* id est: Factus sum vobis comis, blandus, imò quasi nutrix aut mater quæ cum infante suo balbutit, & colludit, eumque alit, ac fouet: ego enim quasi nutrix blandissima & amantissima de Deitate & humanitate Christi balbutiens, & blanda cæli præmia quasi lac ingerens, vobiscum quodammodò collusi, ac vobis me meaq; omnia impendi. Præcesserat: *Cùm possemus vobis oneri esse vt Christi Apostoli.* id est: Cùm potuissemus eâ auctoritate & grauitate vobiscum agere, vt exigeremus honorem & alimoniam, ceteraque obsequia quæ iure suo Christi Apostolus potest ab iis, ad quos missus est, exigere; maluimus vt paruuli esse, & blandè vobiscum agere, imò nutrire & lactare vos vt sedula mater. Quæ omnia quàm commodè applicari possint Dominæ nostræ, ex supradictis facilè colligitur: illa enim cùm posset nobis esse oneri, tamquam cæli terræq; Domina, quoscumque labores subeundos, quæcumque onera portanda imponere; honorem, obseruantiam, timorem, qui tantæ Dominæ à vilissimis mancipiis debetur, rigidissimè exigere; facta est paruula in medio nostri, in vber, in nutricem, in matrem conuersa, quæ blandiatur paruulis suis, præ amore pænè conuersa in paruulam, aut saltem paruulorum mores assumens. Apostolus autem amorem suum magis cupiens indicare, verbis citatis subdit:

Apostolus vt mater & nutrix inter discipulos.

Ibidem.

ita Virgo inter seruos.

Ibidem v. 8. — *Ita desiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis non solùm Euangelium Dei, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis.* id est: Ita vos ego quasi mater & nutrix amo & depereo, vt non solùm lac & vbera mea, sed & animam, si possem, vobis tradere cuperem. Quem amorem multò etiam ardentiorem vt ostendamus in Dominâ nostrâ erga mancipia sua esse, considerandus est iste Eccli. locus cap. 33. vers. 31. *Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta: quoniam in sanguine animæ comparasti illum.* E quo prudentissimo viri sapientis consilio hanc ego certissimam deduco conclusionem: Si nos B. MARIÆ Virginis mancipatui tradiderimus, stare à nobis, vt ab eâ tamquam anima ipsius, aut fratres eius habeamur. Quæ veritas non alio, quàm certissimo illo & inconcusso nititur fundamento, tam perfectam scilicet ab Ecclesiastico non describi sapientis domini ideam, quin multis partibus perfectiorem in sese Domina nostra formam ediderit. Vnde sequitur, nihil istic per modum præcepti inculcari, de quo affirmare non liceat, Virginem MARIAM, solâ Spiritus vnctione instructam, multò id perfectiùs impleuisse, quàm possit ab homine describi. Dum ergo legimus præceptum datum esse sapientibus, vt seruus illis animæ suæ ac fratris loco sit; indubitanter affirmare licet, præceptum illud adimpletum fuisse à Virgine Deiparâ dum viueret in terris, multoque magis ab eâ adimpleri, quando iam gloriosa triumphat in cælis: MARIA enim puteus aquarum viuentium, quia *secretarium* est, inquit Rupertus Abbas, *omnium Scripturarum.* Si ergo Virgini sit seruus fidelis (quis ille sit, quibúsve præditus debeat esse virtutibus, qui istum titulorum omnium gloriosissimum adscribi cupit gloriæ suæ, infrà docebimus, dum serui conditiones virtutesque examinabimus;) si, inquam, Dominæ nostræ fidelis sit seruus, erit illi tamquam anima sua: non solùm, quod Apostolus dicebat, tradet illi

Omnia sapientum præcepta sunt adimpleta à MARIA.

illi animam suam, sed eum potiùs sic sibi incorporabit, vt futurus sit ei tamquam anima propria. Cùm enim Virgo dederit semper virtutum exempla supra omnia sapientum præcepta, & sapientum omnium consilium fuerit, vt benignè haberentur serui à dominis, maximè ij qui spem bonæ alicuius frugis ostentant; consequens est, omnem illum amorem seruis suis impendisse, & etiamnum impendere, quæ vlli sapientes à dominis postulauerint. Audiamus ergo Romanum sapientem inter naturæ allucinationes non vsquequaque aberrantem, vt gradatim veniamus ad summa gratiæ inuenta: *Cum seruis*, inquit, *familiariter te viuere decet prudentiam tuam. Serui sunt? imò homines. Serui sunt? imò contubernales. Serui sunt? imò humiles amici. Serui sunt? imò conserui, si cogitaueris tantumdem in vtrosque licere fortunæ.* & mox: *Vis tu*, inquit, *cogitare istum, quem seruum tuum vocas, ex eisdem seminibus ortum, eodem frui cælo, æquè spirare, æquè viuere, æquè mori? Tam tu illum ingenuum videre potes, quàm ille te seruum. Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, & alijs intrantibus excludi. Marianâ clade multos splendidissimè natos fortuna depreßit: alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit.* Hæc sunt rudia quædam Marianæ benignitatis vt inter naturæ leges præludia: quibus qui se excitauerit, incipiet tantæ benignitati non inuitus seruire, maximè, si hanc omnibus rationibus confirmatam ratiocinationem instituerit, vt nihil aliud esset in Dominâ nostrâ Virgine Maria, certè ea est sapientia & prudentia, quam nulla alia creatura vmquam adæquauerit: atqui prudentiam decet familiariter cum seruis suis viuere: ergo nos demus in seruitutem eius, cuius honestissima, vtilissima ac iucundissima est familiaritas. Iam vide, quàm fortiter suadeatur ista cum seruis suauis agendi ratio, humanitas, hospitalitas, amicitia, modestia; tot magna & inuiolabilia nomina certatim efflagitant, ne duriùs cum ijs agatur; & cuius frontis erit, dubitare de omnium perfectionum normâ Dominâ nostrâ, an tot simul virtutes sit violatura? *Homines* sunt serui, eiusdem cum illâ naturæ; & tam aliena ab humanitate erunt viscera illa misericordiæ, vt naturæ suæ obliuiscatur? *Contubernales* sunt, eodem hîc cælo tecti, eâdem in cælo aulâ excipiendi; & nihil valebunt hospitij iura apud illam, quæ meruit Deum suscipere hospitio? *Humiles amici* sunt; & non sanctissimum erit amicitiæ nomen apud Mariam, quæ Deum inter & homines redintegrauit beneuolentiam? *Conserui* sunt: quàm familiariter cum illis aget modestissima illa & humillima Dei ancilla, cuius deliciæ sunt, inter seruos suos, quòd simul eiusdem Domini sui famuli sint, conuersari! Cogitat ergo illa nos, quos famulos suos perhonorifico nobis titulo vocat, ex eisdem seminibus ortos, eodem frui cælo, hîc æquè spirare, æquè viuere, æquè mori, & cetera magna quidem, sed naturalia tantùm familiaritatis incitamenta, quibus eò permoueatur Domina nostra, vt conseruorum atque amicorum nos loco habeat. Altiùs paulò assurgit Philo apud Maximum Sermone 7. atque benignitatem seruis exhibendam ex altioribus haurit principijs, quàm quæ naturæ nostræ nitantur fundamentis: *Talem*, inquit, *te domesticis seruis præsta, qualem Deum in te esse velles: vt enim alios audimus, sic à Deo audiemur; atque vt intuemur alios, sic Deus nos intuebitur. Offeramus ergo misericordiæ misericordiam, vt simili simile consequamur.* Magnum est, si dicamus, talem Virginem esse seruis suis, qualem ipsa Deum non dico optauit, sed habuit sibi: iam enim non solùm vt fratres nos, quod Siracides suadebat, sed vt filij; non vt anima tantùm, sed vt sponsi animâ ipsâ plerumq; chariores diligemur à Matre Dei, & Dei Sponsâ. O nobilem, ô vtilem, ô iucundam seruitutem! Dubium enim mihi est, quidnam magis in tanto bono admirandum vel optandum sit, in quod omnis boni ratio tam admirabiliter conspirat. Frater, anima, filius, sponsus est Virginis, quisquis ei fideliter seruit.

Seneca Epist. 47. *Quid Seneca circa benignitatem erga seruos præcipiat:*

quomodo id à Virgine obseruetur.

Quid Philo præcipiat;

itidem à Virgine obseruatum.

non opus est studiosiùs honoris vel amoris affectare titulos, cùm in vno serui & mancipij omnes contineantur. Rationem duplicem adfert Ecclesiasticus, quibus alijs suadet, vt tantâ sibi seruos adstringant beneuolentiâ, quas apud Virginem non exigui esse momenti certò nobis persuademus. ait enim: *Quoniam in sanguine animæ comparasti illum.* Si sanguine animæ intelligamus sanguinem vnigeniti Filij ipsius, cuius vitâ ipsa magis quàm animâ suâ viuebat; quàm tenerè putamus amore mollescunt pientissima misericordiæ viscera, quando illos misericordes & ex dolore amissi Filij lacrymis plenos oculos ad nos conuertit, & recogitat, nos illos esse famulos suos, quos tanto pretio Filius ei suus coëmerit, vt vitam maluerit amittere, quàm illam ei possessionem non assereret? Nec minorem habet ad commouendum vim, si sanguine animæ, quo nos seruos suos comparauit Virgo, dolores illos intelligamus quos sustinuit, quando Filius in sanguine carnis, ipsa in sanguine mentis redimebat genus humanum, adacto ad interiora animæ maternæ viscera illo doloris gladio, qui carnem Filij ita crudeliter dilacerabat: *Si læseris eum,* ait Scriptura, *iniustè, in fugam conuertetur: & si extollens discesserit, quem quæras, & in quâ viâ quæras illum, nescis.* Non solum si iniustè læserit, iuste fugam arrepturos nos scit Domina nostra; sed adeò fugæ deditos nouit, vt statim, si non blandissimè accipiamur, si corrigamur ob peccata paulò durius, si vel vmbram aliquam fingere possimus asperitatis, fugam meditemur, ruamusque in exitium nostrum. Quæ res tam tenero pietatis affectu commouet illa misericordiæ viscera, vt sollicita sit, ne quid suauitatis, ne quid blanditiarum omittat, verita, ne alicunde nos arripiamus fugæ occasionem: dolet enim illi, & vehementer dolet, eam perdere possessionem, quam tanto pretio, tanto vultus sudore, tantis animi anxietatibus, tantis corporis doloribus Filius suus illi coëmit: & simul memorans illa tempora, quando sub cruce exspirantis Filij tantis ipsa doloribus sibi quodammodò parturiebat istam familiam, timet, ne irritos quantum ad se reddat tantos cruciatus serui alicuius fuga. Erat ista seruis Ethnicorum insania, vt putarent, eodem telo quo pectus sibi aperiebant, ianuam patefieri ad libertatem. Quam opinionem Lacæna illa confirmabat, quæ in auctione rogata à præcone quid sciret, respondit, Libera esse. Itaque cùm emptor imperasset quædam non conuenientia liberæ: *Plorabis,* inquit, *qui talem tibi inuideris possessionem.* moxque sibi necem consciuit. Omnes adeò peruaserat hic error: nam puer Spartanus captus ab Antigono Rege, ac sub hastâ venditus, in ceteris omnibus quæ ab ingenuo decenter fieri poterant, ei qui se mercatus erat obsequebatur; ceterùm iussus adferre matulam, non sustinuit, dicens: *Non seruiam.* at cùm herus instaret, ipse conscenso tecto, dixit: *Senties cuiusmodi mercatus fueris.* moxque è sublimi præcipitem se dedit, & interijt. Addo casum multò luctuosiorem; quem æuo nostro vidit Hispania. Seruus durè ab hero tractatus, hero absente proles omnes eius paruulas in solatium abduxit, foresque domus occlusit: hero domum redeunte, foresque pulsante, minanteque seruo quòd aperire tardaret; seruus per fenestram prolem vnam illi ostentans, *Quid mihi,* inquit, *dabis pro prole hac tuâ?* indignante hero & frendente, seruus prolem ex alto præcipitauit, & occidit: idem fecit secundæ, tertiæ, & ceteris (frustrà iam precante hero, & omnia pollicente, vt ijs parceret) ac tandem seipsum præcipitem dedit: *Disce,* inquit, *benignè seruos tractare.* Seruilem hanc nostram indolem nouit Virgo MARIA, sciteque nos non tantùm per fugam nobis mortem consciscere, sed etiam Filium suum arripere, rursumque in contumeliam Matris cruci affigere: quapropter sollicita est, vt non tam seruorum, quàm fratrum, quàm animæ suæ, quàm filiorum nos loco habeat, eàque tractet humanitate & beneuolentiâ, vt quantumcumque malæ indolis

Magni seruos facit, quia carò eos emit;

& suauiter tractat, ne fugam arripiant; Eccli. 33. v. 32.

Plutarc. in Laconicis. *aut Felio eius vel sibimetipsis mortem consciscant.*

indolis, clarè videre possimus, nullam huic seruituti præferendam esse libertatem; vt iam parua videatur ista Isaiæ 66. v. 12. promissio: *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Plus enim est ita intimis stringi cordis affectibus, vt animam suam communicare nobis velit, imò animæ suæ nos loco in corde suo reponere Domina nostra. Fateor, vix credibiles reddere possemus tantas Dominæ erga mancipia sua delicias; nisi haberemus, vnde certissimum esse ostenderemus, istam omnium deliciarum causam quam subdit Apostolus: *Quoniam charissimi nobis facti estis*: tamquam si diceret: Neque mirari debetis, aut incredibilia putare quæ dico: charissimi enim estis, amore vestri ardeo, charitate flagro. Vbi autem est amor mirabilium operator, quid stupemus effectus prodire mirabiles? Videamus ergo, cur nos ita tenerè diligat MARIA, vt nulla remaneat de tantâ seruitutis ipsius dulcedine dubitatio.

1. Thess. 2. v. 8.

CAPVT XXVII.

Vnde nascatur tantus in Virgine erga mancipia amor.

Causa amoris B. MARIAE Virginis erga mancipia.

Prima, quia ipsa commutata est in amorem

QVIA satis incredibile videtur humanâ consuetudine rem metientibus, tanto famulorum suorum tamq; tenero, atque mox diximus, amore flagrare MARIAM Virginem; breuiter, vnde hæc erga eos oriatur nutriaturq; flamma, dispiciemus. Et prima quidem eius causa assignari posset, quòd ipsamet Domina nostra tota in amorem igne sancti Spiritus fuerit conuersa: nam, vt sanctus Ildephonsus ait Sermone 1. de Assumptione, *velut ignis ferrum, totam decoxit* (Spiritus sanctus nimirum) *incanduit, & igniuit; ita vt in eâ Spiritus sancti flamma tantùm videatur, nihil sentiatur, nisi tantùm ignis amoris Dei & hominis.* Ita, vt quærendum vlteriùs non sit, vnde tantoperè amet, quæ tota est amor: tantâ enim abundantiâ superueniens illi Spiritus, naturam quodammodò ipsius totam absorpsit, & in amorem ipsum metamorphosi stupendâ mutauit. Congrega iam delicias omnes, omnes blanditias cogita; lactis, mellis, sacchari dulcedines adiunge; nutricem, matrem, & quidquid hisce est blandius, imaginare; nihil vmquam finges, quo possis amoris ipsius suauitatem exprimere: nec amor iste, in quem mutata est Virgo, fuit aliquis, vt sic dicam, de turbâ amorum, sed qui ad diuinum istum quàm proximè accederet: nam, teste Bedâ, tam effusè & copiosè in Virginem Spiritus sanctus venit, vt *quantum ipse valeat ostenderit.* Nam de industriâ illi adscripta & commissa est MARIA, vt in illam mirabili quadam omnium donorum suorum affluentiâ superueniret: cumque Pater ab æterno generet Filium, attributaque sua vnà cum essentiâ per generationem ei communicet; Pater item & Filius spirent siue efflent Spiritum sanctum, atque illi omnia sua attributa cum essentiâ communicent; Spiritus autem sancti bonitas infinita sit æquè ac Patris & Filij, se verò communicare eâ ratione non possit, non defectu potentiæ, sed termini producendi; manet in eo quasi infinita propensio sese communicandi. Quam, dum bonitatem suam & dona spargit per tot creaturas, vtcumque explere videtur, non tamen eâ affluentiâ, vt personam aliquam constituat, de quâ dici possit, Hæc est, in quâ Spiritus sanctus quantum ipse valeat, ostenderit; hæc est, quam ille diuinus amor, cùm infinito modo alium producendo amorem Deum se effundere non possit, voluit totam in amorem transmutari: vt creatura existeret tot diuinis insignita charismatibus, in quâ nihil nisi spiritus, id est flamma, videretur, nihil sentiretur, nisi tantùm ignis amoris Dei & hominis. Ergo MARIAM elegit, in quâ ostenderet diuitias bonitatis suæ, & in quam se totum quodammodò effunderet, quam in misericordiæ, bonitatis, amoris, charitatis viscera commutaret, atque ita inflammaret, vt nihil ructaret nisi incendia amoris, flammas illas suauissimas & violentissimas in amicos & inimicos, in iustos & iniustos,

operâ Spiritus sancti, qui voluit in eâ ostendere vim potentia sua.

in filios & seruos, in fratres & mancipia, in omne denique hominum genus spargeret, omnia charitate accenderet, & tamquam verissimus amoris ignis, numquam diceret, *Sufficit.* I nunc, & mirare lucem lucêre, ignem vrere, si miraris, amorem amare. Altera causa, quæ tam admirabiles & tam suaues in Dominæ nostræ pectore erga nos mancipia eius progignit amores, est incredibilis eius erga Filium suum amor. Non, si linguis hominum loquar & Angelorum, quidquam adferam, quod suauissimos ignes, quibus pectus Matris illius æstuabat erga talem Filium, possit vllatenus adumbrare. fiebat autem isto eodem operante amore, vt, si quid Filius diligeret, idem illud Mater deperiret: cùm ergo illa in pectore illo viueret, vbi nihil cernebat aliud quàm Dei nostrique amorem, non poterat non eodem igne ex Filij charitate succendi. O quis explicet, quàm suauiter illa erga nos affici cœperit, vbi aduertit, se Filio, nos diligendo, gratificari! Origenes Tom. 1. in Ioannem in Præfatione sic docet, MARIÆ Filium esse Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, & præterea omnem eum qui est perfectè Christianus; qui enim huiusmodi est, non ampliùs viuit ipse, sed in ipso viuit CHRISTVS; & ideò de eo dici potest MARIÆ: Ecce Filius tuus CHRISTVS. *Filioli mei, quos iterùm parturio,* dicebat Apostolus, *donec formetur Christus in vobis.* Quid autem? putásne, minùs diliget Mater illa Filium viuentem in corde mancipij, quàm iacentem inter bestias? minùs amabit formatum in corde peccatoris, quàm pendentem inter latrones? Æqualis illi est amor, vbicumque est Filius: quia nihil est ipsi causa amandi nisi Filius; & mirabimur vsque in delicias mancipia amari à Virgine, quæ in illis aut inuenit, aut format IESVM Filium suum, erga quem non potest suum dissimulare amorem? *Scio Domina,* inquit Petrus Damianus, *quia benignissima es, & amas nos amore inuincibili, quos in te & per te Filius tuus & Deus tuus summâ dilectione dilexit.* Licet nos Filium tuum non diligeremus, eò tantùm quòd ita vehementer amemur ab illo, amas tu nos amore inuincibili: tu es enim illa quæ Cant. 2. v. 3. dicis: *Sub vmbrâ illius quem desideraueram sedi.* cùm tibi, vt verè, & supra omnes amanti, non tantùm Dilecti aspectus, sed & vestes & domus, & calcei & serui; & quæcumque ille diligit, & quæcumque vel minimam eius vmbram præ se ferunt, gratissima sint; & pro magno ducas, vel in tali eius vmbrâ sedere: quamquam non vmbram solùm Dilecti sui, sed cor etiam, atque adeò Dilectum ipsum, in quolibet nostrûm reperiat illa, quæ accuratiùs solet locum, vbi cubat ipse, peruestigare. Nouit illa, quanto amore feratur in genus humanum Dilectus suus, nouit cor eius vulneratum, imò oblatum ab illo nimio erga nos amore, vt iam non tam viuat in se quàm in nobis, quos ita diligit. Fortis vt mors dilectio, quia vtraque animam separat à corpore: & amator animus, iuxta Platonis sententiam, in proprio mortuus, in alieno corpore viuit, ac in se exspirans, in alio reuiuiscit. Quod ipse Dilectus testatur, quamlibet animarum nostrarum sic alloquens: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa.* quod ex Hebræo & Septuaginta vertitur: *Abstulisti mihi cor*; vel, *Excordasti me soror mea sponsa.* Vnde facilè considerandum restat, quo amore in nos feratur Virgo, in quos translatum nouit cor Dilecti sui. Meritò à Theologorum doctissimis docetur, eumdem habitum esse charitatis Dei & proximi, quòd hic non aliâ de causâ diligendus sit quàm propter Deum, imò quòd ipse in proximo ametur Deus, qui se in illum transtulit amando. Vnde tertia exsurgit ratio, quæ minùs incredibilem reddat tantam MARIÆ erga mancipia sua amoris teneritudinem, deliciasque familiaritatis. Contemplanti enim habitum amoris quo Deum diligebat illa sanctissimæ Trinitatis Sponsa, nihil occurret, quod terminet immensitatis eius magnitudinem: licet enim infinitus non fuerit, omnem tamen creatorum ingeniorum vim atque capacitatem

Secunda, ex amore Filij.

quem in nobis amat.

Galat. 4. v. 19.

Serm. 1. de Natiuit.

Videt enim cor eius præ amore viuere in nobis.

Cant. 4. v. 9.

S. Thom. 2. 2. q. 25. art. 1.

Tertia, quia eodem habitu nos amat quo Deum.

tem

tem ſuperauit: iam verò, cùm ex eodem illo habitu, & quidem ex totâ eius latitudine nos dilexerit, quæ, Deus meus, amoris ſuauitas, quæ dulcedo, quæ deliciæ exoriebantur? *O quàm pulchra es, & quàm decora, chariſſima, in deliciis! Quàm decora*, Hebraicè dicitur *Nagamthe*; id eſt, *quàm dulcuiſti!* quod Septuaginta vertunt, *Quàm ſuauis facta es!* & pro *chariſſima*, ponunt, *charitas:* quia tantam Sponſus videbat Virginis in diligendo magnitudinem, vt ipſa potius eſſet amor quàm amans; & tantam in amore ſuauitatem, vt admirabundus exclamaret, Quàm ſuauis facta es charitas in deliciis! quantæ deliciæ, & quàm ſuaues, propter dulces & amabiles mores tuos in conuerſatione! quibus omnes, qui tecum agunt, non aliter afficiuntur, quàm qui exquiſitiſſimis ſolent affici deliciis. Quis explicet, quàm ſis pulchra, tu quę omnibus es chariſſima, imò quæ omnes ita diligis, vt charitas ipſa videaris, quâ nihil poteſt excogitari aut fingi pulchrius? Quis eloquatur, quàm ſis decora & ſuauis, quæ tantis omnes afficis delicijs, vt inebrientur ab vbertate domus Dei? Quàm ſuauis facta es charitas & amor in delicijs! non amor qui cruciet, aut pœnas adferat; ſed charitas iucunda & delicioſa, amor plenus dulcedine & ſuauitate. quem maximè experiri neceſſe eſt eos, qui obſequijs ſuis & voluntario mancipatu ſeſe in familiam eius dedunt, & domeſtici Virginis fiunt. Oportet enim, quæ ad omnes ſpargantur delicias, incipere à proximis, & maximè vim ſuam ad domeſticos extendere. Venite omnes, guſtare & videte quàm ſuauis eſt MARIA. O Sodales, immergite vos in has delicias, hunc voluptatis fontem haurite, hortum iſtum concluſum ingredimini, excipite ſpiritum aromatum, & fragrantem flosculorum auram; poma & fructus carpite, lac & mel riuis roris exundans deguſtate: & videbitis, quoniam ſuauis eſt Domina, neque habet amaritudinem conuerſatio ipſius. Mel inueniſtis, comedite quantum poteſtis: quia nihil ſufficit, vbi perpetuò

Cant. 7. v. 6.

Vnde mira amoris delicia,

qua primùm redundant in mancipia.

Adhortatio, vt, relictâ voluptatis dulcedine, ad has delicias mancipatus nos conferamus.

Prou. 25. v. 16.

creſcit ex ſatietate deſiderium. neque timendum, ne euomatis præ ſatietate: non enim onerat aut deprauat mentis appetitum; ſed incitat atque exacuit: non hic

Impia ſub dulci melle venena latent,

qualia ſub Corſico melle abſconduntur; quod apes ex cicutâ colligentes, noxiam qualitatem operi ſuo admiſcent. de quo Ouidius:

Quam puto de longa collectam flore cicutæ
Melle ſub infami Corſica miſit apis.

vel potiùs, qualia ſub infami voluptatum illecebrâ propinat caro. Non hic lenocinantibus ſuauitatis illecebris inſania miſcetur, quemadmodum in Heptacometarum melle accidit, de quo Cauſſinus in Polyhiſt. ſymbolico lib. 9. parabolâ 8. *Heptacometa*, inquit, *ſiue Septempagani, mel legunt ex ſummis arborum ramis, quod homines adigit ad inſaniam.* Huius cùm crateras Pompeianis militibus propinaſſent, tres eorum à ſenſu alienatorum cohortes conciderunt, teſte Strab. lib. 11. p. 377. num. 30. quemadmodum voluptas mellis illecebrâ aucupatur, quos ferro deinde laniat. Vide potiùs, quot ab vnâ mellis, quod Virgo propinat, dulcedine commoditates: animam enim nutrit, vegetat, exhilarat, facitque longæuam: quæ omnia mel corpori præſtare affirmant medicinæ magiſtri. Nos in hac vitâ humanarum quærimus ſolatia miſeriarum, vilia facti creaturarum mancipia & mendicabula, quòd mellis aliquid habere videantur. At frequens in Hyrcaniâ arbor eſt, quercus habens ſpeciem, cuius folia multo melle ringuntur; ſed niſi ſolis ortum incolę præoccupauerint, vel modico tempore ſuccus extinguitur, ait Curtius lib. 6. Frequenter nos arbori iſti vanam ſectantes dulcedinem inſidemus; ſed vix cæleſtis gratiæ radius illuxit, cùm iſta ſuauia ſorbentur, & in fumos euaneſcunt. Quin potiùs Virgini nos tradimus in mancipia, vt ab eâ inebriemur delicijs cæleſtibus, & perfundamur iſtâ mellis dulcedine quæ permanebit in æternum?

M. FR. BARTHOLOMÆI DE LOS RIOS

DE HIERARCHIA MARIANA

LIBER QVARTVS.

PROOEMIVM.

TITVLOS mancipatus MARIANI, eiusque institutionem ac propagationem executus, & breuiter mortales ad eumdem exhortatus; aggredior præcipuam & vtilissimam operis partem, in quâ officium seruitutis nostræ, & singula, quæ beatæ MARIÆ præstanda sunt ministeria, accuratiùs examinantur. Et veteres quidem eleganti emblemate mancipij officium exprimebant, quod ante omnia nobis erit diligenter inspiciendum. Pingebatur seruus pileatus rubro pileo, eleganti interulâ vestitus, aures habens asininas, ceruinos pedes, dexteram tenens erectam, & in palmam explicatam: cui perficiendi emblematis causâ subscribi posset, *Seruiet vtiliter*. Quæ ita exponuntur. Pileus significat, libero & liberali eum debere esse ingenio. Interula designat, eum assiduè operi & labori intentum esse. Auriculæ asininæ innuunt, eum multa etiam dura patienter audire. Ceruini pedes notant celeritatem in exequendis mandatis. Dextera erecta, index est fidelitatis in tractandis negotiis & rebus heri. Tot ergo virtutibus ab antiquis illis habemus definitum serui officium; ingenij scilicet liberalitate, operis assiduitate, audiendi patientiâ, celeritate exequendi, & fidelitate in negotiis. Ad quæ capita totam officij istius rationem, quam Dominæ suæ præstare cuperem B. MARIÆ Virginis mancipia, reuocabo; ac mox constitutiones & leges mancipatus cum breui ad singulas explicatione subiungam.

Quinque serui boni virtutes.

CAPVT I.

De ingenuitate, primâ virtute boni mancipij.

SERVO ac mancipio perfecto, quod depinximus, nos primum ornamentum pileum dedisse, ipsius libertatis insigne, mirum non videbitur antiquum morem obseruanti, quo mancipia quædam pileata vendi solent; illa nimirum pro quibus venditor nihil præstaret: significabat enim impositus pileus, ea esse adeò integra & frugi, vt propemodum manumitti mererentur. Nihilergo conditioni serui perfecti, quales mancipia MARIÆ omnia esse desideramus, contradicit libertatis insigne. Nam seruo in corpore liberum animum gerere potest seruus, quantumcumq; seuero mancipatui addictus. *Errat, si quis existimat*, Senecæ verba sunt 3. de Beneficiis, *seruitutem in totum*

Pileus mancipiis impositus, ingenuitatis est signum.

tum hominem descendere: pars eius melior est excepta. Corpora obnoxia sunt & adscripta dominis, mens quidem sui iuris. Ego autem dico, seruitutem & mancipatum B. MARIÆ in totum hominem descendere: nec fallor; & melior pars magis obnoxia est & adscripta Dominæ: nec libera mens est, sed liberalis; non seruitute soluta, sed ingenua: atque ideò magis propriè illis propositum emblema conuenit: toti enim serui sunt, sed pileati, id est, ingenuam ac liberalem seruientes seruitutem. Quam ego ingenuitatem sapientiâ & amore definio: hæc enim vbi adsunt, omnis liberaliter præstatur seruitus: nam quòd hæc, quam in Virginis mancipatu seruimus, etiam aliunde ingenua sit, in præsentiarum negligimus. Virtutis enim non est, sed felicitatis nostræ, quòd nati simus in Heræ istius mancipatu: quæ tanta est, vt nulla possit illi inhonesta præstari seruitus; sed vt ingenuè illam præstemus & liberaliter, à nobis, non à fortunâ dependet. Fieri hoc per sapientiam & amorem diximus: ac de sapientiâ quidem testis nobis locuples Aristoteles in Politicis lib. 1. *Nam animus*, inquit, *in corpus dominium habet & imperium: eodem modo necesse est & in singulis hominibus esse. Quicumque igitur distant tantum, quantum animus à corpore, hi naturâ ipsâ serui ac domini sunt: itaque quorum est opus in corporis vsu, & hoc est in ijs potissimum, hi sunt naturâ serui; quorum autem opus potissimum in mente & ratione est, hi sunt naturâ domini.* Aduerte duplicem hîc tangi seruitutem, alteram à naturâ, alteram à legibus constitutam; fierique posse, vt is, qui per leges seruus est, naturâ dominus existat eius cui seruit. Quis autem neget, plus ingenuitatis inesse naturali dominio, quàm ei quod per leges constituitur? Possunt enim illæ statum politicum in ordine ad regimen externum Reipub. constituere, sed naturam mutare non possunt: cuius legi tamquam potentiori, omnis hominum cedere debet ordinatio. Sapientiorem Philosophum audiamus, id ex sapientiæ medullâ comprobantem. *Nihil ergo præiudicat pecunia* (inquit in eâ ad Simplicianum Epistolâ S. Ambrosius, vbi fortissimis argumentis euincit solum sapientem esse liberum) *quæ plerumque sibi dominos emit; nihil tabulæ auctionales, quibus emptor sæpè adiudicatur atque addicitur seruituti. Contractus non mutat genus, nec sapientiæ libertatem adimit. Denique famulo sapienti multi (vt scriptum est) seruiunt liberi: & est seruus intelligens, qui regat dominos stultos. Quem ergo magis liberum censes? Sola est sapientia libera, quæ diuitibus pauperes præficit, & quæ seruos proprijs fœnerare dominis facit; fœnerare non pecuniam, sed intellectum, fœnerare talentum illius Dominici æterniq; thesauri, qui numquam corrumpitur.* Et paulò inferiùs: *Non ille solùm liber qui dominum licitatorem non pertulit, aut tollentem digitum non vidit; sed ille magis liber, qui intra se liber est, qui legibus naturæ liber est. Parum est liberum esse; dominus est quisquis sapit.* Audi eumdem Sanctum: *Vtrùm*, inquit, *ille liber tantummodò sibi videtur, an quidam censor & præfectus? vnde verè ait Scriptura, quia pauperes diuitum præpositi erunt, & priuati administrantium.* Exprimit hoc Horatius lib. 1. Epist. 1.

> *Ad summum sapiens vno minor est Ioue, diues,*
> *Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.*

> *Ingenuitatem mancipijs præstat sapientia & amor;*

> *& sapientia non tantùm libertas, sed etiam imperium conuenit.*

Sapientia enim tantopere extollit hominem, vt, quamuis conditione seruus sit, veluti consumptâ seruitute insipientes alios, quantumuis liberos & ingenuos, illi tamquam vilia mancipia submittat. Vnde Diogenes apud Laërtium lib. 6. cùm ex libertate in seruitutem bello captus venderetur, & is qui emerat, dixisset; Vide vt iussis meis obtemperes; sic occurrit, Ἄνω ποταμῶν χωροῦσι παγαί, id est, *Sursum fluminum fluunt fontes:* significans, rem esse præposteram, virum Philosophum & sapientem homini indocto inseruire. Atque Cynicus idem interrogatus à præcone quo titulo licitari vellet, respondit: *Noui hominibus liberi*[illegible] *re.*

Legiſſe videbatur illud Eccli. 10. v. 28. *Seruo ſenſato liberi ſeruient*. Putauit ſcilicet virum Philoſophum, quantumuis bello, captum & ſeruituti addictum corpus haberet, animum tamen ſolutum & liberum gerere, atque ob illius præſtantiam in liberos etiam homines imperium meritò ſortiri. Idem rurſus Diogenes, teſte Laërtio lib. 6. cùm emptus à Xeniadâ ei ſeruiret, & amici agerent de eo liberando: *Nequaquam*, inquit: *an neſcitis leones non ijs ſeruire à quibus aluntur, ſed altores potiùs ſeruire leonibus? nam leo vbicumque eſt, ſemper leo eſt*. Sed ſanctus Auguſtinus de Ciuitate libro 4. cap. 3. præclarè: *Bonus, etiamſi ſeruiat, liber eſt; malus autem, etiamſi regnet, ſeruus eſt: nec vnius hominis, ſed, quod grauius, tot dominorum, quot vitiorum*. Vtque manifeſtiùs appareat, non pugnare libertatem veram cum ſuperinductâ ſeruitute, audi ſanctum Ambroſium libro 2. Epiſtolâ 7. ad Simplic. *Ioſeph*, inquit, *venditus in ſeruitutem eſt, & electus eſt ad poteſtatem, vt ſuis emptoribus imperaret. Vnde pulchrè Pſalmiſta ait Pſalmo* 104. *In ſeruum venumdatus eſt Ioſeph, humiliauerunt in compedibus pedes eius, non animam eius: nam cùm aliorum animas peccatum tranſeat (ferrum enim peccatum eſt, quod eſt penetrabile) ſancti anima ita non patuit peccato, vt magis peccatum ipſa penetraret. In ſeruum venumdatus eſt, non ſeruus factus. Quomodò hic ſeruus, qui erudiuit Principes populi in illâ frumentariâ diſpenſatione?* Et veriſſima eſt Platonis ſententia lib. 6. de Legibus: *Nihil integrum neque ſanum habet animus ſeruilis: nam nihil oportet credere huic hominem qui ſapiat*. hoc benè, ſed vaniſſima eius probatio, quam è Græco Poëtâ producit:

Nec vllus ſapientiâ caret, quia ſeruit.

Dimidio mentis depriuat Iupiter illos
Seruilis quoſcumque viros ſors ceperit vmquam.

Homer. Odyſſ. 5.

Non priuantur dimidio mentis quos ſors addicit ſeruituti, ſed qui animum habent ſeruilem, vt benè Plato; id eſt, qui mentis dimidio carent, hi nihil habe[illegible] [illegible]tu, & naturâ ſunt ſerui: [illegible]

quibus autem mens ſana & integra eſt, etiamſi compedibus conſtringantur, & cauteriis notentur in fronte, numquam ſeruiunt; maximè ſi altera ingenuitatis pars illis non deſit quæ in voluntate conſiſtit, vt ſic integrum animum, id eſt, mentem ſimul & voluntatem ſanam habeant ingenua mancipia: nam ita vulgatum eſt, & opinione hominum confirmatum, ſeruum qui herum amat atque illi ex amore obſequitur, non ſeruum eſſe, ſed liberum & liberalem, vt vel ipſa ſeruitutis vox ad hoc ſolum ſignificandum deſciuiſſe videatur. Nam metus ſeruilis quid aliud ſignificat, quàm eum animi affectum, qui nihil amore boni, ſed omnia timore mali operatur, vt nuſquam ſeſe commoueat qui eo tegitur, niſi quò plagis & flagris adigitur? Hoc erat quod ille apud Euripidem ſeruus in Helenâ aiebat: *Nomen quidem non habeo liberum, ſed animum*. & alter apud Sophoclem: *Etſi corpus ſeruum ſit, mens tamen libera eſt*. & de verè ſeruis Macrobius: *Quot ſerui, tot hoſtes*. Quia, ſicut verus amor libertatis eſt alumnus, ſic timor ſeruitutis eſt aſſecla: iam verò odit quiſquis metuit: vnde naturaliter quoddam odium inſitum videtur [illegible] in dominos. Hinc Euripides in Alcmæone: *Quiſquis fidem habet ſeruo, perquam ſtultus eſſe videtur*. Duo ergo hæc ſeruitutis vitia ſi remoueantur a mancipijs B. MARIÆ Virginis, nomen quidem & corpus & animum habebunt ſeruituti addicta, ſed ſeruitutem ſeruient ingenuam & qualibet libertate liberaliorem. Imò amplius dico, neminem eſſe mancipium B. MARIÆ Virginis, quin eo ipſo hanc ingenuitatem aſſequatur, quo ſeſe tradit in talis Heræ mancipatum. Nam ſapientiâ & prudentia quænam poteſt eſſe maior, quàm eligere eam Dominam, cuius tantum honeſtatis, iucunditatis & vtilitatis adfert ſeruitus? Iam obſequia ipſa, ſiue actus ſeruitutis, nónne virtutis ſunt exercitia? virtutis autem anima eſt ipſa prudentia. Deinde, quid magis prudentiæ eſt proprium, quàm finem quaque in re accuratè

Amorem reddere ſeruitutem ingenuam probat ſignificatio vocis ſeruilis.

Serui beatæ MARIAE Virginis ſapientiſſimi.

quia optimum eligunt medium ad finem consequendum, cultum B. Mariae Virginis:

accuratè contemplari? & cùm incertæ sint omnes prouidentiæ nostræ, quantum homini licet sic ordinare media, vt non possit nisi bonus finis actiones nostras consequi? Quod cùm in rebus singulis magni momenti sit, tum eo in negotio, in quo totius nostræ salutis cardo vertitur, prorsus est necessarium. Iam verò, potéstne quid fingi efficacius ad obtinendum vitæ huius exitum fortunatissimum, quàm vitam totam impendere obsequijs Mariæ, quæ numquam sinet sibi rem suam è manibus eripi ab hoste tartareo, vt ipse in inferno statuat, de victâ Matre Dei ex mancipiorum ipsius animabus trophæum? Cautè sanè & prudenter agunt mancipia Mariæ ita vitam instituendo, vt iam Virginis honor agatur, si pereant; atque eâ ratione fortiter illam cogunt, vt sic præsit omnibus vitæ actionibus, & vltimo isti cum infernali hoste certamini, ne de Virgine ipsâ eos vincendo triumphet diabolus. Non deest ergo prima ingenuitatis pars seruis nostris; altera verò ita abundat, vt vel ideò nomen mancipatus ijs conuenire negent illi, qui zelo non peruerso, quamuis non satis secundùm scientiam, aduersari solent instituto nostro. Si enim quispiam amoris actum erga B. Mariam Virginem subliniorem ac perfectiorem finxerit eo, quem præstant mancipia ipso suo in hanc Sodalitatem ingressu, iam concedam, omni illos ingenuitate carere, qui catenas & compedes mancipatus assumpserint. Dent enim & tradant B. Mariæ Virgini ceteri quidquid pietas ipsis suggesserit, altaria erigant, templa ædificent, imagines colant; multò plus faciunt mancipia quæ tradunt se, bonaque sua omnia non aliter possident, quàm prout honori eius & voluntati nouerint esse consentaneum: corpus non reputant suum, sed traditum eius obsequijs, circumferunt quocumque illa iusserit: animum, qui maximè cuique est proprius, ipsi sibi exuerunt, totumque consecrauerunt Dominæ suæ, vt illi toti seruiant, non tam propter retributionem, quàm propterea quòd illa Mater Dei cùm sit, mereatur illud præstantissimum obsequium. Licet enim mercedem summam mereatur & accipiat charitas; ipsa tamen mercenaria non est, neque propter mercedem operatur.

ipso suo mancipatu amorem monstrant maximum.

CAPVT II.

De operis assiduitate, altera mancipij virtute.

Vestimenta cuique danda statui eius conuenientia.

SECVNDVM mancipij nostri ornamentum elegans erat interula, quam significare dicebamus eius in opere assiduitatem, constantiam & perseuerantiam: ex tot enim illa licijs contexta non tegendo solùm, sed vel maximè exornando corpori seruit. Neque commodius puto vestimenti genus poterat mancipijs reperiri: cùm enim proprium illis sit, perpetuis obsequijs & laboribus intendere, oportet vestem statui conuenientem assignari. Ita in Scripturâ Eccli. 45. v. 9. Summus Pontifex secundùm statum suum induitur: *Et circumcinxit eum zonâ gloriæ, & induit eum stolam gloriæ, & coronauit eum in vasis virtutis.* Cùm enim status ille esset potestatis, maiestatis & auctoritatis; oportebat eum magnificentiam, robur, potestatem, maiestatem, auctoritatem, opulentiam, diuitias (quæ omnia significantur Hebraico *chail*, quod hîc *virtutis* redditur) habere pro indumento, tum vt auctoritate valeret apud suos, tum vt magnificentiâ & gloriâ vel hostes ipsos terreret. Ita Iaddus Pontifex hisce pontificalibus indutus, occurrens Alexandro Magno Iudæis infenso, eum sacro horrore ita perculit, vt sibi supplicem & Iudæis beneuolum effecerit, teste Iosepho lib. 12. Antiqu. cap. 8. & de vestibus ijsdem Sap. 18. v. 25. dicitur: *His autem cessit qui exterminabat, & hæc extimuit.* Et mysticè magis secundùm Pontificis statum vestimenta hæc exponit Rabanus, nos docens quâ proportione seruis nostris propria statui eorum ornamenta concinnare debeamus. *Vestimenta*, inquit, *Pontificis non alia sunt quàm opera virtutum, & sapientiæ doctrina: quæ verè Domini Sacerdotes*

ita Summo Pontifici data gloria & magnificentia.

cerdotes ornant, cùm in his conuersari ritè inueniuntur. Vnde & hîc dicitur: Coronauit illum in vasis virtutis. Quærenda ergo mancipijs nostris indumenta, quæ verè B. MARIÆ seruos ornent, neque vno alteróve die inter labores & humilia exercitia vel terantur, vel prorsus obsolescant. Mancipijs autem gratulor, quòd talem eis vestem repererim, quæ ipso opere non veterascat, neque laborando dilaceretur; sed quotidie fiat melior, & à tempore nouitatem & ab vsu splendorem accipiens: hæc enim assiduitati, constantiæ & perseuerantiæ sunt propria. Cuius pulchritudinem animaduerterat Seneca dum ad Lucilium scribit: *Turpe est cedere oneri, & luctari cum officio quod semel recepisti. Non est vir fortis & strenuus, qui laborem fugit, ne crescat illi animus ipsâ rerum difficultate. Nihil est quod non expugnet pertinax opera, & intenta & diligens cura.* Vide quàm aptè licia ista vestis nostræ inter se contexantur, vt, qui vnum commendat, omnia commendare videatur; cumque singula quid diuersum habeant, vix tamen videas, quomodo ab inuicem distinguantur: assiduitas enim operis à constantiâ distinguitur, ab vtraque differt perseuerantia; quid tamen hæc sine illis, aut illarum singulæ sine binis comitibus sint, vix potest intelligi: quod est artificiosissimi vestimenti genus, & textorium opus visendum. Quis enim dixerit, quamnam nobis Seneca commendauerit, nisi fateatur, eum tres illas virtutes breui oratione intexuisse? *Turpe est oneri cedere.* qui cedit, in assiduitatem, constantiam, perseuerantiam impingit, vestemque suam dilacerat. *Luctari cum officio.* hîc assiduitatem maximè tangit: turpe enim luctari, iam assumere, iam deserere; sed qui hoc facit, & constantiâ & perseuerantiâ caret. *Non est vir fortis & strenuus, qui laborem fugit, ne crescat illi animus ipsâ rerum difficultate.* Ecce quibus verbis indicet pulcherrimam hanc interulæ nostræ conditionem, quòd non solùm non teratur, sed splendescat ab vsu. Dabunt itaque mancipia B. MARIÆ Virginis mihi hanc veniam, vt vestem hanc illorum triplici isto contextam licio ita illis proponam; vt, si non ita distinguantur inter se rationes quibus singulas commendabo, quin ceteris etiam ex parte conueniant, tribuant id subtilitati & nobilitati telæ ipsius, quæ fila sic habet intertexta, vt de altero alterum non parum participet. Et assiduitatem quidem ita commendat Lucretius lib. 4. de Rerum naturâ:

Mancipijs conuenit vestis fortis ad labores:

talis est constantia,

qua vestis trilix.

Assiduitas multis suadetur rationibus.

> *Nónne vides etiam guttas in saxa cadentis*
> *Humoris longo in spatio pertundere saxa?*

Nos asini, quod mox patebit, aliquid inesse volumus mancipijs; non tamen asino Maurusio similia fieri ea cupimus, de quo Ælianus lib. 14. de Anim. c. 10. ait: *Huic initio cursus velocissimus; volare eum non currere diceres: sed hic feruor illicò intepescit, & in maximam tarditatem degenerat celeritas.* Quomodo serui Virginis, sperantes ab eâ continuum & æternum præmium, interrumpere audebunt laborem? & qui semper volunt esse beati, nónne iustum est, vt se semper præstent obsequentes? Summum opus est, non cessare à bono opere. Quid? difficile putas continuare? at difficilius est iterùm incipere, & multò molestius inceptare sæpe: quare facilius & vtilius est semel perseuerare, quàm crebrò inchoare. Equi minorem vim faciunt, cùm continuant iter trahentes currum, quàm cùm repetere volunt laborem intermissum, aut cùm primò inceperunt. Aqua quæ semel caluit, posteà remota ab igne, frigidior quàm anteà redditur. Si desistas à seruiendi feruore, peior fortasse fies quàm anteà cùm non serueras. An te absterret difficultas operis à continuatione operandi? Falleris: nam ipsâ assiduitate reddetur facilius. Si potuisti incipere, quod plus difficultatis habebat; poteris continuare, quod multò est facilius. Seruus & mancipium tam suauis & amabilis Dominæ, interrumpes illius obsequia propter molestias, vbi experimentum habes tam longi seruitij, nihil supra vires tuas imponi, quare contra

contra longam experientiam modò diffidis? & putas sustineri non posse quod tamdiu tolerasti? Quid tibi nunc in mentem venit, totam diurni seruitij molem simul animo proponere, vt falso timore consternat lapsabundum? quod præteritum est, iam non grauat; omne autem futurum incertum est: & licet de multis annis constaret, quid expauescis? non simul venient, quos simul cogitas: hodie perseuera, hac horâ officio fungere: quod præsens est, exiguum;& rei tantillæ cedes seruorum ignauissime? non poteris vnâ horâ sustinere, quod tot annis pertulisti? non creuit, sed imminuta est difficultas. An nescis, quòd virtus indies exercitio fiat iucundior & facilior? tum quia actus vnus elicit & inuitat alium; tum quia vires tam animi quàm corporis exercitio augentur & crescunt. Milonis istius Crotoniatæ meministi? qui vt in publico agone fortitudinis palmam ferret, primò portauit vitulum; deinde eum quotidie portando, crescente vitulo, creuerunt & vires eius; adeò vt vitulo tandem excrescente in bouem, eumdem iam bouem tulerit. Imò nobilius dedit S. Dominicus, quem Loricatum nominant, assiduitatis & constantiæ documentum: mirantibus enim quibusdam quî fieri posset, vt ipse, non alijs quàm ceteri mortalium constans elementis, tantæ vitæ austeritatem toleraret; respondit, A paruis cœpi, & constanter ad maiora perrexi: quæ mihi iam tam facilia sunt, quàm olim erant parua. labor enim laborem inuitat, vigilias vigiliæ pariunt, & corpus quo sensim enutritur, eo & roboratur. Hæc assiduitatem, hæc constantiam suadeant,& simul perseuerantiam suadebunt, totamque vestem pertexent. O virtutum omnium felicissimam perseuerantiam! ô summi Regis vnicam filiam! hanc seruis suis

Perseuerantiæ laus.

Connubio iunget stabili, propriamq́ dicabit

Regina cæli, si non degeneres eorum animos inconstantia & mollities arguat; hanc autem qui duxerit, beatitudinem atque æternam felicitatem dotis nomine accipiet. *Finis virtutum est*, ait Bernardus, *earumq́ consummatio, totiusq́ boni repositorium.* Hæc coronabit quæ per vitæ decursum reposuimus merita. De eâ S. Chrysostomus Homiliâ 1. in Epistolam ad Philippenses: *Qui currit*, inquit, *si decem circuitionibus, quas Græci vocant δίαυλους, iam factis postremam omittat, totum perdit: ita & nos, si ab accepto bonorum operum cursu defecerimus, totum perdidimus, totum corrupimus.* Sed operæ pretium est S. Laurentij Iustiniani cap. 2. de Perseuerantiâ elogia animaduertere: *Perseuerantia*, inquit, *singularis filia summi Regis, finis virtutum, earumq́ consummatio: sine quâ, neque qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur: nutrix est ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, charitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Tolle hanc, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola est cui æternitas redditur, vel potiùs quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Incassum enim bonum agitur, si ante vitæ terminum relinquatur.* Et interiùs cap. 3. alia annectit motiua: *Solum non perseuerasse, est amisisse coronam. Attollite oculos ad cælum, intuemini ipsum* (Christum) *certasse & vicisse, ac certantes fortiter adiuuare exhortationibus, exemplo, verbis, promissis & donis. Nulla debet esse trepidationis ignauia in tantis fauoribus.* Cùm vestis hæc tanti sit momenti, restat vt media quædam adferamus, per quæ serui B. MARIÆ Virginis interulam hanc acquirere possint, vt eâ ornati ad mancipatum accedant.

Media ad acquirendam assiduitatem & perseuerantiam.

Primus ergo modus acquirendi hanc assiduitatem & constantiam, firmumque perseuerandi propositum, est, oculos conijcere in ipsam Dominam nostram, de quâ Prou. 31. vers. 22. dicitur: *Stragulatam vestem fecit sibi.* Talarem sine dubio, vt perseuerantia significetur, insuper diuersis figuris, coloribus, licijs variegatam: omnium enim virtutum diuersitas ornatu pulcherrimo ad imos ipsi talos fluebat, vsque ad

mortem perseueranti in eâ quâ circumcincta erat varietate.

Secundus, est amor ingens B. MARIÆ Virginis: hic enim excitat amantem ad constanter laborandum, & perferendum quidlibet in eius obsequio; vt non secùs ac Paulus de Dei erga nos amore dicebat, nos de nostrâ in Virginem charitate exclamare possimus: *Quis nos separabit à charitate* Dominæ nostræ? quâ scilicet nos illam amamus: *tribulatio? an angustia? an fames?* &c. *certus sum enim, quia neque mors, neque vita*, &c.

Rom. 8. v. 35.

Ibid. v. 38.

Tertius, ea sæpiùs ruminare quæ summatim iam suprà tetigimus; scilicet, facilius esse perseuerare, quàm erat incipere; continuare semper, quàm sæpiùs interruptis vicibus inchoare; magnam iam difficultatem exhaustam, quotidie minuendum laborem ex assuetudine.

Quartus, proponere sibi vitæ breuitatem. Sic Barlaam apud Damascenum hortatur Iosaphat ad constantiam vitæ Religiosæ: *Cogita te hodie cœpisse seruire Deo, hodie finiturum.* Hac consideratione S. Antonius suos ad constantiam in rigore vitæ tam austeræ hortabatur, teste S. Athanasio in eius Vitâ: hac debent se mancipia B. MARIÆ Virginis ad omnem perseuerantiam excitare: postquam enim modicum laborauerint, multam inuenient requiem.

Quintus denique modus perueniendi ad hanc constantiam, est, inuocare sæpenumerò B. MARIÆ Virginis Angelum, qui idem est Angelus constantiæ, S. Gabrielem, cui nomen est Dei fortitudo. Vide an non Daniel constantiam depingat, dum eum adumbrare conatur: *Vir vnus*, ait cap. 10. v. 5. *vestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo: & corpus eius quasi chrysolithus, & facies eius velut species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorsum sunt vsque ad pedes, quasi species æris candentis.* Omnia zelum ardentissimum, atque in eo firmissimam spirant constantiam. Prætereà solet ipse mitti à Deo, vt nostram infirmitatem & inconstantiam confirmet, tamquam præses fortitudinis & constantiæ; vt ipse confirmauit Danielis 10. v. 19. *Noli timere vir desideriorum: pax tibi: confortare, & esto robustus.* Imò Virginem ipsam, id est, constantiam, confirmare videtur, dum ait: *Ne timeas* MARIA. impetrabit ille nobis facilè à Dominâ suâ, cuius ipse particulariter destinatus fuit obsequijs, vt ipsum in eâ constanter colendâ imitemur.

Lucæ 1. v. 30.

CAPVT III.

De tertiâ & quartâ serui conditione, patientiâ & celeritate.

POSTEAQVAM se quis in seruitutem tradidit, nihil deinde eorum subterfugere debet, aut erubescere quæ mancipiis sunt propria. Quod ideò præmoneo, ne quis ad asini aures, quas seruo tribuebant veteres, primo aspectu perturbetur; quasi totus in pigrum illud ac hebes animal metamorphosi stupendâ sit commutandus, qui præcipuum stoliditatis ipsius insigne induerit. Ne hac, inquam, similive aliquâ apprehensione deterreatur, generali istâ animi inductione confirmandum est pectus, honesta esse omnia, quæ ad honestissimam B. MARIÆ Virginis seruitutem spectant. Quod ne gratis dicere videamur, primùm demenda nobis isti seruorum cum asino comparationi dedecoris suspicio, ne tardum illud animal in fronte seruitutis propositum multos à mancipatu MARIÆ retardet.

Omnia honesta sunt, quæ tangunt B. MARIAE Virginis mancipatum.

In primis ergo, nihil illiberale discipulos suos, inter quos erant Origenes & Porphyrius, docere vel exprobrare cupiebat Ammonius, quando iis asinum condiscipulum adhibebat; facto ipso docens, multa esse quæ ab eo discere atque imitari deberent homines ad ipsam sapientiæ libertatem aspirantes. Imò Cleanthes, cuius nos doctrinam pluris quàm lucernam facimus, asini nomen non erubuit: *Asinus quidem sum*, inquit, *sed qui portare possum sarcinam Zenonis.* Sed quid profana sacris miscemus, cùm in sacris honestissimum sit asini nomen, ex quo Psaltes Regius

neque illiberalis est comparatio cum asino.

Psalm. 72. v. 23.

Regius cecinit, *Vt iumentum factus sum apud te?* nam à iuuando, quasi iumentum dicitur asinus. & Ecclesiasticus monuit: *Cibaria, & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus seruo.*

Eccli. 33. v. 25.

Vnde viros Religioni mancipatos (quorum fine controuersiâ vti exactissima, ita liberalissima est seruitus) sanctus Bernardus cupiebat crebrò se cum asino conferre. Vbi enim de doctrinâ, siue modo viuendi in monasterio agit, sic instruit suos: *Cùm aliquid rogaturus à Priore veneris, prapara te ad repulsam semper: & si contigerit negari tibi quod postulas, dic apud te: Quid decebat asellum, nisi frenum & stimulus?* Et notissima est illa S. Francisci parœmia, quâ corpus suum compellare solebat Fratrem asinum. Verùm notabilius B. Iacoponi ex eiusdem S. Francisci disciplinâ exemplum. Hic cùm nobilitate, ingenio, scientiâ, officio præ ceteris excelleret, subito vxoris in nuptiis ruinâ tabulati oppressæ interitu perculsus & compunctus, statuit sæculo renuntiare; ac postulans habitum S. Francisci, à Fratribus audit: *Si inter nos vis viuere, asinus fias oportet, vt quasi asinus inter asinos degas.* illicò ergo asini pellem induit, ac manibus pedibusq; reptans, *En Fratres*, inquit, *asinus sum, asinum inter asinos admittite.* Admissus speculum fuit humilitatis, mortificationis, patientiæ, ceterarumq; virtutum, quarum aliquod in asino habebat simulacrum. Satis igitur appatet, non adeò inutilem esse hominibus aselli stoliditatem, quin magnam ex eâ haurire possint prudentiam. Et cupiebant maiores nostri, dum aures asininas seruis applicabant, eos, quam videbant in isto animali tolerantiam, auribus imitari; vt ad quæcumque audienda monita, obiurgationes, conuitia, aures haberent paratas & patientes, tacitè ea vel concoquentes, vel animo inferentes, vt fructum inde colligerent. Philo, non incommodus morum magister, sapienter seruos monet libro Quis diuinarum rerum heres: *Est*, inquit, *serui laus maxima, nihil ex iussis dominicis contemnere, sed impigrè industrieq́, vel supra vires conari cuncta exequi ex ipsius animi sententiâ. Serui etiam audire debent potiùs quàm loqui*; ad quos nimirum dicitur: *Tace, & audi. præceptum pulcherrimum!* &, vt idem ait, *nemo tam insanit, quàm qui seruus cùm sit, domino aduersatur.* Certum est, seruos malè audire à nimiâ loquacitate: nam vulgare est illud:

Vt facto insigni ostendit B. Iacoponus.

Aures ergo asinina docent seruos audiendi patientiam.

Loquacitas maximum seruorum est vitium.

—— *Lingua mali pars pessima serui.*

Quæ res tamen adeò est execrabilis in seruo, vt Sapiens eam supra omnia eius vitia exaggeret, & stultitiâ ipsâ magis execrabilem dicat: *Vidisti*, inquit, *hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quàm illius correptio.* Quod sic à quibusdam exponitur: Si quando occurrit tibi seruus quispiam, qui datis sibi mandatis ex contumaciâ respondet, obloquitur, excusat se, obtrectat; hic certè vix aliquando, adhibitis etiam seuerissimis correptionibus, emendabitur: ita vt sperandum sit, alium stolidissimum ac stupidissimum citiùs ad sanitatem & sapientiam adduci posse, quàm istum ad obedientiam & obsequium sui domini. Homo enim, vel seruus, velox ad loquendum est, qui aures istas asininas dedignatur: quia sibi sapere videtur, hinc prurit ad loquendum, garrulus est, vaniloquus, plus sibi quàm hero tribuens, eius iussa vt minùs prudentia contemnit, obloquitur, sententiam præcipitat non interrogatus, & docere vult ea quæ non didicit: dumque aures asininas, quæ modestiæ illum & sobrietatis in sentiendo ex propriæ tenuitatis conscientiâ admonerent, abijcit; asini contumaciam, in præceptis exequendis tarditatem, asini denique dorsum retinet, & asini mercedem verbera accipit. Quibus tamen non emendatur: citiùs enim à stulto verberibus stultitiam auferes, quàm à seruo arrogante & vaniloquo contumaciam; cùm tamen seruo virtus propria sit, audire & tacere. Sed quid? mirimur in veritum. Vbi non fortius illis exemplum proponam quàm Dominæ suæ; quæ cùm sciret etiam sexum femineum de incircumspectione in loquendo redargui, mira dedit

Prou. 29. v. 20.

discant taciturnitatem a Dominâ suâ.

exempla taciturnitatis, vt ſponſus Cantic. 4. v. 1. panegyrim eius exordiatur ab illâ virtute magnâ cum emphaſi, ſummâque cum admiratione: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet.* quod Septuaginta dicunt, *Extra ſilentium tuum*, vel *taciturnitatem tuam.* quaſi hæc virtus ante alias in eâ fuerit commendanda. Quàm pulchra, inquit, es, ô quàm pulchra es amica mea! tota ſimplex & recta ſicut columba, præter taciturnitatem tuam, quam non ſcio cuinam dignè comparem. Nimis loquax fuerat illa mulier, quæ tam properè ſerpenti reſpondit, & indiſcretè genus humanum perdidit; taciturna verò & grauis MARIA cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio, antequam ſpiritui Angelico reſponderet, vnde reſponſo breui totum genus noſtrum reparauit: turbabatur in ſalutatione Angelicâ, quia ſilentium ipſi, quod ita amabat, erat interrumpendum; priuſquam tamen loqueretur, *cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Si cum mancipiis dominorum crudelium & imprudentium agerem, vrgenda eſſet hæc ſeruorum conditio, exhortandique, vt contumelias, obiurgationes, & ſi quæ ſunt alia verborum tonitrua, patienter ſuſtinerent, ne ſibi obloquendo duplex malum accerſerent: ſed, cùm Heram habeamus ſuauiſſimam, cui mel & lac ſub linguâ, & cuius labia fauus diſtillans, cuius in ſermone compoſita ſunt omnia, *Fauus* autem *mellis, compoſita verba*; nihil eſt quod contra Dominæ aſperitatem, quæ nulla eſt, aures aſininas aſſumamus. Verumtamen quia in familiam aſcripti ſumus iſtius Dominę, quæ ingentem alit famulorum turbam, optandumque magis ſit quàm ſperandum, neminem aliquando vnum fore ex conſeruis qui ſui non obliuiſcatur, aſperiuſque quid dicat, quàm vel illum dicere expediat, vel nobis lubeat audire; operæ pretium erit, ſæpè huius taciturnitatis & patientiæ in audiendo meminiſſe, ne rixis & iurgijs turbetur domus Heræ tam pacificæ & tam amantis quietem. Quod difficile non erit, ſi conditionis noſtræ memores, qui digni non ſumus vt tantæ Dominæ famulemur, alios veluti chariſſimos tantæ Reginæ famulos aſpiciamus: nam virtutum quidem omnium radix eſt humilitas; ſed nullos citiùs vel altiùs effert ramos, quàm patientiam & taciturnitatem. Bibat ergo *ſubſannationem quaſi aquam*, nec reſpondeat iniuriam facientibus, ſiue conſeruis imprudentiâ peccantibus, ſiue hoſtibus Virginis eius ſeruitium exprobrantibus: nam *ſeruum Domini*, aut Deiparæ, *non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes.*

Lucæ 1. v. 29. eamq; præſtent maximè in contumelijs audiendis.

Prou. 16. v. 24.

Iob 34. v. 7.

2. Tim. 2. v. 24.

Alterum, quod ſerui imaginem deformare videbatur, erat pedum figura, quam à ceruis animalibus ad homines ſeruos tranſtulerunt. non quòd fugitiuos eos cuperent eſſe; hos enim ceruos etiam appellabant; ſed quòd requirerent à mancipijs eam in operando celeritatem, quam in currendo cerui præſtant. Quæ virtus ſi non eſt mancipiorum præcipua, certè ea eſt quæ illos maximè ornat, dominiſque gratiſſimos efficit. Neſcio enim quam conciliet apud dominum ſeruo gratiam, domino apud alios auctoritatem, ſi celeriter iuſſa eius executioni mandentur. toto enim animo domini iuſſis intendere eum neceſſe eſt, qui rem exequi incepit, antequam eam dominus iubere deſierit. Si quis autem tardus eſt in executione mandatorum, licet tandem obediat, gratia tamen perit obſequij: diu enim obtemperare noluit, qui mandatum diſtulit; imò licet tandem imperatum exequatur, id ſæpè non eſt obedientiæ indicium, ſed propriæ voluntatis obſequium. Neque enim iam facere cenſetur, quia imperatum eſt; ſed quia poſt moroſam diſquiſitionem ipſi res placuit quæ imperata fuit. Eia, quid tardamus? quin pigritiam, deſidiam, torporem, tepiditatem & negligentiam excutimus? Audiamus Eccleſiaſticum cap. 6. v. 19. monentem, & nobis torporem excutientem: *Quaſi is qui arat, & ſeminat, accede ad eam* (Virginem ſcilicet MARIAM: de hac enim pleraque intelligi, quæ ibi de Sapientiâ dicuntur, non eſt quòd ſæpiùs moneamus)

Celeritas maximè reddit ſeruos dominis gratos:

& adhibenda eſt ob temporis breuitatem.

mus). *& sustine bonos fructus illius: in opere enim ipsius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius.* Celeritate præmij consecuturi laborem, ad operis festinationem nos adhortatur: tum etiam quia multa sunt facienda,& tempus breue ac circumscriptum vitæ exiguæ limitibus,festinandum ait,quasi is qui arat & qui seminat. Tempus enim arationis & sementis exiguo circumscriptum est spatio,quo non est tardandum: si enim transierit otioso, frustrà deinde fructus inani voto optauerit deses agricola. Vide autem quanta præstanda sint exiguo illo tempore: primò spinæ & radices eruncandæ, deinde terra aranda, subigenda, excolenda; inde seminandum.Ita seruis B.MARIÆ Virginis, vt animæ fundum, cuius illa est Domina, illi præparent,est is primò euulsis vitiorum spinis purgandus,subigendus & excolendus. monet enim Ieremias: *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.* Deinde semina doctrinæ & disciplinæ, quæ hauriet in hoc Virginis mancipatu, partim audiendo, partim legendo, partim meditando, partim per inspirationes cælestes, iacienda & altè obruenda, tum multa alia quotidie ex Dominæ præscripto obeunda. in quibus qui torpent aut pigritantur, tempus benefaciendi amittunt; & tandem dicitur de illis: *Propter frigus*, id est animi tarditatem & torporem, *piger arare noluit*; id est, sicut agricola, suum munus strenuè, impigre ac diligenter obire; *mendicabit ergo æstate.* Dura sententia. dum alij horrea sua distendent frugibus, & *venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos*; tunc ipse mendicabit, &, quod multò est durius, *non dabitur illi. Non* ergo *segnes efficiamini, verùm imitatores eorum qui fide & patientiâ hereditabunt promissiones.* Imò neque tam durâ opus patientiâ in seruitio Deiparæ; alacritate, celeritate, & animis opus: *In opere enim ipsius exiguum laborabis, & citò*, multo citius quàm agricola, *edes de generationibus illius*; si modò tu celer & expeditus fueris, vt tempore suo labores, vt mandatis eius ad nutum obtemperes, vt,excussis omnibus inutilibus ac terrenis occupationibus, statim te obsequijs eius impendas. Feruor enim iste & celeritas in seruiendo, maximam famulis apud heros conciliat gratiam: quia maximè indicat eorum erga dominos amorem & beneuolentiam.

Ierem. 4. v. 3.

Prou. 20. v. 4.

Pœna non festinantibus mendicitas.

Psal. 125. v. 6.

Hebr. 6. v. 12.

CAPVT IV.

De fidelitate, quintâ seruorum proprietate.

VENIMVS ad præcipuum mancipiorum ornamentum fidelitatem, quæ ceteras omnes in se complectitur & perficit eorum virtutes.Vel inde liberalem eorum indolem colliges, quòd iis proprium sit decus fidelitas; quæ Regibus & Monarchis præcipua est gloria. Iam operis assiduitatem & celeritatem in confesso est, seruos præstare quodammodò ex compacto: taciturnitas autem tum in secreto seruando, tum in domino audiendo, ipsam tangit virtutis huius medullam.Vt autem hanc seruo conuenire ostenderent veteres, dexterâ erectâ atque in palmam extensâ eum pingebant.Solent enim iidem patres nostri,teste Clemente Alexandrino, cùm alicui se obstringerent & fidem darent, carpum manu tenere,alterique,cui fidem dabant, premendum præbere, vt hoc ritu fidei obstrictæ nodus exprimeretur. Extendit ergo seruus dexteram apertam, vt carpum eius premat Domina; vel potiùs, vt fidem semper ita seruet intactam, atque si primò eam promitteret. Allusit ad hunc ritum, atque eum simul explicuit in Prouerbiis suis Sapiens, dum cap. 31. vers. 20. de muliere forti ita loquitur: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Græcè est καρπὸν: quam vocem Septuaginta retinent, & vertunt, *Carpum suum extendit pauperi.* Neque bis idem dicit Sapiens in vnico isto versiculo,sed hoc ait: Cùm mulier ista vndique familiæ suæ intenta sciret, quòd eleemosyna est ars omnium artium quæ-

Fidelitas ceteras omnes virtutes complectitur.

Manû extensâ manu significatur.

quæstuosissima, pauperi non tantùm præsentem dabat eleëmosynam, quasi paratâ pecuniâ mercatum & lucrum faciens; sed & futuram, quasi datâ per carpum fide, pollicebatur: vti mercator soler; qui, absente pecuniâ, fide suâ interpositâ mercatur & lucratur. Inter Persas, auctore Diodoro Siculo lib. 16. capite 10. porrigere dexteram signum erat fidei stabilis & diuturnæ. & Titus Liuius 1. Decad. lib. 1. dicit Numam exemplo antiquissimorum populorum statuisse, vt dextera signum & sedes esset fidei; cui etiam templum dedicauit, ad quod sacerdos curru vehebatur, dexteram vsque ad digitos obligatus. Et Scriptura confirmat hanc manui inesse vim vt fidem significet: nam Threnorum 5. vers. 6. dicit Ieremias: ***Aegypto dedimus manum & Assyriis, vt saturaremur pane.*** id est, Pepigimus fœdus cum Ægyptiis, inquit Rabbi Abraham: vel, Dedimus & subiecimus nos, ac seruiuimus quasi mancipia, Ægyptiis & Assyriis: ita Chaldæus. vt constet manum dari fidei obsidem, maximè tum, cùm agitur de mancipiorum fidelitate. Vt autem de manus eleuatione in particulari dicamus, tum maximè ea vsurpabatur, cùm fides cum religione obligabatur. ***Leuo manum meam,*** inquit Genes. 14. vers. 22. Abraham, ***ad Dominum Deum excelsum, possessorem cæli & terræ.*** & Danielis 12. vers. 7. dicitur: ***Audiui virum, qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cùm eleuasset dexteram & sinistram suam in cælum, & iurasset,*** &c. E quibus satis constat de cærimoniæ huius significatione. Quò autem fides hæc & fidelitas, quæ à mancipiis exigitur, rarior est virtus, eò studiosiùs B. MARIÆ mancipiis procuranda: vehementer enim hîc raritas auget pretium. Quidam qui physiognomicam professi, varias hominum tum virtutes tum vitia ex certis à naturâ in corpore ductis lineamentis indagant, interrogati, cùm nihil æquè ad vitam tranquillè agendam conducat, ac fidos à perfidis posse distinguere; vnde liceat cognoscere, quòd fidei integræ sit in omnibus ille, quicum amicitia foret contrahenda? satis ridiculè respondent, eum demum incorruptæ fidei esse, cui palma manus æquè crinibus obsita sit, ac pilosissimo cuique caput; indicantes, Diuam istam, etiam ante Astræam & omnes Poëtarum fabulas, terram nostram deseruisse. Et ne prorsus nugas arbitremur, facit Sapiens, dum iis Prouerb. cap. 20. vers. 6. tantum-non assentitur: ***Multi,*** inquit, ***homines misericordes vocantur; virum autem fidelem quis inueniet?*** Quid enim ista interrogatio aliud significat, quàm, vel nullum omnino, vel ægrè admodum inueniendum? Sed spem quamdam ostentant meliorem Septuaginta interpretes, qui sententiam hanc vertunt: ***Magnum homo, & pretiosum vir misericors; hominem autem fidelem opus est inuenire.*** qui mihi videntur nos quasi gradibus quibusdam ad æstimandam fidelitatem adducere. ***Magnum,*** inquiunt, ***homo. Verè magnus est,*** inquit S. Ambrosius in Psal. 118. octonario 18. ***qui diuini operis interpres est, & imitator Dei. Homo est enim qui potuit dicere: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Terram excolit, mari tamquam possessione vtitur, cæli ornamenta grandis miratur assertor. Euanuerat rerum natura, nisi qui eâ vteretur, diuinâ prouidentiâ fuisset adiectus. Denique, postquam fecit Deus cælum & terram & maria, posteaquam omnia reptilia, volatilia, animantia protulit; hominem fecit, quem animantibus viuentibus anteferret.*** Ecce primus gradus, ad ipsam humanæ dignitatis altitudinem eleuatus. Magna res homo: si autem misericordiam complexus fuerit, non vile magnitudini pretium additur. Quantum hoc sit pretium, dicit S. Ioannes Chrysostomus Hom. 4. in Epistolam ad Philippenses sub finem: ***Magnum quid est homo; propter quid? & pretiosum, inquit, vir misericors. Istud enim est homo misericors: imò misereri, est Deum esse. Vides quanta sit misericordia Dei potentia? illa omnia fecit, illa mundum operata est, illa Angelos fecit propter solam bonitatem; propter eà & gehennam minatus***

est q; rarissima virtutum:

cum natura humana

ac item cum misericordia dignitate comparatur.

tus est, vt Regnum consequamur; Regnum verò consequamur per misericordiam. Quanam ratione, cùm solus esset, tot ac tanta fecit? an non propter bonitatem? an non propter benignitatem? Iam ad diuinitatem ipsam secundo gradu adscendimus: *Imò misereri*, inquit, *est Deum esse. Ecce constitui te Deum Pharaonis*, dicitur ad Ducem populi Israëlitici Exodi 7. vers. 1. Et quomodo putas adimpletum verbum Domini? An quòd Moyses Dei adinstar de Pharaone pro libitu suo constitueret quod volebat? an fortè quòd Pharao eum diuino honore prosequebatur? Horum enim alterutrum si accidisset, iam liqueret, quomodo Moysi conueniret respectiua quædam ad Regem istum diuinitas. At contrà prorsus euenisse constat: adeò enim non fuit Moyses adoratus à Pharaone, vt pessimè fuerit ab eo verbis saltem acceptus; nec coëgisse ad libitum dicendus est eam peruicaciam, quam non potuit totius Regni toties repetitis plagis frangere. Quid ergo est, *Constitui te Deum Pharaonis?* Sanctum Clementem Alexandrinum audiamus optimè diuinantem quid diuinitatis in Moyse Deus repererit: *Illuc vsque*, dicit libro Aduersus Gentes, *velut homo se gesserat, in Aegyptium animaduertens, & illum occidens; tunc Dei conditionem & ingenium induens, sæpè verbo & opere Pharaoni ignoscitturus erat: in quo, quia valdè Deo similis fiebat, ideò illum Deum vocitauit.* Sanctus Gregorius Nazianzenus de curâ pauper. *Esto*, inquit, *calamitoso Deus.* Cùm enim Deo proprium sit misereri semper & parcere, cùm viscera eius viscera sint misericordiæ, cùm tota natura eius sit bonitas, imò tota eius potentia & virtus nihil sit nisi miseratio, iustitiaque ipsa huic velificetur; necessariò qui misericordiam induunt, aliquid diuinitatis accipiunt, ac constituuntur veluti terrestres quidam dij. Verùm dij eiusmodi multi sunt: multi enim homines misericordes vocantur; hominem autem fidelem inuenire, hic opus, hic labor est. Maior ergo natura humana, pretiosior ipsâ, vt sic loquar, nos deificante misericordiâ fidelitas. Possunt ergo serui & mancipia nostra, officium suum explendo, supra omnium virtutum pretium eleuari, si præstiterint se fideles Dominæ suæ ministros. Ne quis autem nos existimet in aliena iura inuolare, quando mancipiorum propriam virtutem dicimus esse fidelitatem, ex eo quòd Aristoteles dicat *mendacium vitium esse seruorum*; & Sapiens Prouerb. 17. vers. 7. *Non decent stultum verba composita, nec Principem labium mentiens.* tamquam si diceret: Principi propria est veritas, fidelitas ac veracitas: paucis ostendendum est, à nullis magis quàm à seruis hanc virtutem exigi, neque vllos crebriùs quàm seruos ab eâ dilaudari. Ante alios Paulus Apostolus 1. ad Timoth. 1. v. 12. *Gratias ago ei, qui me confortauit*, CHRISTO IESV *Domino nostro, quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio.* Vbi gratias agit Deo suo Paulus, quòd fidelem eum existimauerit, atque talem virtutem ei dederit, quæ conuenientissima & necessaria erat ministro, scilicet facultatem credita sibi negotia bonâ fide administrandi. Et CHRISTVS ipse, quando seruos conquirebat sibi, hanc maximè in ijs virtutem requirebat, Matth. 24. v. 45. *Quis, putas, est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?* & Apoc. 2. v. 10. ad Episcopum Smyrnæ: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Ad Philosophi auctoritatem respondeo, eam vehementer pro nobis facere: dicit enim ille, *mendacium vitium esse seruorum*, improbotum scilicet; quemadmodum bonorum virtus propria est veracitas & fidelitas: ideò enim mendacium magis in ijs notatur, quia fidelitas maximè ab ijs requiritur. Sapiens autem maximè Principem ait dedecere mendacium. Cùm enim populus & resp. nitatur & regatur verbo Principis, si illud mendax & fallax deprehendat, omnem ei fidem ac fiduciam, insuper auctoritatem & obedientiam derogabit. Debet ergo Princeps veritatis

Propria est virtus seruorum.

veritatis esse non tantùm assecla, sed etiam tutor & patronus. Fidelitas verò in negotijs administrandis herilibus, Principibus non conuenit, nisi quatenus seruitutis conditionem maiori potestati subiecti participant; cuius quædam quasi pars est verborum veracitas. Manet ergo, fidem, seu fidelitatem, mancipiorum & seruorum esse propriam virtutem, & ad illos iure quodammodò pertinere illud, vt Seneca ait, *sanctissimum humani pectoris bonum*; aut, vt Silius, *tacitum in pectore numen*. Quod illos perpetuò stimulat & vrget, primò, vt hero constantem præbeant vsque ad mortem amorem & auxilium; tum, vt eius negotia strenuè ac fideliter obeant; tertiò denique, vt secreta seruent: his enim fidelitatis virtus, quæ à seruis requiri potest, absoluitur.

Quid fidelitas præstat

Primum fidelissimè (vt apud Ethnicos) præstitit Catienus Philotimus, qui, vt Plinius lib. 7. cap. 36. ait, patronum adeò dilexit, vt heres omnibus bonis institutus, in eius rogum se iaceret. Quod Gallis familiare extitisse 6. lib. Belli Gall. testatur Cæsar, & Pomponius Mela de illis ipsis lib. 3. c. 2. agens, *Erant*, inquit, *qui in rogos suorum, velut vnà victuri, libenter se immitterent.* Et Antonij seruus postulatus hero necem adferre, in se pugionem strinxit, & seipsum pro hero interemit, vt auctor est Plutarchus in Antonio. Post cladem Cannensem Romani vndecim seruorum millia armarunt, qui heris libertatem, Romæ imperium restituerent. Valerius Maximus lib. 7. cap. 6.

Primò, amorem & auxilium vsque ad mortem;

In obeundis negotijs fidelitatem, tamquam in speculo, ita in se contemplandam exposuit Iosephus Iacobi filius, vt carcerem mortisque pericula subire maluerit, quàm domino fidem frangere.

Secundò, sedulitatem & fidem in obeundis negotijs;

Pro tertia verò fidelitatis conditione, ne decipiatur quis in serui electione, docet Aristoteles in Physiognomicis, eos qui labia extenta & magnum oris rictum habent, esse loquaces nimiùm & mordaces, & ad canes referri. Debet autem seruus non tantùm fidelis esse in opere sibi iniuncto, sed etiam in sermone & silentio. *Plus*, inquit Plautus in Milite, *oportet seruum scire quàm loqui.* Imò officium boni serui est, vt sit mutus & elinguis, vt apud Stobæum Sermone 45. Nemesius: melius est enim omnino tacere, quàm se periculo malè loquendi exponere. nam Seneca Epistolâ 110. ad Lucil. ait: *Est quædam dulcedo sermonis quæ irrepit & blanditur, & non aliter quàm ebrietas aut amor secreta producit.* Interim *qui denudat arcana amici, fidem perdit. Et diligentiùs*, inquit Isocrates ad Demonicum, *tuenda sunt deposita verborum quàm pecuniarum.* Nihil itaque inutilius seruo illo, qui plenus rimarum arcana continere nequit. Fidelitatem hanc quomodo seruare debeant Heræ suæ ac Dominæ mancipia Virginis, facile est ex dictis colligere. Si enim quis sua commoda posthabeat ipsius obsequijs, si munia sua integrâ fide obeat, si nullis tentationibus ab officio se dimoueri patiatur; si nec minis, nec promissis, nec donis ab æquo & iusto abduci se sinat; si vsque ad mortem eius seruitio insistat, eam amet, vitam pro illâ prodigat, quæ illi dona cælestia & deuotionis gratias communicauit, sibi seruet; si nulla sit in corde duplicitas, in ore falsitas, in opere vanitas; si posuerit custodiam ori suo, & ostium circumstantiæ labijs; tunc demum sperare poterit se inter fideles seruos connumerandum, & cum Psalmistâ ex intimo cordis iubilo cantare: *Benedictus Dominus, quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munitâ.* Munita hæc ciuitas Virgo est, munita aduersus omnes nequitias inimici, qui numquam accessum habuit ad illam. Benedictus ergo Dominus, qui mirificauit misericordiam suam mihi, dicat fidele Virginis mancipium: quia non tantùm misericordiam mihi communicauit, vt multis, sed etiam fidelitatem, quod præstat paucis. Et mirus quidam effectus est misericordiæ ipsius, quam ideò impetrasse me confiteor, quia confugeram ad ciuitatem istam munitam, in quâ ipsa Dei misericordia tot

Tertiò, secretorum custodiam.

Eccli. 27. v. 17.

Quomodo fidelitas seruanda mancipijs B. MARIAE Virginis;

Psalm. 30. v. 22. est domum misericordia diuina.

tot mensibus habitauit. Ego autem omnes conseruos meos Ieremiæ verbis appellans, *Conuenite, & ingrediamur ciuitatem munitam*, hoc subiungo, *& sileamus ibi* ab omni peccato, ab omni duplicitate, ab omni mendacio & falsitate, ab omni vanitate, constanter & fideliter Dominæ nostræ seruientes; nam *vir duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis:* nulla ergo ab eo speranda in obsequijs fides aut perseuerantia. Rursum de Virgine nostrâ intelligo istud Eccli. 15. v. 8. *Viri mendaces non erunt illius memores, & viri veraces inuenientur in illâ.* Vbi denique est vanitas in ipso opere, nulla potest esse in obsequijs fides. Concludo has quinque serui conditiones istâ Sapientis sententiâ Prou. 28. v. 20. *Vir fidelis multùm laudabitur.* Semper hanc virtutem cordatissimus Sapiens ex corde laudare & supra alias extollere videtur; hîc autem cum maximâ emphasi dicit, & pleno quodammodo ore pronuntiat, *Multùm laudabitur*, nullam adferens laudem: quia cùm multùm laudatus fuerit vir fidelis, numquam fidelitatis præstantiam plenè dilaudauerint eius encomiastæ: illa enim est, quæ omnes serui & mancipij virtutes vna continet & consummat: qui enim seruus fidelis est, in nullo officiorum peccasse redarguetur. Vir ergo fidelis multùm laudabitur. *Maledictus* autem *qui facit opus Domini* & Virginis Matris Dei *negligenter*, aut, sicut alij legunt, *fraudulenter*. Quâ culpâ omnino vacabit, qui Regulas, quas hîc mancipijs obseruandas proponemus, diligenter & fideliter obseruauerit. Ad quod non erit opus hîc exhortatione particulari; cùm, quidquid hactenus egimus, eò tantùm vergat, vt per earum obseruantiam non tantùm nomine, sed re verâ nos tradamus in Virginis Deiparæ mancipatum. Iam ergo ad Regulas earumque explicationem accingimur.

Ierem. 8. v. 14.

Iacobi 1. v. 8.

& virtutum omnium laudatissima.

Ierem. 48. v. 10.

CAPVT V.

Indulgentiæ Regularum obseruatoribus concessæ.

PRIVSQVAM Regulas Sodalitatis proponamus, visum est, Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini Iacobi Boonen Mechliniensis Archiepiscopi de iis iudicium proponere; iudicium, inquam, quod nec magnificentius, nec efficacius potuit dare, quàm inuitando omnes Christi fideles ad earum obseruantiam, proposito Indulgentiarum præmio, quo singulas pæne Regulas ac singula in iis contenta exercitia commendat. Poterunt autem iam Indulgentias istas eò certiùs consequi, quò facilius erit, quid Regulæ præscribant, ex adiunctâ iis explicatione intelligere.

Indulgentiæ concessæ ab Illustrissimo ac Reuerendissimo Episcopo Mechliniensi sequentes Sodalitatis Regulas obseruantibus, prout latiùs patet ex Bullâ ad hoc expressè concessâ 14. Februarij anno Domini 1637.

Indulgentiæ quadraginta dierum, ipso die quo sese ritu hîc præscripto in mancipia B. MARIÆ Virgini consecrabunt.

Indulgentiæ viginti dierum, quot diebus catenam aut annulos benedictos in signum mancipiorum gestabunt.

Indulgentiæ quadraginta dierum, toties quoties legerint coronam duodecim stellarum, eo modo quo paginâ 571. præscribitur.

Item quadraginta dierum, quoties Rosarium, quod paginâ 475. & sequentibus habetur, recitauerint.

Indulgentiæ viginti dierum, quoties vnâ ex Orationibus, quæ paginâ 309. & sequentibus traduntur, desiderium seruiendi B. MARIÆ Virgini renouabunt.

Item viginti dierum, Principibus

Oo oratio-

orationem, quæ ſub finem Libri ſexti apponitur; recitantibus.

Indulgentiæ decem dierum iis omnibus diebus, quibus tributum quotidianum, vel eleëmoſynæ, vel mortificationis, vel piæ orationis, B. MARIÆ Virgini perſoluerint.

Indulgentiæ triginta dierum; quo die vel Sacro interernnt, vel; quo id omiſerint; eleëmoſynam facient.

Indulgentiæ decem dierum; quando vel menſæ benedicent, vel poſt eam in pedes erecti gratias agent: quando item veſperi, antequam cubitum concedant; ad hoc particulariter attendent, an ſingulari aliquo obſequio eo die Dominam ſuam demeruerint, vel tributum quotidianum perſoluerint.

Indulgentiæ viginti dierum, quando Feriis ſextis peculiaria mortificationis in honorem Paſſionis Domini, vel diebus Sabbati deuotionis exercitia obierint in honorem beatæ MARIÆ Virginis.

Indulgentiæ quadraginta dierum omnibus Feſtis Chriſti Domini ac Dominæ noſtræ, quibus Venerabilem Euchariſtiam ſumpſerint. Item, quando B. MARIÆ Virgini perſoluent tributum menſtruum, prout in Regulis præſcribitur.

Indulgentiæ quadraginta dierum, quando inſtaurationem annuam ſui mancipatus iuxta Regulæ XI. præſcriptum inſtituent.

Indulgentiæ quadraginta dierum, quando intererunt exequiis annuis pro defunctis in mancipatu B. MARIÆ Virginis celebrandis; vel quoties ipſi ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificium pro iis vel aliquo eorum offerendum curabunt.

Indulgentiæ decem dierum, quoties vel in congreſſibus, vel in epiſtolis, vtentur pro ſalutationis formulâ hiſce verbis, *Aue Maria.*

Indulgentiæ decem dierum, quoties vel Sodales ægros inuiſent, vel defunctorum funus deducent, vel Venerabilis Euchariſtiæ Sacramentum per plateas comitabuntur, vel bono conſilio proximo proderunt, vel zelo pio iniurias à Deo, B. MARIA Virgine, aut Sanctis prohibebunt, aut denique pacem inter proximos conciliabunt.

Indulgentiæ viginti dierum, quoties tentationi reſiſtent, aut aliquem ſenſum in honorem B. MARIÆ Virginis mortificabunt.

Indulgentiæ quadraginta dierum, quoties aliquo ex traditis à paginâ 345. vſque ad paginam 351. virtutum actibus affectum erga Virginem Deiparam exercebunt. Item, quoties vtentur Praxi efficaciter à Deo obtinendi, &c. quæ paginâ 362. præſcribitur; vel quoties recitabunt Fidei profeſſionem, quæ ſub finem Libri ſexti apponitur, aut exercebunt ſe contritionis actu, qui pag. 340. habetur.

CAPVT VI.

Conſtitutiones & Regulæ mancipiorum Deiparæ Virginis, eiuſque dulciſſimi nominis MARIAE, *ſub ſymbolo* Aue Maria.

Ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Prouerb. I. verſ. 8, 9.

QVAMQVAM omnes, qui Chriſto nomen dederunt, eidem ſeriò ſeruire, omniaq; media adhibere debeant, quæ iudicauerint ad ſalutem æternam obtinendam neceſſaria; ne quam tamen nouam ſcrupulis videamur quæſiiſſe materiem, itaque timidiores ab vſu tam ingentis boni, quod ex hac Sodalitate ſperatur, excludantur; ante omnia profitemur, noſtræ intentionis non eſſe, aliquem, cuiuſcumque ſit ſexus, ad harum Regularum obſeruationem ſub aliquâ peccati obligatione teneri: ſed cùm per Dei gratiam Sodalitatem hanc in Belgio inſtituerimus, ex eâque, Deo pios conatus noſtros promouente, fructus nonnullos iam exſtitiſſe videamus; cumque exempla ceterarum omnium Sodalitatum & Congregationum hoc doceant, & certi aliquid propoſitum eſſe debeat, quo expleto ſciant ij, qui huic Congregationi

tioni nomen dederint, se boni mancipij numeros expleuisse, Indulgentiarumque & priuilegiorum huic Sodalitati concessorum capaces existere; necessarium esse duximus Regulas Statutaque quædam conscribere: quæ eò diligentiùs speramus à bonis Sodalibus obseruanda, quò promptiùs ea fine vllo obligationis vinculo proposita fuerint amplexati.

Regulæ obseruandæ in ipso ingreßionis die.

I. IPSO ingressionis in hanc Sodalitatem die, vbi nomen quis suum inscripserit Sodalitatis libro, aut addito propriæ manus signo inscribi curauerit; peccatis suis per generalem confessionem, si eam numquam fecerit anteà, vel certè incipiendo ab eâ quam postremùm instituit, expiatus, & sacrosancto refectus Epulo, ante imaginem Virginis Deiparæ sese in genua abijciet, catenulamque aut compedes, seruitutis signum, ad hoc verbis sacris dedicatas, brachio vel alteri corporis parti posthac gestandas imponet: tum recipiet benedictam Coronam duodecim stellarum, ac Rosarium mancipiorum item benedictum, quod constat septuaginta duabus sphærulis minoribus & octo maioribus: inde altâ voce, si locus permittat, leget orationem eiusdem Sodalitatis, quâ se seruum ac mancipium diuæ Virginis profitebitur.

II. Eodem item die, aut sanè paulò pòst, prudenti consilio statuet, quonam tributo per annos, menses, hebdomadas, ac dies singulos sit Heram suam & Dominam sibi demeriturus, testaturusque se esse, ac semper permanere velle, humillimum eius mancipium: idque tributum, post maturam deliberationem, statuet ad extremum vsque spiritum constanti pietate Dominæ suæ pendere.

Singulis diebus.

III. Intentionis nostræ non est, longa precum & orationum pensa mancipijs præscribere. Qui ergo Rosarium Sodalitati huic proprium, quod breuissimè absoluitur, & Coronam item duodecim stellarum vnà cum Sodalitatis oratione quotidie recitauerit, preces omnes quæ ex Sodalitatis instituto peculiariter persoluendæ sunt, absoluerit.

IV. Manè è lectulo surgentes, sese in genua abijciant Sodales, Deoque, quòd illam sibi, quâ salutem suam operentur, lucem concesserit, gratias agant, orentque, vt dignetur ipsos & illâ, & omnibus vitæ suæ diebus à peccatis præseruare; ac dispiciant, quibus hanc potissimùm velint bonis operibus ex officij sui ratione, diuinâ aspirante gratiâ, dedicare: nominatim quodnam seruitij genus Dominæ suæ cupiant eo die impendere: tum catenulam exosculantes, vel breui iaculatoriâ, vel ipsâ Sodalitatis oratione, se mancipia profitebuntur.

V. Vehementer commendatur mancipijs B. MARIÆ Virginis, vt non facilè sinant sese ab audiendo quotidie Sacro per occupationes excusari: si verò necessitate aliquâ, cui lex nulla præscribitur, ab eo fortè abstinuerint, conabuntur id spirituale damnum pio alio quopiam exercitio aut datâ eleemosynâ resarcire; ac tum præcipuè curam gerere, ne cetera Sodalitatis exercitia per eam diem omittant.

VI. Audiant eam Apostoli vocem: *In omnibus gratias agite.* (1. Thess. 5. v. 18.) Proinde si quod à Deo impetrauerint beneficium (impetrabunt autem, si fidelia se Matris eius mancipia gesserint, multa quotidie) ei continuò gratias agent: nec mensæ accumbent, nisi laudauerint Deum, quòd eos seruos suos immerentes pascat; &, remotis mensis, eidem in pedes erecti rursum summâ cum veneratione gratias agent.

VII. Sub noctem, priusquam cubitum concedant, conscientiæ examine in seipsos inquirant: si vspiam peccauerint, à se ipsi pœnas exigant acri sui ipsorum reprehensione; adiecto insuper aliquo, qui carnem affligat, pœnitentiæ actu, vel recitatis certo numero precibus. deinde spondentes meliora omnia, feruenti contritionis actu cum Deo in gratiam redeant. tandem iterùm ad

hoc peculiariter attendent, an singulari aliquo obsequio eo die Dominam suam sibi demeruerint, mancipiorum proprias orationes recitauerint, ac tributum quotidianum Dominæ suæ persoluerint.

Singulis hebdomadibus.

VIII. Cùm dies Veneris passioni Domini nostri IESV CHRISTI peculiari ratione sit consecratus, faciemus eo die singularia quædam mortificationis exercitia in satisfactionem peccatorum, quæ causa ipsi Dei Filio exstiterunt tam acerbæ passionis: deinde orabimus, vt veram nobis largiri dignetur notitiam eorum dolorum, quos nostri causâ pertulit; postremùm, vt humilitatis mortificationisque intimum nobis donet affectum, cùm eas potissimùm virtutes nos per passionem suam docere voluerit.

IX. Quibus vitæ & valetudinis ratio permittit, diebus sabbatinis quothebdomadibus semel ieiunabunt in honorem B. MARIÆ Virginis, cui & ipsi & dies hic sunt consecrati. Hoc prætereà die particularia aliqua pietatis obibunt exercitia; verbi gratiâ, si possint, Litanijs intererunt, aut saltem eas recitabunt, vt possint vitam bonam beatâ morte concludere. Ad quod vehementer iuuerit, breuiter hoc die totius septimanæ acta percurrere, ac mancipatus sui rationem Virgini reddere; exemplo eorum mancipiorum quæ tem domini sibi creditam habent, cuius sæpiùs ijs danda est ratio. Demum concludent hanc diem, hebdomadale pendendo tributum; quod erit, si facultates permittant, aliqua in pauperes erogata eleemosyna.

Singulis mensibus.

X. Reficient se mancipia Ven. Eucharistiæ Sacramento, vt minimùm singulis mensibus semel; omnibus item CHRISTI Domini ac Dominæ suæ festis diebus: & memores erunt illo quo Communionem sumpserint, vel statuto alio mensis die, menstruum tributum pendere.

Singulis annis.

XI. Semel per annum solemniter fit instauratio primæ in seruitutem oblationis. Ex vsu autem fuerit, ad hoc diem vnum ab omnibus alijs occupationibus vacuum seligere; quo, sumpto Ven. Eucharistiæ epulo, abeant in solitudinem, vt tranquilliùs mores suos componant, ad pedes Dominæ suæ prostrati. Quo die totius mancipatus sui ab anno præterito rationem exigant, veniam postulantes tam malè expleti officij, addentes aliquam pro erratis satisfactionem: tum de vltimâ suâ voluntate disponant; vel, si id anteà factum, num quid immutandum sit, dispiciant: tandem annuum Virgini pendant tributum, ac rursum incipiant, tamquam serui fugitiui aut dimittendi, iterùm recepti in familiam & gratiam, nouo studio & nouo feruore ei in humilitate inseruire.

XII. Tres occurrunt per annum huic Sodalitati proprij dies. Primus est Annuntiationis, quo die totius huius famulatus positum est fundamentum, quando Virgo Deipara se verbis humillimis confessa Dei mancipium, facta est eius Mater; vnde redundat in eam absolutum rerum omnium dominium. Alter est dies, quo Virgo in cælos assumpta, possessionem accepit absoluti illius in cælum & terram dominij, & simul est Regina totius vniuersi à Sanctissimâ Trinitate coronata. Tertius est, quo Sodalitas quæque primùm fuit erecta; qui cùm felici omine primæ in Belgio Sodalitatis fuerit dies Exspectationis partus Virginis, qui tum Bruxellæ Superiorum permissu celebrari est cœptus; non erit is sine aliquâ solemnitate mancipijs prætermittendus. Addent his, quoniam ad nominis MARIANI exaltationem, quod ipse titulus præfert, erecta est Sodalitas, festiuitatem nominis MARIÆ, quam speramus pio mancipiorum affectu & ope quotidie redditum iri celebriorem.

XIII. Semel in anno celebrantur à Sodalibus, solemniter decantato Missæ officio, exsequiæ illorum qui in mancipatu

tu

tu Virginis obieruut: cui omnes interesse conabuntur, atque orare pro collegis suis defunctis, quemadmodum desiderant vt sibi post mortem idem charitatis officium impendatur.

Omni tempore.

XIV. Salutationis formula tam in litteris quàm familiaribus congressibus, eorum qui se profitentur Deiparæ eiusque sacratissimi nominis mancipia, erunt hæc verba, *Aue* MARIA; ea enim sunt publica mancipiorum tessera; qui vero in congressu reddit salutem, dicet *Gratia plena*.

XV. Si quis in morbum inciderit, is R.P. Præsidem admonendum curabit; isque dabit operam, vt is ab alijs eidem mancipatui addictis Sodalibus visitetur, subleueturque tam in corporalibus quàm spiritualibus necessitatibus, prout cuique secundùm status sui conditionem fraterna charitas suggeret, & singularis erga Virginem amor: quòd si ita morbus ingrauescat, vt sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis muniendus videatur, aderunt dictâ horâ Sodales, præcipue ij qui habitatione sunt viciniores, & Venerabile Sacramentum prosequendo, ipsi honorem, Sodali obsequium præstabunt. Si verò migrare è vitâ quempiam contigerit, defuncti corpus reliqui Sodales comitabuntur; pro animâ verò semel Missæ sacrificium offerri tota Sodalitas curabit; cui omnes interesse conabuntur.

XVI. Venerabilis Eucharistiæ Sacramento cùm alibi semper eum deferent honorem, quo par est talis Matris mancipia tantum Filium venerari; tum præcipuè in plateis. Si Sacerdoti id ad ægros deportanti obuiàm fiant, confestim è curru, vel equo, si fortè ijs vehantur, desilient, flexisque in terram poplitibus, pio fidei, latriæ, contritionis, aut alio quopiam virtutis actu Redemptorem mundi istic reuerà præsentem adorabunt, eumque, si quidem occupationes & valetudo permiserit, honoris causâ ad eam vsque, vnde exierat, Ecclesiam comitati, veluti domum deducent.

XVII. Mancipijs B. MARIÆ Virginis proprium est consilio ceteris prodesse, veritates orthodoxas promouere, ac proinde ignorantes instruere in fidei veræ & Catholicæ mysterijs; illamque, quam Ecclesiæ Romanæ, eiusque capiti œcumenico Pontifici Romano, Episcopis, ceterisque Ecclesiæ Prælatis debent obedientiam ac venerationem, seriò per occasionem inculcare.

XVIII. Proprium item est illis (quod quidem ex Oratione quâ se Virgini deuouerunt, constat) omnem, quâ per Christianam modestiam ac charitatem licet, à Deo eiusque Matre, à cultu Sanctorum, eorumque imaginibus iniuriam prohibere; omnesque non tantùm exemplo suo ad virtutem adducere, sed etiam, prout vsus erit, à peccatis retrahere.

XIX. Angelos sese pacis vbique præbeant, amicitias redintegrando, discordias sopiendo, extirpando rancores & odia, murmurationes sedando: denique eum conentur spirare virtutis odorem, qui expectatur à tam bonâ radice, atque est IESV & MARIÆ cordi insculpta nomina.

XX. Moniti istius memores: *Fili accedens ad seruitutem, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem*: (Eccli. 2. v. 1.) tantumdem sibi dictum de B. MARIÆ Virginis mancipatu existiment; ac studeant in primis, vt serui boni, filiali Dei Deiparæque Virginis timore animum munire, atque in tentationibus eam adhibere cautelam, vt ijs primum in cor aditum intercludant; aut, si quid nihil aduertentibus irrepserit, operam dent, vt statim in ipso semine elidant, ne hostis conualescat.

XXI. Passionibus suis inordinatis, ac linguæ præsertim, conentur frenum validum injcere, eamque non solùm ab omni iuramento, blasphemiâ aut turpiloquio refrenare, sed etiam ab omni eo sermone, qui aut veritati aut famæ proximi aduersatur, cohibere: potiùs, vti decet sanctos Deiparæ seruos, assuescant candidè, sincerè, piè & amanter cum omnibus agere.

XXII. Et, vt semel dicam, in actionibus omnibus ita se gerant, quemadmodum de-

cet homines verè Christianos, obsequiis B. MARIÆ Virginis singulariter mancipatos. Quapropter omnia opera, quibus ex naturæ lege Dei gloriam spectare tenentur, etiam eò dirigent, vt Dominæ suæ accrescat honor & gloria: nam mancipij proprium est, omnia ad domini vel dominæ vtilitatem accommodare.

Atque hæc Statuta quidem singulos Sodalium tangunt in particulari; ea verò, quæ corpus constituunt Sodalitatis, verbo subiungemus.

Regimen Sodalitatis.

Regitur tota hæc Sodalitas primò à Gubernatore; qui ex viris præcipuis semel electus, perpetuo officio, auctoritate suâ & pietate dignitatem Sodalitatis sustinet. Deinde à Thesaurario, item officio stabili: ideoque ad hoc munus eligendus is, qui & opibus & probitate tantum valeat, vt ei res Sodalitatis temporales, vti sunt ornamenta & eleëmosynæ, tutò credi possint. Annuo verò Magistratu renouantur Præpositus, quatuor Oeconomi, & Secretarius: quibus postridie Festi primarij Sodalitatis electis, rationem dati & accepti reddit Thesaurarius. Atque hi omnes Magistratus Sodalitati suæ præficiunt in spiritualibus R. P. Priorem Conuentus Eremitarum diui Augustini, vel alium quempiam ex dicti Conuentus Religiosis, cum Superiorum facultate.

Cumque ex vtriusque sexus hominibus constet hæc Sodalitas; è mulieribus designabitur quotannis Matrona insignis, quæ ornatui Statuæ D. Virginis in Festo Sodalitatis præsit.

CAPVT VII.

Explicatio Regularum.

Cur addantur Regulis explicatio.

CVM in Regulis occurrant multa pietatis exercitia, & quædam etiam præcepta virtutum, quibus continetur mancipiorum officium, earumq; praxis non potuerit ibi fusiùs pertractari; ex obsequio Dominæ nostræ, & mancipiorum bono, esse duxi, si breuibus, quæ præscripta sunt, commentariis illustrarem: vt, cùm ex illis, quid præscribatur; ex hisce, quomodo præscripta executioni mandanda sint, cognouerint; vnicum restet, vt nimirum velint eam Dominæ suæ præstare obedientiam & reuerentiam, vt sedulò & accuratè legibus eius obtemperent. Vbi notandum in primis, paucis Constitutiones hasce paragraphis esse comprehensas, ne multitudo vel confusionis causa fieret, vel, quod plerumque fit, negligentiæ excusatio obtenderetur. Secundò, nullâ siue ex voto siue pœnâ appositâ obligatione Regulas hasce armatas; quòd speremus liberalissimæ indolis mancipia magis amore filiali quàm pœnarum timore impensura Dominæ suæ liberale obsequium. Quippe si Rex pacificus nullum voluerit in templi exædificatione audiri malleorum strepitum, aut verberum sonum; minùs existimandum est, Virginem hanc clementissimam & dulcissimam in hac ædificandâ sibi domo & familiâ velle minarum murmura & flagrorum crepitum exaudiri. Neque sanè diuturni officij minister est timor: & fit plerumque, vt, quæ sibi vincula obligationum homines feruore quodam impellente induerint, deinde excutere nitantur, si deferuescente amore videant se adigi ad ea quæ præstare non deberent, si non vltrò sibi eas compedes induissent. Compedibus nos quidem etiam mancipia constringimus, non vt obtorto collo & quasi repugnantia trahamus ad hoc peculiare obsequij genus; sed vt moneantur status sui, & sese ipsa excitent ad exsequendum munus suum. Alligamus ea catenis & vinculis, non vt reluctantia & fugitiua retrahamus; sed vt ipsa sibi persuadeant, se reluctari ac fugere non posse. Denique sic manciparum proponimus, vt ostendamus nihil hoc melius, nihil vtilius, nihil honorificentius posse excogitari, quàm illi seruire, cuius manibus tradita est vita & salus nostra, vt nihil sperare possimus, quod ab illâ non sit accipiendum. Quæ consideratio

& cur obligatio sub peccato non addatur.

tio satis incitabit seruos fideles & prudentes, vt auidè legant & arripiant hasce Regulas, quibus viderint formam aliquam obsequiorum præscribi; quâ obseruatâ, gaudere possint se boni mancipij numeros expleuisse. Imò fore confido, vt non contenti iis quæ præscribuntur, multa prætereà adiungant opera supeterogationis: huic autem feruori non video quid obligationes addere possint, præter scrupulorum, vti dicebamus, materiem, & ex illis tædium suscepti mancipatus. Cur autem à Regularum præscriptione non omnino abstinuerimus, breuiter tetigimus in ipsâ Præfatione, vt opus non sit ea repetere. iam ergo ipsarum explicationem aggredior.

Regula prima.

Ipso ingressionis in hanc Sodalitatem die, vbi nomen quis suum inscripserit Sodalitatis libro, aut addito propriæ manus chirographo inscribi curauerit, peccatis suis per generalem confessionem, si id numquam fecerit anteà, vel certè incipiendo ab eâ, quam postremùm instituit, expiatus, & sacrosancto refectus Epulo; ante imaginem Virginis Deiparæ sese in genua abiiciet, catenulamque aut compedes, seruitutis signum, ad hoc verbis sacris dedicatas, brachio vel alteri corporis parti posthac gerendas imponet; tum recipiet benedictam coronam duodecim stellarum, ac Rosarium mancipiorum item benedictum, quod constat septuaginta duabus sphærulis minoribus & octo maioribus; inde altâ voce, si locus permittat, leget orationem eiusdem Sodalitatis, quâ se seruum ac mancipium diuæ Virginis profitebitur.

Explicatio.

Mancipatus susceptio, est vita totius mutatio.

Solemnem vitæ & quasi status mutationem interpretamur hunc transitum de captiuâ propriæ voluntatis libertate ad liberrimam MARIÆ Virginis seruitutem. Quapropter ritus solemnis præscribitur, quo primùm debeant mancipia Virgini initiati, & in tam gloriosum mancipiorum eius consortium admitti. Constat autem ritus ille eiuratione status prioris, & publicâ noui professione. Diem itaque istum, quo statuit quis hunc famulatum suscipere, aliquo tempore antè mente designabit, incipietque ad eum aliquâ præparatione animi sese disponere, ad eum sæpiùs aspirando, hisce vel similibus repetitis identidem iaculatorijs:

præparandus ad eam animus orationibus iaculatoriis.

In toto corde meo exquisiui te, Domina mea: *ne repellas me* ab obsequio tuo. Psal. 118. v. 10.

Concupiuit anima mea desiderare legem seruitutis tuæ, Domina, *in omni tempore.* Ibid. v. 20.

Nonne MARIÆ *subiecta erit anima mea? quoniam ab* ipsâ *salutare meum.* Psalm. 61. v. 2.

Iniice, anima mea, *iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum.* Eccli. 6. v. 25.

& confessione generali.

Vt autem seriò ostendat, se velle vitam suam totam consecrare Dominæ istius quam elegit obsequijs; sedulò incumbat in generalem quæ hîc præscribitur confessionem: illâ enim perfectissimè diabolus, cui hactenus miserrimam impendit seruitutem, eiurabitur, insignia eius & symbola, quæ sunt peccata, abijcientur; cor & anima mundabitur, deleto ex ipsâ chirographo peccati & mortis, vt possint ei tamquam tabulæ rasæ inscribi IESV & MARIÆ nomina, & symbolum huius mancipatus *Aue Maria.*

quæ ex Confessarij iudicio instituenda,

Confessio autem hæc generalis cùm plerumque vtilitates plurimas habeat, sæpiùs etiam necessitatem, aliquando verò, ne vtilitatem quidem; non suadeo eam nisi ex prudentis confessarij iudicio instituendam; cuius propterea erit circa hanc ordinationem de pœnitente suo disponere, prout iudicat ad maiorem eius in spiritu profectum expedire. Vbi notandum, nullam ab inertiâ aut vano difficultatum timore desumendam excusationem: quò enim difficultas occurrit maior, eò diligentiùs ac magis strenuè debent remedio incumbere. Non enim quis agrum neglexerit ideò tribulis & spinis expurgare,

non omittenda propter difficultatem.

re, quòd ex earum frequentiâ runcinandi labor sit redditus difficilior; sed contrà, diligentius manus operi accingenda est, quia multa sunt superanda, quæ, si exspectet diutiùs, omnem fundi eius exedent succum, facientque, vt tandem serus sit quantumcumque seriò ei impensus labor. Et verò sæpiùs *dicit piger: Leo est in viâ.* faciens se mancipium, pabulum ac ludibrium rimoris, fingens sibi difficultatem quæ nulla est, & trepidans timore vbi non est timor. Si enim quis praxi ac methodo commodâ vsus fuerit, facilè superabitur labor, & aderit auxilium de sancto; & tum quidem, cùm necessariò instituenda est hæc confessio, omnis vincenda est necessitate difficultas, & clauus clauo fortiori pellendus. Oritur autem ex multiplici præcedentium confessionum defectu ista necessitas: si enim defecerit eas dolor, si integritas, si in Confessario potestas, tum liberum non est eas non repetere; nec potest quis in familiam B. MARIÆ Virginis recipi, quamdiu pacem non redintegrauit perfectè cum Filio. Sed non solâ necessitate eam instituunt mancipia: quorum enim vita consecranda est Virgini in spontaneum obsequium, quâ ratione in ipso limine facienda sibi ad ipsam legem exigent necessitatis? satis est illis insinuari, vehementer facere ad innouandam maiori cum fructu vitæ rationem, si anteà rationem reddant de vitâ omni superiore, quòd ad sui cognitionem, pudorem & despectum, exindeque ad veram humilitatem, propriam mancipijs virtutem, hominem deducat, aptumque reddat vt gratiosè seruiat humillimæ ancillæ Domini, cui nulla potest esse nisi cum humilibus & sui similibus familiaritas; quòd securitatem adferat, scrupulisque viam obstruat, qui solent vehementer aliquando per vitam, sæpè in ipso mortis articulo, hominem discruciare. Nauigaturus autem, securissimam nauem; iter facturus, viam tutissimam deligis; contractus quot potes apochis & testibus firmas; sanitatem pharmacis procuras conducibilioribus; & viam æternitatis, mare huius vitæ tot varium tempestatibus, tot infame procellis dum currimus, nihil de itinere tutissimo, de tabulâ firmissimâ curabimus? In morbo animæ letifero, in negotiatione salutis æternæ, vbi reddenda est omnium ratio, satis erit periculosam iacere aleam sine vllâ cogitatione securitatis? nemo profectò, cui modò aliquid restat in mente sanitatis, non consulet rebus suis, atque ira libenter, priusquam mancipatum hunc ingrediatur, rationes suas componet, vt in posterum tantummodò reddenda sit ratio eius vitæ, quam egit sub clementi Dominæ benignissimæ famulatu.

Prou. 26. v. 13.

sæpè enim est necessaria,

sæpè vtilis,

ad humilitatem,

& ad securitatem;

Addidi superiùs, non omnibus tamen vtilem esse confessionis ita generaliter institutæ vsum: nam meticulosis ac scrupulosis hominibus noua per eam creatur scrupulis materia: neque confessionibus curare debent animi morbum, qui non peccatis laborant, sed vmbrâ atque apprehensione peccatorum. fiduciâ in Deum, & obedientiâ aduersus Vicarium eius Confessarium suum, opus est ad tales morbos, non crebrâ peccatorum iteratione. In illis item qui turpem vitam egerint, muliereulis præsertim, non caret periculo veterum recordatio: quare melius est illis suadere, postquam semel generaliter confessæ sunt, vt veterum oblitæ, ad interiora se extendant, conenturque vitæ emendatione, pœnitentiâ & lacrymis eluere, quæ æternæ cupiunt mandata obliuioni. Quapropter tota huius negotij ratio referenda est ad prudentis Confessarij iudicium.

aliquando tamen perniciosa:

Vt autem facilior ijs, quibus generalis hæc confessio instituenda est, fiat ipsius praxis, breue conscientiæ examen subijcio, decurrens per Decalogi præcepta; vt inde facilè possit quisque colligere quid hactenus peccauerit.

facilitanda est modo.

CA-

CAPVT VIII.

Praxis seu methodus examinandi conscientiam.

CIRCA I. PRÆCEPTVM.

An in his quæ ad fidem pertinent, ab Ecclesiâ dissenserit, oppositum cum pertinaciâ credendo, aut alios docendo: quàm multos, & quoties. Is autem pertinax est, qui suum errorem defendit, sciens Ecclesiam contrarium tenere.

An fecerit aliquem exteriorem actum infidelitatis, vel hæresis; nempe verbo, signo, vel opere aliquo hæresim profitendo, etiamsi non mente, licet ex timore fecisset; vt cærimonias hæreticorum proprias exercendo, sub vtrâque specie communicando, carnes cum hæreticis prohibito tempore comedendo.

An dubitauerit pertinaciter de aliquâ fidei veritate: quales non sunt dubitationes quædam, quæ voluntatem in veritate firmam contristare solent.

An hæreticis contra Catholicos fauerit, eosque defenderit: quoties, & quo modo.

An nimiam cum hæreticis familiaritatem habuerit, cum probabili periculo incidendi in hæresim: quamdiu.

An hæreticorum vel prohibitos libros scienter legerit, vel eos domi seruauerit: quoties, & quamdiu.

An incantationes vel maleficia exercuerit, vel diuinos consuluerit per se, vel per alios.

An schedulas superstitiosas apud se habuerit, ad sanitatem aliámve rem obtinendam; & an alios induxerit ad earum vsum.

An fidem habuerit somnijs vel augurijs, accipiendo illa pro regulâ suarum actionum.

An artes magicas didicerit, aut alios docuerit: quàm multos, & quoties. Et an earum artium libros apud se scienter retinuerit; & an adhuc retineat.

An valdè negligens fuerit in addiscendis necessarijs ad salutem: vt sunt decem Decalogi præcepta, Ecclesiæque, ad quæ erat obligatus, & articuli Fidei.

An de emendatione vitæ, de consequendâ æternâ salute, vel Dei misericordiâ, & peccatorum remissione aliquando desperauerit.

An impediuerit verbo vel opere profectum spiritualem proximi, dissuadendo, vel simili ratione impediendo ingressum in Religionem, aut alia bona opera.

CIRCA II. PRÆCEPTVM.

Notari debet ad huius præcepti cognitionem, quòd iurare, est Deum in testem eius quod dicimus vocare. Vocatur autem Deus in testem duobus modis: vno modo expressè, vt quando quis per Deum iurat; altero modo tacitè, vt cùm iurat quis per Sanctos, per Crucem, per animam suam, vel per aliam creaturam, quatenus in eâ relucet diuina bonitas. non tamen iuramentum est dicere, Verè, Certissimè, In veritate.

An mendacium aliquod, etiam officiosum, iuramento firmauerit, aut id, de quo dubitabat an esset verum.

An iurarit deliberatè se aliquod peccatum mortale patraturum; & quale peccatum.

An iurarit aduertenter absque animo adimplendi.

An violauerit aduertenter suum iuramentum, quod seruare tenebatur. quale non est, quando quis iurat se aliquid mali facturum: tunc enim seruari iuramentum sine peccato non potest.

An causam dederit alicui vt falsum iuraret, vel non obseruaret iuramentum licitum; & an id fuerit cum aliquo damno alterius.

An nimis præcipitanter iurauerit, maximè ex consuetudine, non discutiendo verúmne esset aut falsum quod iurabat: quamdiu hæc consuetudo durarit, & an duret adhuc.

An diabolum inuocauerit, aut eius auxilium implorarit, deliberatè & ex animo, cum intentione vt ab illo iuuaretur.

An iurando ſibi imprecatus ſit grauia mala, vt malam mortem, damnationem, &c. & quoties hoc contra veritatem, vel dubitans.

An in iudicio iurarit falſum; vel iuridicè interrogatus, non reſponderit veritatem ad intentionem Iudicis: an hoc aliis ſuaſerit. In quo caſu non ſolùm eſt peccatum mortale, ſed etiam onus incurritur reparandi damnum & iniuriam illatam proximo.

An dixerit aliquam blaſphemiam. Eſt autem blaſphemia, dicere contra Deum vel Sanctos aliquid contumeliosè: vt, quando quis Deo vel Sanctis maledicit, vel aſſerit Deum eſſe iniuſtum, vel non curare humana; aut cùm quis indignatus, Chriſti & Sanctorum membra contumeliosè nominat. Poſſunt autem hæc ſolo corde committi; vt, exempli gratiâ, optando, Vtinam Deus mea peccata neſciret, non eſſet iuſtus, &c.

An vouerit aliquid Deo abſque animo adimplendi.

An votum legitimè factum violauerit aduertenter.

An promiſſa, maximè iuramento firmata, deliberatè violauerit.

An Scripturam ſacram facetiis applicarit, maximè ſi crebrò, & ad turpia.

CIRCA III. PRÆCEPTVM.

An feſtos dies violauerit, ſeruilia in eis opera exercendo, vel præcipiendo, conſulendo, aut conſentiendo, idque per multum temporis, ſine neceſſitate. Seruilia autem opera vocantur, quæ ad artes mechanicas pertinent. An neglexerit audire Sacrum diebus feſtis; vel notabilem partem omiſerit, ſine legitimâ excuſatione; & an cauſam aliis dederit idem faciendi. Notabilem Sacri partem omittit, qui omittit vſque ad Euangelium, vel qui ante Communionem recedit.

An in Feſtis per notabilem Miſſæ partem diſtractus fuerit, ſiue fabulando, ſiue profana legendo, ſiue aliis ſe exteriùs occupando, exteriorem ſaltem attentionem impedientibus.

An curarit ſibi ſubditos diebus feſtis intereſſe Sacro. Huc pertinent quæ contra Eccleſiæ præcepta fiunt, vel Sacramenta.

An confiteri ſemel in anno omiſerit, aut non curarit vt idem facerent omnes curæ ſuæ commiſſi.

An iuerit ad confeſſionem ſine aliquâ ſaltem præparatione & examine, vel ſine propoſito deſerendi aliquod peccatum; vel peccatum aliquod ſciens in confeſſione ſubticuerit ex pudore, aliáve causâ; & an poſteà illud peccatum in ſequenti confeſſione ſit confeſſus, prioremque confeſſionem illam repetierit.

An omiſerit Communionem tempore Paſchatis in propriâ Parochiâ, poſtquam ad eam venit ætatem, vt iudicio Confeſſarij communicare iam poſſet.

An communicarit cum conſcientiâ peccati mortalis, quod nondum erat confeſſus.

An cum conſcientiâ certâ vel dubiâ peccati mortalis receperit vel adminiſtrarit aliquod aliud Sacramentum.

An comederit cibos prohibitos in Quadrageſimâ, Vigilijs, & alijs diebus interdictis, etiamſi propter ætatem ieiunare non teneretur.

An poſt completum vigeſimum primum annum, ieiunia Eccleſiæ violauerit ſæpiùs comedendo, licet à cibis vetitis abſtinuerit.

An cauſam dederit alijs violandi ieiunia; veluti ſuadendo, vel alijs prohibito tempore cibos vetitos miniſtrando, vel alios cibos, quibus ieiunium ſoluant; niſi legitima eſſet cauſa.

An, cùm excommunicatus eſſet, ſciens perceperit Sacramenta, dederítve, aut Sacris interfuerit.

An contumeliâ aliquâ vel irreuerentiâ affecerit imagines, reliquias Sanctorum, aliaſque res ſacras.

An putet ſe feciſſe aliquid cui ſit annexa excommunicatio.

An obligatus ad recitandum Breuiarium, omiſerit recitare ſiue totum, ſiue partem eius notabilem; veluti vnius Horæ officium, ſine ſufficienti excuſatione, ex tædio rerum ſpiritualium.

CIRCA

CIRCA IV. PRÆCEPTUM.

An parentes contempserit, aut verbis & factis contumeliosis offenderit.

An maledixerit patri vel matri, vel in eorum absentiâ ijs detraxerit.

An verbo vel cogitatione illis mortem propter ipsorum bona, aut ob aliam causam, aliúdve graue malum sit imprecatus deliberatè.

An eis obmurmurauerit, asperiusque fuerit locutus.

An in re graui, vel ex contemptu, iussis eorum non obtemperarit.

An in notabili necessitate subuenire illis recusarit.

An testamentum parentum defunctorum fuerit executus.

An fuerit paratus propter amorem parentum transgredi mandata Dei, & peccare mortaliter.

An Superiores suos, siue sæculares, siue Ecclesiasticos, contempserit, & iustas eorum leges in re notabili violauerit.

An de Superioribus & maioribus suis detraxerit in re graui, aut etiam de Religiosis, Sacerdotibus, magistris, Doctoribus, &c.

An decimas, vectigalia, & alia quæ illis debentur, retinuerit.

An prædicta deliberatè facere proposuerit, etsi non fecerit.

An, si filios habeat, ijs maledixerit, nec eos Christianæ fidei mysteria, Dei præcepta, aliaque scitu necessaria docuerit.

An filios reprehenderit & correxerit, maximè in peccato graui.

An domesticos necessaria scitu docendos curauerit, & peccantes correxerit.

CIRCA V. PRÆCEPTUM.

An aliquem habuerit odio, cum desiderio vindicandi se: & quanto tempore in eo odio & vindictæ cupiditate perseuerarit.

An optauerit alicui mortem, vel aliud malum graue, & damnum corporis, famæ, honoris, bonorum tam temporalium quàm spiritualium, ex malo & deliberato animo.

An fuerit alicui grauiter iratus, cum animo notabiliter ipsi nocendi.

An contendendo cum alijs, verberauerit aliquem, vel vulnerauerit, vel occiderit, aut commiserit alijs vt id facerent; vel quod suo nomine ab alijs erat factum, approbauerit, vel ad id dederit auxilium, consilium vel fauorem.

An Clericum percusserit. Nota: Qui percutit Clericum, etiam primæ tonsuræ, percussione quæ est peccatum mortale, incurrit excommunicationem, dummodò sciret, aut scire deberet, eum quem percutiebat, esse Clericum, & legem de excommunicatione. Proinde circumstantia Clerici est exprimenda.

An sibi vel alijs maledixerit seriò & ex animo. Est autem maledicere, malum aliquod sibi vel alijs imprecari, nempe mortem, infamiam, diras, &c. vt, si se vel alterum tradat vel commendet diabolo. Est autem maledictio semper peccatum mortale, quando seriò profertur in materiâ graui.

An litigans cognomina dederit, aut conuitia iecerit cum graui proximi iniuriâ. Tunc semper iniuria est reparanda, & fama resarcienda, si læsa fuerit.

An eum, quem grauiter offenderat, rogare veniam detrectarit, & cum inimico redire in gratiam recusauerit, vel condonare ei offensam noluerit, aut omiserit eum alloqui vel salutare cum scandalo.

An defectus corporis aut paupertatis alicui exprobrarit, aut verbis, aut cachinnis, vel signo aliquo alios turpiter irriserit. Quod peccatum tantò est grauius, quantò maior debetur reuerentia ijs qui ridentur: & eos tenetur sibi reconciliare; &, si infamia sit secuta, famam resarcire.

An rixas & inimicitias seminauerit; & an inde graue malum sit secutum.

An deliberato animo doluerit de bono aliquo notabili proximi, vel de eius malo lætatus sit. Bonum notabile est sanctitas, fama, scientia, diuitiæ.

Inuidere in rebus paruis, veniale tantùm est.

An blaſphemantes, vel alio ſimili modo grauiter delinquentes, non correxerit, cùm ſpes alicuius emendationis eſſet, & id facilè fieri poterat.

An homicidis & proſcriptis fauorem aut receptaculum præſtiterit.

Huc pertinet peccatum ſcandali, quo quis ad peccatum mortale prouocat alterum verbo vel opere aliquo, quod naturâ ſuâ præbet occaſionem ruinæ. Et explicandum eſt ad quam ſpeciem peccati induxerit: vt, Induxi alium ad omittendum Sacrum die feſto, aut ad fabulandum per notabilem partem Sacri, ad non ieiunandum cùm teneretur, ad furandum, &c. De quo ſi (præter ea quæ ſingulis continentur præceptis) occurrat aliquid, poterit illud huc reuocare.

CIRCA VI. ET IX. PRÆCEPTVM.

An turpes cogitationes habuerit, in quibus voluntariè ſit delectatus, etſi opere perpetrare noluerit id quod cogitabat. Eſt peccatum mortale.

An cum deſiderio perficiendi operis tales cogitationes habuerit; & an obiectum cogitationis fuerit virgo, ſoluta, coniugata, Religioſa, &c.

An turpia & obſcœna locutus fuerit animo laſciuo, vel libenter audierit; & an turpes cantilenas cecinerit animo laſciuo; maximè alijs præſentibus.

An libros impudicos legerit animo laſciuo, vel ex ſolâ curioſitate, cum probabili periculo delectationis moroſæ, vel conſenſus: & an adhuc tales libros habeat.

An inhoneſtas choreas duxerit cum probabili peccati periculo.

An aliquam perſonam aſpexerit cum periculo probabili conſentiendi peccato.

An probabili peccandi periculo ſe expoſuerit, loca quædam periculoſa adeundo, vel cum certis perſonis conuerſando.

An conatus ſit verbis vel aliquo facto ſuo aliquam perſonam pellicere ad res turpes. Hîc perſonæ circumſtantia eſt exprimenda.

An laſciuo animò turpia oſcula & alios contactus impudicos habuerit; vel ſe turpiter contingi permiſerit; vel an ſeipſum voluntarie polluerit: & quid tunc cogitabat. Eſt enim ſpecies cogitationis exprimenda.

An nocturnas vel diurnas pollutiones procurarit; vel experrectus ſe oblectarit in pollutionibus, vel turpibus ſomnijs.

An ipſum peccatum carnis opere impleuerit. Explicetur ſpecies peccati: quales ſunt fornicatio, adulterium, ſtuprum, inceſtus, ſacrilegium, & vitium contra naturam.

CIRCA VII. ET X. PRÆCEPTVM.

An aliquid furto ſuſtulerit. Explicet ſpeciem peccati; & an rem ſacram in loci ſacri tutelâ. Exprimat quoque quantitatem, quando notabilis eſt ſumma.

An inuito domino rem alienam alicuius momenti retineat adhuc, abſque animo reſtituendi.

An inuenta notabilis valoris non reſtituerit domino, ſi eum adhibitâ diligentiâ poterat reſcire.

An aliorum hortis, agris, vel ſimilibus bonis notabile damnum intulerit.

An ex eo quòd debita ſuis creditoribus non ſoluerit, cùm alioqui poſſet, aliquod hi damnum incurrerint.

An in emptione vel venditione fraudem fecerit, cum notabili proximi damno; vel res furtiuas, aut quas dubitabat eſſe alienas, emerit vel vendiderit.

An mercedem famulis, ſubditis vel operarijs ſubtraxerit; aut miniſterium, ad quod conductus fuerat, fideliter præſtiterit.

An ratione mutui vel anticipatæ ſolutionis aliquid acceperit. Et eſt vſura.

An pro Beneficio Eccleſiaſtico obtinendo pecuniam vel rem pecuniâ æſtimabilem dederit, vel alius quiſpiam eo ſciente. Et eſt ſimonia, collatio nulla; & fructus omnes ſunt reſtituendi.

An

An plura Beneficia habeat; quàm multa, & quamdiu.

An desiderauerit accumulare opes per fas & nefas: aut habuerit voluntatem determinatam accipiendi, si posset, rem alienam.

An pecunias sibi à parentibus ad victum collatas in lusum consumpserit, vel in conuiuia immoderata, aut alijs modis profuderit.

An ex parentum bonis quidpiam notabile acceperit contra ipsorum voluntatem. Et est ipsis restitutio facienda; secùs, si constaret de ipsorum voluntate.

An litem aliquam contra iustitiam mouerit; vel mendaciter aut fraudulenter in eâ obtinendâ processerit.

An luserit ludis vetitis, vel ludendo fraudem fecerit, cum notabili proximi detrimento.

An lucratus sit notabilem summam in lusu, etiam sine fraude, ab ijs qui pecunias exponere non poterant: vt sunt filijfamilias, &c. vel, an fuerit causa, vt aliquis bona parentum dissiparet.

An iniustè lucrum alterius impedierit: aut consilium vel auxilium præstiterit ad iniustè nocendum proximo.

An aliquid ex dictis deliberatè concupierit.

CIRCA VIII. PRÆCEPTVM.

An alicuius famæ detraxerit, graue aliquod crimen vel ignominiosum quidpiam alicui falsò imponendo. Et tenetur retractare coram eis, quibus præsentibus famam alterius læsit.

An peccatum graue alicuius, verum quidem, sed occultum, alijs manifestauerit malâ intentione, vel cum graui famæ detrimento. quo etiam casu famam resarcire tenetur.

An dicta vel facta alicuius, sine vllis aut ex leuibus coniecturis, in malam partem acceperit, certò & definitiuè apud se statuendo illum peccasse mortaliter. Est enim hoc temerarium iudicium, & peccatum mortale: si autem tantùm fuerit suspicio, vt cùm quis de alterius bonitate ex leuibus indicijs dubitat, solùm est veniale.

An detractoribus aures accommodauerit, ex odio illius cuius famæ detrahebatur: vel si detrahentes cum notabili proximi detrimento non prohibuit, cùm facilè prohibere posset.

An perniciosa mendacia protulerit in notabile detrimentum alterius.

An præceptores, scholas, communitatem aliquam, apud parentes diffamauerit, falsas ad eos litteras scribendo. Et tenetur ad restitutionem retractando serió; nisi certò sciat parentes ei non credidisse.

An secretum sibi commissum, maximè si spoponderit se taciturum, alijs reuelarit; & an inde aliquod detrimentum proximi secutum sit.

An litteras alicuius cum damno aliquo, vel saltem periculo, apetuerit.

CIRCA GVLAM.

An se aliquando sponte inebriauerit; & an intemperantiùs comederit aut biberit, cum notabili detrimento sanitatis.

An alios datâ operâ ad ebrietatem induxerit.

Qui officium aliquod administrant, examinabunt se etiam de peccatis quæ in tali officio vel statu solent committi.

Vbi, institutâ hac confessione, diabolo atque omnibus eius ministris perfectè renuntiauit, proximum est, vt Dominæ suæ obsequium profiteatur, quod proprio faciendum præscribitur chirographo; vt admoneantur Sodales rem neque leuem neque ludicram esse quam suscipiunt, aut talem cuius posteà liceat temerè obliuisci: cùm existimandum sit, quòd & Angelus custos, quo teste hoc peragitur; & propria conscientia, quæ numquam id poterit ignorare; & ipsa B. Virgo MARIA, cui nos obligamus, vrgebit hoc contra nos chirographum, si officij nostri obliti obsequium eius negligamus. &, quod ad consolationem facit Sodalium, poterunt illi in necessitatibus suis omnibus Dominæ suæ ostendere, quàm libenti se ipsi animo deuouerint, quòd ipsa eos in familiam suam acceperit,

Signant chirographo se esse mancipia, ob rei grauitatem,

& ad augendam fiduciam.

quòd peculiari ratione sint eius obsequijs mancipati. Quod tanti fecerunt nonnulli Sodalium, vt vel sanguine suo, vel alio insigni quopiam charactere conscriptam mancipiorum orationem, & hierothecæ inclusam, de collo suspenderent, existimantes id esse amuletum aduersus omnia vitæ mala certissimum, & firmissimum contra omnia mortis pericula subsidium. Et sanè

maximè in horâ mortis:

cùm præcipuus mancipatus huius finis, qui quidem commodum & vtilitatem nostram spectet, sit, impetrare felicem ex hac calamitosâ vitâ exitum, vt nimirum Virgo ipsos tamquam suos, sacramento particulari familiæ suæ asscriptos, & hactenus fideliter seruientes, protegat, & æternæ felicitatis præmio remuneretur; non possum non magnopere commendare omne id deuotionis genus, quod vel nos vel Dominam nostram singulari quapiam ratione admoneat nostri mancipatus. Quo maximè faciunt catenæ, compedes, rosaria, ceteraque mancipatus nostri indicia, de quibus egimus Lib. 2. cap. 28. & sequentibus. Quod huc facit, est, ea esse summâ cum veneratione suscipienda, magnique facienda, tamquam honorificentissimæ professionis insignia, excitandumque zelum, vt possimus ijs vinculis orbem vniuersum captiuare in obsequium Virginis; vtque ijs possimus apparere omnibus inimicis nominis ipsius terribiles. Alligemus catenulis illis anchoram spei nostræ, eamque proijciamus in cælum; exosculemur eas, præferentes sceptris & coronis, magisque exultantes, quòd liceat hæc obsequij erga Virginem gestare indicia, quàm cuiuscumque in homines imperij insignia.

quam etiam augent gestata mancipatus indicia.

De Coronâ duodecim stellarum tractatus est particularis, qui habetur Lib. 5. quò sufficiat hîc Lectorem remisisse.

Rosarium hoc quo modo sit recitandum, habes ad Regulam tertiam.

Cur altâ voce legatur Oratio.

Altâ voce præscribitur legenda Oratio, quòd ita promptitudo & alacritas ostendatur & excitetur ad seruiendum; tum quòd publicâ istâ professione necessitas quædam imponatur sedulò officio suo fungendi: tot enim posteà habituri sumus monitores, quot hîc auditores habuerimus. Est autem Oratio quæ sequitur:

Oratio quâ Virginis Deiparæ, eiusque sanctissimi nominis mancipia se primùm mancipatui eius dedunt.

Sancta MARIA Virgo veneranda, certatim tres Sanctissimæ Trinitatis personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, in te video dona conferentes, vt præparent sibi Filiam, Matrem, & Sponsam dignissimam, nobis autẽ Imperatricem, Reginam, & Dominam gloriosissimam: adoro igitur te profundissimâ hyperduliæ veneratione, quòd Pater ita singulari titulo te in Filiam adoptarit, quòd ante omnes omnino puras creaturas prædestinarit, omnium primogenitam te constituens, & ab æterno præordinans in Filij sui Genitricem, ideoque te præseruans ab omni labe peccati originalis. Adoro te, quòd Dei Filius de purissimis sanguinibus tuis conceptus, ac post nouem menses ex te natus, verè Matrem suam te effecerit; sic tamen, vt ante partum, in ipso partu, atque post partum Virgo intacta permaneres, ac virginitatis Angelicæ vexillum prima mortalium erigeres: ex quo maternitatis dono admirabilibus fuisti modis res vna cum Deo effecta, & in cæli terræque Dominam, in hominum pariter & Angelorum Reginam constituta. Iterùm, ac tertiò, imò infinities, adoro te, quòd Spiritus sanctus te in Sponsam eligens, omnium donorum & virtutum plenitudine super omnes Sanctos & Angelos te locupletarit; ita vt per te accipere debeamus quidquid à Deo bonorum speramus: quòd te prætereà auxerit iustitiæ originalis dono, atque à peccatis etiam minimis omni vitæ tempore conseruarit: quòd denique ipse, qui intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus, te generalem pro omni humano genere apud Deum effecerit Aduocatam. Propter hæc & pænè infinita alia à Sanctissimâ

mâ Trinitate accepta priuilegia, ego te, ô Virgo, hodie in Dominam, Reginam & Imperatricem meam eligo, & me, quod verè sum, seruum & mancipium tuum agnosco; obsecrans atque obtestans te per dulcissimi nominis tui MARIÆ, quod Dominam sonat, maiestatem, vt me in familiam tuam, mancipij humilitate, filij affectu seruiturum, admittere, atque in signum admissionis notas cordi meo inurere digneris, non crudeles illas stigmatis & claui quas mancipiorum frontibus inscribebant; sed verba hæc suauissima, quibus te Angelus salutauit, AVE MARIA: idque tam potenti charitatis igne, vt non nisi cum ipsâ respirandi facultate deleantur; ita vt mihi vocum mortalium extrema suauissima hæc tui salutatio AVE MARIA numquamè memoriâ excidat, numquam à voluntate auferatur desiderium flagrantissimum vsque ad extremum spiritum seruiendi tibi Dominæ & Reginæ incomprehensibilis maiestatis. Fateor ego quidem, & satis agnosco, me tituli illius eminentissimi honore, quo mancipium tuum vocabor, vndequaque indignissimum; attamen firmiter hodie propono tibi omni diligentiâ inseruire, omnem à tuo Filijque tui sanctissimo nomine iniuriam prohibere, neque permittere vmquam, vt ab ijs qui curæ meæ erunt commissi, aliquid contra eum designetur. Te igitur per illum, quo Filium tuum complecteris, tenerrimum amorem rogo, & per omnem, quem à Sanctissimâ Trinitate accepisti honorem obtestor, ne me à mancipatu tuo reijcias; sed actionibus omnibus meis vt Domina præsideas, quæ tibi placita sunt imperes, quæ ego incepto dirigas, quæ perperàm facta corrigas, meque seruum ac mancipium tuum omni in vitâ regas, atque in horâ mortis (quam præcipue in familiâ tuâ ex constanti famulatu spero felicitatem) spiritum meum suscipias. Amen.

Nota erant S. & ¶.

CAPVT IX.

Regula secunda.

EODEM die, aut sanè paulò post, prudenti consilio statuet, quonam tributo per annos, menses, hebdomadas ac dies singulos sit Heram suam & Dominam sibi demeriturus, testaturusque se esse, ac semper manere velle, humillimum eius mancipium. idque tributum, post maturam deliberationem, statuet ad extremum vsq; spiritum constanti pietate Dominæ suæ persoluere.

EXPLICATIO.

Secunda Regula tributorum mentionem facit: sunt enim illa pendenda Virgini à mancipijs in signum & agnitionem dominij eius in nos omniaque nostra. Vbi notanda est in primis admirabilis Dominæ nostræ clementia, quæ cùm omnia iure possideat, nihil de iure requirit. Quantò satius huic subijci Dominæ, quàm isti, cui anteà seruiebamus tyranno, qui non tantùm radere solebat pecus, sed deglubere? Interim nostrum est voluntariè illi sacrificare, & offerre tantò liberaliùs, quantò illa minus exigit. Respiciendum est nobis in tyrannorum quorumdam iniustum dominatum, qui tributis varijs subditos suos vexauerunt: nam quod illis datum est vitio, quia vi & iniustè à subditis exigebant, id nobis laudi vertetur, si sponte Dominæ nostræ meritissimæ deferamus. Quemadmodum autem istud Reipublicæ corpus necesse est vitam amittere, cuius succus omnis in tributa conuertitur, neruique omnes, qui sunt incolarum subsidia & alimenta, per iniquam vectigalium exactionem à capite ipso, id est à Principe, succiduntur: ita vitam cælitus haurire necesse est eum, qui succum omnem suum, meliotemque vitę siue spiritualis, siue temporalis, substantiam transfert ad Virginem, quæ est fons vitæ, & à quâ deriuantur omnia fluenta gratiarum. Neque succidit illa neruos nobis, nostra accipiendo; sed vires, robur animos-

Omnia subditorum per tributa transferri ad Regem, pernicies Reip.

omnia mancipiorum tribui Domina, est salus ipsorum.

animosque suppeditat, cælestia pro vilibus tribuendo. Age ergo, aliquot Regum monstra recenseamus, vt discamus ab eorum iniustitiâ officium nostrum. Nam inter Antigoni facta rigidissima acerbius dictum legimus: cum ei obijceretur, non ita seuerum in tributis exigendis fuisse Alexandrum; *Rectè*, inquit: *Asiam enim demetebat ille, ego spicas lego*. addebatque prædone potius quàm Principe dignam sententiam: *Scis quid mihi opus sit; & hoc agamus, ne quis quidquam habeat.* Ruth istius Moabitidis in mentem veniat spicas legentis, cui meliora sponte relinquebantur à messoribus. Si spicas legit Domina nostra, bonitatis eius est; cùm messem vniuersam sua conuehere possit in horrea: nostrum ergo est, sponte meliora & præstantiora ei relinquere, vt inueniamus gratiam in conspectu eius. quin potiùs, scitis quid opus sit nobis, hoc agamus, ne nos quidquam habeamus, sed omnia deferamus ad MARIAM. Quod enim tyrannicè Caracalla dicebat, *pecuniam sibi soli esse debere, prætereà nemini*; hoc nobis fateamur de Dominâ nostrâ, bona animi, corporis, fortunæ, quæ vel re vel spe habemus, illius esse solius, ac proptereà illi offerri debere omnia post Deum, prætereà nemini. Flauius etiam à mendicis exigebat tributa: & parcior erit nostra in Virginem liberalitas, quàm miseriam ipsam coëgit esse crudelitas? mendici sumus, egeni & pauperes; sed frustis mendicitatis nostræ recreatur cælorum Regina, non grauis & acerba miserijs nostris, sed opportuna auxilio. Pudeat nos aliquid possidere velle, quod tributum non pendat Heræ tam liberali, cùm etiam pro vmbrâ tributum exactum agnoscat Plinius lib. 12. & Michaëlis Paphlagonis imperio non pro solo tantùm, sed etiam pro cælo tributa exacta fuerint. Nostro autem hoc æuo, an non ventum & aërem locant homines, vt pneumaticas suas molas circumagant? Vt doceamur, ne respirare quidem nos debere, quin suspirij in partem veniat Domina, cuius nostra sunt omnia; vmbræ verò, quæ gloria est & fama nostra, exactum pendi debet tributum Virgini. Imò Iulius Cæsar lib. 3. Comment. de Bello ciuili, ostendens seueram tributorum exactionem; *Interim*, inquit, *acerbissimè imperatæ pecuniæ totâ prouinciâ exigebantur, multa prætereà generatim ad auaritiam excogitabantur. In capita singula seruorum ac liberorum tributum imponebatur. Columniaria, ostiaria, frumentum, remiges, milites, arma, vectura imperabantur. Cuius modò rei nomen reperiri poterat, hoc satis esse ad cogendas pecunias videbatur.* Vides omnium rerum quæ nominari tantùm possunt, exigi tributum; & non pudebit nos, qui omnia debemus, vix nomen hactenus inuenisse, sub quo tributum penderemus Dominæ? In singulis humani corporis membris à Frontone Daniæ Rege tributum impositum apud Saxonem Grammaticum legimus: quod nos etiam Libr. 5. docebimus, quâ ratione imitari debeamus. Sed etiam aliam tributi pendendi praxim à Lacedæmonijs discere poterimus: illi enim Samijs ad patriam recuperandam petentibus pecunias, indixerunt tam dominis, quàm familiæ & iumentis, vnius diei ieiunium; quantum autem vnusquisque, si non ieiunaret, insumeret, tantum Samijs tribueret. En ieiunij & eleëmosynæ sabbatinæ praxim. Non est opus ostendere inpræsentiarum, iustè deberi à nobis, & à Virgine exigi posse quodlibet tributum; cùm suprà docuerimus, omnium rerum etiam dominium vtile ad illam pertinere. hoc potiùs videndum, quâ praxi Regulæ huic satisfacere possimus. Exigit illa, vt quo die Sodalitatem ingredimur, dispiciamus, quonam tributi genere per annos, menses, hebdomadas & dies Dominam nostram colendam statuamus, in agnitionem supremi ac stricti in nos resq; omnes nostras dominij. Aptissima enim seruitutis professio est, tributi pensitatio. quod apud Iosephum lib. 18. Antiquit. cap. 1. dicit Iudas ille Galilæus, de quo Actor. 5. v. 37. *Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum post se.* Ipse enim apud Iose-

Si spicilegium est tributorum exactio, meliora sponte relinquenda MARIAE.

A mendicis exactum tributum,

pro vmbrâ,

pro cælo,

pro re omni quæ nomen habebat,

imò pro singulis corporis membris ab aliquibus petitum.

Noua pendendi tributi ratio.

Tributi pensio est seruitutis professio.

Iosephum, *adiuncto sibi Pharisæo Saddoco, sollicitauit ad defectionem populos; censum nihil aliud esse, quàm manifestam seruitutis professionem dictitans.* Tam verò certum est seruitutis indicium habita ista tributi pensitatio, vt, quos maiores nostri Ecclesiasticâ manumissione dimittebant, in veteris seruitutis agnitionem cogerent Ecclesiæ præstare ac persoluere certum tributum. Exstat enim in Affligemio Brabantiæ Monasterio manumissio Rensvvendis puellæ, quam Henricus Comes Louaniensis, & Aduocatus patriæ Brabantensis, natalitio iure sibi ancillam libertate plenariâ decorauit, & S.Petro in Affligem obtulit; eâ conditione, vt singulis annis ad Vincula S.Petri duos denarios in Altari persoluat; si verò ad nubilem ætatem peruenerit, sex denarios; duodecim denique, cùm ipsa, atque aliquis de eius stirpe obierit. Similes litteras reperire est in D.Petri Louanij, in Monasterio Fliderbacensi, & alibi. Quæ consuetudines Marinum nostrum & VValterum, de quo suprà, docuerunt in seruitutis signum tributum annuum offerre B. MARIÆ Virgini: & nos docebunt post illos, vt charismata meliora æmulemur, statuamusque infallibili consuetudine certa tributa offerre eidem Dominæ: cuius rei praxim vt tantò reddamus faciliorem, aliquot Sanctorum praxes referemus, quibus ipsi Dominæ vniuersorum tributum persoluerunt.

Mos pendendi tributum annuum in Ecclesiâ.

CAPVT X.

Tributa B. MARIAE *Virgini à varijs persoluta.*

Terra Bononiensis cum oppidis B. MARIAE consecrata.

Publica quotidie salutatio.

EORVM qui tributa B. MARIÆ Virgini pependerunt, imò terras ei tributarias assignarunt, chorum ducit Ludouicus II. Rex Gallorum, qui Bononiensem Comitatum cum oppidis eidem consecrauit: vtque Regnum vniuersum quotidie aliquod precum vectigal solueret, quacumque ditionem extendebat, sub meridiem ære campano signum dari voluit, vt omnes Virginem simul consalutarent; ostenderentque, cuius patronæ gauderent clientelâ, officiosâ salutandi consuetudine. Henricus VII. Imperator, vir qui fortitudinis pietatisque certamine dubiam reliquit victoriam, ambigente etiamnum posteritate, armisne an pietatis exercitijs plus laudis debeat: nam sæpiùs ante CHRISTI è cruce pendentis imaginem noctem ieiunus transigebat, non alio pastus pane nisi lacrymarum, quibus peccata sua abluebat. Is, quod huc facit, Festo quo suam Virgini in cælos Assumptionem gratulatur Ecclesia, omnibus alijs negotijs vacuus, vni cælestium contemplationi vacabat. & gratum habuit benigna Domina annuum serui tributum: illo enim ipso die anno 1313. exutum fallaci mundi diademate, vestiuit stolâ immortalitatis, & secum assumpsit in gloriam.

Vnius diei recollectio annua.

S. Franciscus aliud pensitabat Virgini in cælos assumptæ tributum annuum, vt S. Bonauentura testatur in Vitâ: Quadragesimam enim à Festo Apostolorum Petri & Pauli ad Festum Assumptionis ieiunabat deuotissimè. Et S.Elisabetha Lusitaniæ Regina à Festo Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ vsque ad Festum Assumptionis, omni ciborum genere, præter panis & aquæ, sibi interdixerat.

Quadragesimale ieiunium ante Festum Assumptionis.

S.Gerardus Episcopus Canadiensis in Pannoniâ, in Ecclesiâ S. Georgij Martyris ad honorem Dei Genitricis aram erexit, ante quam thuribulum argenteum collocauit, duosque prouectæ ætatis homines adhibuit, qui iugiter vigilarent, atque operam darent, ne vllâ vmquam horâ ibi thymiama deesset: singulis quoque Sabbatis cum nouem Lectionibus, vt in Festo Assumptionis, magnisque laudum præconijs deuotionis suæ officium illic explebat: ceteris autem diebus, Matutinis & Vespertinis precibus absolutis, bis cum processione eò venire solebat. Ex Vitâ ipsius apud Surium Tom.5. die 24. Septemb. vbi vides hebdomadale, quotidianum & continuum tributum.

Homagium thuris perpetuum.

Hebdomadale tributum,

quotidianum.

Tributum quotidianum rosarum commutatum esse ab ipsâ Virgine Dei-

Rosarium quotidie recitatum.

parâ in Rosarium, refert Pelbartus de Temesuar in Stellario coronæ gloriosissimæ Virginis lib.2. p.2. art.3. quod à B.Ioanne Capistrano euulgatum asserit; à quo potuit accepisse Pelbartus. Cùm Clericus quidam in sæculari habitu quotidie serto florum Beatæ Virginis imaginem coronare solitus, Ordinem Minorum suscepisset, & post aliquod tempus ad sæculum redire vellet, quòd in Religione sertum illud ex floribus Beatæ Virgini more suo offerre non posset; ei oranti Deipara apparuit, vetuitque hominem è Religione discedere; simulque docuit sertum quoddam spirituale ex Salutationibus Angelicis in hunc modum conflatum sibi offerre: vt scilicet in honorem septem gaudiorum, quorum ipsa sensu perfusa est, ad vnumquodque illorum semel Orationem Dominicam recitaret, Deo gratias agendo pro illo beneficio Virgini collato; cui Salutationem Angelicam decies subnecteret; præter vltimum, in quo ter solùm adijcienda erat Salutatio Angelica. Adiecitque beata Virgo, sertum hoc longè gratius sibi futurum, quàm sertum illud compactum ex floribus, quod singulis sibi diebus studiosè olim ab eo offerebatur. In cuius rei testimonium narrat, quomodo deinde ipsa Virgo Deipara serto illo quasi coronâ redimita, eum à latronibus liberauerit, & ad Angelos conuersa dixerit: *Ecce, quali me coronâ Frater ille ornauit.*

Orationis genus quotidie repetitum.

Solebat S.Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus quotidie in honorem B.MARIÆ Virginis & S.Ioannis Euangelistæ eam orationem recitare, cui initium, *O intemerata*, &c. Accidit autem, vt per studiorum occupationes illius obliuisceretur: quapropter illi nocte sequenti S.Ioannes Euangelista astitit, iamiam veluti ferulâ eum seuerè castigaturus, suspensus in ictum; at mox terrorem incussisse contentus, blandè admonuit, ne quando prætereà quotidiani illius tributi obliuisceretur.

In quotidiano tributo Virgini persoluendo quàm diligens S.Bonauentura fuerit, satis constat, cùm habeamus quid alijs præscripserit: iniurij enim erimus tanto Virginis amatori, si existimemus eum segniùs fecisse, quàm alijs commendasse, quæ vergerent ad cultum Dominæ suæ amantissimæ. neque enim sanctus vir (vt de S.Benedicto dicebat S.Gregorius) potuit aliter docere quàm vixit. Is ergo in Epistolâ 25. memorialium, in memoriali 13. sic ait: *Vt gloriosam Reginam, Domini nostri Matrem, in summo habeas omni tempore venerationis affectu, & in cunctis ad eam necessitatibus, & periculis, & pressuris, tamquam ad refugium tutissimum te conuertas, ipsius tutelæ præsidium flagitando; eamq́; in tuam suscipiens Aduocatam, deuotissimè ac securè tuam ei causam committas, quia mater est misericordiæ; quotidie studens ei specialem & singularem reuerentiam exhibere.*

Specialis quotidie cultus.

Mille & centum genuflexiones quotidie.

Mirabile Virgini MARIÆ persoluebat hyperduliæ tributum Maria Ogniacensis, de quâ in Vitâ ipsius Iacobus de Vitriaco, S. R. E. Cardinalis, ipsius coætaneus. Aliquando intra diei & noctis spatium millies & centies flectens genua, salutabat Deiparam; & hoc salutandi officium ad quadraginta dies continuabat in hunc modum: Primùm, sexcenties flectebat genua sine intermissione; deinde, integrum Psalterium stans legebat, & ad singulos Psalmos Deiparæ flexis genibus Salutationem Angelicam offerebat: tum trecentis vicibus ad singulas genuflexiones virgâ se percutiebat, & tribus vltimis ictibus copiosum è suo corpore extrahebat sanguinem: tandem quinquagies simpliciter flexis genibus sacrificium hoc consummabat. Eadem quotannis Ecclesiam Deiparæ Ogniacensem, ad duo milliaria dissitam, rigente hieme, nudis pedibus, vnâ ancillâ comite inuisebat, & illo die ac sequenti nihil prorsus edebat, totamque noctem peruigil in Ecclesiâ exigebat. quâ in viâ flexuosâ, nec satis sibi cognitâ, lumine quodam præeunte, & Angelis eam dexterâ læuâque sustentantibus, numquam errabat, & inter imbres cælo interdum ruentes intacta redibat.

S.Ber-

Visitatio quotidiana imaginis.

S. Bernardinus Senensis imaginem Virginis supra ciuitatis Senensis portam, quam Camolliæ dicunt, elegantissimè depictam per multos annos quotidie inuisebat, ac flexis nudisque genibus preces Virgini offerebat: deinde quotidie recitabat Virgini coronam sexaginta trium Salutationum Angelicarum. quod sibi gratum esse ostendit inter recitandum apparens B. Virgo; ac dicens: *O mi deuote famule, multùm mihi complacui in tuâ deuotione; ecce quia me hac coronâ quotidie honorasti, impetraui à Filio meo tibi gratiam miracula faciendi, & prædicandi: & tandem scias te in cælo mecum sine fine lætaturum, participem meorum gaudiorum.* Hæc Pelbartus in Stellario lib. 2. part. 2. art. 3.

Corona quotidiana recitatio.

Elisabetha Clara Eugenia, sæpiùs mihi inter magna pietatis nomina commemoranda, quòd familiariùs cognouerim quæ pari studio edere & abscondere studebat exempla sanctitatis, non citiùs à me intellexerat mancipiorum esse, tributi pensitatione testari suam Deiparæ seruiendi voluntatem, quàm procurauit Supplicationem generalem annuam, pensitans tributi loco centum florenos quotannis inter Canonicos & Religiosos eam comitantibus diuidendos, & trigintatres libras ceræ virgineæ ante imaginem B. MARIÆ Virginis de Bono successu, in honorem annorum, quibus Seruator nobiscum conuersatus est in terris, accendendas. Quæ cùm generositatis ac pietatis ipsius heres Serenissimus Ferdinandus Infans Cardinalis hactenus pendere continuarit, & prætereà annuâ dotatione stabilire receperit; sine vllâ dubitatione confidendum est, Virginem MARIAM ijsdem cælestibus benedictionibus aucturam nepotem, quibus amitam tam mirabiliter locupletauerat. Spei huic meæ pænè addidit certitudinem, beneficiorum maximorum fundamentum, insignis eius Virgini se totaliter consecrandi voluntas; quâ iam multoties stupui Regiam eius magnitudinem, quantò demissiùs subiectam Deiparæ, tantò altiùs supra humana omnia exaltatam. Sunt qui regias virtutes sibi fœdæ adulationis faciunt occasionem: hi verba Principum obseruantes, si quid dictum sit, quod possit in bonum aliquem sensum detorqueri, id exaggerant, apophthegmatis asscribunt; & pænè Deum faciunt Principem, quia semel dixerit, qualia semper eum facere oporteret, si hominem se satis meminisset. Ego non ita pretiosos habeo Principes, vt censeam eorum dicta factis aliorum præferenda: si quid tamen dictum ab ijs sit, quod clarè ostendat latentem intus affectum, atque sincerum de pietate atque virtutis exercitatione iudicium, id non iudico posteritati inuidendum: vt ipsa, contra mechanicam nescio quam Politicorum quorumdam stoliditatem, habeat non solùm diuinam Euangelij doctrinam, sacrosancta Ecclesiæ decreta, certissima Theologorum placita, sed etiam Regum Principumque dignissima apophthegmata, quibus balatronibus istis os possit occludere. Quo in genere cùm nuper exemplum ediderit illustre Regia Ferdinandi Infantis generositas; hîc censui recensendum, vt posteris prosit tam sapientis Principis iudicium ad exercitia pietatis. Cùm enim anno 1637. de more ipsum inuitarem ad Supplicationem mancipiorum; adderemque eum mancipium esse B. MARIÆ Virginis, ac proptereà tributi pendendi admonerem: Ego verò sum, inquit, mancipium, & libens tributum pendam, imò assignabo vnde quotannis desumatur ista pecunia & cera, quæ me testetur mancipij officio Virgini Deiparæ deseruire. Verba calamus potuit exprimere; sensum autem pietatis, quo tantus Princeps ea pronuntiabat, & quo me audientem perfundebat, neque ego dicam, neque puto hæc legentium quisquam imaginabitur: poterunt tamen, id quod intendo, à tantâ magnitudine exemplum capere seriò se Virgini Deiparæ mancipandi, & constanter pendendi tributum in signum sui mancipatus.

Cera & pecunia.

CAPVT XI.

Regula tertia.

INTENTIONIS nostræ non est, longa precum & orationum pensa mancipiis præscribere. Qui ergo Rosarium Sodalitati huic proprium, quod breuissimè absoluitur, & Coronam item duodecim stellarum vnà cùm Sodalitatis Oratione quotidie recitauerit; preces omnes, quæ ex Sodalitatis instituto peculiariter persoluendæ sunt, absoluerit.

Explicatio.

Commendat Coronam duodecim stellarum, de quâ tractatum particularem habes Lib. 5. item repetitionem Orationis eius quæ pag. 302. habetur, & recitationem Rosarij mancipiorum: cuius hîc legendi ratio breuiter videtur describenda. Constat enim Corona hæc mancipiis propria, quam & Rosarium appellare nil vetat, septuaginta duabus sphærulis minoribus in honorem septuaginta duorum annorum, quibus Virginem Deiparam nobiscum vixisse hanc vitam mortalem asserunt Epiphanius, Cedrenus, Dionysius c. 3. de Diuinis nominibus, & alij SS. Patres & Doctores; octo prætereà sphæris maioribus eo collocatis ordine, quo id quod per antonomasiam Rosarium appellamus, signa habet quibus Orationem Dominicam imperat recitari. Atque vt modum, quo recitari id debet, certâ methodo tradamus; animaduertendum, ad signa minora repeti debere toties hæc sola verba, *Aue Maria*; ad maiora verò hæc, *Aue Maria gratiâ plena*; idque fit in minoribus septuagies, in maioribus verò sexies. Iam verò crux, & globuli qui versus eam ascendunt, particularem habent rationem: in primis ad sphærulam maiorem dicitur, vt ad alias, *Aue Maria gratiâ plena*; ad minorem quæ ascendit, estque septuagesima prima, etiam hæc sola verba *Aue Maria*; ad sequentem, quæ est septuagesima secunda, dicitur *Aue Maria* totum. His ita absolutis, iterùm resumitur sphærula illa maior, quæ quodammodò crucis pedem facit, diciturque ad eam,

Modus recitandi Rosarium mancipiorum.

Aue Dei Patris Filia:

ascendendo ad minorem, quæ est septuagesima prima, dicitur,

Aue Dei Filij Mater:

iterùm versus crucem ascendendo ad eam quæ est septuagesima secunda; dicitur,

Aue Spiritus sancti Sponsa:

ad maiorem sphæram, quæ ascendendo sequitur, dicitur,

Aue Templum Sanctißimæ Trinitatis.

Iam crux tribus constat partibus: ad imam dicitur,

Aue Virgo sacratißima absque omni peccato originali concepta:

ad partem transuersam crucis dicitur,

Pater noster, vsque ad finem:

ad partem superiorem & vltimam,

Aue Maria, vsque ad finem.

Atque hic est modus recitandi hoc Rosarium adeò breue, vt neminem facilè excusaturæ sint occupationes, quin hoc possit quotidie absoluere.

De Oratione Sodalitatis repetendâ quotidie.

NEC mirum videri debet, quòd præscribamus Orationem & oblationem, quâ nos semel dedicauimus Virgini, quotidie instaurandam, cùm Apostolus tam seriò moneat: *Renouamini spiritu mentis vestræ.* Nam si corpus, quod corrumpitur, aggrauet animam, & mens pondere isto, licet eam semel in altum vsque ad ipsam beatæ MARIÆ Virginis familiam eiusque sincerum famulatum sustulerimus, semper deorsum trahatur, paulatimque subsidat, ac tandem, nisi prouideatur, terræ suæ adhærescat; faciendum est quod in horologiis vsu venit, vt quotidie, sublatis ponderibus, de integro cursum suum incipiat, ne cesset diuina ista operatio, quâ publicè nos monstrabamus vera Deiparæ mancipia: vt sic æquabiliter semper decurrat per sua distinctum obsequia, tamquam per certas spatiorum

Innouandum sæpius propositum.

Ephes. 4. v. 23.

instar horologij.

ſpatiorum moras, vitæ noſtræ horologium. Ad quod lib. 22. Moral. cap. 4. nos ſic exhortatur ſanctus Gregorius: *Si flacceſcere ab inchoatis bonis nolumus; valdè neceſſarium eſt, vt inchoare nos quotidie credamus.* Augebitur enim quotidie deuotio per hanc noſtræ conſecrationis innouationem; & memoriam præterea renouabimus tantæ gratiæ, quam nobis præſtitit Virgo Deipara, quòd indignos aſſumpſerit in ſuam familiam; vnde creſcet gratitudinis affectus; & confirmabitur tandem in propoſito ſuo voluntas, renouando primum ſeruiendi B. MARIÆ Virgini deſiderium: quod præſens erit contra dæmonis tentationes remedium, quibus ſolet nauſeam quamdam & tædium creare Virginis mancipijs in hoc ſanctiſſimo famulatu: fiet enim, vt iſtâ quotidianâ inſtauratione propoſiti, etiam cum fœnore recuperetur, ſi quid erat ex eo dæmonis tentatione deperditum. Si quis magis varietate orationum delectetur, vt diuerſis verborum & affectuum condimentis temperet primam iſtam ſeruiendi Deiparæ voluntatem; en diuerſam pro ſingulis hebdomadæ diebus orationem ſubijcimus.

CAPVT XII.

ORATIO PRIMA, *ſiue doxologia* B. MARIAE *Virginis.*

PRO DIE DOMINICA.

DOMINA mea, vita mea, & laudatio mea, dignare me laudare te; impetra mihi lumen in corde, verbum in ore, vt cor meum meditetur gloriam tuam, & lingua mea toto die cantet laudes tuas. Sed quia non eſt pulchra laus in ore peccatoris, & quia vir pollutus labijs ego ſum; fac vt mundetur cor meum ab omni inquinamento, & vt ſanctificer interiùs & exteriùs, vt dignus fiam laudibus tuis. Laudate nomen Dominæ, laudate ſerui Dominam. Quid iuſtius, quid dignius, quid gratius, quàm laudare ſeruos Dominam? *Etenim ſi non laudauerint*, inquit S. Auguſtinus, *ſuperbi, ingrati, irreligioſi erunt.* Quantum mihi oneris eſt impoſitum, ex eo quòd ſeruus & mancipium tuum exiſtam! Si non laudauero ſeruus Dominam, iam ſententia lata eſt; ſuperbus, ingratus & irreligioſus ero: interim quomodo laudes tuas præſtantiâ ſingulares, magnitudine immenſas, multitudine innumerabiles, ego nullius pretij mancipium audebo attingere? Nullâ ratione auderem, Domina mea, niſi benigniſſimè inuitarer ab humanitate tua, quæ cupis ex ore infantium & lactentium, imò ex ore miſerorum & peccatorum, perfici laudem tuam. Primum igitur cum ſanctis amatoribus & laudatoribus tuis dico, & cum interno animi gaudio pronuntio, quòd [a] eâ puritate tu niteas, quâ maior ſub Deo nequit intelligi: [b] quodque Mater Dei cùm ſis, dignitatem obtineas propemodum infinitam; atque ideò, [c] ne, ſi omnes quidem toto orbe diſperſæ linguæ in vnum coëant, tuas laudes oratione conſequi poſſent, cùm ipſa omnium encomiorum leges excedas: [d] cui prædicandæ neque hominum lingua neque Angelorum eſt ſatis: [e] tanta ſiquidem eſt tua perfectio, vt ſoli Deo cognoſcenda reſeruetur; [f] vt propterea ſolius Dei ſit, te pro dignitate laudare. Sublimia ſunt hæc; ſed tamen vera tua, ô Mater Dei, encomia. quæ ego geſtiens & exultans audio, & gratulabundus tibi ore lætiſſimo pronuntio, imò ex intimis medullis in hæc verba prorumpo: Laudatiſſima Virgo, & Domina mea, nullum mihi exercitium gratius, nulla iucundior occupatio, quàm poſt laudes Dei mei tuis me magnalibus celebrandis impendere: quapropter promptè & liberè orbi vniuerſo declaro, & quantâ poſſum mentis vociſque contentione deprædico laudes tuas, magnitudinem, præſtantiam, magnificentiam planè ſingularem. Domina mea (cum gaudio repeto) Domina mea, Mater Dei es, Regina cæli & terræ, porta cæli, paradiſi ianua, ſtella maris, ſolatium mundi, peccanti refugium, naufraganti portus, auxilium periclitanti, erranti via, deſperanti ſalus. Dulcia ſunt faucibus meis

Laudanda eſt ſeruis Domina.

[a] Anſelm. de Concept. cap. 8.
[b] D. Tho. p. 4. q. 26. art. 6. ad 4.
[c] Damaſc. Orat. 2. de Aſſumpt.
[d] Epiphan. Orat. de Laud. Virginis.
[e] D. Bern. Senenſ. To. 2. Sermone 51. art. 3. c. 1.
[f] Andreas Cretenſis Orat. 1. de Dormit. Deip.

Varia B. MARIAE Virginis epitheta.

meis hæc encomia tua, quæ mihi misericordiæ tuæ dulcedinem significant: cùm enim id, quod in te es, mens mea peruidere non possit; gaudet saltem id, quod nobis es, grato animi affectu commemorare. Tu enim mundi interuentrix, interemptrix peccati, diaboli terror, & spiritualibus nequitijs pauor. Tu rursus tabernaculum testamenti, arca fœderis, templi propitiatorium, thronus Dei: quæ ego dum recenseo, mihimet incredibiliter complaceo, quòd Dominæ seruiam, quæ istis & infinitis alijs nominibus parem habeat dignitatem. O vtinam vel commemorare ego possim omnia, vel quidquid mundus vniuersus sinu fouet, in linguas mutetur, vt omnia loquantur laudem Matris Dei mei! Et quid moror? si piâ consideratione per omnia discurram, tot inueniam Dominæ meæ epitheta, quot erunt creaturarum nomina. Tu enim hortus conclusus, fons signatus, porta clausa, rosa redolens, lilium candens, flos nitens, virgula fumans, terebinthus se expandens, campus germinans, terra pullulans. Et, si cælos conscendam, tu es ibi gloriosa aurora consurgens, lucifer rutilans, lunâ pulchrior, sole splendidior, arcu cælesti amœnior. Tu deniq; auro purior, gemmis pretiosior, balsamo suauior, margaritis carior, nectare dulcior, omni harmoniâ delectabilior. Exultat cor meum sincero gaudio, ô Virgo omni laude dignissima, ad singulas hasce voces laudum tuarum; & hoc maximè gaudeo, quòd, cùm tanta tamque insignia de te commemoro, nullâ tamen ratione attingere possim dignitatem tuam: mira enim dicta sunt de te, & mira dicentur à seruis tuis; sed tu manebis semper maximè stupendum supra mirabilia omnia miraculum. Audiat cælum & terra, & mecum enarret quæ non capit Dominæ meæ prodigia: ipsa enim est incircumscripti circumscriptio, Creatoris Mater, nutrix omnia nutrientis, omnia continentis complexio, gestatrix eius qui verbo portat vniuersa, impollutum illius indumentum qui lucis vestimento circumfunditur, quæ Deo nullius rei indigo carnem mutuauit, quam ipse non habebat. Obstupesce natura, & lauda eam mecum, quæ omnes tuas leges gratiâ succollante est prætervecta: illa enim est sine corruptione fecunda, sine grauamine grauida, sine dolore puerpera. Admiretur sanctitas & virtus, Dominamq; meam glorificent mecum Sancti omnes, virtutis alumni: illa enim est, in quâ mirabili consensione omnes, quantumcumque videantur pugnantes, virtutes conspirarunt, vt nihil pudori venustas, nihil grauitas demissioni, nihil comitas grauitati, nihil maiestati simplicitas, nihil constantiæ facilitas, nihil denique (rem inauditam!) matris nomen virginitati detraxerit: omnes in eâ pariter certabant virtutes, omnes vincebant. Cognoscat gratia, quique eâ primi creaturarum omnium donati fuerunt Angelici spiritus, exultent & glorificent Dominam meam, cui auctor & largitor omnis gratiæ subiectus fuit, vt de plenitudine eius quantum vellet hauriret ea quæ erat donorum cælestium auidissima. Laudet te Virgo MARIA creatura omnis: quia super omnem creaturam ab ipso Creatore fuisti exaltata. Laudet te Filius tuus, qui sibi laudi ducit, habere se matrem ita honorificatam. Laudet te Sanctissima Trinitas, quæ te sibi tam arctâ cognatione deuinxit, vt Patris Filia, Filij Mater, Spiritus sancti Sponsa existeres. O vtinam omnem ego seruorum tuorum qui te laudant in terris, omnem Sanctorum qui te glorificant in cælis, affectum & facultatem hoc vno corde meo concludere valeam, vt tibi possim debitas laudes persoluere, à quibus nullo deinde momento velim cessare! Vitâ enim meâ, & omni vitæ solatio, mihi dulcior est laus tua, Domina mea, ex quâ tanta in Deum meum redundat gloria. Cùm enim, quid Deus meus sit, nullâ ratione percipiam, non possum nisi per creaturas ad laudem eius ascendere, vt in ijs & per eas ipsum glorificem. Vbi autem impendam laudem istam rectiùs, quàm laudando te propter Deum, qui te adeò fecit laudabilem;

Virtutes in speciem contrariæ consentiunt in Virgine.

dabilem, & Deum laudando in te, qui te fecit infinitæ laudabilitatis publicum argumentum? Sis ergo, ô Domina mea, in æternum benedicta, quia benedictus fructus ventris tui: sis omni momento laudata, quia ita est voluntas eius, qui solus meretur laudem propter se: sis gloriosè exaltata Domina, quia exaltauit & glorificauit te Deus meus: cui enim ille benedixerit, erit benedictus; & quem ipse laudauerit, erit laudatus. Vtinam omnia ingenia, omnes calami, omnes linguæ posthac id solùm in terris agant, vt concipiant, vt describant, vt eloquantur laudes tuas, & eius qui tibi omnem earum dedit materiam Domini nostri Iesv Christi Filij tui.

Capvt XIII.

Oratio secvnda,

siue protestatio coram beatâ* Maria *Virgine, quòd velit quis sincero corde, nullâ spe commodi propositâ, vt humillimum mancipium ei inseruire.

Pro die Lvnæ.

O Sanctissima & purissima semper Virgo Maria, Patris æterni Filia, Filij Mater, & Spiritus sancti Sponsa, ego humillimum & abiectissimum mancipium tuum, ex certo & constanti mentis decreto me in clementissimum ac pientissimum misericordiæ tuæ sinum coniicio, ibi me abscondere, ibi me mihi exuere, ibi me totum abdicare desidero; planeque ex animi sententiâ pronuntio ac protestor, velle me tui iuris esse, desiderare me in seruitium tuum admitti, exoptare me inter mancipia tua annumerari, neque habere me velle dominum aliquem, præter Filium tuum; neque agnoscere dominam, præter te vnam. Stat Filij tui vnius tuamque gratiam aucupari, vestrum tantùm amorem ambire, vobis ex toto animi affectu, ex totis corporis viribus deseruire, ac nominatim tibi Dominæ meæ, ô Virgo sacratissima, benè iuuante Filio tuo, me in mancipiorum tuorum Sodalitate deuouere, vt tibi seruiam ex toto corde, licet nullum inde exspectarem commodum vel emolumentum. Igitur coram regiâ tuâ Maiestate statuo te amare & colere, non eâ causâ, vt pœnas & verbera, ignauis & fugitiuis mancipiis debita, euadam; non vt inferorum diros cruciatus effugiam; non quia vtilissimum iucundissimumque est tibi famulari; non quia mancipia tua materno affectu inter vitæ huius labores solaris; non quia sæculi alterius voluptates certo prædestinationis dato pignore adpromittis: sed quia tu Mater es Dei mei; id est, quia tantâ dignitate, sanctitate, auctoritate omnibus omnino creaturis præcellis, vt omnes quasi nihilum sint in tui comparatione: ac proinde quia, infinitis ex vnicâ illâ diuinæ maternitatis dignitate resultantibus titulis, mereris vt tibi à creaturis omnibus post Deum, & propter Deum Filium tuum seruiatur, tibi vni post illum operam dare, te vnam consectari, te vnam amore meo complecti desidero. scio enim te eâ gratiâ nitere, quâ maior sub Deo nequit intelligi: agnosco te, quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili fuisse immersam: perspectum habeo denique, hanc esse voluntatem illius qui omnia nos voluit obtinere per te. Quare tibi me do, dedo, dicoque æternum, tam ex animo atque intimis medullis, vt propositum sit, propter Filium tuum, & propter te, spe omni & timore posthabito, seruire tibi constanter in humillimo mancipatu, licet æternùm victurus essem. hoc est consilium, hoc est decretum, hæc est voluntas mea. Rogo te Domina, & suppliciter deprecor, vt, si quid tibi in eâ placet, hoc mihi largiaris tantummodò mercedis, vt consilium sit stabile, decretum firmum, & voluntas sempiterna. Ceterùm si me, quod ex benignissimo ingenio tuo soles, solatijs demulces, sis, ô Domina mea benedicta, quòd etiam erga me omnium indignissimum mancipium tuum non desinas obsequi naturæ

Bona quæ eueniunt cultoribus B. Mariæ Virginis.

Dignitas maternitatis Dei.

naturæ tuæ: si verò ærumnis & laboribus me finis opprimi, si corpus morbis & doloribus excruciari, si mentem scrupulis & anxietatibus excarnificari; sis iterùm, Domina mea, iterumque benedicta, quòd perfici in me finas tuam & Filij tui voluntatem. Meum est tibi in prosperis & aduersis prompto animo seruire; idque faciam dum viuam: tuum erit de famulo, ex permissâ tibi à Filio potestate, disponere. Dispone de me, Domina; ecce paratum cor meum pro secundis, ecce paratum cor meum pro aduersis. Instrumentum est famulus in manu dominæ suæ; sim ego, Domina, mancipium tuum ac instrumentum quomodocumque promouendæ gloriæ tuæ: gloriosa mihi erit vita omnis acta in tuo famulatu; iucunda mors erit, si, quod opto, contingat mihi mori in seruitio tuo. Testes inuoco hodie cælum & terram, spiritus omnes beatos ac Cælites, hanc esse mentem & voluntatem meam: omnesque contestor & supplex rogo, vt à te & Filio tuo mihi impetrare dignentur, vt augmentum sumat quotidie hæc voluntas, & magis magisque accendatur conceptus amoris tui ignis. Ad te autem, suauissima Domina, iterùm me conuerto, oroque digneris admittere hanc animi mei denuntiationem, opemque ad rem præstandam impetrare; quandoquidem sine tuo patrocinio nihil ego possum: tu enim sola aquæductus es, per quem gratia omnis ad nos deriuatur. cuius rei probè conscius ad aram tuam confugio, tibi me measque reculas committo, tibi me totum permitto, denique me meaque omnia in sinum misericordiæ tuæ conijcio. tu me, quæso, recipe, Domina mea, amplectere spes mea, arctissimè tibi me astringe ô Mater mea amantissima. Atque hoc fine & scopo constitui publicè, relato in album tuorum mancipiorum nomine, me tibi peculiari ratione in seruum ac mancipium consecrare, meque talem ore, vitâ ac etiam externis hisce mancipatus mei compedibus ac signis profiteri. quæ in honorem tuum, ô Domina mea, exosculor ac lubens recipio, paratus vbique me gerere ac profiteri mancipium tuum. Quòd si fortassis aliquando præpediar, ne id ore ac signis exterioribus præstem; fert tamen idem animus, quem nunc etiam declaro, in istud studium interiore saltem curâ incumbere, quouis temporis, imò æternitatis momento, ac præsertim in extremâ vitæ scenâ; denique mancipatum hunc tuum etiam in alijs promouere eo conatu & modo, quo maximo præstantissimoque ego aut quiuis alius assequi possit, & quem tu intelligis præstari à quopiam posse. Hunc animi mei sensum ex hac horâ tibi offero, simulque te medullitus obtestor, vt pro tuâ bonitate ac misericordiâ annuere digneris. Amen.

CAPVT XIV.

ORATIO TERTIA,

siue humillima obsecratio, vt contra mala omnia nos Virgo accipiat in suum mancipatum; facta occasione Statuæ B. MARIAE DE REMEDIIS, *quam oppido Thenensi intulimus.*

PRO DIE MARTIS.

Peccatoris miseria.

SALVE Mater Dei, Virgo sacratissima, malorum omnium remedium, cui ego me præsentem sisto, malis omnibus prægrauatum: ecce enim vt ventrem terræ affigat malè ordinatarum passionum pondus; cerne vt collum premat longa peccatorum catena; adspice vt naufragum fluctibus suis ac procellis iactet mundi vanitas, captiuum teneat diaboli crudelitas, viuumque quodammodò deglutiat inferni rabies. Ad te igitur, Mater misericordiæ, vnicum malorum istorum remedium, ego infelix accurro, supplicans atque obtestans, vt miserrimâ hac conditione per te exire liceat, atque in alium vitæ statum demigrare. nec tamen seruitutem mutare volo, sed dominum: seruus sim, famulus sim, mancipium sim, ô Virgo, sed Dei mei & tuum. Satis præclarè mecum fuerit

fuerit actum, si te accepero Heram ac Dominam; si, excusso passionum, peccatorum, mundi, diaboli, inferni iugo, tu imposueris tuum. quod ego lubenti animo accipiens, obsequiorum meorum primitias offeram verba illa, quibus te Verbi incarnationem annuntiaturus Angelus salutabat, *Aue Maria.* Sed quid ego video, Domina mea amantissima? te scilicet ad voces hasce ab Angelo pronuntiatas expauescentem. Quid ergo? si peccatorum omnium nequissimus, quem ego me esse fateor, illa protulerit, quâ formidine concutieris? quo pauore contremisces? quonam horrore conturbaberis? Et tamen numquid tu illa, quæ peccatorum refugium & dici amas, & esse desideras, numquid voces eorum & gemitus tu soles, ô Mater, clementer exaudire, & misericorditer præuenire? Scio, scio te, Domina mea, eo nunc in statu esse, qui nullo timore possit concuti: scio nec pauorem nec dolorem ipsum accessum habere ad tabernaculum tuum: sed & illud scio; si quis in te timor caderet aut metus, expauesceres certè voce meâ excitata ad aspectum miseriarum, quibus me obrutum cernis; timeresque, vt, adimpletâ fortè peccatorum meorum mensurâ, aliquis superesset gratiæ impetrandæ locus. Quod si ita est, Domina mea, Hera mea, &, si pateris, Mater mea; tantò ad te recurro citiùs, clamo altiùs, precor feruentiùs, vt tantâ in necessitate auxilium non differas, voces non spernas, orationem non abiicias, ô Mater misericordiæ: nec enim tu eam præbere te posses, sine meis aliorúmve miseriis. Sim ego igitur ex eorum numero vnus, quos singulari patrocinio foues, quos mancipiorum tuorum albo inscribis, quorum cordibus regia tua insignia insculpis, quorum animis seruitutis tuæ clauum inuris, qui eos semper exstimulet efficaci salutis æternæ tuique amoris desiderio. hoc si contigerit, satis mea mihi quidem tuta erit æterna salus; nec tu, vt fortè sim vnus ex massâ reproborum, cùm fuero ex numero tuorum, formidabis. Fateor quidem, & lubens fateor, nullis me posse obsequiis eum locum inter tuos peculiares seruos promereri; sed per illum, quo tu Filium tuum diligis, amorem te rogo, vt etiam immerentem, etiam indignissimum, etiam contraria omnia merentem & suppliciis dignum, recipere digneris in famulum tuum & mancipium perpetuum. Certus enim sum, quòd omnia bona pariter mihi cum famulatu hoc euenient: & quòd per bona opera, obsequia scilicet tua, ita certam faciam vocationem meam, vt, diuinâ aspirante gratiâ, te patrocinante, in horâ mortis misericordiam sim consecuturus, & aduersus ea, quæ tum maximè incursant, mala remedium. id quod mihi per preces tuas, Domina mea clementissima, concedat Filius tuus Dominus meus IESVS CHRISTVS. Amen.

CAPVT XV.

ORATIO QVARTA,

siue feruentissima obsequij sui delatio.

PRO DIE MERCVRII.

VTINAM, Virgo sanctissima, dilataretur mihi cor in eam amplitudinem, quam olim desiderabat dilectissimi Filij tui figura Salomon, quod scilicet attingeret à mari vsque ad mare, & ipsam cæli empyrei vinceret capacitatem; vt totum illud, secundùm omnem suam latitudinem, amori, honori & obsequio tuo impenderem! Sed cùm ista mihi desit capacitas, non deerit profectò humilitas, quâ me ante thronum Maiestatis tuæ profundissimè demitto, tibique ex intimo cordis affectu offero omnem honorem & obsequium, quo te ab ipsâ mundi constitutione coluerunt spiritus Angelici, qui te nascituram præuidebant; omnes pij Adami filij, qui in fructu ventris tui spem salutis suæ repositam habebant; omnes tibi singulariter dilecti, qui in particulari obsequij, famulatus ac mancipatus tui professione miram prædestina-

ſtinationis ſecuritatem defigebant. & ſuper omnia, offero tibi honorem illum atque obſequium meriti infiniti, quod Filius tuus dignatus eſt præſtare tibi, exhibens ſemetipſum exemplum, quod imitemur in colendâ Maieſtate tuâ. Offero prætereà omnia officia, obſequia, omnes inuentiones colendi te, quas vllus vmquam intellectus imaginabitur, & omnia quæ tu tibi grata fore agnoſcis; vniceque deſidero & concupiſco omnia ſolus tibi deferre. Suſcipe hoc pium & verum cordis deſiderium, Domina auguſtiſſima, ab omnium mancipiorum tuorum indigniſſimo; vtque tibi gratum ſit obſequium, finge cor illud deferentis ad tuam Filijque tui ſanctiſſimam voluntatem.

CAPVT XVI.

ORATIO QVINTA,

ſiue deſiderium perſeuerantiæ in beatæ MARIAE *Virginis mancipatu.*

PRO DIE IOVIS.

VIRGO ſanctiſſima, Patris æterni amantiſſima Filia, Filij eius vnigeniti Mater, & Spiritus ſancti Sponſa, templum Sanctiſſimæ Trinitatis, Angelorum Regina, gloria Beatorum, iuſtorum gaudium, remedium peccatorum; ego eorum omnium nequiſſimus, & fauoris tui indigentiſſimus, cum humillimè imploro, & proſtratus ad ſanctiſſimos pedes tuos, rogo te, vt me in mancipium tuum accipere digneris. In meâ eſſe poteſtate nullâ ratione deſidero, neque vllum voluntatis meæ, vllarúmve ab eâ procedentium operationum habere imperium; ego omnes eas tibi offero, & ſubijcio eo iure habendas, quo ipſe eas poſſideo, vt ita perfectè tuum fiam mancipium. Vocabas tu te ancillam Domini; ego me volo, ſi permittis, mancipium Dominæ vocari: & cùm MARIA ſignificet Dominam, tu mihi ſis, quæſo, MARIA, ſis mihi in poſterum Domina, & ego ero perpetuum tuum mancipium. Offero me ſingulari ratione ad ſeruiendum tibi omni tempore vitæ meæ: & tantæ mihi eſt voluptati & gaudio, perſeuerare in hoc tuo mancipatu, vt ex nunc renuntiem iſti ſeruorum apud Hebræos priuilegio, quo ſeptimo anno ſeruitutis plenam recuperabant libertatem: & peto, vt mihi autem efficaci obedientiâ perforare digneris, in ſignum quòd voluntate meâ me conſtitui mancipium tuum perpetuum, ſine ſpe aut priuilegio vmquam obtinendæ libertatis. Atque vt illud ipſum apertiùs profitear, ſemper ſeruitutis antiquæ ſigna, ſigma & clauum, S. † . cordi appenſa geſtabo: tu illa cordi ipſi ita infigas, vt nullo vmquam tempore deleantur. quod te per tria iſta cordis tui gaudia obteſtor, Domina mea: primum, quo in Bethlehem de puriſſimis tuis viſceribus natum Filium conſpexiſti; deinde, quo eumdem perditum inter Doctores inueniſti; denique, quo eum rediuiuum à morte, prima mortalium adoraſti. Rogo te Angele mi Cuſtos, & vos SS. NN. Patroni & Patronæ meæ, id mihi à Virgine Dei Matre fauoris impetrate, vt me recipere dignetur in numerum mancipiorum ſuorum: rogo vos, ne fideiuſſores huius meæ oblationis eſſe dedignemini. Et, ſi humanâ fragilitate vel inconſtantiâ vmquam quidquam vel de hoc Dominæ meæ ſeruitio, vel de libello repudij, quem hiſce præſentibus mundo, carni, diabolo mitto, reuocauero; rogo vos omnes, quotquot id videritis, vt memorem me reddatis; quòd iam non ſim meus, ſed totus Virginis ſanctiſſimæ, eiuſque amantiſſimi Filij IESV: cui ipſa, cùm eius ſit ancilla, me ſuum mancipium acquiſiuit; & item ſanctiſſimi Patriarchæ Ioſephi, cuius ego, vtpote ſponſæ eius mancipium, non poſſum famulatum detrectare. Atque ita eâdem hac ſchedulâ, quâ me trado mancipatui Dominæ meæ, mancipium me conſtituo totius ſanctiſſimæ eius familiæ, IESV ſcilicet, MARIÆ, & IOSEPHI. atque vt in perpetuum conſtet de hac meâ voluntariâ oblatione, nomen meum referri volo in catalogum mancipiorum B. MARIÆ,

vt

vt & ille,& hæc obligationis meæ schedula, semper testentur me fuisse,& velle in æternum permanere,humillimum Deiparæ Virginis eiusque Sanctissimi nominis mancipium.

CAPVT XVII.

ORATIO SEXTA,

siue gratiarum actio pro acceptis à B.Virgine MARIA *beneficijs.*

PRO DIE VENERIS.

O DOMINA mea Virgo MARIA, per quam;tamquam per canalem & cælestem æquæductum, gratiæ omnes & dona spiritualia & temporalia ad nos deriuantur;ego inter tot alios mortales,pęnè obrutus innumeris beneficijs tuis; sisto me ante thronum Maiestatis tuę,ante quem prostrati Cælites omnes, gratissima commemoratione tibi salutem suam post Deum referunt acceptam : atque hîc profundâ animi demissione Maiestatem tuam, super omne id quod non est Deus,in immensum exaltatam, veneratus, agnosco,ex liberalissimo tuo sinu fluxisse quidquid hactenus beneficiorum ego cælitus accepi : omnia enim per te nobis donare voluit, qui per te nobis à Patre donatus fuit. Quare ago tibi pro omnibus gratias, Virgo; si possem, etiam referrem : sed nec tua æterna felicitas desiderat remunerandi vicem, nec paupertas mea suggerit restituendi facultatem. Æqualium ista copia est ; inter sese esse munificos ; tua beneficia vt maiestate excellunt; ita mutuum non reposcunt. Verùm hæc tua gratuita liberalitas & excellens munificentia non minuit ; sed auget in me gratitudinis obligationem; quòd tu, cùm eâ sis sublimitate supra humilitatem nostram eleuata,ad quam vicissim beneficia nulla mea pertingere possunt ; tamen digneris benefaciendo studium erga te meum prouocare, mecum beneuolentiâ certare ; me denique, qui nihil præter odium mereor, vsque in delicias amare. Gratias tibi ago pro hoc affectu tuo, & pro tot beneficijs, quæ iam inde ab vtero materno ad hoc vsque tempus in me redundauerunt : quòd scilicet,cum respectu ad te & Filium tuum, ex tantâ possibilium massâ ego præcipuè electus fuerim, qui vitæ huius vsuram acciperem : quòd redemptionem, quam Filius tuus Sanguine suo promeritam mihi liberaliter impendit, tu multiplici virtute & precibus, & tempore passionis isto plusquam cruento compassionis martyrio impetraueris : quòd baptismatis & fidei, quòd piæ educationis, quòd conseruationis inter tot animæ & corporis pericula gratiam obtinuerim precibus tuis. Ago tibi gratias, agamque semper dum viuam,Domina mea clementissima, quòd potentibus tuis precibus effectum sit, vt toties eleuatum ad scelera mea iustissimè punienda brachium Maiestas diuina demiserit. O MARIA, quòd hoc ipso momento in profundo inferni, sine vllâ remissionis aut liberationis spe, non crucier flammis æternis, munus agnosco tuum : sæpiùs enim hoc eram promeritus, & lata iam sæpè fuisset sententia ; nisi tu eam intercedendo distulisses. Ob quod vnum beneficium, licet omnibus vitæ momentis, omni corporis animæque contentione gratias tibi agerem ; quid tandem adferrem, quod liberationi isti foret æquale ? Nunc ergo,quàm studiosissimè contentissimeq; possum,tibi corde demisso habeo,nunc læto ore gratias ago pro hisce & tot alijs beneficijs, quæ ex illis tamquam ex fonte riuuli prosiliunt.In quibus,si amplitudinem ; vtilitatem, opportunitatem ; quæ maximè in beneficijs spectari solent ; verbis proponere ; si, quòd à te Reginâ & Dominâ tantæ maiestatis, quòd seruo & mancipio, quòd gratis, quòd vix eâ petenti, quòd tam honorificè sint impensa,velim commemorare; quid ipsa tandem gratitudo adferre poterit, quò possit dignas munificentiæ tuæ grates persoluere? Iam verò si adiungam tot vno in beneficio præstita beneficia, quando Dei pro mundi saluatione ad te legato consensum illum dedisti ; quem tota genibus tuis affusa expe-

expetebat mortalitas; quid dicam, aut quid afferam, quod tacitâ bonitatis tuæ veneratione fit melius? Quid rependam tibi, Virgo castissima, pro eo quòd purissimum sanguinem tuum, vt inde mundi Saluator efformaretur, præbueris? quòd ei nouem mensium hospitium in vtero tuo concesseris, quòd vbere de cælo pleno lactaueris, quòd curâ maternâ educaris, quòd eum in templo puerum, in cruce virum pro genere nostro obtuleris? O MARIA, cùm neque sciam neque possim debitas tantæ gratiæ gratias persoluere, inuoco IESVM CHRISTVM Filium tuum, qui vtique se tibi debere non diffitetur; vt, quoniam diffusa est gratia in labijs eius, dignetur tibi pro me gratias agere, quandoquidem eum pro se iam abundè retulisse tu humillimè fateris. Inuoco Sanctos & Spiritus omnes cælestes, vt, quas tibi incessanter decantant laudes, offerant in gratiarum actionem pro tantis mihi famulo tuo præstitis beneficijs. Ego certè nunc omnia Filij tui collata in te beneficia, omnes Sanctorum siue Angelorum siue hominum laudes, omnes iustorum gratos erga te affectus in vnum collectos pro me defero; atque illis gratissimis tibi officijs hæc mea coniungo, & summâ obseruantiâ & cultu, humillimâ gratiarum actione memorem & gratum animum offero. Neque ego tam in istis beneficijs amo, quòd bona mihi sunt, quàm quòd signa sunt liberalitatis tuæ, & indicia bonitatis Filij tui, à quo ea mihi impetrasti: cui ego gratias ago propter magnam gloriam suam, & tibi, ô Domina, quòd eam mihi benefaciendo dignata sis amplificare. In cuius sinceri animi signum offero tibi eadem munera tua, si quando ad maiorem tuam & Dei gloriam id fecerit, vel auferenda à me, vel aliter atque aliter dispensanda. Prætereà, eâdem quâ pro me, grati animi significatione tibi gratias ago pro omnibus donis, gratijs, priuilegijs per te omnibus Sanctis & Iustis concessis: omnes enim tibi acceptam referunt salutem suam. Gratias ago pro peccatoribus, qui per te pœnæ dilationem, peccatorum contritionem, & sæpè in morte veniam vitamque æternam sunt consecuti. Gratias ago pro animabus in Purgatorio expiandis, quòd à te tam multiplicem accipiant consolationem. Neque his contentus, vt, quantum in me est, factis etiam gratum me exhibeam, totum me tibi, Virgo MARIA, in seruum & mancipium do, dico, addico: volo tibi vitâ totâ, nullam pactus mercedem, diligentissimè inseruire, oculos meos non alibi defigens quàm in manibus tuis, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; tuam in virtutibus exercendis diligentiam intuens & imitans, manibus tuis & liberalitati tuæ mercedem omnem fidens atque committens. eâ solùm re felix, si liceat tibi morem gerere, tibi obsequi, tibi diligentem operam nauare tamquam humile tuum mancipium: quod esse me, & velle ad extremum vsque spiritum permanere, in gratiarum actionem pro omnibus beneficijs tuis, profiteor.

CAPVT XVIII.

ORATIO SEPTIMA,

siue actus imitationis B. MARIAE *Virginis.*

PRO DIE SABBATI.

O DOMINA mea, sanctissima Virgo MARIA, de quâ velut speculo refulget species castitatis & forma virtutis! ô candela posita supra omnium virtutum candelabrum, vt luceat omnibus qui in mundo sunt! ô Virgo, cuius ipsa corporis species simulacrum erat mentis, & figura probitatis; vnde sumere licet exempla viuendi, & in quâ tamquam in exemplari magisteria expressa sanctitatis, quid fugere, quid tenere debeamus, ostendunt! O vtinam dignam virtutum tuarum ideam in animo possim efformare, vt menti proposita augustissima illarum species, eam perpetuò alliciat ad sui imitationem! Commemorare hîc lubet suauissima S. Agnetis verba, quibus pulchritudinem

nem

nem gratiarum & virtutum sibi à Sponso suo concessarum oculis pæne spectandam exhibebat: vt nos velut ex vngue leonem, ex guttâ mare, ex radio solem, ita ex istâ specie possimus tuam pulchritudinem quasi vestigando cognoscere. *Sanguis* IESV, inquit illa, *sponsi mei speciosissimi ornauit genas meas, ipse tamquam sponsam decorauit me coronâ, annulo fidei suæ subarrhauit me, dexteram meam & collum meum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, induit me cyclade auro textâ, & circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis; eius organa mihi modulatis vocibus cantant: mel & lac ex eius ore suscepi, & ostendit mihi thesauros incomparabiles.* Si talis est famulæ species, qualis erit Dominæ? si ita refulget Agnes, quomodo rutilabit MARIA? Aliquam tu, ô Domina mea, famulæ tuæ S. Birgittæ eius scintillam ostendisti, quando ei, S. Ioanne Baptistâ comite, per visum oblata es, redimita caput coronâ pretiosâ, quæ ex septem lilijs & totidem vnionibus contexebatur, capillis protensis, tunicâ splendenti, ac pallio cærulei coloris amicta. O quam te memorem Virgo? non attingit imaginatio, non capit ingenium, intellectus non percipit speciem tam pulchram, tam augustam, tam amabilem; & tamen voluntas vehementissimo accenditur desiderio, non tantùm amandi te, sed etiam currendi in odorem vnguentorum tuorum, vt tuis collustrata radijs, possit & ipsa simili quadam luce refulgere. Dic ergo, Virgo amabilis, quænam isthæc tua species, quæ semel oblata famulæ tuæ, numquam recedet à mente meâ? vel tu comes Virginis Baptista, quâ gratiâ Saluatorem mundo ostendisti, & per baptismum pœnitentiæ præparasti semitas eius; eâ nunc Matris ipsius speciem declara, vt possim ego, ablutis peccati sordibus, simili splendore conuestiri. Audio, nec me fallit certissima Reuelationum S. Birgittę historia, audio te ipsi verbis hisce visionem explanantem; coronâ scilicet designari augustissimum MARIÆ imperium, & in omnes creaturas dominium; septem candidissimis & purissimis lilijs, eius humilitatem, timorem, obedientiam, patientiam, constantiam, mansuetudinem, misericordiam; septem splendidissimis gemmis, virtutum eius singularitatem, munditiam perfectissimam, pulchritudinem decentissimam, sapientiam lucidissimam, fortitudinem robustissimam, claritatem splendidissimam, voluptatem purissimam; capillis expansis significari mentis eius puritatem; pallio cærulei coloris, terrenarum rerum perfectam abnegationem; denique tunicâ aureâ, charitatis ardorem. Accinge te, anima mea, ad ita contemplandam hanc virtutis speciem, vt non admirator tantùm, sed & amator; nec amator solùm, sed etiam sedulus constansque imitator eius fiam. O quis mihi, Domina mea, det, vt idea illa semper hæreat menti proposita, vt possim ad eam vitam meam conformare? Tu coronam gestas, insigne imperij & absoluti in omnes creaturas dominij; ego compedes & catenas induam, indicia humillimi mei in famulâ tuâ mancipatus: tu Domina (per imperium tuum te rogo, & per hanc meam tibi promptissimè famulandi voluntatem) fac eadem indicia mei supra peccata & peccati administros dominij: non aliud cupio diadema regni mei, quàm boias, numellas, compedes, quæ simul me declarent vitiorum dominum, & tuum humillimum mancipium. Quòd si septena virtutum tuarum adiunxeris lilia, tunc ego sublimi feriam sidera vertice, & cum immortalibus certabo de felicitate: cuius nimirum pensum erit, in famulatu tuo lilijs innectere lilia, humilitati timorem, obedientiæ patientiam, istis constantiam, omnibus mansuetudinem & misericordiam. Nec lilijs ego texendis acquiescam: vnionibus illis, quibus ad cæli terræque stuporem venerandum caput tuum exornatur, illis ipsis volo, impetratâ per te à Filio tuo gratiâ, virtutes meas variare: placet prætereà mentis puritas, placet perfecta rerum terrenarum abnegatio, & super omnia placet aurea ista tunica

charitatis. Eia cor meum, quid torpes? quid pigrâ formidine contraheris anime? Si pulchra & perfecta idea est quæ proponitur imitanda, eò plus adhibendum industriæ, plus impendendum laboris, vt quàm fieri potest eam proximè assequaris. O Virgo clementissima, quæ in omnibus actionibus tuis hoc etiam intendebas, vt exemplar nobis & ideam ipsius virtutis præscriberes, fac istam eum seruo tuo misericordiam, vt vestigijs tuis insistere; te sequi, te imitari valeam. Delector enim vehementer, Domina mea, imitatione virtutum tuarum; meque totum huic exercitationi tradere desidero. Nescio enim quâ ratione in te humaniores, & ad imitationem accommodatiores sunt virtutes quàm in Filio: CHRISTVM namque Filium tuum, licet mitem & humilem, tamen diuinitas admirandum reddit; quam intuens fragilis natura, animos deijcit, perculsa nimiâ maiestate: at te, quam nostræ omnino conditionis esse cognouimus, imitabilem magis ducimus. CHRISTI exempla suâ magnitudine nobis quodammodò terrori sunt: at tua omnes suâ lenitate alliciunt, & ad imitationem exacuunt. Atque ideò voluit Deus maximarum virtutum auspicia in te dedicare, ne altiùs earum exordium atque initium repetens terreretur & metum conciperet nostra fragilitas. Tu magnas illas Euangelicas virtutes antiquis sæculis ignotas, humilitatem, virginitatem, paupertatem, aliasque innumeras, etiam ante Filium sectata, eas prima mundum docuisti. Quis enim te, ô Virgo prudens, ô Virgo deuota, docuit Deo placere virginitatem? quæ lex, quæ iustitia, quæ pagina veteris Testamenti vel præcipit, vel consulit, vel hortatur, in carne non carnaliter viuere, & in terris Angelicam vitam ducere? Idem de humilitate, idem de paupertate, idem de alijs Euangelicis virtutibus, quibus tu præfulsisti, licet interrogare: quarum nec habebas præceptum, nec consilium, nec exemplum, nisi quòd vnctio te doceret de omnibus; ac sermo Dei viuus & efficax antè tibi factus sit magister quàm Filius, priùs instruxerit mentem quàm indueret carnem; vt scilicet nobis fores initium viarum Domini. de te enim Mellifluus famulus tuus ait: *Ipsam sequens non deuias, ipsam cogitans non erras*. Quis enim deuiet, aut erret, virtutem ipsam & honestatem sequens? Ego enim sic statuo, si virtus & honestas viua esset & actuosa, quòd ita & viueret & ageret, quemadmodum habemus formam tuam. Et sanè ita decebat, vt tu Mater ijs polleres virtutibus, quas non indecorum esset imitari Filio tuo, vt matrizare diceretur; atque adeò tales oportebat esse virtutes tuas, vt eas imitans Filius, expleret Saluatoris officium. Repetamus hoc, anima mea, & expendamus, quid sit, non tantùm hominem, sed etiam Deum matrizare, vel Matris suæ MARIÆ mores imitari. Audiuisti CHRISTVM Ioannis 14. v. 9. dicentem: *Qui videt me, videt & Patrem meum*. Quæ S. Augustinus verba non solùm de eius diuinitate, sed etiam de humanitate assumptâ putat intelligenda: quia nimirum tantis virtutibus, tantisque cælestibus donis prædita erat ista humanitas, atque ita Dei quasdam conditiones in sese ipsa expresserat, vt Patrem suum satis referret: adeò vt CHRISTVS Dominus noster non tantùm vt Deus, sed etiam vt homo patrizaret. Vnde iam, conuersione factâ argumenti, si CHRISTVS idem non tantùm homo, sed etiam Deus matrizauit (erat enim illa non tantùm puerpera, sed verè Θεοτόκος & Deipara, vnde sequitur, non tantùm hominem, sed etiam Deum virtutes eius imitatum fuisse;) debebat illa certè plures Dei proprietates & conditiones, ipsius Dei beneficio, ita imbibisse, vt illi proportione quadam simillima foret. Quem iam pigeat illud sibi virtutum exemplar proponere, cui se Filius Dei non dedignatus est assimilare? O Domina mea, liceat tantarum virtutum sublimitatem humillimo mancipio tibi gratulari; liceat in istâ pulcherrimâ tuâ specie exultare; liceat tantum virtutum stuporem admirabundâ voce interrumpere: *Quàm pulchra es*, Domina mea, *quàm* Cant. 4. v. 1

pulchra

Cant. 1. v. 9. Cant. 4. v. 7.

pulchra es! oculi tui columbarum. Pulchræ sunt genæ tuæ ſicut turturis. Sed quid enumerare incipio? *Tota pulchra es,* ô Domina mea amantiſſima, *tota pulchra es.* Sparge, quæſo, ſparge pulchritudinis tuæ radios, & illuſtra faciem & vitam meam vniuerſam, vt me veſtitum modeſtiâ, humilitate, pudicitiâ, cæteriſque tuis inſignibus, omnes agnoſcant eſſe de familiâ tuâ mancipium: vnde fiat, vt propter nominis tui reuerentiam violare me reformidet omnis inferorum nequitia; & vt Filius tuus in horâ exitus mei me agnoſcat ex iſtis tuis inſignibus eſſe famulum tuum, atque inter domeſticos collocet in cælis: vnde nemo excluditur, qui tibi voluerit per virtutum tuarum imitationem famulari. quod ego poſthac firmiter propono. Tu Domina confirma hanc mancipij tui voluntatem.

CAPVT XIX.

Regula quarta.

MANE è lectulo ſurgentes, ſeſe in genua abijciant Sodales, Deoque, quòd illam ſibi, quâ ſalutem ſuam operentur, lucem conceſſerit, gratias agant, orentque, vt dignetur eos & illo & omnibus vitæ ſuæ diebus à peccatis præſeruare, ac diſpiciant, quibus potiſſimùm hunc velint bonis operibus ex officij ſui ratione, diuinâ aſpirante gratiâ, dedicare, nominatim, quoduam ſeruitij genus Dominæ ſuæ cupiant eo die impendere: tum catenulam exoſculantes, vel breui iaculatoriâ, vel ipsâ Sodalitatis oratione ſe mancipia profitebuntur.

Explicatio.

Cùm nihil Deo gratius ſit ipsâ gratitudine, nullumque efficacius medium ad noua ab ipſo conſequenda beneficia, quàm pro acceptis gratias agere; ea maximè virtus neceſſaria eſt mancipijs: quæ ideò ſeruiunt, vt magnos congregent gratiarum theſauros. Fit autem hæc gratiarum actio, pro ſingulis tam generalibus quàm particularibus beneficijs, quæ verbis affectu plenis quemque oportet deſcripta habere, vt non poſſit eorum obliuiſci, vtque repetat ea coram diuinâ Maieſtate ſæpiſſimè. Quotidie autem, manè nominatim, gratiæ redduntur pro accepto iſto tempore ſalutem ſuam operandi: quæ res, ſi ſuis æſtimetur ponderibus, donum profectò eſt poſt pauca ponendum Dei beneficia. Tempori enim, præſertim illi quo Chriſtianis hominibus peccata deflere, gratiam Dei acquirere, cælum lucrari licet, qui pretium ponat, nondum inuentus eſt: & cùm illud Deus tibi etiam hodie conceſſerit, poſtquam toties dilapidaſti, quo affectu gratias ages? quàm feruentibus precibus eius efflagitabis opem, ne peccatis impendas rem tam pretioſam? quàm diligenter de eo diſpones, ne te particula boni diei prætereat, ordinando in ſingulas horas, quibus officijs Dei ac Dominæ tuæ Deiparæ gratiam promereberis? Vbi certum aliquod deſignandùm eſt illo die obſequium, vel, ex dictis ad Regulam ſecundam, repetendum quotidianum tributum, & proponendum illud iſto die infallibiliter pendere. Vt autem breuiter dicam, percurrendum eſt ſuum cuique quotidianæ exercitationis commentariolum, proponendùmque accuratè obſeruare quæ iſtic ſibi ipſe præſcripſit. Nam etiam ij qui ſolâ rationis face illuſtrati virtutem ſequebantur, magnum ad ipſam aſſequendam momentum in eo ponebant, vt quis res agendas, agendarumque modum præuideret. Diogenis præceptum erat, vt manè, priuſquam in publicum quis egrederetur, quid dicendum, quid agendum proſpiceret, modum benè faciendi diſquireret; domum reuerſus, quî ſe in iis quæ propoſuerat geſſiſſet, examinaret. Pythagoras matutinum ac veſpertinum tempus præcipuè obſeruandum dicebat: prius, vt futura diſponerentur; poſterius, vt acta reuocarentur ad trutinam. Sed meliùs Sapiens ait: *Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.* Quod explicat S. Gregorius 3. p. Paſtor. admonit. 16. in fine: *Palpebra*, inquit, *greſſus præcedunt,*

Tempus pretioſum eſt.

Percurrenda ſunt mane totius diei actiones.

Prouerb. 4. v. 25.

dunt, cùm operationem nostram consilia recta praeueniunt. Qui enim negligit considerando praeuidere quod facit, gressus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit, sed praeuidendo sibimetipsi non antecedit, atque idcircò citiùs corruit: quia quò pedem operis ponere debeat, per palpebram consilij non attendit. Vt autem consilij huius praxim Sodales habeant, proponam similem Serenissimæ Infantæ ELISABETHÆ CLARÆ EVGENIÆ libellum, quæ nobis omnium virtutum exempla in tam sublimi natalium & dignitatis loco ita egregiè proposuit, vt etiam suos & fidei inimicos ad praeclaram sanctitatis confessionem & reuerentiam cogeret: femina, cuius praeclarâ imagine Austriaca domus abundè gloriari, & cuius exemplum non tantùm regijs puellis, nuptisque ac viduis, sed cuiuscumque obseruantiæ Religiosis proponi meritò possit. Ergo diem, prout ipsa eum actionibus suis distinguebat, hîc distribuam.

Commentariolum quotidianæ exercitationis Serenissimæ Infantæ ELISABETHAE CLARAE EVGENIAE.

ÆSTATE, post medium noctis horâ circiter septimâ, hieme verò octauâ, sese humili strato Princeps tanta proripiebat: lectulum enim sibi pauperis Religiosæ adinstar iusserat accommodari; vt quæ publicè dignitatis ornamenta necessariò retinebat, priuatim haberet amatæ paupertatis oblectamenta.

Priusquam se indueret, in honorem Sanctissimæ Trinitatis ter se Crucis signaculo muniebat, & agebat diuinæ bonitati gratias, quòd eâ nocte ipsam conseruasset, diemque præsentem esset elargita, quâ posset æternam salutem suam procurare: deinde, inuocatis IESV & MARIÆ sacrosanctis nominibus, vestes petebat.

Inter surgendum non minùs pijs considerationibus animum quàm vestibus corpus induebat: nam sic accuratè indumentis orationes meditationesque pias accommodauerat, vt passionem Dominicam pænè totam reuocaret in memoriam dum surgeret: nec religiosiùs Sacerdos sacrificaturus sese induit sacro habitu, quàm illa se vestiret, oblatura Deo actionum totius diei sacrificium.

Simulatque tantum vestimentorum induerat, vt posset honestè de lectulo descendere, statim sese intra cortinam & ipsum lectum in genua abijciebat, exigens à se noctis transactæ rationem, atque actu contritionis erratorum postulans veniam. deinde, quâ formâ solebat auus eius Carolus istius nominis Imperator Quintus, sese Christianam atque Catholicam, ac Sodalitatis oratione mancipium B. Virginis MARIÆ profitebatur.

Vestita, conuertebat se ad Crucifixi imaginem; & tamquam diceret isti sponso, se tantillum temporis ornando ex honestate corpori insumpsisse, sacræ lymphæ aspergine se rursum ipsi consecrabat.

Memor se puritatis auctori seruire, sese non nisi elementari aquâ abluebat, aspernata tot venenorum odorumque sordes, quibus aliæ sese inquinare solent, vt possint putidissimæ placere concupiscentiæ.

Hinc genua flectebat ante Altare, quod iuxta lectulum exstruxerat; ibique per mediam horam negotia eo die peragenda communicabat cum Deo & Dominâ suâ Deiparâ, vocabatque Patronos suos ex ordine: quorum necessariò non exiguus erat numerus, tum propter insignem eius pietatem, tum propter morem, quo solebant Conuentus pænè singuli Patronum submittere, qui in annuâ sortitione Patronorum ei obtigerat: quos omnes colebat religiosissimè.

Habebat loco dormitionis vicinum Oratorium, quò se mox ab hac oratione conferebat, per horam integram mentali orationi vacatura: idque tam constanti pietate, vt numquam eam omitteret, nisi fortè morbi grauitate præpedita.

Horâ nonâ assistebat Missæ sacrificio,

cio, quod in eodem Oratorio offerebatur; in eoque, prætermiſsâ oratione vocali, contemplandis myſterijs, quæ tempore Miſſæ viuaciter repræſentantur, exercebatur.

Diebus Communionis, quos Auſtriaca erga Sanctiſſimum Sacramentum pietas ipſi faciebat frequentes, immediatè poſt hoc, alteri Miſſæ ſacrificio intererat; atque ſub huius finem communicabat.

Erant dies Communionis, feſta CHRISTI, B. MARIÆ Virginis, Apoſtolorum, Dominicæ Quadrageſimæ, Aduentus, &c.

A medio decimæ, vel, ſi communicauerat, à medio vndecimæ, vſque ad medium duodecimæ animum intendebat conſiliorum conſultationibus, libellis ſupplicibus, litteris, ceteriſque negotijs, tanto ſtudio & tam accuratâ diligentiâ, vt (rara in Principe virtus!) mercatorum nemo tantum curæ impendat rei ſuæ, quantum illa alienæ: nec enim Secretariorum in hoc leuari cupiebat auxilio; ſed ipſa legebat, ipſa expediebat, ipſa ſcribebat omnia. Quod prodigium videbitur in feminâ, conſideranti quantum negotiorum ſuggerant Prouinciæ Belgicæ bellis difficillimis implicitæ.

Ecce autem, vndenam exhauſtas ſtudio difficillimo vires recuperaret: ad medium duodecimæ ruſum Sacro, quod in Sacello Palatij celebrabatur, intererat; orationi vocali toto quo durabat tempore indulgens prudenter: fatigato namque tædioſâ occupatione ingenio, pronum erat languere in mentali oratione, niſi verborum pientiſſimorum auxilio ſubleuaretur. Facilius enim eſt animo ſequi propoſitos per ſanctas orationes affectus, quàm eoſdem mentali oratione primùm excitare. Sciebat ergo, quòd moueret animum vocalis oratio faciliùs, mentalis fortiùs, atque ideò apta cuique tempora aſſignauerat.

Redux à Sacro, ſi quid domeſtici, Religioſi, aut alij, ceterive miniſterio eius addicti adferrent negotij; id tum audiebat ita ſtudioſè, vt, licet ab œconomis ex officio moneretur prandendi aduenisse tempus, mallet ſuam refectionem quàm auditionem negotiorum differre: ac proinde vetabat quemquam dimitti.

Vt plurimùm ergo prandium non ante ſecundam pomeridianam abſoluebatur. Erat quidem Princeps ex complexionis ſuæ exigentiâ multi cibi; ſed quàm non fuerit nimij, nihil certiùs docere poteſt, quàm actiones menſam ſecutæ.

Salubre eſt poſt prandium, vel otio vel recreatione aliquâ mentem diſtrahere, plenaſque naturæ vires concedere, quas cibo digerendo impendat; at otium Infantæ erat oratio, recreatio verò ipſa negotia: nam remotis menſis, auditione eorum quæ feminæ inſignis alicuius tituli adferebant, recreabatur.

Horâ tertiâ ad Oratorium ſe conferebat, ibiq; flexis poplitibus horam omnino integram cum Creatore ſuo negotiabatur. ait autem S. Chryſoſtomus de Annâ: *Neque enim poſt menſam ſic oraſſet, niſi in menſâ ieiunijs aſſueuiſſet.* Eſt ergo oratio hæc numquam, dum per valetudinem licuit, ab Infantâ intermiſſa; ſatis locuples ſobrietatis eius apologia, licet, vt ſuprà dicebam, cibi eſſet non exigui.

Poſt orationem mentalem ſeſe dabat quieti corporali. Carpebat ergo ſomnum ſedens in ſede erecta ad ſeſqui circiter horam: vt non in ſolis viris & Alexandris miremur vigilantiam; cùm hæc femina Alexandro nobilitate maior, generoſitate non inferior, neceſſitati dormiendi numquam prorſus ſatiſfecerit. quod mirabere, dum computabis, quàm ſolita ſit parum nocturnæ quieti tribuere.

Poſt quietem iterùm operi accingebatur, litteraſque vel legebat, vel ſcribebat, vſque ad ſeptimam, aut paulò etiam tardiùs.

Horâ ſeptimâ deſcendebat, vt audiret promiſcuè omnes; die quidem Veneris & Martis peculiariter pauperes, alijs autem ceteros: edixerat autem miniſtris ne venirent illis diebus.

Circa horam nonam cœnabat ita

frugaliter, vt nec mediæ horæ spatium cœna excederet, nec plus quàm vnicum aquæ haustum & alterum vini sumeret.

Post cœnam, quando mortales omnes se quieti & somno tradebant, hæc vigilantissima populi rectrix erat custodiens *vigilias noctis super gregem suum:* tunc enim ipsa negotiorum tempus arbitrata, seriò se dabat toties repetito per diem operi; lectitandísque consultationibus, libellis, litteris, ceterísque cognoscendis negotijs ita seriò incumbebat, vt sæpiùs viginti quinque aut triginta vel consultationes perlustraret; vel totidem litterarum sarcinulas legeret, singulísque manu propriâ responderet. Tenebat vt minimum hoc studium vsque ad medium secundæ, sæpiùs vsque ad tertiam, aliquando etiam ad quartam matutinam. Hîc diem in ordinarias occupationes distribuimus.

Lucæ 2. v. 8.

Ad medium igitur secundæ in Oratorio horâ integrâ de genibus cum Deo mentali oratione agebat.

Ad medium tertiæ in cubili suo ante Altare ibi constructum ad mediam rursus horam vocaliter orabat; ibi se Deiparæ in mancipium offerebat, repetitâ Sodalitatis Oratione; ibi Sanctis se commendabat, ibi ceterarum vocalium orationum pensum exsoluebat.

Nec tot contenta precibus, antequam se planè exueret, intra cortinam lecti flexis in terram genibus ad horæ quadrantem cum CHRISTO, cuius imaginem ad caput lecti reposuerat, affectuosissimè loquebatur; atque in ipsis istis pietatis actibus decumbebat, tribus tantummodò horis cum mediâ somno indulgens. quas nec securè sibi voluit concedi: mandauerat enim, vt, quacumque noctis horâ nuntij ad Palatium aduenirent, quorum negotia à festinatione penderent, statim ipsa excitaretur; ideóque nolam iuxta cubile suum è fune suspenderat: qui funis extra ipsum Palatium propendebat, vt vel inde admoneri posset, rem adferri quæ vrgeret, litteræque traderentur quacumque horâ noctis.

Eam temporis sui distributionem ita accuratè seruabat Serenissima hæc Princeps, vt, si occurrentia negotia tempus aliquod alteri rei destinatum occupassent, id tum omitteret, vel differret, prout videbatur rebus conuenire: numquam autem conuenire iudicabat orationem omitti. Quòd si tempus eius negotium aliud vi necessitatis inuaderet, differebat eam quidem; sed non omittebat. Adeò præcipuam regiminis sui partem in eo consistere arbitrabatur, vt numquam negligeret cum Deo consultationem.

Non proponimus hanc Serenissimæ Principis viuendi rationem, vt exigamus à singulis mancipiorum eadem prorsus obsequia, cùm in vastâ Deiparæ familiâ mansiones multæ sint, & diuersa secundùm statum cuiusque officia; sed vt doceamus, neminem esse tot negotijs occupatum, quin ipsas occupationes suas ad ordinem quemdam redigere possit, easque manè quasi oculo intueri, vt de ijs statuat, quòd omnes velit ad vltimum suum finem, ad Dei, scilicet Deiparæque gloriam, ac æternam suam salutem dirigere, ac crebris pietatis exercitijs non tam interrumpere, quàm promouere. Concludent matutinam hanc orationem pio catenularum osculo: cui gaudij & exultationis adiungent actum, quòd ipsi nominatim inter tot hominum millia felicitatem ac honorem obtinuerint seruiendi Dominæ tantæ, tamque liberali. Ne cui autem longiusculum videatur hoc matutinum exercitium, ecce totum breui oratione comprehensum, quam longiore meditatione extendere poterunt, quibus plus est pietatis & otij.

Oratio matutina.

AGo tibi gratias Sanctissima Trinitas vnus Deus; Pater, quòd intercessione Filiæ tuæ amantissimæ; Fili, quòd venerandæ Matris amore; Spiritus sancte, quòd Sponsæ tuæ castissimæ reuerentiâ, me mancipium ipsius creaueris, redemeris, ad fidem vocaueris, honestâ educatione ad tui cognitionem erudieris, ab his NN. & his periculis præser-

præseruaueris, istis N N. & istis beneficijs præueneris, ac præsertim hac nocte dignatus fueris ab omni peccato & à morte subitaneâ custodire, tempusque concedere, quo actâ pro peccatis meis (heu! nimis enormibus) pœnitentiâ, tibi possim sub mancipatu Dominæ cæli ac terræ deseruire. Rogo te, vt, eâdem intercedente Matre Domini mei IESV CHRISTI, digneris me hoc atque omnibus vitæ diebus sine peccato custodire, vt possim actiones meas omnes, & nominatim hasce NN. quibus mihi video hodiernâ die incumbendum, ex tuâ ac sanctissimæ Dominæ meæ peragere voluntate; vt non minùs istis, quàm compedibus hisce, quas exultabundus exosculor, testari possim, me esse ac mori velle fidele Deiparæ ac sanctissimi nominis eius MARIÆ mancipium.

CAPVT XX.

Regula quinta.

VEHEMENTER commendatur mancipijs B. MARIÆ Virginis, vt non facilè sinant sese ab audiendo quotidie Sacro per occupationes excusari: si verò necessitate aliquâ, cui lex nulla præscribitur, ab eo forte abstinuerint, conabuntur id spirituale damnum alio quopiam pio exercitio aut datâ eleëmosynâ resarcire; ac tum præcipuè curam gerere, ne cetera Sodalitatis exercitia per eam diem omittant.

Explicatio.

Laxandæ hîc forent omnes eloquentiæ habenæ, vt feruenter & efficaciter possem B. MARIÆ Virginis mancipia ad rem tantam, tam vtilem, tam Deo Virginique gratam excitare; si vel locus id permitteret, vel ij, quibus scribo, id exigerent: non enim Regularum explicatio tam longas, etsi vtiles, exhortationes admittit; neque mancipia vehementiùs incitanda sunt ad rem, in quam sponte suâ, nisi me fallit opinio, satis feruntur. Quis enim se Matris seruum iactabit, qui non libenter assistet quotidie Filio in actu illo omnium celeberrimo, quando Patri suo pro genere humano sacrificat? neque enim Sacerdos est qui rem istam peragit, sed CHRISTVS ipse, cuius ille nomine visibiliter comparet: non enim Sacerdotis carnem in sacrâ hostiâ adoramus, sed CHRISTI; cuius ille nomine, non suo, dicit, *Hoc est corpus meum.* Quemadmodum enim in cruento illo sacrificio Crucis idem erat sacrificium & sacrificator CHRISTVS: ita hîc in Missâ, quæ nihil est aliud quàm viua istius repræsentatio, idem est Sacerdos & res oblata: Sacerdos nimirum in æternum, secundùm ordinem Melchisedech: *Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.* Sed cum quotidie offerat, tantùm offert pro delictis nostris, cùm ipse agnus immaculatus peccatum non fecerit, sed nec facere potuerit. Huic igitur passionem suam iterùm Patri suo repræsentanti, cùm spiritualiter proculdubiò Mater adsit, quemadmodum cruento isti sacrificio interfuisse scimus; famulorum est Dominum ac Dominam suam frequenti stipare comitatu: nemoque existere debet tam parum obseruans, qui non saltem quotidie semel adsit illis tam solemni pompâ sese Patri æterno præsentantibus, maximè cùm honor & potestas fiat omnibus vnà cum ipso Dei Filio sacrificandi. omnium enim sacrificium esse sacerdos indicat, quando ait: *Orate fratres, vt meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.* & in Canone: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, in peccatorum scilicet condonationem & satisfactionem, in necessitatum remedium, in beneficiorum acceptorum compensationem, & gratiarum pro illis actionem, in nouarum gratiarum & donorum cælestium impetrationem; neque in viuorum tantum iuuamen, sed etiam in solatium vitâ hac in gratiæ statu defunctorum. ad tot enim intentiones iuuat admirabile hoc sacrifi-

CHRISTVS in Missâ sacrificat.

Hebr. 7. v. 26.

Beata Virgo adest CHRISTO sacrificanti.

Omnes Missæ assistentes sacrificant.

cium. Cuius benè cum Sacerdote offerendi, siue Missam fructuosè audiendi, praxim aliquam, nec non eorum, quibus diebus singulis Missæ sacrificio interfuisse optimè cessit, exēpla proponam.

CAPVT XXI.

Praxis Missam cum fructu audiendi.

CVM sacrosanctum hoc Missæ sacrificium sit viua passionis Dominicæ repræsentatio, pijssima erit exercitatio, si animum ad ea quisque reflectat, quæ illam signis & actionibus pulcherrimis referunt; vt inde excitetur ad eos amoris, gratitudinis, compassionis, ceterosque affectus, sine quibus vix potest cruenta illa scena mentis luminibus obuersari. Nullum enim est in Missâ verbum, gestus nullus, nulla cærimonia, quæ non referat aliquod passionis Dominicæ arcanum, suamque non habeat sapidissimam, si animæ palato applicetur, significationem. Atque vt hoc in ipsius sacrificaturi vestibus perspiciamus:

Amictus an non significat illud velum, quo lumina Seruatoris, ipsas cordium abyssos penetrantia, obnubebant Iudæi; quando cæci nihil, vti putabant, iam videntem, percutiebant, ac per ludibrium interrogabant: *Prophetiza, quis est qui te percussit?* (Lucæ 22. v. 64.)

Alba vestem illam candidam denotat, quâ Patris Sapientia CHRISTVS à vanissimo Rege indutus, risui ac sannis populi expositus, ac velut mente captus mediam per vrbem ad Pilatum reductus est.

Cingulum, manipulus, stola, funes varios significant & vincula, quibus sæpiùs fuit nostri causâ constrictus; qui venerat confracturus rudentes inferni, & omnia vincula nostra diruptурus.

Cingulum quidem, ea quibus crudeliter ligatus fuit in captiuitate suâ ignominiosissimâ; nisi eius significationem transferre quis malit ad virgas & flagra, quibus corpus eius fuit exaratum.

Manipulus chordas illas refert, quibus manus columnæ fuerunt alligatæ: qui brachio sinistro inferitur, vt intelligamus numquam mundi Saluatorem eò adducendum fuisse, vt sineret ita sese vinciri, nisi cor eius priùs fuisset potentioribus amoris vinculis alligatum; nobis exemplo & admonitioni, vt cor nostrum vicissim seruitutis & amoris eius catenis lubenter constringamus.

Stola funem illum significat infamem, qui collo eius fuit iniectus, quando humeros trabali ligno grauatus suum sibi portabat supplicium. In quâ vinculorum consideratione multiplex erit mancipijs deuotionis materia, quando manicas suas & compedes, ceteraque seruitutis aspicient insignia, ijsque ostentabunt quamdam cum Filio Dei similitudinem.

Casula purpureum illud refert indumentum, quo tamquam paludamento regio insignem ioculariter Regem salutabant; vel certè tunicam illam inconsutilem, quâ ignominiosissimè crudelissimeque exuerunt mundi Seruatorem, vt nudum cruci affigerent: quam quòd Virginem sciant confecisse, in mentem reuocare possunt illud Prouerb. 31. v. 22. *Stragulatam vestem fecit sibi*, & omnibus sibi seruientibus.

Iam vel gestus singuli sacrificantis considerationes subministrant plenas succo pietatis.

Nam *ingressus Sacerdotis in sacristiam*, vt vestibus sacris se induat, quàm pulchrè in memoriam reuocat ingressum Filij Dei in sacrarium vteri Virginalis, vt ibi se carne ac totâ mortalitate nostrâ vestiret, quâ indutus, cruentum sacrificium offerret in arâ Crucis?

Egrediente ex sacristiâ Sacerdote, *Introitus Missæ* à Choro canitur, in memoriam suspiriorum & gemituum, clamorum & deprecationum, quibus SS. Patres viuentes in terris, & mortui in limbo, ad CHRISTI aduentum anhelabant. qui ideò repetitur, vt sciamus & frequentia & continua fuisse suspiria exoptantium: *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes!* (Isaiæ 64. v. 1.)

Confessio à Sacerdote facta tamquam à peccatore, præterquam quòd eum & populum vnà contritionis actum elicientem disponat, ad dignè offerendum diuinæ

diuinæ Maiestati sacrificium; etiam ostendit CHRISTVM Dominum, transsumptis in se peccatis nostris, quasi incuruatum sub onere, & ægre tantum pondus sustinentem.

Kyrie eleison, id est, Domine miserere, toties repetitum, simul multiplices & graues indicat mundi miserias, quibus ante CHRISTI aduentum opprimebatur: simul etiam docet, non ex rigore iustitiæ posse nos cum Deo contendere, sed misericordiam eius nobis multipliciter esse necessariam, vt possimus cum eo agere. Canitur mox

Gloria in excelsis. quo Hymno, propter incarnationem Filij Dei, ipsi Deo, cuius solius erat hoc opus, soli gloria tribuitur.

Ad populum Sacerdos conuertitur, ei annuntians aduentum Domini, dicens: *Dominus vobiscum*. Quod sæpiùs per Sacrum repetitur, vt recogitemus multiplicem Filij Dei per vitam sui hominibus reuelationem.

Inde sequitur Oratio, ad quam omnes à Sacerdote inuitantur, dicente, *Oremus*. Vt omnes procidamus ante Deum iam natum, eique necessitates nostras exponamus, ac per intercessionem Sanctorum, & illorum maximè quibus dies illa dicata est, libellos nostros supplices offeramus.

Epistola lectio prædicationem S. Ioannis Baptistæ totamque veteris Testamenti doctrinam figurat:

Graduale, pœnitentiam quam egit Israël ad istam prædicationem.

Alleluia verò illud denotat gaudium, quo pœnitens animus perfunditur, degustans amarissimi doloris dulcissimos fructus.

Euangelium, non tantùm refert, sed & est ipsa doctrina quam Dominus noster IESVS detulit in terram, & per vicos & plateas benefaciens, cunctis prædicauit. quod Cruce sacerdos signat, quia CHRISTVM, eumque crucifixum, nos docet, mentemque nostram illuminat nouæ lucis radio, quo pretium agnoscamus Crucis nullo anteà loco habitæ: quamobrem noua lux ad eius recitationem infertur; signaturque frons, os, pectus Crucis signaculo, quòd corde, ore, & etiam ostentatâ quasi fronte, opere ipso palàm simus professuri Euangelium, idque in pedes erecti defensuri ac propugnaturi, cùm opus fuerit.

Recitatur deinde *Symbolum*, id est compendium eorum quæ per omnia Euangelia credenda proponuntur; quod bonum erit simul cum Sacerdote recitare, totque insignes fidei actus elicere, quot ibi mysteria proponuntur.

Atque hactenus prima Missæ pars, quæ Catechumenorum antiquitus dicebatur: nam illis vnà cum Iudæis & Gentilibus hucusque Missæ interesse concedebatur; vt per prædicationem Euangelij instruerentur in ijs quæ credenda Catholicis proponuntur.

Sequitur *Missa sacrificij* vulgò dicta: Diaconus enim proclamabat, vt catechumeni ceteriq; infideles discederent, solemnibus illis verbis, *Ite Missa est*. ac si diceret, Procul hinc, procul este profani; iam enim Missa incipit & arcanum nouæ legis sacrificium, cui assistere nefas ijs qui legem eamdem nobiscum non profitentur: sacrificare enim, id est, præcipuum religionis actum nobiscum exercere, non possunt qui religioni nostræ vel aduersantur adhuc, vel saltem eâ nondum sunt initiati.

Hìc Sacerdos secretò cum Deo agere incipit, vt exaudiatur tamquam legatione fungens pro genere humano, cum isto rerum omnium Domino; ad cuius reuerentiam spectare videtur, vt non palàm ea fiat legatio; tum etiam vt illa CHRISTI actio denotetur, quâ morti vicinus, *iam non in palàm ambulabat*, Ioan. 11. v. 54.

Sacerdos igitur *à lotione manuum* auspicatur, non tantùm istam lotionem in memoriam reuocaturus, quâ Romanorum Præses, dum innocentiam suam restari se autumabat, nequiriam prodebat; sed vel maxime ostensurus, quantâ animi corporisque munditiâ accedere oporteat ad tabernaculum Altissimi, præcipuè dona tam verenda, atque est Corpus ac Sanguis vnigeniti Filij Dei, oblaturos.

Deinde hortatur populum, vt se-

cum orationibus incumbat; quò possit Deum sibi reddere propitium, vt odoretur sacrificium illud in odorem suauitatis.

Posteà abrumpens silentium, omnes iterùm hortatur, vt *sursum corda* ad res tam sublimes, quæ peragendæ sunt, attollant, ac supra humum istam nonnihil eleuati, terrena derelinquant, cælestibus intenti.

Mox declarat quàm dignum, quàm iustum sit totis animi corporisque viribus Deum collaudare, Angelorum psalmodijs atque hymnis nos quasi immiscere, ac cum illis clamare, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; quæ, testibus Isaiâ & Ioanne, hoc Euangelistâ summo, illo Prophetâ Euangelico, perpetua est eorum vox in cælis.

Hasce Dei laudes *Canon Missæ* excipit: vbi nobis cum Sacerdote rogandus est Deus Pater, vt per merita Filij sui vnigeniti, omnemque eam, quam ille vel meruit, vel sine meritis accepit gratiam, acceptet hoc sacrificium pro Summo Pontifice, ac Antistite, pro Rege ac Principe, ac pro omnibus ijs, quorum quisque solet ac debet frequentiùs in orationibus suis meminisse. Quam ad rem operæ mihi pretium videtur ex Vitâ beati Francisci Borgiæ huc praxim adducere, quâ ille solet pijssimè *Memento viuorum* tempore Sacri construere, quòd facilis eius sit vsus, & pietate summâ conditus. Habet enim Vita huius beati Patris, & ceterorum de Societate Sanctorum res gestæ, hoc præ ceteris, quòd earum proponant virtutum exercitia, quarum est omnibus facilis imitatio; ideoque vtilissimè ijs lectitandis tempus impenditur. Distribuebat ille per quinque Seruatoris nostri vulnera classes eorum diuersas, pro quibus censebat sibi diuinam Maiestatem exorandam; existimans in illis foraminibus petræ tutò posse omnes conquiescere. Ad manus igitur dextræ vulnus Deo commendabat Summum Ecclesiæ Pontificem, Cardinales, Episcopos, Antistites, Parochos, Clericos, omnesque personas Ecclesiasticas: ad manus sinistræ, Imperatorem, Regem, Regios ministros, atque omnem brachij sæcularis potestatem: ad vulnus pedis dextri, omnes Religiosos Ordines, ac nominatim eam quam ipse delegerat Iesv Societatem; pro quâ Sodales reponent sacrum hunc Virginis mancipatum: ad sinistri, consanguineos suos, amicos, & omnes eos qui se precibus eius peculiariter commendassent: vulnus lateris sibi soli reseruabat, in eoque, tamquam in foramine petræ, in cauernâ maceriæ sese abscondebat; ibi delictorum veniam, opem in aduersis, consolationem in tristibus, in lætis animi moderationem deposcebat. Atque hæc faciebat ita feruenter & accuratè, atque si pro singulis eorum hoc sacrificium peregisset; eâ semper intentione, vt nihil detraheretur ijs, pro quibus hoc Sacrum vel ex deuotione vel ex debito peculiariter offerebat. Et quoniam in eo sumus, etiam *Memento defunctorum* simili praxi conficiebat; offerendo primùm sacrificium pro personâ, vel personis, pro quibus in particulari Missam celebrare intendebat: secundò, pro animabus parentum ac propinquorum suorum: tertiò, pro defunctis Religionis suæ; mancipia hoc loco ponent defunctos in Virginis famulatu: quartò, pro amicis & benefactoribus sibi specialiter commendatis, & pro omnibus ijs pro quibus orare tenebatur: quintò denique, pro animabus derelictis, id est, quæ nullum habent qui ipsarum pietate tangatur; pro ijs quoque, quæ grauissimè in Purgatorio torquentur, maiorive in angustiâ versantur; pro ijs item, qui noxarum reliquias iam proximè flammis expiassent; denique pro quibus maior charitas & Dei obsequium erat, sacrificium istud offerri.

Memento B. Francisci Borgiæ pro viuis.

Memento eiusdem pro defunctis.

Sequitur consecratio, quæ per se satis affert materiæ, vt anima profundissimis mysterijs intenta, tota rapiatur in amorem Seruatoris sui; qui tam admirabiles excogitauit adinuentiones, & tot in vnum congessit miracula, vt diuitias bonitatis suæ in vno mirabilium omnium compendio demonstraret. Si quis enim mysteria, quæ tempore consecra-

ſecrationis peraguntur, cum illo Angelicis mentibus imperſcrutabili incarnationis arcano contulerit; neſcio, an non pari mentem ſtupore defiget tranſſubſtantiatio atque incarnatio. Tunc enim Verbum Dei carne fuit indutum, vt conſpici ac manibus contrectari à nobis poſſet; iam verò non tantùm Verbum, ſed id ipſum caro factum, panis & vini ſpeciebus ita artificioſè velatur, vt etiam manducari poſſit: tunc clauſtro virginali incorrupto MARIÆ vterum ingreſſus eſt Deus, non mutatus in hominem, ſed homo factus; nunc inuiolatis panis ac vini ſpeciebus eas ſubit, non panis factus, ſed illo in Deum & hominem tranſſubſtantiato: tunc multa ſimul, eaque intellectui noſtro incomprehenſibilia, miracula rerum vniuerſitas ſtupuit, quòd virgo conciperet, infans vir exiſteret, Deus tam arctè ſe iſti humanæ naturæ coniungeret; hîc neque pauciora occurrunt, & haud ſcio an creato intellectui perſpicienda, panis annihilatio, ſpecierum extra ſubiectum conſeruatio, hominis Dei tam admirabilis totius in toto, & eiuſdem in ſingulis partibus exiſtentiâ; Deus non vni tantùm naturæ humanæ, ſed quotquot illum ſumpſerint corporaliter vniendus, non hypoſtaticâ illâ quidem & perſonali vnione, intimâ tamen atque arctiſſimâ coniunctione, quâ, poſt illam hypoſtaticam, & eam quam cum Matre ſuâ habuit, nulla coniunctior poteſt excogitari.

Transſubſtantiationis atque incarnationis comparatio.

Sublatâ in altum hoſtiâ, CHRISTVS ibi verè præſens eſt, viuæ fidei actu adorandus; &, tamquam ſi in monte Caluariæ in Cruce ſublimis conſpiceretur, cum Centurione pectus percutiendum, ac dicendum: *Verè Filius Dei* eſt *iſte.* Tum quiſque in ſe reuerſus, contritionis actum excitet, quòd eam bonitatem peccando offenderit, quæ non reformidauit crucis aſcendere patibulum, vt nos morte æternâ redimeret.

Matth. 27. v. 54.

Dolores eius crebri & magni inter tot cruces quas Sacerdos facit ſuper ſacroſanctam Hoſtiam, in mentem reuocentur, ac varijs, prout ſpiritus ſuggeret, indulgeatur affectibus; donec ad Orationem Dominicam peruenerit Sacerdos: cuius ſeptem petitionibus ſeptem CHRISTI in cruce verba repræſentantur; atque animum quiſque ſuum diſponere incipiet, vt vbi exſpirauerit, quod fractione Hoſtiæ ſignificatur, eum ſibi deligat in locum ſepulchri, & Communionem ſi non ſacramentalem, at illam ſaltem celebret, quam ſpiritualem vocant: cuius tantus poteſt eſſe fructus, ſi deuotione, reuerentiâ atque humilitate debitâ obeatur, vt etiam ſuperet illum, qui ex ſacramentali Communione, ſi non tantâ ſumatur animi præparatione, percipitur. non quòd ſpiritualis æquè ex opere operato cauſet gratiam atque ſacramentalis; ſed quòd animi diſpoſitione ſuppleri poſſit, quod illi hac ex parte deeſt. Modum ergo ſpiritualiter communicandi breuiter ſubijciam:

Communio ſpiritualis.

IN primis, vt deſiderium communicandi poſſit dici ſpiritualis Communio, admonent Concilij Tridentini Patres, ipſum è fide viuâ, quæ à charitate informata ſit, proficiſci debere; vnde facilè confici poteſt praxis ſpiritualiter communicandi. Excitanda enim primùm contritio de peccatis, dolendo, quòd indignum ſe quis peccando reddiderit tali bonitatis ipſius coniunctione, qualem vltrò per Euchariſtiæ Sacramentum offert CHRISTVS; tum inflammandum iis conſiderationibus deſiderium, quibus ſolet ſe ad actualem Communionem præparare. Ex quibus in hæc aut ſimilia prorumpet verba:

Seſſ. 13. cap. 8.

ORATIO.

REX potentiſſime, Deus meus, & Pater clementiſſime, IESV CHRISTE, cerne famuli tui & filij ancillæ tuæ oculos intentos in manus tuas, quas tu aperiens reples omne animal benedictione: video & intueor viuæ fidei radio, quem tu mihi communicare dignatus es, *conuiuium* hoc *pinguium medullatorum,* quod præparaſti de Corpore

Iſaiæ 25. v. 6.

pore & Sanguine tuo; non tamen accedere audeo, Domine, timens ne mihi desit vestis nuptialis, quam peccatis meis dilaceraui. Pudet me, Deus meus, ita in conspectu tuo assistere, pœnitet me peccatorum meorum, quibus indignum me reddidi mensâ tuâ; quare cum Centurione tibi humiliter dico: *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum*, non sum dignus vt accedam ad mensam tuam; sed tantùm peto, ne, quoniam etiam catelli comedunt de mensâ dominorum suorum, micis sacri huius conuiuij me sinas defraudari: vellem quidem, & toto corde desiderarem te suscipere; sed cùm hoc non liceat, oro te, vt gratiam tuam mihi dones, quæ cor meum exornet, vt proximâ occasione possim sacramentaliter communicare.

Matth. 8. v. 8.

Intereà dum quis huic deuotioni insistit, Sacerdotis communio absoluitur; licet interim etiam ad cæremoniarum significationes reflectere.

Nam *Agnus Dei*, militum confessionem; *Communio*, sepulchrum; primum *Dominus vobiscum*, resurrectionem, apparitiones, & documenta post resurrectionem data significant.

Ite Missa est, ascensionem Domini; *Benedictio*, sancti Spiritus missionem; ac tandem *S. Ioannis Euangelium*, Apostolorum prædicationem figurant.

Neque vllus melior Sacrum audiendi modus, quàm per hæc pietatis exercitia & reflexionem mentis ad mysteria, rebus, quas Sacerdos facit, verè interesse.

CAPVT XXII.

Aliorum exemplo docetur, quàm sit vtile nobis, & Deo gratum, quotidie Missæ sacrificio interesse.

CVM hic mancipiis commendemus rem, quæ aliquibus videatur arduitatis aliquid habere, quòd exercitium pietatis, Dominicis tantùm & Festis diebus ab Ecclesiâ mandatum, quotidie proponamus; ostendendum censui insigniore vnâ alterâve historiâ, quàm Deo sit gratum, & mancipiis vtile, quod præscribimus. Atq; primam ex Chronicis S. Francisci p. 2. lib. 8. cap. 28. & ex Vasconcellio in Vitis Regum Lusitanorum, desumam. Sancta Elisabeth Lusitaniæ Regina, & S. Elisabethæ Andreâ Hungariæ Rege prognatæ neptis, inter alias quibus excelluit virtutes, pauperum & ægrotorum iuuandorum studiosissima fuit, intimâque ac visçerali eorum commiseratione tangebatur; vnde nulli eorum opem stipémve poscenti eam vmquam denegabat; suo adhæc eleëmosynario in mandatis dederat, ne cui petenti quidpiam denegaret. Cùm ergo nobilis cuiusdam, quem à cubiculis habebat, ministerio & operâ in eleëmosynis erogandis & aliis operibus pietatis vteretur, qui moribus esset probatissimis, & pietatis cultor egregius; factum est, vt alius quispiam Regis Dionysij (quem illa maritum habebat) minister ac persamiliaris, Reginam plus æquo alteri fauentem conspicatus, tum quòd huic fortè inuideret, tum vt Regis gratiam aucuparetur, eum apud illum detulerit, quasi quem Regina parum casto amore prosequeretur. Rex, quia non satis honestam agebat vitam, dæmone instigante, & ab vxore alienior paulò, malè cœpit de eâ suspicari. Tametsi verò calumniatori per omnia non crederet, sed in opinione nutaret, nihilominùs cubicularium istum de medio tollere decreuit. Fortè eo die Rex haud procul à calcariâ fornace equitans, eius ministris, qui tum eam succendebant, foras ad se vocatis, in mandatis dedit, vt missum ad ipsos vnum de cubicularijs suis quæsiturum, perfecissentne iussa regia, quantocyùs arreptum in fornacem inijcerent, vtpote promeritum, & Regiæ Maiestatis læsæ reum, ac flammis absumi sinerent. Postero igitur manè Rex illum Reginæ famulum cum mandatis ad calcariam fornacem ablegat, vt, quod pridie operis præceperat, in eo executioni mandarent: sed Domino, qui suos in necessitate neutiquam deserit, & innocentes nusquam non protegit, permittente factum est, vt, innoxio illo adolescente per iter iuxta templum quod-

Missæ sacrificio interesse, vtiles ad euadenda pericula.

dam

dam transeunte, signum tintinnabulo ad sacræ hostiæ in Missâ eleuationem daretur. Ingressus ille, reliquam Missæ illius partem, nec non alias binas ex ordine, quæ mox celebrabantur, audiuit. Rex interim scire auidus, num prior ille nuntius iam de medio sublatus esset, alium famulum (ac fortè fortunâ incidit in illum, qui probum falsò detulerat) quàm citissimè ad fornacem allegat, inquisiturum, regiáne imperia perfecta essent. Vixdum illa hic exposuit, quin ab operis (existimantibus certis è coniecturis illum ipsum haud dubiè esse quem Rex designarat) abreptus viuus in fornacem coniectus est. Alter interim innoxius, Sacris iam finitis, ad fornacarios regia mandata relaturus abit, petitque, num, quæ dominus fieri imperasset, essent peracta: quibus affirmantibus, ad Regem responsum relaturus illicò reuertitur. Quo conspecto obstupefactus Rex, ac euentu planè quàm destinarat ac mandarat contrario perterritus, iuuenem cœpit obiurgare, petitque vbinam tamdiu hæsisset. Ibam, inquit, iussa Maiestatis tuæ executurus, cùm propter viam in templo quodam audio campanulâ signum dari eleuationis corporis Dominici, & illud ingressus, Missam reliquam, nec non alias duas quæ subsequebantur integras ausculto: hoc quippe parens meus sub mortem mihi benedicens velut testamento reliquit, vt quas Missas viderem inceptas, eas ad finem vsque audirem. Tum demum è iusto hoc Dei iudicio rei ipsius veritatem, Reginæque innocentiam, ac famuli sui fidelitatem virtutemque perspexit; itaque admissam temerè de vtroque suspicionem sinistram à se ablegauit.

Quantum ad mala propulsanda valeat constanter quotidie tremendo Missæ sacrificio assistere, audiuimus; quid verò conferat ad rem etiam temporalem augendam, lætosque in rebus omnibus successus, docet Surius in Vitâ S. Ioannis Eleëmosynarij, & exemplorum Promptuarium verbo *Missa*. Duo opifices, inquit Promptuarium, vno in oppido, eiusdem ambo artis degebant: quorum alter vxorem, liberos, seruos, satis bellè alebat; interim tamen tam studiosè singulis diebus Sacro intererat, vt nulla ob impedimenta ipsum audire negligeret. quam eius pietatem Dominus etiam egregiè est remuneratus: nam & eius opificium optimè procedebat, & res familiaris indies notabiliter accrescebat. Alter contrà, cùm nec liberos nec famulos haberet, sed solam vxorem, adhæc diu noctuque perpetim laboraret, etiam diebus festiuis; rarò autem Sacrum audiret; ægrè se & vxorem alebat, sed iugiter cum inopiâ rerumque domesticarum angustijs conflictabatur. Ergo tam prosperum rerum alterius successum videns, quadam die ei obuius factus, eum est percontatus, vndenam tam bellè res eius procederent, tantumque ei lucrum accederet: cùm enim liberos, vxorem & familiam numerosam alendam haberet, numquam ei de necessarijs quid deesset; sed semper omnia, quibus opus haberet, abundè suppeterent; ipse verò, cui sola esset alenda vxor, quique assiduè laboraret, continuâ rerum penuriâ premeretur. Tum alter, qui Sacro quotidie intererat: Veni, inquit, cras ad me, & locum tibi monstrabo vnde tantus mihi quæstus proueniat. Posterâ die venientem duxit in templum: & cùm ambo Sacrum audissent, domum iussit ad operandum reuerti; nec verbum vltrà addidit. Idem fecit & altero die. Verùm idipsum & tertiò facere volenti respondit alter: Si tantùm de templo adeundo, amice, agitur, duce te non habeo opus, viam noui eò ducentem: hoc solùm nosse volui, vbinam locus sit qui tantum tibi lucri adferat, vt & ego inuento eo rem adaugeam. Hîc alter: Sanè locum, vbi & thesaurum corporalem & vitæ æternæ præmium quæritem, extra templum, nullum scio, nec habeo: an ignoras dixisse aliàs Dominum: *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc omnia*, velut auctarium, *adijcientur vobis?* His auditis, miser ille rem intellexit, ac veritate compertâ, peccatorumque dolore concepto, vitam correxit; & factus exinde egregius

Valet item ad rem temporalem augendam:

Matth. 6. v. 33.

egregius pietatis sectator, & quotidie Sacrum audiens, felicem omnium rerum suarum posteà successum est expertus.

Item ad expediendaa negotia.

Addam tertiam pro Sacerdotibus,& hominibus præterea qui negotiorum mole obruuntur, doctrinam. Nam de sancto Fratre Ferdinando de Talauerâ, primo Archiepiscopo Granatensi, memoriæ proditum est, cùm in Aulâ Regiâ multis grauissimisque negotijs ad Regni incolumitatem spectantibus distineretur, ac propreteà æmulos pateretur non paucos, nihil hos in eo aliud criminari potuisse, quàm quòd quotidie Sacris operaretur: mirabantur enim, quomodo vir tantâ negotiorum mole obrutus, tam semper esset paratus ac mente serenatâ, tranquillâ, quietâ, vt quotidie sacrificare posset, perinde ac si in Monasterio priuatus degeret. Vnde cùm Ioannes Gonsaluius de Mendoza, Cardinalis Hispaniæ, & Toletanus Archiepiscopus, die quadam in familiari sermone,quid in ipso æmuli sugillarent, retulisset; respondit ei vir Dei: Sic se res habet Domine: quod enim Regia Maiestas tam grauia humeris meis onera imponat, negotiaque tam ardua curanda iubeat, quibus tractandis impar sum,& sub quorum fasce succumbo; aliud quo nitar fulcimentum non habeo, quàm quotidie ad sacram Eucharistiam confugere, vt inde vires mutuer, ad quæ mihi à Rege concredita sunt negotia, prout oportet, peragenda, commissorumque rationem reddendam.

Admonitio quæ huic de Sacro quotidie audiendo Regulæ adijcitur, simul praxis est, quâ poterit quis faciliùs à se impetrare, ne rem tam vtilem & sanctam prætermittat: & si forte intermiserit, vt vel negligentiæ veniam accipiat; vel si ea non intercesserit, lucrum saltem, quod per suam à Sacro absentiam illi cessauit, aliâ viâ recuperet. Et conuenientissimum remedium contra torporem illum, quo facilè quis, aut leui de causâ Missæ sacrificium intermitteret, est pœnalis illa lex eleëmosynæ. Dum enim fit æstimatio eleëmosynæ dandæ, & illius vel commodi, vel incommodi, propter quod videatur Sacrum omittendum, fit, vt neque leui de causâ, neque ex leuitate animi Sacrum omittatur; cùm animus non leuiter soleat ad lucra damnaque temporalia, quæ hîc vtrimque occurrunt, attendere; & leue dici non possit, quod eleëmosynæ isti pœnali sit grauius. Et videmus saltatorum,gladiatorum,similiumque hominum congregationes hoc vnico remedio, & diligentiam ad conueniendum incitare, & quæcumque libuerit vitia ac consuetudines cœtibus suis eliminare. Tam potens omnem in partem est lucri ac damni ratio. Vndecumque autem contigerit Sacrum intermitti, prudenter suadet Regula, tum præcipuè curam gerendam, ne ceteræ pietatis exercitationes omittantur. Fit enim in iusti vitâ, quæ horologij adinstar ponderibus suis compositissimè decurrit, si fortè præcipuum aliquod deuotionis exercitium, vnde maior in totam machinam vis refunditur, præcidatur, vt statim motus omnis,quo procedit semper de virtute in virtutem, conquiescat; nisi mentis attentione, gratiæ diuinæ imploratione, aut aliâ simili ratione defectus suppleatur. Ne autem facilè occurrat impedimentum in tanto pietatis negotio, auctor ego sim mancipijs D. Virginis, vt etiam istam à pijs Christianorum famulis transferant ad mancipatum suum consuetudinem, vt manè ante cetera diei opera, huic operum omnium diuinissimo dent operam, ne, intercurrentibus deinde occupationibus, auferatur occasio participandi tantum bonum atque Sacri auditione percipitur. Præterquam enim, quòd hæc ipsa diligentia & sedulitas per se magni est meriti, etiam hoc assequentur, vt à tam nobilibus operum istius diei primitiis cetera dignitatem pretiumque sint acceptura, quando per otium Deo singula tempore Sacri consecrabuntur, antequam fiant.

Eleëmosyna pœnitentia efficax ad aliquid à se impetrandum.

Manè audiendum Sacrum.

CA-

CAPVT XXIII.

Regula sexta.

1.Thess.5. v.18.

AVDIANT eam Apostoli vocem: *In omnibus gratias agite.* Proinde si quod à Deo impetrauerint beneficium, (impetrabunt autem, si fidelia se Matris eius mancipia gesserint, multa quotidie) ei continuò gratias agent; nec mensæ accumbent, nisi laudauerint Deum, quòd eos seruos suos immerentes pascat; &, remotis mensis, eidem in pedes erecti rursus summâ cum veneratione gratias agent.

Explicatio.

Gratitudo est ingenuitatis & sapientiæ filia.

Meminerint Sodales, nos inter mancipij conditiones posuisse ingenuitatem & sapientiam; quibus nisi virtutibus excelluerint, huic Regulæ non satisfacient: quæ gratiarum actionem & gratitudinem præscribit, quæ primogenita est ingenuitatis sapientiæque filia. Scribit enim ad Lucilium Epistolâ 81. Latinus Philosophus: *Itaque negamus quemquam scire gratiam referre, nisi sapientem.* & rursum: *Nemo referre gratiam scit, nisi sapiens.* quæ ille non affirmat tantùm, sed longâ etiam oratione probat. De ingenuitate verò etiam eiusdem habemus iudicium: *Beneficia*, inquit, *qui insipienti dat, perdit: siluestris rusticitas creditum semen restituere non potest.* Vbi dat etiam locupletem rei propositæ comparationem, quam ideò maioris facio, quòd eam vel ex Theodidacto nostro Sapiente didicerit; vel, si inuenit, ostenderit rectum suum fuisse de gratitudine iudicium, quoniam ad istum lapidem probatur. Dicit enim in Prouerbijs cap.24. v.30. *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti*, &c. quæ Septuaginta reddunt: *Tamquam ager vir imprudens, & tamquam vinea homo egens sensu; si dimiseris eum, desertus fiet, & siluescet totus, & fiet derelictus*, &c. Hæc autem rei nostræ pulcherrimè S. Ambrosius accommodat lib. 1. Officior. cap. 10. *Vnde imitanda in hoc quoque nobis est natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatiore solet numero reddere quàm accepit; ideò est tibi scriptum: Sicut agricultura est homo insipiens, & tamquam vinea homo egens sensu, relinquens eum, desolabitur*, &c. Quæ deinde meritò à contrariâ terrarum sapientisque conditione commutando, rursum inter se componit: *Sicut agricultura ergo etiam homo sapiens, vt tamquam fœnerata sibi maiore mensurâ semina suscepta restituat. Terra ergo aut spontaneos fructus germinat, aut creditos vberiore cumulo refundit ac reddit.* Diceres auctoritate suâ auctoritatem conciliare voluisse eloquentiæ magistro sanctitatis professorem. dixerat enim ille Officior. 1. *In referendâ gratiâ (si modò Hesiodo credimus) debemus imitari agros fertiles, qui multò plus adferunt quàm acceperunt. Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre; quales in eos esse debemus qui iam profuerunt?* Sunt ergo homines ingrati, ex sapientum profanorum, sacrorum ac diuinorum sententiâ, instar agri duri, inculti, siluestris; qui, quantamcumque facias beneficiorum sementem, gratitudinis fructum vel nullum vel parcum reddunt, vel etiam aliquando pro segetibus carduos, & pro vitibus rubos adferunt. Sunt homines grati tamquam pingue excultumque solum, cumulatissimo fœnore suscepta semina reddens: debent autem serui tam ingenui mancipatus horum potiùs culturam, quàm istorum rusticitatem æmulari. quapropter illis Apostoli verbis præscribitur: *In omnibus gratias agite.* vt nimirum, veluti subacti tam sedulâ Virginis manu agri, fructum omnium pulcherrimum sæpissimè referant. *Quid enim melius*, ait S. Augustinus Epistolâ 77. *& animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius quidquam potest.* Sed ne fortè sublimioris cuiusdam perfectionis consilium, & non etiam rigidum naturæ præceptum, arbitrentur mancipia quod hac Regulâ præscribitur; sciant, in lege antiquâ, quando rariora & mi-

Ingrati & agri infructuosi comparatio.

1.Thes.5. v.18.

Dei beneficia cantico celebranda.

nora erant Dei in homines beneficia; fuisse tamen eam benefactoris voluntatem, vt statim, accepto insigni aliquo beneficio, canticum laudis atque eucharisticum ipsi accineretur; hortante Psalmistâ: *Immola Deo sacrificium laudis.* Imò constans ea fuit Hebræorum traditio, vt testatur S. Hieronymus, Ezechiam Regem ideò grauem istum morbum, quo ad mortem vsque ægrotauit, contraxisse, quòd prodigiosam illam ac nobilem victoriam, quando Angelus vnâ nocte in castris Assyriorum centum octoginta quinque hominum millia interfecit, more maiorum cantico laudis celebrandam non curauerit. Et grauis illa fuit ad nostram disciplinam, licet intra verba constiterit reprehensio, quâ, post decem leprosorum mundationem, Seruator noster admirans ait: *Nónne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Quæ vox, *rediret, & daret gloriam Deo,* mihi in mentem reuocat aliam gratitudinis comparationem; quam rursus à Senecâ acceptam, meliùs diuinis applicat S. Ioannes Chrysostomus, quem ille naturali hominum gratitudini accommodatam dederat. Philosophum præmitto: ille enim lib. 2. de Beneficijs cap. 17. & cap. 32. ait: *Qui accepit beneficium, licet animo benignissimo acceperit, nondum consummauit officium suum: restat enim pars reddendi. Sicut in lusu, est aliquid pilam scitè ac diligenter excipere; sed non dicitur bonus lusor, nisi qui aptè & expeditè remisit quam acceperat.* & rursus cap. 17. *Volo Chrysippi nostri vti similitudine de pilæ lusu, quam cadere non est dubium aut mittentis vitio, aut accipientis; tunc verò cursum suum seruat, cùm inter manus vtriusque aptè ab vtroque iactata & excepta versatur.* Claudicat hæc quidem vehementer Chrysippi & Senecæ comparatio, imaginantium veluti pilam datariam inter amicos beneficia ac gratitudinem reciprocari: cùm pila eadem eat redeatque inter ludentium manus; beneficia autem non eadem remittuntur, sed alia quædam in signum gratitudinis, vel maiora, vel saltem æqualia. Optimè tamen, vti dicebam, eâ vsus est D. Ioannes Chrysostomus Oratione 8. Tom. 5. *Opera nostra bona,* inquit, *in Deum referre debemus; quemadmodum in sphæra lusu iacit vnus, alter verò refert pilam, tamdiuq; eleganter ludus producitur, quamdiu inter vtriusque manus iacta & reciprocata sphæra non excidit.* Nos enim eamdem pilam percutimus, dum humili gratiarum actione ipsa sua beneficia Deo in gratitudinis significationem referimus. neque obstat, quòd aucta semper ab eo reuertantur: hoc enim fit, quòd, crescente quodammodò nostrâ inter ludendum peritiâ, dexterrimè pondus addat beneficijs suis, quasi maiora crediturus manibus exercitatis: qui ludus statim cessat, quando nos illa aliò, quàm rectâ in illum vnde venerant, detorquemus. Quem lusum exprimere videtur Regula, dum ait: *Proinde si quod à Deo impetrauerint beneficium;* impetrabunt autem multa quotidie; *ei continuò gratias agent.* Vt statim scilicet ei dona sua remittant cum submissâ gratiarum actione; ne pila tam pretiosa in terram decidat, nobis lusum detrectantibus: quo vehementer bonitas diuina recreatur, & quo Virgo Domina nostra exercebatur, semper ludens coram eo in orbe terrarum. Vt autem praxim subiungamus, docet Doctor Angelicus 2. 2. q. 107. art. 1. tribus modis gratos nos Deo posse existere; ad quos praxim omnem huius Regulæ referre debemus.

Primo, corde interiùs beneficij accepti magnitudinem æstimando, & se tali benefactori in primis obnoxium agnoscendo. Vbi iuuabit nos, si consideremus primò, infinitam dignitatem largitoris; secundò, infinitam eius charitatem; tertiò, beneficij excellentiam; quartò, vilitatem abiectionemque nostram; quintò, infinitam Dei liberalitatem; sextò, si expendamus beneficium tamquam nobis solis donatum, quamquam multis sit illud commune. De quo præclarè S. Ioannes Chrysostomus lib. 2. de Compunctione cordis: *Hic est,* inquit,

Psalm. 49. v. 14.

Lucæ 17. v. 17.

Grati hominis & scitè pilâ ludentis comparatio.

Tribus modis quis potest gratus esse:

Primo, magni faciendo beneficium:

inquit, *affectus & sensus serui fidelis, vt beneficia domini, quæ communiter data sunt, quasi sibi soli præstita reputet, & quasi ipse sit omnium debitor, & pro omnibus ipse solus habeatur obnoxius. Hoc fecit Apostolus, qui mortem Domini, quæ vniuerso impensa est mundo, sibi soli præstitam dicit: quasi enim de se solo loquens, ita scribit: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum propter me.* Quòd enim sol alijs etiam luceat, propterea non minus lucis mihi impenditur; & tantum mihi prodest, atque si soli mihi diem accenderet; imò hoc etiam ampliùs prodest lux communis, quòd socios mihi det, qui auxilio sint atque solatio, quando est opus. Septimò, si examinemus omnia, eaque subtili consideratione quasi anatomizemus: nam mirabilem semper inueniemus in vno beneficio beneficiorum multitudinem, ita vt continui in hoc naturam imitari videantur. nullum enim adeò minutim concidemus, quin infinita pænè inuenturi simus in singulis partibus beneficia. Octauò, si pondus addamus bonis nostris per mala aliena: quot enim quispiam patitur aduersa, tot Dei nostri & Virginis, quæ ea precibus à nobis auertit, sunt beneficia.

Galat. 2. v. 20.

Secundo, gratias agendo. Alter gratias agendi modus fit ore, verbis scilicet Deum Virginemque laudando. quem ad praxim reuocabimus: primò, crebris de bonitate ac liberalitate diuinâ sermonibus; secundò, conscriptis in laudem eius & gratiarum actionem canticis ea celebrando, vti Dauidem, Zachariam, atque ipsam Virginem MARIAM in Hymno isto omnium hymnorum excellentissimo, *Magnificat anima mea Dominum*, fecisse accepimus. Tertiò, conscripto magnificis verbis beneficiorum à Deo Virgineque MARIA acceptorum catalogo; quem singulis diebus vt minimùm semel gratâ recordatione relegamus.

Lucæ 1. v. 47.

Tertio, beneficium compensando. Tertius gratitudinis modus ipso exhibetur opere, quando beneficium re ipsâ compensamus. quod facere nos possumus, primò, omnia aduersa ad Dei Deiparæque honorem & gloriam æquo animo tolerando. Hoc Psalmista agebat Psal. 115. v. 12. rogans: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem*, inquit, *salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Vota mea Domino reddã coram omni populo eius*; quia *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Secundò, statim vt notabile aliquod beneficium accipimus (quod Regula præscribit) gratias agendo flexis poplitibus, si soli simus; vel, si otium est, imaginem B. MARIÆ Virginis aliquam visitando. Tertiò, in memoriam notabiliorum beneficiorum, externa signa, celebrationem Missæ, eleëmosynam, &c. adhibendo. Quartò, cùm Deo paria reddere non possimus, simili aliquo genere, quali nos eius infinita bonitas præuenit, in proximos nostros munificentiam ostendendo. quod enim vni ex minimis eius facimus, sibi factum reputat clementissimus Dominus.

Commendatâ ita in communi gratiarum actione, instrumento omnium potentissimo ad impetrandum thesauros cælestes, quia ipsam humilitatis abyssum tangit, nihil sibi asscribendo, omniaque referendo in Deum; & præterea, quia habet istam paria, si fieri posset, referendi voluntatem; descendit ad praxim vnam particularem Regula, designatque eam gratiarum actionem, quæ gentibus plurimis erat familiaris, & Christianis in primis à Scripturâ & Patribus commendatur. Ecclesiasticus namque cap. 32. v. 17. ait: *Et super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis suis.* & Apostolus 1. ad Timoth. cap. 4. v. 3. de cibis agens: *Quos*, inquit, *Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.* S. Chrysostomus Homil. 50. in Matthæum: *Quando*, inquit, *Christus panes multiplicauit, tunc in cælum respexit; partim vt ea quæ diximus firma haberentur, partim docens nos non esse ad mensam accedendum, quousque gratias ei agamus, qui cibum nobis præbuit.* S. Hilarius exponens illa verba S. Marci c. 14. *Manducantibus illis, accepit IESVS panem, & benedicens fregit*, &c. *& accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberunt,*

Commendatur gratiarum actio ante & post mensam.

runt,&c. *Sicut*, inquit, *Apostoli gratias egerunt antequam biberent, ita etiam gratias agunt postquam biberunt; vnde dicitur: Et hymno dicto exiuerunt in montem Oliueti. vt scilicet addiscas, & ante cibum & post cibum gratiarum actiones reddere Deo.* S. Ephræm Adhortat. 1. Tom. 2. *Canonem*, inquit, *seu regulam cum omni reuerentiâ & timore Dei sequere; licetq; bis in die ad comedendum tradatur, semper cibum cum gratiarum actione sumito.* Vt autem sciamus morem Deum ante & post mensam laudandi, cum ipsâ Ecclesiâ natum fuisse, Tertullianus in Apologet. cap. 39. *Oratio*, inquit, *auspicatur & claudit cibum.* & in Concilio Nannetensi dist. 44. cap. *Nullus*, dicitur: *Quando autem conueniunt Presbyteri ad aliquod conuiuium, aliquis prior illorum versum ante mensam incipiat, & cibum benedicat; & tunc secundùm ordinem sedeant, alter alteri honorem præbentes, & per vices cibum & potum benedicant, & aliquis illorum aliquid de S. Scripturâ legat. Post refectionem similiter hymnum dicant, ad exemplum Domini, sicut in cœnâ fecisse legitur*, &c. D. Hieronymus ad Eustochium Tom. 1. sic habet: *Ita tibi semper comedendum est, vt cibum & oratio sequatur & lectio.* Illustrat hunc locum D. Chrysostomus, qui cùm Annam Samuelis matrem post epulas intentè Deum orasse dixisset, vt illi sterilitatem solueret, hæc subijcit: *Hoc igitur à feminâ lucri consecuti sumus, vt sciamus & post conuiuium orare: quisquis enim ad hoc præparatus fuerit, numquam in ebrietatem aut vinolentiam incidet, numquam edacitate distendetur; sed quoniam exspectationem precationis habet, freno imposito animo, conueniente mensurâ attinget ex omnibus quæ fuerint apposita, multâque benedictione tum animam tum corpus implebit. Siquidem conuiuium, quod à precatione cæptum in precationem desinit, numquam deficiet, sed quouis fonte vberiùs nobis omnia adferet bona. ne igitur tantum negligamus bonum.* Probat exemplo. Absurdum enim fuerit, si, cùm famuli nostri, si quando partem aliquam eorum, quæ nobis apposita sunt, acceperint, gratias agant, beneque nobis precantes abeant; nos, cùm tot tantisque fruamur bonis, ne hoc quidem honoris Deo persoluamus, præsertim cùm hinc multam simus consecuturi securitatem. Vbi enim precatio & gratiarum actio, eò sancti Spiritus aduenit gratia, abiguntur dæmones, & omnis aduersaria potestas diffugit ac discedit. Qui se conuersurus est ad orandum, non audet quidquam absurdè loqui, ne in medio quidem conuiuio; aut si locutus fuerit, mox resipiscit. Proinde oportet tum in initio, tum in fine conuiuij gratias agere Deo, ob hanc præcipuè causam, quòd, quemadmodum dicere cœperam, haud facilè prolabemur in ebrietatē, si nos ipsos in hac consuetudine constituerimus: quin, si quando surrexeris crapulâ potuq; grauatus, ne sic quidem abijcias consuetudinem. Hactenus S. Chrysostomus, qui multiplicem adfert huius consuetudinis vtilitatem. Nam benedictione & inuocatione Dei, quam mensæ præmittimus, ostendimus & profitemur primò, nos à Deo cibos ferculaque omnia accepisse, accipere, & deinceps nos accepturos sperare, taciteque Deo pro ijs gratias agimus. Quoties enim nos ad mensam accingimus, toties ad viuam beneficentiæ Dei tot esculenta & poculenta largientis concionem accedimus; debemusque cogitare hoc esse quasi manna nostrum, quod è cælo nobis, æquè ac Hebræis in deserto, quotidie in mensam depluit. Deinde istâ gratiarum actione efficaciter panem nostrum quotidianum, hoc est, omnia quæ corporis sustentationi sunt necessaria, petimus, & impetramus indeficientem diuinæ beneficentiæ largitatem. *Siquidem conuiuium*, vt ex S. Chrysostomo dicebamus, *quod à precatione cæptum in precationem desinit, numquam deficiet, sed quouis fonte vberiùs nobis omnia adferet bona.* Tertiò, hac oratione ostendimus, nos ad Dei honorem velle ijs vesci, taciteque ea illi offerimus. Quartò, oramus & petimus, ne contingat nos instar pecorum aut infidelium in cibos irruere, sine vllâ piâ cogitatione aut

Antiquitas moru gratias agendi ante & post mensam.

Homil. 79. ad Populum.

Cur mensa benedicimus.

Causa prima.

Mensa est viua beneficentia Dei concio.

Causa secunda.

tertia.

quarta.

aut Dei memoriâ. Cogitandum autem præſertim hoc, edendum eſſe non tantùm vt ſaturemur, ſed vt operemur etiam cibum qui non pereat, ſed qui permaneat in vitam æternam, Ioan.6. v.27. &,vt dicitur Lucæ 14.v.15. vt cogitemus etiam de edendo pane in regno cælorum; hinc pia lectio ſacræ Scripturæ menſæ iam olim adhibita eſt,tum ab alijs, tum ab Eſſenis, teſte Philone lib. de Vitâ contemplatiuâ; eamdemque adhibendam eſſe docet S. Auguſtinus Epiſtolâ 109. & S.Baſilius in Reg. breuior. cap.130. Quintò, hac benedictione petimus, vt vſus cibi & corporis & animæ valetudini ſit vtilis, & ſalutaris; vt, *Vinum lætificet cor hominis: & panis cor hominis confirmet:* nam *aperiente te* (Domine) *manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Sextò,eâdem petimus, ne cibus diaboli aut magicâ poteſtate inficiatur, néve diabolus aut concupiſcentia per cibum nos in comeſſationes, ebrietates, libidines incitet. facilè enim in comedendo & bibendo ſurrepit intemperantia, & multi cum illo Epulone Lucæ 16. toti ſunt in delicijs. Itaque rectè monet S.Auguſtinus lib.10. Confeſſ. cap.31. *Hoc,* inquit, *docuiſti me Domine, vt quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.* & infrà: *Quis eſt, Domine, qui non rapiatur aliquantulùm extra metas neceſſitatis? quiſquis eſt, magnus eſt, magnificet nomen tuum; ego autem non ſum, quia peccator homo ſum.* Quantum autem poteſtatis vſurparit ſibi dæmon in cibos ante CHRISTI natiuitatem, vt per eos noceret hominibus, docet S.P.N. lib.18. de Ciuitate Dei cap.17.&18. S.Gregorius lib.1.Dial.4. narrat dæmonem inuaſiſſe Monialem, quòd lactucam ſumpſiſſet non præmiſsâ benedictione. Contra quæ diaboli veneficia remedium præſcribit D.Chryſoſtomus: *Medicamentum,* inquit, *in promptu eſt, ſignum crucis illi* (cibo aut rei quâ vti vis) *imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abſceſſit.* Hinc à SS.Patribus & Eremitis olim, æquè vt ab Eccleſiâ etiamnum fit,benedicebantur non tantùm aquæ Fontis baptiſmalis,ſed etiam panes, mel, lac, vinum, aliaque ſtatis diebus, vt diaboli vis ac poteſtas ex ijs expelleretur; & per has conſecrationes fieret ſanitas mentis & corporis ijs qui illis vterentur. Sic in die Paſchatis multis in locis conſecrant lac, mel, carnes, oua, panes, pernas,&c. in die S. Ioannis benedicunt vino, in die S.Stephani paſcuis, in die S. Marci ſegetibus, in die Aſſumptionis B.MARIÆ Virginis herbis, plantis, radicibus, fructibus arborum, vt eis deinceps adſit ſingularis vis diuina: nam, vt ait Apoſtolus, *ſanctificatur* (creatura Dei) *per verbum Dei, & orationem.* Tot ergo ſunt rationes, cur Sodalibus accuratè ſeruanda ſit hæc de menſæ benedictione Regula; ſed illis particularis eſt hæc, quòd, cùm ipſi de familiâ ſint Virginis, debeant præſcriptum in eius domo morem obſeruare. Quis enim dubitet, an vmquam menſæ cum Sponſo ſuo & Filio iam grandiuſculo accubuerit, quin Deo affectuoſiſſimè gratias egerit ante & poſt frugales ſuas epulas, cùm natura ipſa pænè nationes omnes hunc modum docuerit? Nam & Gentiles, vt teſtatur in Sympoſiacis Plutarchus,cibum ſumpturi dijs conſecrabant primitias; ac deinde non indecorè, neque tumultuariè, ſed religione quadam ad conuiuium accedebant, non aliter quàm ad ſacrum epulum. Turcas, antequam cibum ſumant, precationem ſolitos præmittere, teſtes ſunt Legati Principum Chriſtianorum apud Turcam. Et de Eſſenis ita ſcribit Ioſephus lib.2. Belli cap.7. *Voce ſacerdos cibum anteuertit: neque fas eſt guſtare quemquam, niſi priùs Deo celebretur oratio. Poſt finem quoque prandij vota repetunt: nam & cùm incipiunt & cùm deſinunt, quaſi datorem victus Deum laudibus canunt.* Sed nominatim aduertendæ Hebræorum, Græcorum & Latinorum formulæ menſæ benedicendi, vt iucundâ varietate mentem paſcant Sodales.

quinta. — *Pſal.103. v.15.* — *Ibid. v.28.* — *ſexta.* — *Poteſtas dæmonis in cibos ante CHRISTUM:* — *iam frangitur ſigno crucis,* — *& benedictione.* — *1.Tim.4. v.5.* — *Etiam Gentes menſæ benedicunt.*

Benedictio menſæ Hebræorum.

VOCANT menſæ benedictionem Hebræi *Kiddùſch*, id eſt *ſanctificatio-*

Hebræorum benedictio in menſæ principio:

cationem. cuius formula hæc est: *Benedictus sit Dominus Deus noster Rex mundi, qui cibat totum mundum bonitate, gratiâ, beneficentiâ, & misericordiâ suâ; qui dat alimentum omni carni: cuius bonitate nec hactenus defuit, nec decrit cibus vmquam, propter magnum eius nomen. solus enim is est qui vegetat & conseruat omnia, & benè facit omnibus, & cibum præparat singulis creaturis suis quas condidit. Benedictus sis tu Domine, qui cibas omnia.* Deinde paterfamilias poculum vino repletum dextrâ manu apprehendit,atq; in hunc modum consecrat, dicens: *Benedictus sis tu Domine Deus noster Rex mundi, conditor fructus vitium.* Hac benedictionis formulâ primus omnium vinum ipse degustat, idemque mox omnibus mensæ accumbentibus degustandum porrigit. Post calicis benedictionem & sumptionem, idem statim panem, quem integrâ massâ constare oportet, accipit, eumque vtrâque manu tenendo, his verbis consecrat: *Laudatus & benedictus sis tu Domine Deus noster, qui educis de terrâ panem.* hocque dicto, paterfamilias paululùm de pane edit, simulque singulis mensæ accumbentibus buccellam de eo distribuit: quo facto, tum demum reliquis epulis manus iniiciunt. Hunc ritum benedicendi calicem & panem in festiuis tantùm diebus obseruant: aliàs enim panem dumtaxat, & non poculum pariter consecrare solent. Sed non contenti istâ benedictione quâ mensam auspicabantur, crebrò benedictiones ad noua fercula iterabant. Cùm enim melius vinum apponebatur, dicebant: *Benedictus sis tu Domine Deus noster, qui bonus es, & benignè facis omnibus.* & hæc benedictio vocatur *Benedictio benigni & benefactoris.* Cùm aromata apponuntur, dicunt: *Benedictus sis tu Domine Deus noster Rex mundi, creator arborum aromaticarum.* hæc vocatur *Bircat hammugmar*, id est, *benedictio consummati*, scilicet conuiuij: quia vltimò apponi solent aromata aliaque odoramenta. Cùm suaue odoramentum aliquod apponitur, dicunt: *Benedictus sis tu Domine Deus noster, qui creas species aromaticas.* hæc benedictio vocatur *Bircat hamuscak*, id est, *benedictio deliciarum*, vel *appetitæ*. Cùm fructus arborum apponuntur, dicunt: *Benedictus sis tu Domine Deus noster, qui creas fructus arborum.* Cùm apponuntur obsonia, dicunt: *Benedictus sis Domine Deus noster, qui creas genera ciborum.* hæc vocatur *Bircat hapharpharat*, id est, *benedictio obsonij.* Ex tam crebrâ Hebræorum benedictione docemur, quid nos Christiani facere debeamus: nam imitatos fuisse in hoc Iudæos primitiuæ Ecclesiæ Christianos satis insinuat Apostolus, quando dicit: *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur,* 1.Timoth.4. v.4. Gratiarum actio vocatur, mensæ vel cibi benedictio: quia Iudæi & CHRISTVS ipse solebat benedictionem à gratiarum actione auspicari, vt patet in multiplicatione panum & Eucharistici epuli institutione. Atque hinc est, quòd Matthæus & Marcus dicunt CHRISTVM benedixisse panem (Eucharistiæ) Lucas verò & Paulus dicunt eum gratias egisse: cùm tamen omnes idem dicant, scilicet, CHRISTVM gratias agendo Patri benedixisse panem, & solitam Patris potentiam ac beneuolentiam inuocasse, vt per consecrationem panem in CHRISTI Corpus conuerteret. Atque hæc sufficiant de benedictione mensæ Hebræorum.

crebra inter vescendum benedictio.

Gratiarum actio post mensam Hebræorum.

DIXERAT Moyses Deuter.8. v.10. *Vt, cùm comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terrâ optimâ quam dedit tibi.* quod ipsi in epulis solemnioribus hac ratione obseruabant, prout habetur in *Siddur habberacoth*, id est, *Ordine benedictionum.* Paterfamilias, vel honoratior conuiua, poculum vino refertum vtrâque manu tenens, dicit: *Benedicamus*, siue, *gratias agamus Deo nostro, qui comedimus de suo.* Hoc dicto respondent conuiuæ:

Sit

Sit laudatus Deus noster, de cuius bonis comedimus, cuiusq; benignitate viximus. Post hæc qui orando præit, sic ait: *Benedictus sit ipse, & benedictum sit nomen eius*, &c. plura in eamdem sententiam. Quibus finitis conuiuę, sequentem orationem submissâ voce apud se dicunt: *Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum. Diuites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, Psal. 33. v. 10. Quo dicto, ex benedicto poculo, quod manu tenet, paululùm bibit, idque mox omnibus conuiuis degustandum præbet, atque ita distribuit. Quem Hebræorum morem CHRISTVS seruauit in vltimâ cœnâ, vt patet Lucæ 22. quâ peractâ, Hymnum cum Apostolis dixit. Vbi Paulus Burgensis, ex Hebræo Christianus, vetustam Iudæorum traditionem fuisse scribit, vt, comeso agno Paschali, Psal. 112. *Laudate pueri Dominum*, & sequentes vsque ad 118. *Beati immaculati in via*, decantarent; & hunc esse Hymnum, quem CHRISTVS cum discipulis cecinerit.

Benedictio ante, & gratiarum actio post mensam, Græcanicæ Ecclesiæ vsurpata.

GRÆCANICÆ Ecclesiæ (vti liquet ex eius Horologio) benedictionis mensæ, & gratiarum actionis, hæc exstat formula. Primùm, antequam cibi apponuntur, legitur totus Psalmus 144. *Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in sæculum*, &c. Deinde appositis cibis recitatur à Sacerdote benedictio mensæ, hoc modo: *Christe Deus noster, benedic cibo ac potui seruorum tuorum; quoniam tu es sanctus & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* Posteà, quando cibum gustarunt, surgunt in mensâ, & simul omnes recitant illam benedictionem, cuius & Clemens & Chrysostomus mentionem faciunt: *Benedictus es Domine Deus* (ὁ ἐλεῶν) *qui misereris nostri, & pascis nos à iuuentute nostrâ, qui das escam omni carni: reple gaudio & latitiâ*, seu *hilaritate* (εὐφροσύνῃ) *corda nostra, vt semper omnem habentes sufficientiam* (αὐτάρκειαν) seu *habentes in omnibus animum præsentibus contentum, exuberemus* (περισσεύωμεν) *in omne opus bonum, in* CHRISTO IESV *Domino nostro: cum quo tibi gloria, honor, virtus*, seu *imperium* (κράτος) *adoratio cum sancto Spiritu, Amen.*

Post sumptum cibum, primò recitatur hæc gratiarum actio: *Gloria tibi Sancte, gloria tibi Rex, quoniam dedisti nobis escas ad lætitiam, imple nos etiam Spiritu sancto, vt inueniamur in conspectu tuo accepti, & non confusi*, seu *pudefacti* (αἰσχυνόμενοι) *quando reddes vnicuique secundùm opera sua.* Deinde legitur Psal. 121. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* Posteà additur hic versus: *Sicut in medio discipulorum tuorum* (cœnantium) *adfuisti Saluator, dans ipsis pacem; ita veni etiam ad nos, & salua nos.* Tandem legitur ex Psalm. 21. *Edent pauperes, & saturabuntur: & laudabunt Dominum qui requirunt eum*, vsque ad finem. *Kyrie eleïson.* Concluditur demum hac precatiunculâ: *Benedictus es Deus, qui misertus nostri, ex opulentis donis tuis pauisti nos. Eius gratiâ & benignitate detur nobis frui & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* Hac formulâ dicit S. Chrysostomus Homil. 56. in Matth. 5. vsos fuisse antiquos illos eremi Patres; omnibusque imitandam proponit.

Benedictio mensæ Latinorum.

LATINÆ Ecclesiæ ritum benedicendi mensæ, & gratias agendi, omnes audimus & nouimus; isque expressus extat in fine Breuiarij Romani, vt opus non sit eum huc transscribere. Concludam ergo hasce mensæ ciborumque benedictiones formulâ precandi, quam præscribit Christianus Poëta Prudentius in Hymno ante cibum, quæ benedictionis locum obtinere posset:

Te sine dulce nihil Domine;
Nec iuuat ore quid appetere,
Pocula ni priùs atque cibos,

Christe, tuus fauor imbuerit,
Omnia sanctificante fide.
& infrà:
Fercula nostra Deum sapiant,
Christus & influat in patinas,
Seria, ludicra verba, iocos,
Denique quod sumus atque agimus
Trina superna regat pietas.
& sub finem:
Da, locuples Deus, hoc famulis
Ritè precantibus, vt tenui
Membra cibo recreata leuent,
Neu piger immodicis dapibus
Viscera tanta grauet stomachus,
Sospitet vt iecur incolume.

CAPVT XXIV.

Regula septima.

SVB noctem, priusquam cubitum concedant, conscientiæ examine in seipsos inquirant, si vspiam peccauerint, à se ipsi pœnas exigant acri suiipsorum reprehensione; adiecto insuper aliquo, qui carnem affligat, pœnitentiæ actu, vel recitatis certo numero precibus: deinde spondentes meliora omnia, feruenti contritionis actu, cum Deo in gratiam redeant: tandem iterùm ad hoc particulariter attendant, an singulari aliquo obsequio eo die Dominam suam sibi demeruerint, mancipiorum proprias orationes recitauerint, ac tributum quotidianum Dominæ suæ persoluerint.

Explicatio.

Quanta sit examinis conscientiæ vtilitas. Regulam hanc qui omnium vtilissimam, reliquarum omnium conseruatricem, mancipatus nostri robur, pietatis & vitæ Christianæ firmamentum dixerit, exiguis pro dignitate nominibus rem magnam exprimere conatus fuerit. Hæc enim sola si obseruetur, non perfunctoriè, sed seriò, & ex animo, eâ quâ mox præscribemus ratione; sine dubio omne mancipatus nostri officium facilè adimplebimus. Quantò enim die insequenti paratior & exercitatior erit ad peccata debellanda, ad officium suum strenuè obeundum, qui vesperi, antequam incumberet, positis ob oculos totius diei defectibus, eorum acrem dolorem excitauerit, eosdemque vitare in posterum seriò proposuerit? Quantum erit per diem frenum, quo sese à peccando quis cohibeat, cogitare, quòd etiam illâ ipsâ nocte reddenda sit ratio eorum quæ patrauerit? Et numquid, si mercator esses, quotidie lucrum atque dispendium ad rationes reuocares, & damnum quo modo quàm citissimè resarcires, tecum disquireres, existimans hanc diligentiam non parui esse ad rem pecuniariam momenti? *Mercator.* Iam verò, cùm multiplicem in Deiparæ familiâ mercatum exerceas (habes enim creditam tibi Dei ac Dominæ tuæ gloriam, quæ amplificanda est; habes commendata tot animi corporisque talenta, quæ benè impendenda sunt; habes propositam æternam gloriam, quam lucrari debes) erisne negligentior in tantis spiritualis mercaturæ negotijs, quàm mercatores in tantulis rerum temporalium nugis? Si hortulanus esses, cui excolendi forent pretiosi curiosissimi Regis flores, nónne summâ quotidie curâ in vrticas ceterasque noxias herbas inuigilares, daresque operam, ne quas illæ radices agerent? *hortulanus,* Et in nobili hac familiâ, MARIANI hortuli partem bonam, animam tuam ac corpus, excolendam cùm habeas, quin æquè diligenter quotidie in zizania vitiorum semper pullulantia animaduertis, atque faciendum putares in herbarum lolia? Si pædagogus in Regiâ familiâ constitutus, Principem Regni heredem tibi commissum haberes; *pædagogus docent examinis necessitatem.* nónne quotidie super eum excubares, sedulam eius curam gereres, quid benè, quid perperàm die isto egisset, vesperè examinares? modosque ac rationes inquireres, quibus eum à vitijs abstractum virtuti traderes? Et nescis hoc ipsum officium tibi esse demandatum in hoc mancipatu Virginis? Filia Regis est anima, Regina Mater eius est Domina tua Virgo MARIA: hanc tibi illa commisit educandam, hanc tradidit ijs moribus imbuendam, qui deceant tantam Matrem. Diligenter ergo quotidie

tidie inquirendum est tibi in eius defectus & vitia, vt media illi proponas quibus possit ea deinceps emendare. Videmus ergo, quantæ vtilitatis & necessitatis sit hæc conscientiæ nostræ quotidiana discussio. Quomodo autem instituenda sit, breuiter etiam subijciemus. Constat quinque veluti membris vtilissimum istud pietatis exercitium: quorum singula mereantur particularem, si hic excurrendi locus esset, tractatum.

Quinque membra examinis.

Primum, gratiarum actio.

Primum est gratiarum actio, de quâ diximus pauca Regulâ superiore; vbi ostendimus ita continuam eam esse debere, vt tota vita nostra non sit aliud quàm perpetua gratiarum actio, cùm ipsa, quanta quanta est, nihil aliud sit quàm continuum Dei beneficium. Est tamen peculiariter, & quasi ex professo hoc agendum initio huius examinis: nam, reuocatis in memoriam tot Dei beneficijs, quibus ille non cessat nos immerentes cumulare, grauior deinde accidet peccatorum memoria, faciliusque pudorem atque dolorem eorum excitabimus, cùm videbimus offensas beneficijs insigni nostrâ ingratitudine oppositas. Iuuerit hîc tam generalia quàm particularia Dei in nos beneficia descripta habere in catalogo quodam verbis magnificis, quò faciliùs ea possimus in memoriam reuocare. Aduerte, nominatim recogitanda & recensenda esse beneficia isto ipso die accepta, vt eorum fiat cum ipsis peccatis nostris comparatio, & dolor existat vehementior. Potest autem hæc gratiarum actio breuiter concipi in hæc verba: *Ago tibi gratias omnipotens & misericors Deus, quòd me omnium indignissimum peccatorem per merita* IESV CHRISTI *Filij tui, atque per intercessionem Dominæ meæ Virginis* MARIÆ, *tot beneficijs immerentem cumulaueris, vt omne vitæ tempus mihi non sufficiat, ad ea vel leuiter commemoranda. tu enim creasti me cùm non eram, tu redemisti cùm perieram, tu infinitis alijs derelictis me ad fidem & cognitionem tui adduxisti; tu omni vitæ meæ tempore, ô infinita bonitas, certasti quodammodò benefaciendo mihi cum malitiâ meâ, quâ ego miser & infelix peccator non cesso offendere diuinam Maiestatem tuam. Numquid enim vel hodie vitam mihi tribueras, vt tibi seruirem, quam tot hominum millia non habuerunt, qui heri vel etiam hodie in peccatis suis perierunt? Numquid Missæ sacrificium, hanc & istam NN. inspirationem, illas & illas NN. benefaciendi occasiones mihi benignissimè tribuisti? & ego ingratus quid reposui?*

Formula quâ peragenda gratiarum actio.

Sequitur secundum examinis membrum, quod in noui beneficij postulatione consistit; vt scilicet dignetur Dominus intellectus nostri oculos aperire, vt videre possimus, quibus nos peccatis tantæ beneficentiæ Domini ac Dominæ nostræ isto die responderimus ingrati; simul vt vires & robur addat voluntati, quò possit ab ijs sese auertere, & constanter ea detestari. Perget ergo in oratione superiore, & dicet:

Secundum, postulatio gratiæ cognoscendi peccata.

Scio, Domine, cordis mei nequitiam, scio malitiam voluntatis meæ, quòd non nisi mala reddiderit pro bonis: sed etiam scio mentis meæ cæcitatem, quæ ne quidem videt vbi corruat, aut agnoscit vbi offendat. Aperi ergo Domine oculos meos, vt videam delicta mea, & robur animo meo suppedita, quò possim illa generosè detestari.

Tertium membrum est ipsa conscientiæ discussio: vbi breuiter diem totum percurret, vel actiones singulas in memoriam reuocando; vel per horas ipsas discurrendo; videbitque quid cogitatione, quid verbo, quid opere deliquerit, quid eorum quæ facienda erant omiserit. Deinde, omnibus defectibus collectis, atque examinatis eorum causis atque radicibus, procedit ad

Tertium, actionum discussio.

Quartum membrum examinis: in quo consistit præcipua eius vis & robur, quod habet ad vitæ emendationem; vt scilicet per dolorem & contritionem delictorum suppliciter à Deo veniam petat; &, quod est

Quartum, dolor & contritio.

Quintum membrum, seriò emendationem proponat. Hîc enim elaborandum, huc omnes conuocandæ corporis animique facultates, vt dolorem

Quintum, emendationis propositum.

verum de peccatis, ac firmum habeamus vitæ emendandæ propositum. Ita enim vir quidam magnus de vltimis hisce examinis membris dicere solebat: Persuadeas tibi, Principis cuiusdam filium tibi regendum esse traditum, vt moribus eum honestis ac Principe dignis imbuas, vt malas ei consuetudines demas, ac rationem quotidie ab eo deposcas. An, si hoc tibi oneris incumberet, perfunctum te putares munere tuo, si eò adolescentem adduxisses, vt peccata sua te minimè celaret; sed quotidie candidè, quid deliquisset, vbi à præcepto tuo & honestatis declinasset, indicaret? an verò in hoc putares officij tui rationem consistere, vt verbis ad ingenium ipsius accommodatis, delicti grauitatem aperires, eò adduceres, vt iam ipsum sui puderet, detestareturque tantam suam vilitatem, qui ita à natalium suorum splendore deflecteret? denique efficacia ad vitandum media suggereres, firma ac fide Principis stabilita emendationis proposita eliceres? Eâdem prorsus ratione, cùm anima tibi à Deo sit commissa, cùm actiones omnes ipsius tibi sint ad rationis normam exigendæ; non eo acquiescendum tibi, si perspexeris vbi deliquerit; sed hoc maximè vrgendum, vt eam pudeat sui, delicti pœniteat, ac vitæ emendationem proponat. Conducit ad eliciendum illum dolorem, percurrere hunc contritionis actum, quem vellem omnia Virginis mancipia sibi reddere familiarem.

Actus contritionis.

DOMINE IESV CHRISTE, totus horrore atque tremore concutior ad memoriam eorum peccatorum, quæ tanto numero, eâque grauitate aduersus diuinam Maiestatem tuam, in vno supposito homine & Deo virtutem ac bonitatem infinitam continentem, admisi: sed iam firmiter apud animum meum statuo, numquam te posthac offendere, omnesque peccati occasiones, opitulante diuinâ tuâ gratiâ, declinare: proinde ad misericordiæ tuæ infinitæ azylum accurro, haud dubitanter confidens, ibi me & peccatorum veniam, & pacis osculum, ac noua virtutis incrementa, impetraturum. Id quod posthac ita mihi erit votorum summa, vt iam ne quidem ipsa futura sit vita in amore, nisi vt tibi seruiam; neque in desiderio, nisi vt te amem. Vbi me igitur iam (id quod futurum planè confido) in gratiam receperis, permitte citiùs (ita te, amantissime IESV, oro) vt vel me feræ dilanient, vel tota rerum vniuersitas in ruinam meam coniurata, me hostiliter persequatur, quàm vt redintegratam beneuolentiam rursum per peccata dissoluam. Abominor enim ac detestor peccatum, tamquam malorum omnium, vti verè est, extremum; quandoquidem admitti nequit nisi in opprobrium & iniuriam infinitæ Maiestatis tuæ. Exanimat me quidem, & quasi in vltimam rerum omnium desperationem abijcit eorum, quæ ego admisi (quæ tuos vtique, ipsas renum fibras perscrutantes, oculos latêre non possunt) cùm singulorum acerbitas, tum vniuersorum multitudo: verùm subinde erigit animum meum, Deus meus, ista cogitatio, quòd, licet ego multa admiserim in condemnationem, plura impenderit Seruator meus in meam redemptionem. hinc quantum peccata deprimunt ad desperationem, tantum CHRISTI merita mentem afflictam erigunt ad spem salutis æternæ: nec vicit malitia mea, Domine, bonitatem tuam infinitam, quæ sola me sustentat, veniamque ac remissionem peccatorum sperare iubet per merita hominis & Dei IESV CHRISTI Filij tui.

Rogo te igitur, vt hoc emendationis propositum fulciatur gratiâ tuâ, ne quid illo quod reliquum mihi facies ad viuendum tempore admittam, quod te possit vel leuiter offendere; sed è contrario terribile mihi sit omne delictum, quia repugnat honori tuo; formidabilis sit omnis peccandi occasio, cùm peccato ipso nihil fingi possit aut excogitari peius. Assistat mihi gratia tua, Domine, in tentationibus inimici, ne vel mala minitando à virtute deterreat, vel

bona

bona pollicendo ad peccatum alliciat: cupio enim ita firmam de peccato auersando animo meo stare sententiam, vt nec propositâ cum omnibus omnino bonis totius vniuersi monarchiâ, nec intentatis, cum eâ quam necessariò secum trahunt vniuersitate malorum, inferni cruciatibus, possit aut velit in scelus etiam minimum consentire. Tu Domine adiuua & corrobora hoc animi mei propositum; vt ea, cuius me seruum hodie profiteor, cui & proprium est pro peccatoribus intercedere, tibi me indigno peccati & satanæ seruitio liberum sistat tum temporis, quando pro verendo tuo tribunali, secundùm huius vitæ acta, vel mitem, quod spero, de me; vel seueram, quod deprecor, pronuntiaturus es sententiam. Id quod te oro per mortem & passionem tuam acerbissimam, Domine noster IESV CHRISTE Fili Dei vnigenite, qui cum Patre & sancto Spiritu viuis & regnas per omnia sæcula.

De pœnitentiâ externâ.

ADDITVR in Regulâ, *Adiecto præterea aliquo qui carnem affligat pœnitentiæ actu.* Quæ res cùm non vnam habeat vtilitatem, paucis est explicanda. Cùm enim iudicium quoddam exerceamus in conscientiæ examine, nosmetipsos iudicantes, antequam ad rigidum illud & immobile tribunal vocemur, vbi exigentur omnia debita nostra vsque ad nouissimum quadrantem, & delicta punientur non in virgâ filiorum, sed in rigore iustitiæ; oportet ad plenam iudicij formam etiam pœnam adijcere, quâ pro criminibus aliquâ ratione diuinæ iustitiæ satisfiat. quamquam ille non sit præcipuus fructus, cur hanc nominatim examini subiungamus pœnitentiam. Sed cùm alumnorum adinstar, nos nobis ipsis commissi simus, animamque regere ac à vitijs abstrahere maximè per hanc examinis exercitationem debeamus; facit pœnalitas illa, quam carni nostræ ob delicta infligimus, coniuncta cum vero dolore sinceroque emendationis proposito, vt

Pœnitentia valet ad satisfaciendum.

ad excitandam memoriam, ne iterùm labamur.

memores deinde simus non committenda in posterum, quæ rursum forent acri doloris sensu luenda. ideò enim vel filijs nostris, quos eâdem quâ nos ipsos charitate diligimus, verbera infligimus quæ sensum acriùs mordeant; vt scilicet memoriam isto sensu excitemus, voluntatemque etiam illo timore auocemus à malitiâ. Imò aliud est non exiguum istius pœnitentiæ commodum, quod Scriptura indicat Danielis 10. v. 12. vbi ad Prophetam Angelus: *Ex die primo*, inquit, *quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua.* Facilè nempe à Deo impetrabimus gratiam vitam emendandi, si pœnitentiam votis nostris adiungamus: mirabilem enim ad commouenda in Deo misericordiæ viscera vim habet voluntariè assumpta corporis afflictatio. Cùm enim maternum sit illi erga creaturas pectus, matris ferè imitatur ingenium: fit autem vt illa, si signis gestibusque filius petat vbera, facilè vel negligat, vel differat eius petitionem; at si lacrymis ploratibusque semet affligere, & valido clamore ea efflagitare incipiat, statim mouetur compassione mater, neque sustinet filij sui afflictionem: ita etiam Deus noster votis illis, quæ aliàs vel non exauditurus, vel certè dilaturus fuisset, statim satisfacit, si videat nos propterea pœnitentijs affligi. Si non esset ista totius Ecclesiæ consuetudo, vt, quotiescumque feruentiùs aliquid à Deo efflagitat, statim ad pœnitentiam corporisque castigationes refugiat; confirmarem hoc infinitis Sanctorum exemplis, qui cilicijs, ieiunijs, flagris, gemitibus, alijsque pœnitentijs præcipuas impetrarunt à Deo gratias, & admirabiles obtinuerunt aduersus carnem victorias. Vnde quartum patet harum pœnitentiarum commodum: cùm enim vitia & defectus plerique oriantur ex lasciuientis carnis aduersus spiritum petulantiâ, fit vt, domitâ per pœnitentias carne, imbecilliores sint eius impetus. atque hæc est præcipua ratio, cur Sancti omnes tam animosè in carnem per pœnitentias corporales insur-

ad impetrandam à Deo gratiam.

ad domandam carnis lasciuiam.

insurrexerint, ne videlicet domi suæ alerent delicatè hostem, quem aduertebant totis viribus sibi aduersari. Notandum tamen, discretam prudentiam, quæ omnium virtutum gubernatrix est, etiam hîc certas fixisse metas, quas nemo potest impunè transire: etenim sua quoque incommoda parit nimius iste pœnitentiarum feruor, qui carnem non contineat, sed obruat. quapropter ea per Regulam commendantur pœnitentiæ, quæ sensum quemdam doloris acriorem infligunt, corporis vires non affligunt. Quis enim ferat equorum domitorem, qui si ferocientem vspiam ac generosis animis insurgentem sonipedem nactus fuerit, eum verberibus ita oneret, vt vires cum spiritibus istis opprimat; & si eum, quem prudenter domando rebus magnis fecisset vtilem, nimiùm onerando ignauum reddiderit atque inertem?

Moderata esse debent pœnitentia.

Sequitur ea pars Regulæ, quæ nominatim tangit officium mancipiorum; vt nimirum, postquam conscientiam suam circa præcepta Decalogi, circa Euangelij consilia, circa perfectionis Christianæ studia excusserint, tum peculiariter mentem reflectant ad propriam ex mancipatu suo obligationem. Vbi tria præcipuè commendantur examinanda, quorum manè è lectulo surgentes particulare fecerant propositum; vt nimirum videant quàm feliciter id adimpleuerint. Primum est, an singulari aliquo studio sibi Dominam eâ die demeruerint; memores istius Imperatoris, qui vesperi recordatus, quòd mortalium neminem isto die singulari beneficio affecisset, suis dicebat: *Amici, hunc diem perdidimus.* existimans ideò se supra conditionem ceterorum mortalium eleuatum, vt omnes sibi beneficijs deuinciret; ideoque perditam eam putabat lucem, quâ nullum insignem istius officij actum edidisset. Et Sodales quid, obsecro, oneris susceperunt? ad quid tam sublimem tanti mancipatus gradum conscenderunt, nisi vt sibi, post Deum, Dominam suam ac cæli terræque Reginam demereantur? Quòd si, transacto iam die, animaduertant vesperi nullo notabili præ ceteris officio isti rei se operam dedisse, cum dolore dicere possunt: Verè diem hunc perdidimus, quia nullam in opere nobis proposito lineam duximus, nihil in gratiâ & fauore Dominæ nostræ profecimus. Alterum, cuius peculiaris habenda ratio, an orationes mancipijs proprias recitauerint. Tertium, an tributum Virgini istâ die persoluerint. Parum enim est hæc optimè in Sodalitate instituta esse, eidemque semel nos nomina dedisse, nisi ea, quæ mancipiorum sunt propria, obeamus; quæ constanter non obibimus, nisi crebro isto examine ipsi rationem officij à nobis exigamus. Quæ ratio sese quotidie examinandi circa rem aliquam, quam à te impetrare vel obseruare desideras, particularem, tantæ est efficaciæ, vt ego mihi persuadeam nihil posse ab hominibus ex parte eorum adhiberi, quod plus vitium habeat vel ad vitia fugienda, vel ad virtutes acquirendas. De particularis istius examinis ratione si hîc esset plutibus agendi locus, libentissimè ego eius faciendi modum, materiam, tempus præscriberem; tum de vtilitate ac viribus agerem; ostenderemque, hanc esse omnipotentem quodammodò inter humana machinam, vel ad naturalem philosophiam, siue moralis illa sit, siue politica; vel ad supernaturalem sanctitatem, adiuuante diuinâ gratiâ, acquirendam. Sed nimiùm hæc Regularum interpretatio excresceret. quapropter sanctè curiosum similium rerum Lectorem remitto ad Alphonsum Rodericium, qui in diuino suo, quem Perfectionis exercitium inscripsit, libro p.1. tract.7. satis ostendit, quænam ipsius esse debeat praxis; ibidemque indicat, in Societate IESV eam vehementer à prudentissimo eius Fundatore S. Ignatio commendatam fuisse, & etiamnum accuratè obseruari. vnde ego non dubito, quin magnâ ex parte deriuetur constans illa ædificatio, quam ista Societas per tot virtutum exempla integro iam sæculo orbi vniuerso præbuit.

Singulari quotidie obsequio beatam Virginem oportet demereri.

Examinis particularis commendatio.

CA-

CAPVT XXV.

Regula octaua.

CVM dies Veneris passioni Domini nostri IESV CHRISTI peculiari ratione sit consecratus; fient eo die singularia quædam mortificationis exercitia in satisfactionem peccatorum, quæ causa ipsi Dei Filio exstiterunt tam acerbæ passionis: deinde etiam, vt veram nobis largiri dignetur notitiam eorum dolorum, quos nostri causâ pertulit: postremùm, vt humilitatis mortificationisque intimum nobis donet affectum, cùm eas potissimùm virtutes nos per passionem suam docere voluerit.

Explicatio.

Inter ea, quæ singulis hebdomadibus semel mancipijs sunt obeunda, est singularis passionis Domini nostri IESV CHRISTI commemoratio. Cui rei cùm dies Veneris sit ab Ecclesiâ ipsâ consecratus, statuimus illum à Sodalibus peculiariter isti exercitio impendendum. cuius vel ideò maximam curam gerere debent mancipia, quòd certum sit, neminem gratum posse esse Matri, qui Filio, post tantos dolores, quos nostri causâ pertulit, exstiterit ingratus. Tradit Ludouicus Blosius S. Gertrudi virgini reuelatum fuisse à Deo, quoties quis intimo deuotionis affectu & tenero pietatis sensu CHRISTI è cruce pendentis imaginem aspexerit, toties eum amanter à benignissimâ Dei misericordiâ respici. Et de Matre cruci adstante quis dubitabit, quin oculos illa statim in eos conijciat, quos videt corde contrito & pio compassionis affectu Filium suum omnia dira patientem aspicere? Quàm ergo anxiè eam rogare solemus, *Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte*, tam sollicitè huic exercitio incumbamus. Conuertet enim, si nos (iterùm dico) saltem semel per hebdomadam attentâ consideratione mentem & oculos in eius Filium patientem conuerterimus. Quòd ergo tanti momenti sit ista interior ad crucifixum conuersio, monet nos Regula, vt externam aliquam corporis mortificationem subeamus, quò impetremus à Deo notitiam ac sensum dolorum eius, tum contritionem peccatorum, & mortificationis ceterarumque virtutum affectus, quos ipse nos passione suâ docuit. Tanti autem est momenti hæc passionis Domini recogitatio, vt B. Albertus Magnus dicere non reformidet, quòd memoria eius quæ compassionis succo non careat, plus homini prosit, quàm totius anni ab omni cibo, excepto pane & aquâ, abstinentia, quàm corporis quotidiana vsque ad sanguinem diuerberatio, quàm repetita quotidie Psalterij totius recitatio. Quod veritati consentaneum facilè videbitur consideranti, illa exteriora, si per se sola æstimentur, neque vim tantam habere, vt vitijs animum expurgent & virtutibus illustrent, vt affectus dirigant & amorem inflamment, quantam attenta atque profunda mysteriorum illorum ruminatio, quæ Saluator nostri causâ pertulit.

Quanti sit fructus memoria passionis Dominicæ. — *quantitatem meriti.*

Quàm verò proprium sit mancipijs hoc exercitium meditandi de passione Domini, ex ipso fine huius Sodalitatis variè patet. Etenim impetrare à Dominâ suâ mortem felicem, mancipijs hisce, vti patet ex ipsis mancipatus fundatoribus VValtero & Marino, est propositum: cui rei quantum conducat meditatio passionis, docuit ipse herilis noster Filius; cui gaudemus cum Matre & ante Matrem deseruire. Nam cùm S. Edmundus, Archiepiscopus Cantuariensis, etiamnum puer ijs Grammaticæ rudimentis operam daret, quibus illa ætas solet ad capessendas altiores scientias præparari, & fortè Oxoniensem per agrum obambulans, ruminandis ijs quæ pectusculum ad pietatem informabant, non pueriliter incumberet; ecce tibi nil tale opinanti astitit puerulus IESVS, facie quæ ita gratiosè niueo candore temperabat rutilantem genarum purpuram, vt aspectu ipso appareret, quòd esset candidus ille & rubicundus à Sponsâ depictus in Canticis: atque Edmundo inter gaudia stupenti, & quis sibi tam gratus comes adue-

Proprium est mancipijs passionis Dominicæ meminisse: Primò, quia prodest ad impetrandam mortem felicem.

Vincent. in Spec. Histor. Anton. 3. p. Hist. Surius Tom. 6.

aduenisset dubitanti, descriptum in fronte nomen suum demonstrat. & inter suauissima quæ miscere cœpit cum sancto puero colloquia, hoc ei dedit consilij, vti ab illâ ipsâ die sedulò contemplandis mortis ac passionis suæ mysterijs vacaret, nec diem abire sineret, quo non fuisset aliquod eorum meditarus: rem hanc futuram illi ad omnes cacodæmonis insultus scurum firmissimum, ad inserendas animo omnis generis virtutes medium efficacissimum, & tandem viam certissimam, quæ ipsum per viram bonam ad mortem felicem deduceret.

Secundò, quia est optimum cordis signaculum:

2. Alterum quod exoptant mancipia, est Dominæ suæ Filijque eius cordi impressum gerere signaculum. An verò huc conducat meditatio passionis, docet tum S. Claræ de Monte Falco commemorata alibi historia, tum illa quam Cantipratani verbis hîc subijciam. Cùm Christianus captus cuidam Gentili tyranno seruiret (ait ille lib. 1. de Apib. cap. vlt.) & ille eum honestissimè tractaret, Christianus autem semper gemebundus incederet; miratus tyrannus, tristitiæ causam quærit, quare cum aliis seruis non gauderet. Respondit, Semper tristis incedo, quia mortis Dei mei memor, continuò in corde meo passionis eius stigmata porto. Hoc vt tyrannus audiuit, grauiter indignatus, Et ego, inquir, experiar quæ dixisti. Nec mora, lictore vocato, iubet aperto pectore Martyris cor euelli, & per medium cultro secari. & statim, mirante tyranno cum suis, pro sigillo pars vna cordis, & pro impressione pars eius altera Crucifixi CHRISTI imaginem continens reperitur. quo viso, tyrannus mox credidit, & cum suis sacrum Baptisma suscepit.

Tertiò, quia est exercitium Deo Virgini; gratissimum.

Tertium denique quod mancipia sibi proponunt, est, diligenter, quibus maximè rebus Domina ipsorum aut eius Filius capiatur, inquirere: vt ipsi possint, quando vitam eorum obsequiis impendere statuerunt, ea seligere exercitia, quibus se agnoscant fore gratiosissima. Esse autem eiusmodi meditationem passionis, testatur Siluester in Rosâ aureâ, Sermone de Mariâ Magdalenâ. Narrat enim de hac singulari CHRISTI amatrice, cùm post Domini ascensionem in vastam illam solitudinem discessisset, in quâ triginta duobus annis seuerissimam egit pœnitentiam, quòd missus sit ad illam militiæ cælestis Princeps S. Michaël, qui mitæ pulchritudinis Crucem, quam manu tenebat, ad os speluncæ ipsius, in quâ Dei famula agebat, defixit; vti ipsa, quæ tota flagraret amore diuino, rem omnium ei gratissimam atque acceptissimam semper exhiberet, perpetuam de cruciatibus eius meditationem. Quod ipsa Diua cuidam è S. Dominici familiâ Religioso significauit, vti pluribus ibidem testatur Siluester. Cùm itaque satis sit istis exemplis pia de passione Domini meditatio Sodalibus mancipatus nostri commendata, restat, vt de modo eam recolendi pauca dicamus.

CAPVT XXVI.

De modo meditandi passionem Domini.

MODVS quo meditanda omnibus est passio Domini nostri IESV CHRISTI, paucis verbis ab Apostolo traditur ad Philipp. 2. v. 5. *Hoc sentite in vobis, quod & in* CHRISTO IESV; supp. *sensum fuit.* vel, vt Syrus: *Hoc sentite in vobis quod* IESVS CHRISTVS, scilicet *in se sensit.* vt scilicet sic afficiamur animo, cruciatus Domini meditantes, quemadmodum ipse afficiebatur, dum eos pateretur. Quæ verba non compassionem tantùm commendant, sed omnes eos affectus virtutesque, quarum exercitio diuina ista mens occupabatur, quando tantos pro nobis exanrlabat labores. Imò Apostolus hîc ad humilitatis affectum immediatè refert, quæ attulimus verba. De quo præclare Leo Papa Serm. 2. de Resurrectione: *Hoc,* ait, *sentite in vobis, quod & in* CHRISTO IESV: *cuius humilitas nulli aspernanda diuitum, nulli est erubescenda nobilium. Non enim in tantum prouehi*

prouehi potest qualibet felicitas humana fastigium, vt æstimet sibi pudendum, quod, manens in formâ Dei, Deus non est arbitratus indignum. & infrà: *Vestram in illo redamate naturam: quoniam sicut ille paupertate diuitias non amisit, gloriam humilitate non minuit, æternitatem morte non perdidit; ita & vos eisdem gradibus, eisdem vestigijs, vt cælestia apprehendatis, terrena despicite.* Affectus ergo quos sentire debemus in nobis ex passione Domini, quamquam innumeri sunt; ad septem tamen præcipua capita eos reuocabimus, & eorum numerum cum septimanæ diebus æquabimus: vt, quibus placuerit quotidie eorum aliquem magno suo cum fructu exercere, habeant in promptu istam varietatem, quæ necessaria æquè in spirituali atque in corporali gustu; ne quod generetur eiusdem rei sæpiùs repetitæ fastidium.

De affectu compassionis.

PRIMVS ergo magisque obuius ac naturalis affectus est compassio & commiseratio. Est autem alteri compati, eius sentire dolores, cruciatibus ipsius cruciari, vulneribus & sanguini lacrymas affundere, & quasi oneri eidem humeros supponere; vnde se non parum ille sentiat subleuari. Fit enim nescio quâ naturæ nostræ conditione, vt, quemadmodum si misero quis insultet, eum irrideat, gaudiumque ostentet quo ex afflictione ipsius perfundatur, increscat dolor, & afflictio afflicto addatur: ita è contrario subleuetur dolor, si alios malis nostris ingemiscere, casus nostros deplorare, dolorem ex dolore nostro ostentare videamus. Et quamquam effectus ille compassionis nostræ iam existere non possit, vt patientis Seruatoris tot iam sæculis actos dolores subleuemus lacrymis aut dolore nostro; nobis tamen non minor inde existit fructus, quàm si verè eum condolendo fuissemus consolati: æstimat enim amorem & affectum nostrum, non consolationem suam Dominus: qui vt suum magis declararet amorem, absque omni humanâ & diuinâ consolatione est passus. Excitabitur verò maximè compassionis in nobis affectus, si perpendamus doloris ipsius magnitudinem. Naturâ enim ita instructi sumus, vt, si quem dolorem modum omnem excedere videamus, etiam hostium, etiam bestiarum nos misereat. At Redemptoris tormenta vndecumque accipiamus, eum habent excessum, vt non possit aliquid excogitari, quod cum ijs habeat aliquam similitudinem. Nam si ea consideremus omnia in quibus pati potest humanitas, in omnibus reperiemus extrema passum: in diuitijs extremam paupertatem, vt nudus moreretur in cruce: in honore, irrisiones tanto cum odio & vilitate, & tam infames, vt latronis & blasphemi nomina patienter sustineret: in famâ, tot falsos testes, qui ei auctoritatem omnem derogarent. Et quid infamiæ non sustinuit? Virtutis fama in pretio habetur? peccator, Samaritanus, dæmoniacus, populi perturbator, potator, blasphemus publicè audit, & habetur pro homine reprobato & reiecto à Deo: quæ maximè infamis est omnium infamia. Sapientiæ æstimatio quæritur? illitteratus, imprudens, stultus existimatur, & vt talis deridendus circumducitur. Potentia est aliquid? maximè quando cælitus cuipiam suppeditantur vires ad patranda quædam supra naturæ modum admirabilia? facit ea; sed, tamquam nihil possit sine Beelzebub infernaliumque virtutum potentiâ, traducitur. Iam verò in corpore quæ patiebatur, hoc magis affligebant, quòd illud tenerum adeò atque sensibile esset, vt nullum fuerit vmquam delicatius. In amicis denique quanta non patiebatur, tum in ijs qui patientem deserebant, tum vel maximè in Matre præsente, cuius ipse dolores æquè ac suos sentiebat. Si verò discurramus per quinque sensus corporis, etiam inueniemus omnia extrema, ac talia quæ ad commiserationem flectant ipsam barbariem. Oculi an non fatigabantur intuendo irrisorios illos hostium vultus, & acerbas amicorum lacrymas?

Quid sit compati.

Excitat compassionem magnitudo doloris.

Magnitudo dolorum CHRISTI Domini.

Nullus sensuum dolore vacabat in CHRISTO.

crymas? an non obſcurabantur ingeſtis execrandorum pectorum ſaliuis, & decurrentibus in eos ſanguinis guttis? an non obtenebrabantur ſordido velamine, vt nihil videntem liberiùs percuterent? an non incendebantur denique calidiſſimo atque continuo lacrymarum imbre, quo peccata noſtra eluebat? Auribus percipiebat horrendas illas atque execrabiles blaſphemias; quibus audiendis Sanctorum nonnulli pœnas inferni exiſtimabant leuiores. Odorem verò qualem naribus percipiebat ex iſto Caluariæ fœtore, in quem laſſus & ſudans ducebatur? vt, apertis omnibus corporis ſui meatibus, hauriret corruptum aërem, &, quantum ſenſus iſtius tarditas patitur, vehementiſſimè cruciaretur. Guſtus, præter aſſiduam per vitam abſtinentiam, quàm vrenti ſiti torquebatur, exhauſtis venis omnibus ſanguine, & corpore tot ſudoribus, laboribus, tormentis fatigato! Tactus denique vt nuſquam non reſidet in corpore humano, ita per totum atrociſſimè cruciabatur. Addamus his membrorum præcipuorum enumerationem. Quanta Deus meus vbique tormenta, & quàm acerbi cruciatus! Caput ſpinis perforatum, arundine pulſatum; capilli capitis & barbæ euulſi, malæ percuſſæ, brachia crudelem in modum diſtenta, vt numerarentur omnia oſſa eius; manus & pedes clauis perforati, totum corpus virgis & flagris peraratum; vnum denique in toto corpore vulnus, ſed non vnus dolor, quem non mouet commiſerationis affectu, hominis nullum, nedum aliquem ſenſum habet pietatis. Nam ſileo internos illos dolores, qui, quòd exteriores inexplicabiles tanto interuallo ſuperabant, nihil nobis reliquerunt, quo vel leuiter explicando poſſint attingi. Nihil enim eſt eorum quæ anima citra imperfectionem tolerare poteſt, quod non agmine facto in ſacratiſſimam illam mentem incubuit: hinc derelictio à Patre, hinc ſuſpenſio conſolationum cæleſtium, hinc vehementiſſima in voluntate triſtitia, propter iniurias quæ Deo fiebant, & propter hominum tam multorum voluntarium interitum: hinc timor, tremor, tædium, agonia ſanguineo ſudore conteſtanda; & ſi quis alius vel inauditus vel innominatus dolor mentem poteſt affligere, omnes vires in animam Domini noſtri IESV CHRISTI exercebant. Quibus ſi hæc accedat conſideratio, Dei Filium eſſe qui patitur, idque noſtri causâ, nullâ neceſſitate coactum, ſed mero noſtri amore; profectò ferrei ſumus, ſi hæc non tangant animum acutiſſimo compaſſionis ſenſu, cùm petræ iam ruptæ ſenſerint tam inaudita Creatoris ſupplicia.

Nullum membrum non crudeliſſimè excarnificatum.

Spirituales CHRISTI dolores.

De affectu amoris.

ALTER affectus, qui ex paſſionis Domini attentâ conſideratione non tam eliciendus eſt, quàm ſponte ſuâ naſcitur, eſt amor erga IESVM Dominum noſtrum. Ferè enim impoſſibile eſt, vt homo paſſionis myſteria intelligat, & non totus rapiatur in amorem tanti benefactoris. Si enim vel hominum inter ſe amor amorem generet, quid faciet amor infinitus, totâ ſuâ latitudine homini viſibiliter exhibitus? Magna dico; ſed vide quàm verè ea pronuntio: nam infinitum eſſe amorem Dei, non aliâ probatione eget, quàm quòd ſit Dei. Totâ latitudine ſuâ nobis impenſum qui negat, oſtendat, quænam Dei ſit potentia, vt maiora pro me faciat; quænam ſapientia, vt excogitet; quænam voluntas, vt vel optare valeat. Vicit enim, aut æquauit ſaltem, vota illa ſua infinita, cogitationes æternas, potentiam omnipotentem, quando ſe hominem pro me fecit, & factum tot cruciatibus obiecit. Non enim potuit præſtantius generi noſtro remedium excogitari, nihil potuit magis amorem noſtrum accendere, quàm amor viſibiliter nobis exhibitus. Ignis eſt amor; & igni elementari ſimilis erat cæleſtis ille, qui in diuino pectore accendebatur: ſed in naturæ ſuæ puritate & in ſuâ circum cælos ſphærâ non vrit ignis, nec vllam craſſiorem materiam accendit; in materiam recipiatur neceſſe eſt, vt materiam inflammet: pari ratione diuinus ille

Totus Dei amor nobis fuit impenſus.

Amoris & ignis comparatio.

ille amoris ignis vix amore sui vrebat pectora humana; at iam factus homo, & per tot vulnera flammas visibiliter emittens, impossibile est, vt non accendat homines piâ consideratione ad amorem patientem appropinquantes. Verbo totum hoc indicat Ioannes Epistolâ 1. cap. 4. v. 9. ***In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.*** In creatione apparuit potentia, in nutritione & educatione vniuersorum apparuit liberalitas, in gubernatione sapientia, in ceteris magnificis ac splendidis Dei operibus eius honore ac reuerentiâ digna apparuerunt attributa; at in redemptione apparuit charitas Dei. cetera enim si sine amore facta essent, suam obtinebant maiestatem, suâ digna erant veneratione; at Deum hominem fieri, Deum pati, & pati tam dira, tam horrenda, tam inexplicabilia, nisi amor est, furor est, insania, stultitia, infamia est. In hoc ergo apparuit charitas & amor Dei, quòd is, qui indecorè facere nihil potest, hoc fecerit: quod nisi amore fiat, omnium est turpissimum. Amori enim hoc proprium est, vt nullum vmquam contrahat dedecus, sed in gloriæ trophæa sibi vertat ipsam infamiam: nec curandum est, quàm vilis res illa sit, ad quam se quis abijciat; sed æstimandus est amor, & verè laudandus, qui tantum excreuerit, vt etiam tam vilia amati causâ non reformidet. Et hæc est causa, cur Euangelista Lucas, aliàs eloquentissimus, cùm hîc verba omnia perdidisset, quibus tantum CHRISTI amorem exprimeret, *excessum* nuncuparit; quòd scilicet mysterium illud passionis Domini, non tantùm humanam omnem cogitationem, sed diuinam etiam vlteriora moliendi potentiam excederet. Apostolus nimiam vocat charitatem Ephes. 2. v. 4. ***Propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos.*** Zacharias Baptistæ pater, ipsa misericordiæ & amoris viscera nominat; vt ostendat nihil in Deo latere intimius: ***Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos, oriens ex alto.*** Et sanè nil potest mouere amorem nostrum potentiùs hisce tormentis, quæ non tam ad redemptionem nostram, quàm ad ostensionem amoris sui perpessus est Dominus. Quod enim ad redemptionem nostram attinebat, guttula sanguinis aut sudoris vnica, vnicum Filij Dei suspirium sufficiebat ad redimendam infinitam hominum multitudinem; sed non sufficiebat, vt tam manifestis nobis signis amorem suum Deus ostenderet, nec ita potenter amorem nostrum rapuisset. Frigidum hîc erit, hoc beneficium cum alijs conferre Dei beneficijs & donis, vt eorum quasi collisione flamma excitetur amoris. Qui enim ipsâ amoris diuini tam clarâ manifestatione, atque est pati & mori pro homine, non mouetur; nescio quâ agitatione discursuum calefiet: quare affectum hunc sistimus, tantùm monentes: Ama, qui sic amaris.

Amor Dei apparet in incarnatione.

Lucæ 9. v. 31.

Lucæ 1. v. 78.

Potens ad excitandum amorem est passionis recordatio.

De affectu contritionis.

HABET verus Dei amor virtutem ac vim contritionis omnem; cùm contritio ipsa non aliunde suam vim obtineat, quàm quòd sit appretiatiuus super omnia Dei amor: quia tamen hæc dolorem peccatorum formalem admistum habet multifariàm infirmitati nostræ vtilem, bonum erit ex consideratione passionis Domini istam frequentiùs elicere. Nam licet mente & corpore descenderemus ad inferos, ibique dirissimos illos atque æternùm duraturos cruciatus intueremur, vel etiam ipsimet pateremur; non tamen inde tam liquidò peccati grauitatem & exquisitam malitiam agnosceremus, quàm ex ijs, quæ Filius Dei propter illam subijt, tormentis. Nam quis non vehementer abominandum censeat liquorem istum, propter quem prudentissimus paterfamilias vas pretij ac valoris maximi confringendum putet, quòd vel odorem solum ipsius perceperit? Si ergo videamus, vas illud honorabile, hierothecam totius diuinitatis, illud repositorium omnium thesaurorum sapientiæ ac bonitatis diuinæ, IESV CHRISTI Domini nostri

Inferni tormentis potentiùs contritionem excitat passio Domini.

nostri humanitatem, abijci, confringi & per contemptum conscindi, tamquam vas factum in opprobrium, pedibus omnium conculcari, sordibus & sputis adimpleri; ideò tantùm, quòd peccati speciem aliquam susceperit, & quasi odorem contraxerit; quo horrore censebimus nobis peccatum ipsum detestandum, quantâ diligentiâ fugiendum, quàm calidis & frequentibus, si contractum sit, lacrymis eluendum? ne aliquando eadem in nos ira detonet, cum istâ interminatione, Si hæc in viridi, quid in arido? si hæc in pretioso, propter peccati odorem; in vilissimo, propter ipsam peccati fœditatem, quid fiet? Qui timor vbi mentem salutariter commouerit, reflectet illa se ad diuinam bonitatem: quæ cùm Filio suo non pepercerit, propter aliena peccata; tibi hactenus tot proprijs grauido non pepercit solùm, sed tot etiam beneficijs quotidie inuitat ad pœnitẽtiam. Quam eius benignitatem & longanimitatem cùm vehementer obstupueris, causam nimirum eius ante oculos habebis, dolores & cruciatus amantissimi Seruatoris, quibus ille tantisper sustinet desæuientem Dei manum, donec tu interim tempus habeas, quo te ad pœnitentiæ asylum recipias. Curre, curre citò, ad locum istum refugij, ad dolorem, pœnitentiam & lacrymas, vt desinat Seruator tuus pro te pati. dic illi intimo cordis sensu: Peccata mea & scelera, Domine, hos tibi cruciatus, has spinas & flagella inflixerunt; ego te tot pœnis obieci: desine, desine, piẽtissime IESV, mea peccata corpore tuo luere: *Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi; vertatur, obsecro, manus tua contra me.* * *Tollite me, & mittite in mare: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit.* Hæc ego flagra, hanc coronam, hanc crucem commerui; ecce me paratum omnia sustinere in satisfactionem peccatorum meorum, quæ tanti constiterunt tibi. Stultum me & insensatum! *Ludebam ego foris in plateâ* cum contubernalibus meis, *& in secreto regalis cubiculi super me ferebatur iudicium mortis. Audiuit hoc vnigenitus Regis: exijt, posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens & eiulans, quod morte damnatus esset seruulus eius. Intueor illum subitò procedentem, stupeo nouitatem; causam percunctor, & audio* illum mei causâ ad mortem properare. *Quid facturus sum? adhúcne ludam, & deludam lacrymas eius? planè, si insanus sum & mentis inops, non sequar eum, nec simul cum lugente lugebo.* Sanè qui attentè considerauerit se meritum fuisse ea tormenta, quæ Filius Dei censuit sibi tam acerbâ passione redimenda; nullum infernum excogitabit satis profundum, nullos in eo cruciatus satis atroces, quos non libenter subibit ad eluenda scelera tam detestabilia: saltem alacriter sese ad pœnitentiam hîc agendam offeret, leuiaque illi videbuntur omnia quæcumque illi diuinitus acciderint, in comparationem eorum dolorum quæ CHRISTVS ipsius causâ passus est, & eorum quæ illi fuerant in inferno perferenda. Dicet ergo, quotiescumque aliquid mali acciderit: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.*

Ex Dei passione timor.

deinde desiderium patiendi pro peccatis proprijs.

2. Reg. 14. v. 17.

* Ionæ 1. v. 12.

Bernardus in Natali Domini Serm. 3.

Psalm. 50. v. 5.

De affectu gratiarum actionis.

QVARTVS affectus, quem excitat in nobis expensa diligentiùs passio Domini, est gratiarum actio; de quâ cùm nonnulla dixerimus in genere Regulâ sextâ, hîc erimus breuiores. Qui enim vel leuiter attigerit circumstantias beneficij huius, quis patiatur, & pro quibus, quàm dira & horrenda, quàm nullo nostro prouocatus beneficio, quàm solo inductus amore, quàm opportunè nobis in tantâ egestate & miseriâ versantibus auxilium ferat; teget faciem suam, neque os in cælum audebit attollere, quòd hactenus tanto benefactori exstiterit ingratus. Vbi maximè considerandum, quòd tale sit beneficium passio Domini, quòd nullo sit emptum precum pretio, nullâ auidæ spei anxiâ exspectatione imminutum, nullo compensatum desiderij impendio; sed quòd opinionem ipsam præuer-

Passio Domini inopinatum & insperatum beneficium.

præuerterit, non inopinatum tantùm, ſed etiam inopinabile: nam ſi quis hoc anteà poſtulaſſet quàm Deus illud hominibus impenderit, preces blaſphemiæ, ſpes inſana temeritas, votum ſacrilega voluntas, opinio impietas viſa fuiſſent. Noſtrum ergo erit illud primò magni æſtimare, ac animo ſemper propoſitum habere: vltimus enim ingratitudinis gradus eſt, beneficiorum obliuio. Deinde verbis illud ſæpè deprædicare, legendo, cantando & loquendo ſæpè de paſſionis myſterijs. Tertiò denique, quod hac etiam Regulâ præſcribitur, mortificationes aliquas re ipsâ ſubire in gratiarum actionem, quòd tantò acerbiora pro nobis ſuſtinuerit Deus. Quàm verò grata ſit Domino hæc gratiarum actio, vnicâ hiſtoriâ confirmabo deſumptâ ex 1. p. lib. 1. cap. 61. Hiſtoriæ Dominicanorum: vbi narratur de viro quodam illius Ordinis, natione Germano, qui iam inde à puero mirificè erga ſacratiſſima Dominicæ paſſionis myſteria afficiebatur, & de ijs magno cum deuotionis ſenſu ac lacrymis meditabatur, ſingula ſacratiſſima Redemptoris IESV Vulnera ſolemni illâ Eccleſiæ formulâ ſalutare & honorare ſolitus: *Adoramus te CHRISTE, & benedicimus tibi, quia per Crucem ſanctam tuam redemiſti mundum.* atque hæc dicens, quinquies genuflectebat, & Orationem Dominicam toties recitabat; Dominum obteſtans, vt ſanctum timorem & amorem ſuum ſibi largiretur. Quam grati animi deuotionem Deo placuiſſe, mirabilis, quæ viro oblata eſt, oſtendit viſio: illi namque oranti viſibili formâ ſeſe conſpiciendum præbuit CHRISTVS, amico & placido vultu eum inuitans, vt Vulneribus toties à ſe ſalutaris frueretur. quâ inuitatione ille factus audacior ad deoſculanda Vulnera Seruatoris gradum promouit: vnde tanta manauit ad eum dulcedo, vt deinde abſinthium illi & crux videretur, quidquid non erat hac paſſionis Domini ſuauitate conditum.

De affectu ſpei.

ITA omnes certatim affectus primum in Dominicæ paſſionis conſideratione locum petunt, vt neſcias, quem cui præponendum & priùs eliciendum cenſeas: ideò non ordine illo, quo alius ex alio ſequi ſolet, eos hic ponimus, ſed varios producimus; vt Sodales videant, quantam præbeat hæc vnica contemplatio affectuum ſiluam. Spei ergo quintum & locum & ſeptimanæ aſſignamus diem; quæ nuſpiam certiora inueniet firmitatis ſuæ fundamenta, quàm hîc, vbi ſupra dorſum Redemptoris noſtri fabricauerunt peccatores; nuſquam certiùs figet anchoram, quàm in rubro ſanguinis Filij Dei oceano. hîc enim parebit, quàm ſeriò Deus velit omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. hîc fidem inueniet, dicens: *Numquid voluntatis meæ eſt mors impij, & non vt conuertatur à vijs ſuis, & viuat?* (Ezech. 18. v. 23.) hîc apparebit quàm diues ſit in miſericordiâ, qui, vt diuitias bonitatis ſuæ oſtenderet, ſacculum humanitatis ſuæ conſcidit. hîc denique ſtabilietur certiſſima iſta Apoſtoli ratiocinatio: *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* (Rom. 8. v. 32.) & illa non inferioris veritatis: *Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius; multò magis reconciliati, ſalui erimus in vitâ ipſius.* (Rom. 5. v. 10.) Nam ſi fugientibus nobis à ſe, per vepreta & dumos cucurrerit, vt nos inueniret; inuentos non abijciet, niſi malitiâ noſtrâ iterùm abſcurramus. O quàm verè canit Eccleſia, quòd ei proprium ſit miſereri ſemper & parcere! quàm iuſtè dicit Pſalmiſta: *Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius!* (Pſal. 144. v. 9.) quàm appoſite concionatur Apoſtolus, eum diuitem in miſericordiâ, qui omnipotentiam ſuam & omnia diuinitatis ſuæ attributa parcendo & miſerendo maximè manifeſtat! Nam miſerendi cauſam & originem ſumit ex proprio: nec enim meritis opus habet, nec ab ijs, vt miſericordem ſe nobis oſten-dat,

(*Deus miſericordiam exercet ex proprio, iuſtitiam nôn niſi ob delicta noſtra.*)

dat, vllatenus dependet; castigare autem & punire, ab eo alienum est: nam ad hoc eum peccatis nostris quodammodò cogimus & compellimus inuitum. Si enim voluisset te occidere, recogita quot ei occasiones dederis: si in illo quod nosti tempore mortuus esses, multis iam annis inferni cruciatibus torquereris. sed noluit ista bonitas perire in te Sanguinis & Vitæ suæ pretium: noluit frustrà impensa esse tot Passionis suæ tormenta: noluit perire quem tot doloribus redemerat, perdi quem tot itineribus quæsitum inuenerat, retrahi in seruitutem quem tot vulneribus in libertatem asseruerat. Quæ considerationes si semel cum Sanguine Domini nostri IESV CHRISTI insederint in animis nostris; mirâ isti roborabuntur fiduciâ, vt sentiant de Domino in bonitate, confidantque certò, sibi non defutura ad salutem operandam diuina auxilia; cùm constet eum non perfunctoriè desiderare salutem nostram, qui suam ei impendit vitam.

De affectu admirationis.

Vox est quædam Hebræa *Sela*, quam multis Psalmorum versiculis subnectit Psalmista; eaque vim eam habet, ac si diceret, ibi pausandum, rem prædictam ponderandam, admirationis stuporisque ibi esse materiam, ac propterea non leuiter esse locum istum prætereundum. Certè si passionis mysteria describere velimus, nihil exprimendum erit nisi vnica ista vox *Sela*. Quid hoc rei? quid hoc mysterij? quid est hoc, quòd patiatur impassibilis? quid est hoc, quòd moriatur immortalis? quid in eo non latet mysterij, quòd Dominus moriatur, vt viuat interfector famulus? quid hoc rei, omnibus bonis indignos esse homines, & Deum, postquam omnia illis donauit, etiam bonitatis omnis fontem & originem semetipsum illis impendere? quid est hoc, Deum tot cruciatus & tam atrocia subire tormenta, ne vilis homuncio illa patiatur? quid est hoc, quòd tam auide, tam promptè Redemptor salutem meam operetur, quòd desiderio desideret pati pro me; quem si non offendissem, non esset cur pateretur? quid hoc, quòd, postquam omnia consummauit, & omnes exantlauit labores, quos poterat homo-Deus pati, adhuc sitiat plura tolerare pro ingratis? Quænam illa bonitas, quanta sapientia, quanta pietas! Tanta admirationis vbique materia, vt cælum & terra defixa hæreant stupore, & cælum cursum, terra ordinationem suam, quam à Deo acceperat, obliuiscatur; hæc redditis in lucem mortuis, illud negato terris lumine: vt discat rudis mortalitas tanta stupere mysteria, & hunc affectum ita amori, gratiarum actioni, ceterisque affectibus immiscere, vt mutuo crescant auxilio, ex amore stupor, & ex admirabundâ charitate gratiarum actio, & sic de ceteris. Inueniesque in hac admiratione illud admirabile, quòd, cùm ceterarum scientiarum finis sit admirationem destruere, hîc, quò profundiùs mysteria proposita contemplatus fueris ac intellexeris, hoc plus colliges stuporis & admirationis: etenim quò magis penetraueris diuinam naturam, hoc magis obstupesces, quòd immortalis & impassibilis patiatur & moriatur pro illis ipsis qui mortem ei adferunt. Quò clariùs personæ illius, quæ vnicâ Verbi diuini hypostasi duas sustentat natûras, cognoscis dignitatem; hoc magis miraberis eam tot indigna pati: quò magis penetraueris grauitatem offensæ quam homo admiserat, & extremam rerum ipsius desperationem in quam se ipse conieceral; hoc magis stupebis diuinæ sapientiæ consilium, quæ tam conueniens ei remedium inuenerit; & bonitatis affectum, quæ inuentum adhibere voluerit, sic vt iustitiæ nihil decederet, & tamen mirum in modum triumpharet misericordia.

Res in admiratione stupenda.

De affectu imitationis.

QVÆ causa fuit præcipua Redemptori nostro, cur mortem tam acerbam per tot cruciatus obierit, eadem nobis esse debet, cur eam sæpiùs contem-

contemplemur. Venerat enim, ex communi SS. Patrum sententiâ, in mundum Deus, tum vt nos redimeret, tum vt viuum virtutum omnium præberet exemplum, illudque in eminenti loco reponeret, ac omnibus deinde diceret: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*, Ioannis 13. v. 15. Nam Crux Domini non solùm lectulus est morientis, sed etiam Cathedra docentis. Poterat quidem redemptionis nostræ finem multis alijs medijs obtinere; sed virtutum exempla in sese tam perfecta, & tam ad nostram vitam atque naturam accommodata, nisi inter tot cruciatus præbere non poterat: ita vt in ordine ad redemptionem nostram conueniens fuerit illum mori, vt esset copiosa apud eum redemptio; in ordine verò ad dandum exemplum tale hominibus, etiam necesse fuerit illum per tot cruciatus mortem oppetere. Ne ergo frustrà sint tot labores Saluatoris nostri Dei, diligenter inspicere nos oportet, vt faciamus secundùm exemplar, & seligamus eas ex passione Domini virtutes, quas deinde velimus ipsi morum imitatione exprimere; statuamusque in particulari, CHRISTI Domini (verbi gratiâ) in crucis supplicio adeundo humilitatem contemplantes, quàm nos velimus eius causâ abiecti esse, offeramusque nos paratos ad contumelias eius causâ sustinendas, ad obeunda quædam humilitatis exercitia, de quibus oportet in particulari statuere. Idem de patientiâ, charitate, obedientiâ, mansuetudine, castitate, paupertate & ceteris virtutibus intellige, vt ita induamur Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, & dicere possimus: *Viuo ego, iam non ego; viuit verò in me* CHRISTVS, per viuam virtutum eius imitationem. Quæ imitatio locupletem & maximè vtilem dabit contemplationis materiam, si ordinandæ ex IESV patientis exemplo vitæ nostræ tempus non inutiliter impendamus, & singula præcogitemus virtutum exercitia, quibus volumus deinde, aspirante diuinâ gratiâ, incumbere: fiet enim vt præuisi casus omnes in particulari deinde faciliores sint, cùm obuenerint, familiariusque præscita difficultas exsorbeatur.

Galat. 2. v. 20.

Hos septem affectus tamquam præcipuos attulimus, quibus particulariter exercendis potest tempus assignari, non vt ceteri, si tum intercurrant, excludantur; sed vt certi aliquid sectantes, sciamus, quonam potissimum cogitationem dirigamus. Et quoniam passionis ista contemplatio adeò est vtilis, vt nemo Christianus eâ non debeat frequentissimè exerceri; passionem totam breuiter percurremus, eam rursus in septem capita diuidentes, vt cuique diei sua possit assignari portio, in quibus affectus, prout cuique suus est locus, breuiter exercebimus: vt minùs exercitatis seruiat horum attenta relectio pro meditatione; & vt ij, qui istis exercitijs assueuerunt, non pœnitendos percipiant fructus, si, quas digito quasi monstramus, affectuum aurifodinas diligentiùs perscrutentur.

CAPVT XXVII.

Inuocatio præuia passioni.

O QVAM *magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te*: exclamat Propheta Dauid. Fons signatus es, bone IESV, aperi mihi thesauros tuos: Sanctissimæ Trinitatis thesotheca es, in quâ sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi; fac misericordiam cum seruo tuo, & ostende liberalitatem humiliter pulsanti ad ostium palatij tui: si enim tam dulcis es timentibus te, quàm suauis eris amantibus? Amo ego te Domine, & amore duce de tot thesauris vnicum rogo spiritum tuum, qui compungat dolore animam meam; vt ipsa sentire valeat & gustare suauem amaritudinem passionis tuæ, quam tanto amore perpessus es ad salutem & consolationem nostram. Si enim opera tua, quæ nostri causâ hic patrasti, omnia fasciculum myrrhæ conficiant, certè amaritudinem eius maximè ostentant passionis tormenta. Quapropter dicam cum Sponsâ tuâ dulcissimâ: *Vadam ad montem*

Psal. 30. v. 20.

Cant. 4. v. 6.

montem myrrhæ, & ad collem thuris. Mons enim myrrhæ altissimus est passio tua, & vallis profundissima thuris mors tua est, quam odoratus est Dominus in odorem suauitatis. O mons sancte, mons gratijs & mysterijs plenissime; mons pinguis & crasse, & fluens dulcedine ijs animabus, quæ talia contemplantur sacramenta; mons in quo habitare voluit Dei Filius, vt ibi sit in omnibus malis perfugium filiorum Adam! O silua nostri solatij, in quâ suum Deus fixit domicilium, dormiens in eâ somnum mortis super angustissimo lectulo Crucis! Vola, vola vt passerculus anima, donec peruenias in montem sanctum passionis Domini tui IESV, & requiescas à persecutione, quam mundus & sensus tui tibi faciunt quotidie. Ascende, & phœnicis adinstar congrega variarum considerationum ligna, vt, posteaquam ea intellectus voluntatisque agitationibus, veluti alarum plausu, succenderis, redigaris in cinerem humilitatis. Hæc scilicet flamma cælestis aduret tibi superbiæ & vanitatis plumas; hoc igne conflagrabit vetus ille homo, vt resurgat nouus phœnix ad vitam nouam, quæ iam neque sapiat neque sentiat nisi ea quæ sunt spiritus. O fons pietatis, ô pelagus inexhaustum amoris, ô Saluator meus & Deus meus, venisti tu ignem mittere in terram; & quid vis, nisi vt accendatur & ardeat? Ecce viscera mea terræ adhærentia, ecce cor meum adamante durius: potens es tu amoris tui ardoribus succendere non tantùm corda illa quæ de ligno sunt, aut aliquâ aliâ flammis aptâ materiâ, sed etiam illa quæ terræ petrisque sunt similia. Terra sum, Domine, accende me; petra sum sensu carens, inflamma me ardore charitatis: tu ignis es conflans & emundans, aufer, quæso, à me omne desiderium vanum, & omnem scoriam terrenæ affectionis. O ignis qui semper ardes, & numquam deficis; ignis, qui omnia in ignem vertis quæcumque tetigeris, emunda me, accende animam meam amore tuo, infer in altare cordis mei istos ignitos amoris tui carbones: & munere fungar ego, amantissime IESV, illius sacerdotis, cuius erat manè & vespere suggerere ligna, & fouebo sanctissimum illum ignem contemplatione vitæ tuæ, & fasciculo myrrhæ, quem ex amarissimâ passione tuâ concinnabo.

Lucæ 12. v. 49.

CONSIDERATIO I.

De exitu in hortum,

DIE DOMINICA.

Ex monte hoc myrrhæ, opitulante mihi tuâ virtute, Rex cæli & terræ, septem considerationes eruam, vt inde veluti è septem bacillis fasciculum illum myrrhæ pretiosæ conficiam, qui est thesaurus animæ meæ, & omnium laborum meorum solatium. Et primus quidem ex horto Gethsemani abscindetur, quò inimicos tuos præstolaturus properabas, vt initium dares illis doloribus quos deinde pro me exsorbuisti. Laudent te omnes creaturæ tuæ; & ego, licet omnium indignissima, infinitas tibi gratias ago, quòd ipse legislator & Dominus tam stupendâ charitate te legi subieceris, vt, facto fine cærimoniarum, Euangelij luce figuras & vmbras legis discuteres. O innocentissime Agne Dei, qui tollis peccata mundi, exultat cor meum, dum te video Apostolis cinctum mensæ accumbentem, & vescentem agno illo vmbratili. Agnum agnus, figuram figuratus comedit: sed ille qui vmbra erat, acutissimo cultro pelle suâ post mortem, quando nullus iam inde doloris ad eum sensus perueniebat, nudabatur; tu verò, Agne sine maculâ, viuus & sentiens bis per summam crudelitatem excoriaberis: primùm quidem columnæ alligatus, deinde verò iterùm, quando ad pedem crucis ante oculos afflictæ Matris tuæ vestibus, quæ vulneribus insederint, atrocissimè exuêris: neque cultrorum vtentur acumine, vt doloris magnitudinem celeritate patiendi solentur; sed virgis, catenis & scorpionibus, vt ita miserum quò lentiore vulnere, eò grauiore tormento dilacerent. Assari iubebat lex agnum illum, neque aliâ ratione comedi

Esus agni.

edi eum volebat; indicio tibi certo, quòd amoris impositus carbonibus, in cruce sis igne charitatis assandus.

Lotio pedum. O humilitatis infimæ exercitium, quo te veste superiore exutum ad lauandos Apostolorum pedes demisisti! O mansuetissime IESV, hæccine reponis infami apostatæ, pro eo quòd iam nefariè tui proditionem designarit? Ignosce, bone IESV, peccatis meis, laua animam meam, & super niuem dealbabitur. Pedes discipulis lauisti, quòd eos reficere volebas viuifico Corpore tuo; nos docens agendam etiam de leuioribus offensis pœnitentiam, expiandumque confessione animum, priusquam ad tam sacras epulas accedamus.

Institutio Venerabilis Sacramenti. O Sapientia Patris æterni, quàm admirabiles adinuentiones tuæ! moriendo nos deseris, & conuiuaris nobiscum in æternum: moreris, sed sponsam tuam dilectissimam Ecclesiam, quam tibi pretioso Sanguine subarrhasti, viduam non derelinquis, neque eam tuâ, Regis & Sponsi sui, corporali præsentiâ destituis. O panis Angelorum, præfigurate per manna in deserto, corrobora animam meam, & aufer ab eâ omnem saporem ollarum Ægypti fœtentium allijs peccatorum.

Iter in hortum, & Iudæ proditio. Iam Apostolos vltimo illo sermone charitatis confortaueras, magne consilij Angele, eosque, vt olim Eliam, ad grandem & difficilem viam amarissimæ passionis tuæ excitaueras, cùm in campum eos deducis trans torrentem Cedron; quem Dauid iam antè fugitiuus transierat; nudus, vt ipse, pedes: lugens ac plorans non Absalomi rebellionem, & quam excitauerat in patrem suum persecutionem; sed Iudæ perfidiam, & eam quam in Deum suum designauerat traditionem. Obliuisceris tormentorum tuorum, & ploras peccata perfidi traditoris: vt sese respiciat rogas, securum esse iubes de veniâ, si modò ei displiceat culpa; securitatis arrham præstas oris sanctissimi contactum, & inter fraudulenta oscula nomine non dedignaris amici.

Tristitia & oratio ad Patrem. O Domine, qui in cælis es Angelorum solatium, repericturne in terris cor adeò durum & saxeum, quod non liquescat ad hanc tuam vltimi doloris indicem vocem: *Tristis est anima mea vsque ad mortem: vigilate* (amici mei) *mecum?* Inde auulsus es ab Apostolis *quantum iactus est lapidis:* nec enim te sinebat amor longius ab ijs segregari. Quis fando explicet, quænam tu Patri per lacrymas locutus? aut quis oratione assequatur, quàm lamentabili & flexanimâ voce his paternum cor eius pulsaueris: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste?* Quæ verba vt partis erant inferioris naturaliter à morte abhorrentis; ne quid admissum viderentur habere imperfectionis, tertiò subnectis: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Vt discamus, non nisi cum istâ conditione res temporales efflagitare.

Matth. 26. v. 38. *Lucæ 22. v. 41.* *Matth. 26. v. 39.* *Ibidem.*

Discipulorum visitatio, & excusatio. O Pastor æterne, quàm tibi grex cordi! quàm sollicitè, & quàm sæpè eum visitas! quàm misericorditer pateris, & quàm patienter incuriam & somnolentiam excusas! Patris hæc vox est: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* desideratis quidem vigilare mecum, sed impedit vos imbecillitas vestra. Rem lacrymis dignam! Iudas qui te vendit, exercitus qui te quærit, ne momento quidem dormiunt; & dilectissimi amici tui non possunt vnâ horâ vigilare tecum. Mali somnum excutiunt, vt te offendant; & tui vigilare non possunt, vt orent.

Ibidem v. 41.

Sudor sanguineus. Quid dicam, aut quâ linguâ explicabo martyrium istud sine tortore, sed non sine sanguine, quando factus est sudor tuus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram? Quid hoc? totus cruore conspersus es, natat humus & herba vicina sanguine: tortorem quæro, & non inuenio. O quàm fortis est amor! ô quàm robustus luctator est mortis timor! non alijs est opus, vt mundi Creator suo immergatur sanguini. Iam tandem capio, iam intelligo illam Sapientis sententiam: *Fortis est vt mors dilectio.* Fortis reuerà, quæ victum, quæ agonizantem, quæ sanguini suo innatantem leonem de tribu Iuda spolium ostentet suum.

Lucæ 22. *Cantic. 8. v. 6.*

O bone IESV, quàm benè aguntur

Paradisi & Gethsemani comparatio. salutis meæ negotia! In horto peccabat Adam, quando fructum mortis suffurabatur; & in horto satisfacit nouus Adam, dum pænè vitæ suæ dispendio furtum illius exsoluit. Hæcne sunt poma & hi fructus illius horti, ad quem te Sponsa tam blandè inuitabat: *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum?* *Cant. 5. v. 1.* Fructus huius orationis, Domine, lacrymæ, suspiria, sanguis sunt: poma quàm tibi amara, tam dulcia animæ meæ. Intrauisti in hortum tuum, ex fructu eius amaro comedes: acerbi & male conditi sunt fructus isti: sanandus est enim dentium stupor miseri Adam, qui poma nimis viridia deuorauit in paradiso. Serpens ibi erat qui omnia inficeret; hîc verò erit coluber in viâ Iudas, qui iam appropinquat, vt te capiat & mactet.

CONSIDERATIO II.

De captiuitate & ingressu in Ierusalem.

DIE LVNÆ.

Angeli & Iuda visitatio. Ecce simul, Redemptor meus & Deus, quod te consoletur, & quod te affligat, Angelus Patris, & angelus satanæ. Ille Gabriel est, missus vt te confirmet aduersus mortis formidinem, quandoquidem illa, etiam post tertiam orationem, Patri tuo stet sententia: hic verò Iudas est, auaritiâ instigante, ex discipulo virtutis dux factus nequitiæ, vt inquietet fratres suos, & te vinctum tradat inimicis. O quanto dolore cor amantis te diffindunt ista ad Apostolos verba: *Surgite, eamus; ecce qui me tradet, propè est!* *Marc. 14. v. 42.* *Inimicorum obuiatio.* Sed quid hoc? Vnde ista tam noua & inexspectata fortitudo? mox positus in agoniâ sanguineos imbres depluebas in terram, & iam Samsone fortior, intrepidus obuiàm gradens inimicis. Magna profectò obedientiæ est virtus, quæ vires suppeditat ei qui se accingit ad faciendam voluntatem sui Superioris. Atque ideò, priusquam Angelus Patris responsum attulerat, timebat, & mortem eluctari conabatur sanctissima caro tua; iam verò corroborata est, quia executioni mandare incipit quod Pater vult, non quod ipsa petebat. Prædixit hoc Sapiens: *Vir obediens loquetur victoriam*; *Prou. 21. v. 28.* & contrà, qui rebellis est, turpiter etiam in minimis vincetur. Nocte te quærunt, Saluator mi, quia in nocte sunt animæ eorum, & viæ eorum in caligine obscurissimâ. Adferunt lucernas & faces, quia ignorant te lucem veram, qui claritate accendis omnia astrorum lumina. O salus animæ meæ, quid tibi amoris, laudis & obsequij non debeo, qui tam promptâ voluntate procedis ad mortem, & tam feruenti charitate te tradis voluntati persecutorum?

Cum Iudâ colloquium. Quodnam illud tam perspicax ingenium, quod comprehendat mansuetudinem tuam, quâ benignè excipis illas perfidi traditoris voces, *Aue Rabbi?* *Marc. 14. v. 45.* Cuius viscera non liquescent amore inimicorum, quando diuinum os tuum in osculo pacis coniunctum aspiciet ori capitalis inimici tui? Amicum eum vocas, non perfidum; vt tuum peccator videat desiderium quo eius affectas amicitiam; atque intelligat, quamdiu vita superest, ambabus te illum vlnis amplexurum, si peccatis nuntium remiserit. O voces! ô amoris scintillas! *Amice, ad quid venisti? Absalom fili mi, quis mihi det, vt ego moriar pro te?* *Matth. 26. v. 50. 2. Reg. 18. v. 33.* quis mihi det, vt ea quæ per te passurus sum, pro te velis esse in remedium peccatorum tuorum? Ad hoc venisti, vt agas de peccato tuo pœnitentiam? Ad quid venisti? Magistrum vocas; hócne vis discere, quâ ratione gemere & flere debeas peccatum illud tuum tam grande, pro quo libens ego sum mortem oppetiturus? O amice, ad quid, & vnde venisti? quàm præcipiti casu, quàm alto lapsu de summo ad ima descendisti? de discipulo proditor, de Apostolo latro, de Dei filio satanæ mancipium factus; ad quid venisti? Et quid? exercitus ille nequitiæ quid cogitat? an fortè arma aut vires suas præualituras existimat potentiæ tuæ infinitæ?

Petis: *Quem quæritis?* *Ioan. 18. v. 4.* neque illi nomen tuum sacratissimum impio ore proferre reformidant: Iesvm, inquiunt, *Naza-* *Turba in terram prostratio.*

Nazarenum, & potentiam infinitam. Verbo vno omnes ſupinos deijcis in terram, non vomere, vt Samgar; non aſinæ maxillâ, vt Samſon, hanc reportaſti victoriam; ſed verbo, Verbum Patris, omnem eorum proſternis potentiam; eodem verbo omnes vt erant miſſurus ad inferos, ſi quidem ſæuire libuiſſet. At quis duritiam tantam capiat? quis in homines cadere exiſtimet tantam peruicaciam? Victi & proſtrati non ſe circumſpiciunt, non inſaniam ſuam, non potentiam tuam recogitant. Hîc ego te, Pater miſericordiæ, deprecor, ſi vmquam iuſto iudicio tuo me cadere permiſeris, ne ſimilis hiſce perſecutoribus ſupinus corruam, cerebro illiſus in terram; ſed, vt dilecti Apoſtoli tui in monte Thabor, cadam pronus ſuper manus & faciem, vt ſtatim lapſum meum agnoſcens, & videns vbi corruerim, humiliter ad te ſuſpirem, & tu manum mihi præbeas, vt tribus illis dilectis tuis diſcipulis, qui continuò ſurrexerunt. O quantis, IESV mi, ſalus mea expoſita eſt periculis! Si enim tantas vires habet vox infirmitatis tuæ, quantum valebunt tonitrua potentiæ? ſi peccantes proſternit verbum humanitatis & clementiæ, quid faciet ſententia diuinitatis & iuſtitiæ? Et manebunt hi ſolo afflicti, niſi quàm eos potēter deiecisti, tam clemēter præcipias vt ſurgant. Præcipe hoc, Domine, vt ſpes fiat animæ meæ, etiam poſt lapſum, reſurgendi.

Matth. 17.

CHRISTI captiuitas.

Conſidera, ô anima mea, hunc eſſe primum prælij huius conflictum, in quo miſerè leones iſti ſuam aduerſus Omnipotentem exercent potentiam. Vide, vt molliter eos iubeat ſurgere, dicendo: *Quem quæritis?* Me quæritis? ecce poteſtatem in me vobis trado, in iſtos diſcipulos meos non trado: hos ergo incolumes & inconcuſſos ſinite abire. Qui lupos in agnum manſuetiſſimum totâ rabie inſilientes imaginatus fuerit, poterit triſtiſſimæ illius ſcenæ, quâ toto impetu in IESVM meum ruit iſta colluuies, imaginem aliquam ſibi proponere: hic manus illi latronis adinſtar poſt terga reuincit, ille funem collo inijcit; hic fuſte, ille haſtâ percutit: eſt qui inter verbera collapſum calce ferit, eſt qui pedibus conculcat, eſt qui triumphabundus collum patientiſſimi premit Seruatoris. O decus Angelorum, ô gloria Seraphinorum, quem te hîc video! quàm vilem & abiectum, quàm deſertum à tuis, quàm indignè ab hoſtibus acceptum! Video captiuam libertatem, afflictum cælorum gaudium; video vermis inſtar pedibus conculcatum mortalium eum, cuius ſcabellum ſunt throni Angelorum. Hîc eſt, quòd ſentias anima arcam Domini veniſſe in manus Philiſtinorum: hîc eſt, quòd compatiare ſuper contritione Ioſeph traditi Iſmahelitis: hîc eſt, quòd te affligat miſeranda Apoſtolorum conditio, fugientium & plorantium Dominum ſuum: hîc eſt, quòd te Matris pientiſſimæ tangat miſeratio, quæ iam exſpectat in Ieruſalem Filij ſui captiui aduentum.

Ioan. 18. v. 4.

eiuſdem in vrbem deductio.

O Pater miſericordiæ, ô dulcis IESV, qui omnium miſereris, & nemo tui, quàm benignè reſtituis aurem illi miniſtro, qui, quòd iam in te manus iniecerat, millies indignus erat vitâ? neque volebas nequiſſimum iſtum cruorem miſceri cum ſanguine tuo caſtiſſimo, ne illo nos inquinaremur, qui tuo eramus emundandi ab omni peccato. Aduerte iam, anima mea, ne quis hîc tibi lapis pretioſus depereat: tot enim vniones ſunt ſparſi toto illo è Gethſemani Ieruſalem vſque itinere, quot in eo Saluator tuus perpeſſus eſt dolores: quoties, quòd inclementer vrgerent & traherent, facie collapſus in terram, oculos in lapides impingebat! nec enim poterat manibus à tergo reuinctis lapſum fulcire, ne faciem læderet. O qualis ciuitatem intrantis ſpecies! pedum nudorum pellis lapidibus adhæſerat, genua ex lapſu frequenti manabant ſanguine, facies puluere & luto ſanguineo abſcondebatur, & concreti ſanguine rigebant capilli. *Et vidimus eum, & non erat aſpectus: & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus, non eſt ſpecies ei neque decor*, qui cælum decorauit aſtrorum luminibus, & campos illuſtrauit florido herbarum decore.

Iſaiæ 53. v. 2. 3.

CONSIDERATIO III.

De domo Annæ & Caiphæ.

DIE MARTIS.

Præsens in vrbem ingressus cum eo qui ante sex dies est factus, comparatur.

QVANTVM, ô Domine, differt hic in vrbem introitus, & nocturna per vicos eius concursatio, ab illo ingressu & honorificâ per plateas deductione, quâ sex abhinc diebus in eâ acceptus fuisti? Tunc enim in honoris testificationem scindebant arborum ramos, quos tenentes manibus cantabant, *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini*; nunc pila & hastas præferentes, te cum ingenti raptant vociferatione: tunc vestes sibi detractas substernebant pedibus tuis; nunc tuas dilacerantes, te conculcant pedibus suis: tunc orabant, vt eos seruitute Romanorum eximeres; nunc ipsum te captiuum rapiunt ad Præsides, & sistent Romanis.

Lucæ 19. v. 38.

IESVS Annæ sistitur.

Et iam ad Annam peruenerunt: vbi bis ignominiosissimè faciem tuam ceciderunt; semel, quando Petrus te negabat; iterùm, quando cognatus illius, cui tu restitueras auriculam, tibi armatam manum in faciem impegit, quòd iustissimè iudici respondisses. O suauissime IESV, quis ille fuit dolor, quando facies tua tenerrima totis viribus concutitur ab armatâ fortissimi nebulonis manu! Cerne, anima mea, vt verberis impetu ruat in terram fortitudo tua: contemplare maxillam inflatam, os natans sanguine; cuius ne quidem exspuendi detur locus, adeò crudeliter capillis in pedes retrahitur.

in maxillâ percutitur.

à Matre visitatur.

Hîc considerate licet, Matrem mœstissimam, ceteris comitatam pijs mulieribus adfuisse: quæ enim adstare morienti voluit, non videtur ab ipso eius in vrbem ingressu eum vmquam deseruisse. Non permittebat amor, vt Dauidem desereret Ionathas; quantò magis existimandum est, tantò vehementiorem amorem, quo Domina mundi suum prosequebatur Creatorem, quo Sponsa diligebat Sponsum, & quo Mater ferebatur in Filium, curauisse, vt toto passionis tempore iunctis incederent passibus MARIA & IESVS?

Caiphæ sistitur.

Iam noctis plusquam media pars acta fuerat, nec defatigabantur in Caiphæ domo sacerdotes & legis doctores exspectare Saluatorem. Difficile enim non est noctes integras vigilare, vt exspectetur sumendæ vindictæ occasio; sed qui cum Dauide exsurgat mediâ nocte de lectulo, vt laudes decantet Creatori suo, quotusquisque reperietur? *Filij huius sæculi prudentiores* longè & diligentiores *filijs lucis sunt*. Excepit te, Deus meus, hîc doctorum & sacerdotum exercitus, nequior priore, non sine magnâ omnium lætitiâ, quòd iam viderent instare tempus, quo te plecterent toties intentato supplicio crucis. Hic, velut agmine facto, irruerunt in te dolor & ignominia: iniurijs enim & opprobrijs saturatus es, quando Pontifici respondisti, quòd *amodò* visurus esset *Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*. Hanc enim veritatem gens cæca interpretabatur blasphemiam: & Caiphas scidit vestimenta sua, vt qui indignus esset tanto sacerdotio, quod ipse sibi, licet mysterij ignarus, hac ipsâ dilaceratione abrogabat: inunctis enim paulò antè inter cœnandum nouæ legis Sacerdotibus & Episcopis, tempus erat vt vetus cum lege suâ cessaret sacerdotium.

Lucæ 16. v. 8.

Matth. 26. v. 64.

& ab omnibus irridetur.

O quale hoc erat, Deus meus, spectaculum, videre te humili locatum subsellio, oculis velatum, positâ in manu arundine, factum fœtidissimis sputis & alapis crudelissimis scopum, & per ludibrium flexis poplitibus irrisum, dum petunt alapas infligendo: *Quis est qui te percussit?* Alias tibi, Domine, laudes horis matutinis decantant Angeli in cælis, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*. Illi summâ cum veneratione ante thronum diuinæ Maiestatis ruæ prostrati, gloriam & honorem accinunt tibi Creatori suo, & admirantes charitatis tuæ excessum, te glorificant: homines, pro quibus patetis factus homo, de genu tibi maledicunt, & blasphemant sanctum

Matth. 26. v. 68.

ſanctum nomen tuum. O Domine mi & Rex æterne, iſta arundo inanis & vacua vanitatem ſignificat cogitationum mearum, quæ non poterant niſi tam potenti dexterâ curari. Velum & ſputa, quibus opplent diuinam faciem tuam, ſupplicia ſunt quibus iſta expiatur ſuperbia, quâ nimiùm in pulchritudine ſuâ ſibi complacent mortales. Rogo diuinam Maieſtatem tuam mihi concedere digneris longanimitatem, vt obſurdeſcam ad iniurias, & obmuteſcam malè habitus pro nomine tuo, niſi quando mihi eris pro perſecutoribus exorandus. Totam noctem hanc peragis tu, IESV mi, patiendo; hoſtes tui noua ſemper tormentorum genera excogitando, vt te, diriſſimis ſupplicijs excarnificarũ, tandem agant in crucem.

CONSIDERATIO IV.

De domo Pilati & Herodis.

DIE MERCVRII.

Pilato offertur:

SVMMO manè, pie IESV, ſiſtunt te Pilato, flagitantes, vt te adiudicet cruci; vt non tantùm vitam tibi crudeliſſimè eripiant, ſed famam etiam doctrinæ & miraculorum tuorum prorſus extinguant. Nemo ſine admiratione intuebatur diuinam faciem tuam, in quam deſiderant Angeli proſpicere, alaparum ictibus diſtortam, tumore inflatam, & ſputis fœdiſſimè coopertam; maluiſti tamen ipſe ita deturpari, quàm Synagogam ſuperbiâ fœtentem, & ingratitudinis vitio turpiſſimè defœdatam, in ſponſam accipere. Pilatus aduertens (nec enim difficile erat cognoſcere) inuidiam & malitiam accuſatorum, quò negotium difficile à ſe amoliatur, ad Herodem Galilæorum Regem eos ablegat. An video te, Domine, cum Samſone captiuo in circuitu ambulantem, & ab alio ad alium iudicem perductum, vt illâ ratione vincas duritiem cordis mei?

ad Herodem mittitur:

Accepit te Herodes hilari facie: gaudebat enim, vt erat curioſus, venire ad ſe ſtupendum illum miraculorum patratorem; *& ſperabat ſignum aliquod videre à te fieri.* Sed vocem tibi tuam abſtulerat tyrannus ille, occidens Baptiſtam: quapropter ne verbo quidem eum dignatus, ſatis oſtendebas re eum inter excommunicatos reputare, qui manus ſuas miſerat in ſanctum Præcurſorem. Hoc enim puto latuiſſe myſterij, quare Annam & Caipham, & verò Pilatum idololatram & Gentilem ſæpiùs allocutus, Herodi ne verbo quidem reſponderis. Quapropter ille indignatus, iubet te, Sapientia æterna, albâ ſtultorum togâ indutum ad Pilatum remitti, vt abſoluatur ille circuitus laborum & dolorum tuorum. Puritas Angelorum, fieri ne poteſt, vt non præualeat innocentia tua, Pilato iuridicè pronuntiante ſe diligenter de crimine cognouiſſe, neque aliud ſe reperire, quam innocentiam ſibi traditam ab ijs, qui neque inuidiæ neque vindictæ culpâ ipſi carerent?

Lucæ 23. v. 8.

ad Pilatum reductus, innocens declaratur:

Verùm cùm cerneret Præſes quàm importunè vrgerent, & quàm auide ſitirent tuum ſanguinem, vincere voluit commiſeratione crudelitatem, & ſanguinis ſitim ſanguine citra mortem tamen reſtinguere; iubetque columnæ te alligari, ibique atrociſſimè flagellis conſcindi. O benigne IESV, quis explicet, quàm ferociter te tortores iſti arripiant, quàm inhumaniter veſtibus nudent, quàm crudeliter columnæ aſtringant, quàm atrociter virgineum corpus tuum diuerberent? multis vulneribus id plagam vnam à plantâ pedis ad verticem capitis efficiunt, vt nihil eſſet in medico non vulneribus plenum, quandoquidem in ægro membrum nullum reſtabat ſanum.

flagellandus traditur:

Specta, anima mea, vt Saluatorem tuum Pilatus vndique ſaucium, ſpineâ coronâ redimitum, purpurâ & arundine grauatum populo proponat, dicens: *Ecce homo, ecce Rex veſter.* O IESV, tu es Deus meus, Rex meus, & Dominus meus. Synagoga non cupit Regem, niſi Cæſarem; anima autem mea non habet alium Regem, quàm te, Domine.

populo oſtenditur:

Ioan. 19. v. 5. 14.

Non ſufficiebat hæc Pilati inuentio, vt liberaret te à rabie iſtâ populari: ecce alterum inuenit tibi, gloria mea, igno-

Barabbas poſtponitur:

miniosissimum experimentum. Consuetudinem allegat, quâ soleat captiuorum vnum aliquem in festiuitatis Paschalis honorem dimittere: rogat ergo, quem eligant, IESVMne, an Barabbam publicum in vrbe latronem? Clamant vt viuat homicida; & tu, qui vita es mortuorum, turpissimo mortis genere exstinguaris in cruce. Audit petitionem Pilatus, manus sibi lauat, vt fingat se purum à sanguine tuo; quem interim, dum se vociferatur innocentem, sententiâ iniustissimâ condemnat ad mortem.

CONSIDERATIO V.

De impositione crucis in humeros Domini nostri IESV.

DIE IOVIS.

condemnatur: O SENTENTIA rigida & iniusta, pronuntiata à iudice omnium nequissimo! Morte enim damnat innocentem, quem ipse cognitâ causâ suffragio suo absoluerat; nec damnat solùm, sed accusatoribus eum suis tradit, quos sciebat efferatos inuidiâ, vt de eo disponant secundùm insanam suam voluntatem. Poteras hîc iustissimè, Redemptor mi, poteras appellare Cæsarem; nec minùs tibi profuisset ista appellatio, quàm deinde discipulo tuo Paulo profuit. *crucem baiulat:* Sed quò magis eniteret tua erga nos charitas, nihil reluctatus, sumpsisti crucem istam magnam & grauem in laceros humeros tuos, vt doceres nos vires nostras experiri, & pœnitentiam agere pro peccatis nostris. Hæc est illa margarita pretiosa, ob quam reliquisti omnia, eamque inuentam gaudens amplexatus es, vt instrumentum redemptionis meæ. *mulieres consolatur.* Atque, vt Pater es totius consolationis, qui neminem reijcis, aut tristem dimittis; intuitus mulieres, quæ sanguini tuo mœstissimas affundebant lacrymas, miseratæ labores & dolores tuos, eas suauissimè consolaris: *Lucæ 23. v. 28.* *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me; sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* eò quòd flagella præuideres quæ imminebant ciuitati isti, quæ tam insigni Patrem tuum cælestem afficiebat iniuriâ. Oro te, Deus meus, cor tenerum mihi fingas, quod sentiat dolores tuos, vt calido ac copioso lacrymarum imbre deplorem peccata mea, omnium tibi causas tormentorum.

O quot lapsibus signasti, Domine, iter istud, quod te incuruatum sub crucis pondere, sudore copioso, & copiosiore defluente sanguine, deduxit in montem Caluariæ! Videbant te lapsabundum crudelissimi tortores, *Crux Simoni imponitur.* iamque ipsi timebant, ne te in itinere vita deficeret: crucem itaque Simoni cuidam imponunt, non moti aliquâ in te humanitate, sed vt iter accelerarent, atque vt viuum te perducerent ad locum infamis supplicij, crudeliter misericordes. Benedictus sis millies, Domine IESV, qui nusquam in hac tuâ passione gradum promoues, *Varia CHRISTI passionis tempore in varios beneficia.* vbi non imprimis liberalitatis & misericordiæ tuæ vestigia: in horto satellitis nequissimi sanas auriculam: in Caiphæ domo illis tuis clementissimis oculis Petrum respicis, efficiens ex oculis ipsius duos lacrymarum fontes, qui semper deinde agerent pœnitentiam: Herodem inter & Pilatum amicitiam redintegras, eorum ingressus palatia: tui causâ vita conceditur Barabbæ latroni: de viâ mulieres consolaris: & nunc quantâ beas felicitate Simonem istum casu obuiantem, vt portare mereatur pignus salutis nostræ? vnde ei non vno deinde modo facta est salus.

Votum pro ferendâ cruce cum CHRISTO: Hanc ego à te gratiam peto, salus mea, vt mihi imponas crucem pœnitentiæ, quam feram amore tui; non ob stipendium aliquod temporale, quale Simoni promittebant satellites, quæ merces est hypocritæ; sed ob amorem illum, Deus meus, quo tu dilexisti nos. Portauit crucem Simon, sed mortuus non est in eâ; ego autem mori volo in eâ, quam semel mihi imposueris, cruce pœnitentiæ. Malo, Domine, mori tecum, quàm viuere sine cruce: in cruce enim spem, fortitudinem & consolationem meam omnem locatam habeo: in cruce gloria mea; quidquid extra crucem est, ignominiam & miseriam iudico.

iudico. Quid mihi, Domine, quid viuentibus cunctis fieret, nisi tam libenter tu crucem istam amplecteteris? quid Patres in limbo facerent, gloriâ & beatitudine suâ in æternum priuandi? Laudent te pro me Angeli, exaltent te Cherubim, quòd tam misericorditer resoluisti in hac arbore dissoluere debitum, quod Adam contraxerat comedens de vetitâ arbore paradisi. O verè noster, iam extra figuram, Isaac! ô risus, ô gaudium, ô delicium cæli & terræ, tolle, tolle hunc lignorum fasciculum: iam enim Caluariæ monti appropinquas, vbi ipso illo in ligno es sacrificandus.

CONSIDERATIO VI.

De septem verbis.

DIE VENERIS.

PERVENISTI ad montem Caluariæ, bone IESV, benè lassus, & multùm defatigatus; &, præterquam quòd saturatus sis opprobrijs, & sæpè potatus proprio, qui pugnorum & alaparum inclementiâ saliuæ immiscebatur, sanguine, ab hesternâ cœnâ ieiunus. Iam te dereliquisset animus, iam naturæ vires defecissent, nisi humanitati tuæ ab ipsâ diuinitate, cui hypostaticè vniebatur, suppeditatum fuisset robur ad nouos perpetiendos dolores. Et primùm nudaris. Considera hîc, anima mea (si distingui adhuc possunt) vnamquamque plagam in particulari, virginali in corpore, magis quàm stellæ fulgent in firmamento, rutilantem. Iamque ita te nudatum, cælestis Adam, extendunt in cruce, vt clauis te illi affigant. Crux ista arundo est, quâ, Prophetâ cernente, templum dimetiebantur. Populus Hebræus, homo est; & templum, quod metiuntur, Domine, est corpus tuum sanctissimum. Sed in Salomonis ædificio auditus non fuit malleorum strepitus; & hîc percipit, non sine ingenti suo dolore, anima mea rudes malleorum ictus, quibus tortores illi clauos agunt per sanctas & venerabiles manus & pedes tuos. O vtinam etiamnum vigeret illud Philisthinorum mandatum, quo prohibebant fabrum ferrarium esse in populo Israël, vt excogitare in te non possent hoc tam crudele supplicium!

CHRISTVS nudatur,

cruci affigitur:

O quis ille dolor, IESV mi, quando inuersâ cruce te pronum abiecerunt in terram; vt, quò tenerent firmiùs, clauorum acumina incuruarent! Iam extensus es, Domine, quemadmodum cithara Dauid, vt musicâ tuâ fuges dæmonem à Saul, qui peccatorem præfigurabat.

crux inuertitur,

Vbi te per otium arbori affixerunt, Redemptor meus, sustulerunt in altum, vt omnibus conspicuus, ab omnibus adoreris eâ ratione, quâ etiamnum soles in sacrosancto Missæ sacrificio exaltari. Neque ministri deerant in isto primo solemni sacrificio: pendes enim inter duos latrones, quorum alter optimè ministrabat, confitendo te Regem cæli, & verum mundi Saluatorem. O Pater misericordiæ, quanto amore animas nostras prosequeris! iam enim manibus & pedibus per clauos impeditis, non desinis, quòd linguam adhuc liberam habebas, eâ nos consolari, quamdiu tibi vita suppeditat.

erigitur.

Septem protulisti verba plena mysterijs. quorum primum erat: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Benedictus sis, Domine, qui sanguine tuo consignas veniam, quam tribuis ijs qui morte te afficiunt. O sanguis melior quàm sanguis Abel, qui vindictam clamabat aduersus Cain, suum ex insidijs percussorem! Admirabilis charitas: non enim satis est tibi, vt dicas, Ego illis ignosco; sed interim, dum peccant, vis vt certa sit illis venia, firmata & quodammodò consignata Patris tui manu. Quando in horto pro te orabas, Domine, aiebas: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Nunc autem dum pro ijs rogas qui te crucifigunt, liberam ab omni conditione fundis orationem: ardentiùs enim expetis salutem nostram, quàm vitam tuam. O cæcitatem! ô duritiem illorum, qui iniurias, aut mortem parentum vel fratrum suorum, proximo suo nolunt condonare!

Septem in eâ profert verba.

I.

Lucæ 23. v. 34.

Matth. 26. v. 39.

nare! verendum est, vt qui hunc non audiunt Magistrum, participent de veniâ, quam verbo hoc impetrauit ijs, qui eam libenter proximo suo tribuunt.

II. Lucæ 23. v. 43. Secundum verbum est, quo latroni respondebas: *Hodie mecum eris in paradiso.* Plus illi tribuis, remunerator liberalissime, quàm ipse nouit sibi petendum: petit, vt memor sis eius, & continuò suam illi certam reddis beatitudinem. O Domine, nihil ego posthac tibi suffurabor ex corde meo, quod totum desideras; nihil posthac amabo nisi te, & propter te, vt tandem merear istam tantæ suauitatis vocem audire: Hodie intueberis meam diuinitatem, hodie tuam assequeris beatitudinem. O liberalis munerum largitor, si pro trium horarum obsequio, quod tibi in cruce præstitit latro, cælestem illi tribuis gloriam; quid dabis animæ tibi multos annos in hac lacrymarum valle per tot labores & ærumnas seruienti?

III. Tertium verbum fecisti mœstissimæ Matri tuæ; cuius tu compassione magis dolebas, Domine, quàm ipsâ passione tuâ. Vt enim, si duo specula sibi inuicem opponantur, vnumquodque imaginem refert alterius; ita, quando ipsa in te oculos iaciebat Matris pientissimæ, & tu ad illam remittebas Filij taliter amati & amantis lumina; reflexio quædam dolorum oriebatur, quâ quisque eos tantùm sentiebat, quos alius patiebatur. O quis gladius animam illam pertransibat, quando dicebas, *Mulier, ecce filius tuus*; & S. Ioanni, *Ecce mater tua!* O Regina Martyrum MARIA, quid verbo isti repones, nisi quod filio suo Isaacus: Vox ista filij mei est Iacob? Si enim faciem aspicias sputis, tabo & sanguine adhuc à spineâ coronâ deciduo coopertam, non agnosces: si manus, pedes, corpus totum consideres, plagæ plagis additæ omnem speciem & figuram abstulerunt: è solâ voce agnosces, quòd sit IESVS Nazarenus ipse ille, quem operâ sancti Spiritus conceptum, sine dolore peperisti, & sine fastidio nutriuisti virgineo lacte tuo. Adspice nos, Domina, vt filios, & impetra nobis gratiam, vt semper possimus te Dominam & Matrem nostram meritis obsequijs venerari.

Ioan. 19. v. 26. Ibid. v. 27. Genes. 27. v. 22.

IV. Quartum verbum dulcem habet carnis tuæ cum Patre querelam; quæ nullam neque ab animâ tuâ gloriosâ neque à diuinitate consolationem accipiens, exclamat: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* O sancta desolatio, quæ nobis id merita est, vt numquam diuino destituamur solatio! O Domine, ne discesseris à me; ecce enim appropinquat tribulatio mortis, & non est qui me adiuuet: obsecro te per hanc desolationem tuam, ne discesseris à me: miserrimè enim cadam, Domine, si vel tantillum recedas à me.

Matth. 27. v. 46.

V. Quintum verbum est, *Sitio.* Non quòd aquâ sperabas te reficiendum, qui per Prophetam prædixeras potandum te felle & aceto; sed, vt ingens illud desiderium manifestares, quo sitiebas salutem animarum nostrarum. Hæc eadem erat sitis, quâ aquam petebas à Samaritanâ: nec bibisse te legimus; sed eam conuertisse, peccata illi condonasse, multos è ciuitate illâ ad te pertraxisse certò scimus. Sitiebat Samson, postea quam tot vnus Philisthæos deiecerat; statimque inuenit diuinitus siti suæ remedium, aquam fundente eâdem illâ maxillâ, quæ mille Philisthæorum sanguinem biberat. Tibi verò non inferior labor fuerat, cum tot alaparum, flagellorum, fustium, pedum ictibus depugnare. tot exhaustæ difficultates, tot concursationes, tantus pauor & tremor, sanguineus ille sudor, & ista venis omnibus sanguinis effusio naturaliter acerbissimam tibi sitim concitauerant: si restinguere eam desideres in ipsâ illâ, quâ vicisti, humanitate; fons est anima beata, quæ te poterit consolari: habet ipsa fontem vitæ, ad quem omnes inuitas, vt petant à te aquam viuam salientem in vitam æternam. O fons sitiens, ô flumen impetuosum, quare te exsiccatum pronuntias; nisi vt anima mea desideria sua offerat tibi, atque illis te reficiat?

Matth. 19. v. 28.

VI. Sextum verbum, *Consummatum est,* omnia ad finem perducta ostendit quæ scripta erant de te, Saluator mundi. Lex vetus

Ioan. 19. v. 30.

vetus exſpirauit cum cæremonijs ſuis & ſacrificijs. Finem habet tam cupida mortis tuæ inſana inimicorum tuorum inuidia. Finem habent omnes Sacerdotum & Phariſæorum adinuentiones, eò vertentes ingenij ſui vires, vt modos excogitarent, quibus acerbiùs & ignominioſiùs te affligerent. Finem habent Patrum ſanctorum gemitus, qui per quinque annorum millia te in limbo exſpectabant. Finem denique habet deſiderium illud tuum, quo deſiderabas mundum redimere. Optimè ergo dicis conſummata eſſe omnia: nihil enim iſtorum finem acciperet, niſi vita tua in arbore crucis conſummaretur. Sexto die finem impoſuiſti, Domine, creationi vniuerſi; & eodem iam finem imponis eius redemptioni, omnia morte tuâ emendans, omnia Sanguine colluſtrans. O vtinam & ego dicere poſſim, Conſummatum eſt! vtinam finem habeat exilium meum! vtinam tandem præſumptio, ira, acedia, ceteraque peccata mea ita conſummentur, vt numquam ad ea perpetranda reuertar!

VII. Vltimo verbo, Domine, nos doces, quodnam debeat verborum noſtrorum eſſe poſtremum. dicis enim: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* (Lucæ 23. v. 46.) qui cæleſti beatitudine fruebaris ab ipſo creationis tuæ inſtanti: vt intelligamus nomine te tuorum amicorum orare; confidamuſque, Patrem æternum vi huius orationis ſuſcepturum animas noſtras.

O vox virtutis & magnificentiæ, vox confringens cedros, & diffindens petras! Deieciſti enim præſumptionem centurionis, & deſtruxiſti idololatriam centum eius militum, qui admirantes dicebant: *Verè Filius Dei erat iſte.* (Matth. 27. v. 54.) Atque hi primùm à morte tuâ docent te Deum & hominem, & prædicant myſterium illud in ipſo Caluariæ monte. In manus tuas, Domine, commendo animam meam, cor meum, & omnia deſideria mea: tu me defende, tu mihi ſis in vitâ & morte perfugium; & gratiam concede, vt, quibus tu verbis Patri reddidiſti ſpiritum, iiſdem ego animam meam commendare poſſim in manus tuas, quando mihi erit ex hac vitâ decedendum.

CONSIDERATIO VII.

De ſepulchro Redemptoris.

DIE SABBATI.

VLTIMVM myrrhæ bacillum, Domine & Saluator mi, vnde conficiam faſciculum, vt ponam illum in pectore & in corde meo, deſumam ex monte Caluariæ; vbi vltimam remedijs meis addidiſti manum, &, inclinato venerabili capite tuo, reddidiſti ſpiritum, vt ego inclinem ceruicem meam, & abnegem voluntatem propriam in manibus Superiorum meorum, moriendo in cruce obedientiæ. (*Chriſtus moritur.*)

Hîc mundus vniuerſus, quàm mortem creatoris ſui ſentiat, manifeſtis teſtatur indicijs: terra tremit, cælum trium horarum triſti caligine, tamquam lugubri indumento, aërem obducit; monumenta aperiuntur, templi velum diſrumpitur: nec enim decebat Arcam velari, quando nudus moriebatur in cruce, cuius illa figuram gerebat. Homines te diſcooperiunt, Domine, ſuſpendentes in cruce, & ſol pro lumine, quo eum induiſti, pullâ te veſte circumcingit, inductis ſupernaturali eclipſi tenebris ſuper faciem vniuerſæ terræ; præterquam, quòd ſuos oſtentate nolit radios, vbi tu vera lux ex arbore crucis tuos immittis in corda eorum, qui illuminati confiteri te incipiunt Deum & hominem: clariùs namque cæleſtis illuminationis radij videntur, quò minùs creatæ lucis fulgore oculi perſtringuntur. (*Mortem ſigna excipiunt.*)

O quanta iſta Nicodemi & Ioſephi optimatum populi erga te, Domine, reuerentia, qui te inter latrones mortuum manibus ſuis deponunt de cruce; vt mox quàm honorificentiſſimè curent ſepeliendum! O quibus ſanctiſſimæ Matris tuæ lacrymis lota ſunt vulnera tua, antequam pretioſis aliorum vnguentis eluerentur! Omnes amici tui hactenus doluerunt mortem & paſſionem tuam; at Mater tua iam tantùm (*Amici CHRISTVM deponunt.*) (*Mater omnia ſentit vulnera.*)

incipere videtur passionem suam: tum clauos illa sentit perforare cor suum, quando in pedibus ac manibus tuis propiùs iam aspicit immanes quas ibi fecerunt plagas: iam animam eius lædunt spinarum cuspides, quando eas videt diuinum cerebrum penetrasse: denique lancea, cuius tu ictum, Domine, quòd iam mortuus eras, non percepisti, penetrat iterùm cor Matris tuæ, quando iam ingens vulnus lateris exosculatur. Ioab cor Absalomi triplici lanceâ transfixit; at miles hic vnâ lanceâ tria corda transuerberauit, tuum, Domine, Matris tuæ, & dilecti discipuli tui. O formose Absalom, quantum mutatus ab illo es, qui in monte Thabor gloriâ cælesti circumfulgebas! O dilecte, quàm candidus es & rubicundus, electus ex millibus, vt esses Redemptor & Saluator noster! O Mater Dei, cernis hanc tunicam Filij tui? aspice eam, quia fera pessima, inuidia populi sui, deuorauit eum. Consolare Sunamitis pientissima: si enim Filius tuus in certamine perijt; en alterum, peccatorem scilicet, luctata es, figuratum per filium tuum, Ioannem. Fratrem fratet occidit, & percussor carcere detinetur. roga Dauidem, id est, Patrem cælestem, ne peccator, qui necis causa extitit, pereat; ne vtroque tu simul pignore spolieris. Iro, ito, anima mea, comitare hanc sanctam turbam vsque ad sepulchrum, adsis corpore & animo tam solemnibus exsequijs; intra sepulchrum illud, in quo asseruatur thesaurus tuus: &, si obsequijs vis demereri Dominum tuum, loca in visceribus tuis sanctissimum corpus eius, & fac ei de corde tuo purissimum sepulchrum, ne fallat in te prophetia, quæ ait: *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Plora & perseuera cum Mariâ Magdalenâ, & mereberis videre eum gloriosum & rediuiuum in cælis; vbi eum adorabis cum Angelis in summâ & perpetuâ pace, & laudabis in omnem æternitatem.

Christus sepelitur.

Isaiæ 11. v. 10.

CAPVT XXVIII.

Praxis efficaciter à Deo obtinendi siue lætos in rebus dubijs successus, siue in aduersis contra malorum acerbitatem remedium.

NON deponam hanc de Domini passione materiam, antequam ostendero, quàm possit efficax ex eâ desumi praxis impetrandi à Deo, id quod vel saluti nostræ vel Ecclesiæ prosperitati fuerit opportunum.

Neminem vtique latet, quas in angustias res Christiana adducta fuerit eo tempore, quando Serenissimus Princeps Ioannes ab Austriâ, de vniuerso orbe Christiano iacturus aleam, aciem mouebat, commissurus cum Turcis prælium illud, quod Lepantinum deinde est appellatum. Hic Pius V. Pontifex Opt. Max. cùm alia multa, hæresum scilicet extirpationem, Principum Christianorum vnionem & concordiam, fidei exaltationem, obedientiam rebellium subditorum erga Superiores suos, siue Pontifices illi sint, siue Reges Christiani atque Catholici; tum vel maximè illam, de quâ dictum, Ecclesiæ necessitatem complexus animo, excogitauit tantis in malis remedium. Abijciebat ipse se ante CHRISTI è cruce pendentis imaginem in genua, idque per duodecim omnino continenter dies, longo temporis spatio ruminans eorum mysteriorum aliquod, quorum tam vberem præ oculis habebat in CHRISTI passione materiam, subiungens mysterijs singulis semel orationem Dominicam ac Salutationem Angelicam. Notatumque fuit non curiosè magis quàm piè, victoriam illam, quam Ioannes Austriacus ex suprà commemorato prælio reportauit, toti Christiano orbi adeò salutarem, in septimam Octobris anni 1571. diem incidisse, quâ eâdem die exercitium hoc suum verè Pius Pontifex absoluerat. Nec dubium, quin huic pietati victoria tam gloriosa & salutaris adscribenda fuerit; cùm certum sit, eumdem Pontificem

Victoria Lepantina Pij Pontificis orationibus obtenta.

tificem isti, de quo agimus, exercitio insistentem, ante cælitus de eâ edoctum fuisse, quàm vllo potuisset humano ad eum nuntio deportari. Atque huius pij exercitij efficaciam non tum magis quàm aliàs sæpè, imò in necessitatibus pænè omnibus, expertus est.

Quicumque igitur, tanto inuitatus exemplo, voluerit efficaciter impetrare à Deo id, quod vel ad salutem animæ, vel ad proximi ædificationem, vel denique ad necessitatem aliquam corporis sibi nouerit expedire, debet non segniter eidem orandi modo insistere. Atque in primis corde contrito coram Deo humiliatus, peccata ritè confessus, ac cibo cælestis Eucharistiæ refectus, ad Seruatoris cruci affixi pedes prosternat ipse se; ibique, intimo commiserationis tactus sensu, vnum aliquod è duodecim quæ subiungemus mysterijs contempletur, mysteriorum numerum in totidem diuidens dies, quibus singulis *Pater* & *Aue* subnectet quotidie; omnibusque simul contemplationibus, euolutâ scilicet duodecim dierum periodo, subiunget in honorem quinque præcipuorum CHRISTI Vulnerum, semel augustissimum Missæ sacrificium, vel per ipsummet, si quidem sit sacerdotio initiatus, vel per alium, si sacra non attigerit, peragendum. Atque hoc notandum, eum qui se ita exercet, quò plus orationi suæ addat ponderis, intentionum istarum sanctarum, quas Pontifex habebat præ oculis, de hæresum extirpatione, Principum concordiâ, &c. non debere esse immemorem.

Sequuntur duodecim Meditationis puncta è Passione Domini nostri IESV CHRISTI *deprompta.*

I. AGONIA, quâ CHRISTVM in horto, tædium, pauor & mœstitia tot exercuerunt doloribus, vt sanguinem pro sudore expresserint, qui latè terram imbre pretioso rigaret.

II. Dolor iste vehemens, qui animum Domini occupauit, dum se tam vili pretio venditum cerneret ab vno è suis.

III. Grauis ignominia, quâ affectus est, dum vinculis constrictus, vociferantium lictorum turbâ stipatus, per vicos & plateas, furis & latronis instar, deduceretur, is qui, quòd Dei esset Filius, nè poterat quidem scelus vllum admittere.

IV. Frequentes & acerbi crepitantium virgarum, flagrorum & scorpionum ictus, quos pertulit columnæ alligatus, omni imaginatione crudeliores.

V. Corona è spinis contexta, quam capiti mei & Regum omnium Domini imposuerunt tanto furore ac rabie, totque comitaram scommatis & opprobrijs; vt dubium sit, plúsne crudelitatis ad dolorem, an contemptus ad ignominiam, tormenti hoc genus habuerit.

VI. Iniuriæ vilissimæ dicam, an crudelissimæ? Sputis enim & obscœno olentium stomachorum phlegmate tegitur facies illa, in quam homines non merentur, Angeli desiderant prospicere. Alapis cæditur vt vilissimus nebulo; purpurâ vestitur vt è scenâ regulus; albâ veste, tamquam mente captus. Velantur oculi illi perspicaces, perscrutantes profunda marium, abdita terrarum, occulta cordium. Denique ludus fit, & pro derìdiculo habetur, vt Rex & Propheta salutatus; dum quærunt, quis eum nihil iam, vt cæci illi putabant, videntem percusserit.

VII. Contemptus & vilis de eo existimatio, quâ ei Barabbam nequissimum latronem anteponunt.

VIII. Ponderosissimæ, in quam tollendus erat, crucis in humeros tam teneros & tam grauiter saucios impositio: quam dum quà cadendo quà reptando inter acerbissimos cruciatus defert in montem, ecce tibi Matris occursus, qui Filij tali in statu deprehensi dolores, haud dubium quin duplicauerit.

IX. Ipsum crucis ignominiosissimum & grauissimum martyrium.

X. Vocum istarum acerbitas, quibus iam ad extrema deducto Seruatori exprobrabant: *Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud readificas: salua temetipsum*, &c. (Matth. 27. v. 40.)

XI. Præsentia Matris in tantis suis doloribus & iniurijs; quæ quòd viuacissi-

mè illos in animo persentisceret, fiebat, vt Filius amantissimus iam non minùs Matris compassione quàm suâ passione cruciaretur.

XII. Sitis tam amara, vtpote noctis dieique totius abstinentiâ, tanto dolore & pauore, tot itinerum, per quæ partim ductus partim raptatus erat defatigatione, denique sanguinis totius profusione, atque instantis mortis formidine causata: in quâ, ne quid ad crudelitatem desit aut barbariem, potant eum felle & aceto.

Atque hæc est Meditationum materia; vnde pro dierum numero, quibus continuandum erit hoc exercitium, singula desumes capita, vt piè eorum consideratione mentem habeas occupatam. tum sequentibus quinque Orationibus iaculatorijs ad Deum aspirabis, subiungendo singulis Symbolum Apostolorum, vt ita certò impetres, vel feliciorem in bonis successum, vel in malis remedium.

ORATIO.

DOMINE IESV Fili Virginis MARIÆ, audi me, sicuti audiuisti publicanum humiliter peccata sua agnoscentem. *Credo.*

Domine IESV CHRISTE Fili MARIÆ Virginis, aperi ad videndum necessitates meas oculos tuos; sicuti eos ad videndam dilectam Matrem tuam in arbore crucis, medios inter dolores, aperuisti. *Credo.*

Domine IESV CHRISTE Fili MARIÆ Virginis, aperi os tuum, & loquere mihi; sicuti in cruce dilecto tuo discipulo locutus es, cùm eidem benedictam Matrem tuam commendasti. *Credo.*

Domine IESV CHRISTE Fili MARIÆ Virginis, aperi brachia tua, & amplectere me; sicuti aperuisti ea in cruce ad complectendum genus humanum. *Credo.*

Domine IESV CHRISTE Fili MARIÆ Virginis, aperi cor tuum, & audi verba cordis mei, & concede mihi quod humiliter te rogo. *Credo.*

Dicatur, aut dici curetur, vltimo duodecim dierum Missa vna in honorem quinque Vulnerum Domini nostri IESV CHRISTI.

CAPVT XXIX.

Regula nona.

QVIBVS vitæ & valetudinis ratio permittit, diebus sabbatinis quothebdomadibus semel ieiunabunt in honorem B. MARIÆ Virginis: cui & ipsi & dies hæc sunt consecrati. Hoc prætereà die particularia aliqua pietatis obibunt exercitia: verbi gratiâ, si possint Litanijs interesse, aut saltem eas recitare, vt possint vitam bonam beatâ morte concludere. Ad quod vehementer iuuerit, breuiter hoc die totius septimanæ acta percurrere, ac mancipatus sui rationem Virgini reddere; exemplo eorum mancipiorum, qui rem domini sibi creditam habent, cuius sæpiùs danda est ratio. Demum concludent hanc diem hebdomadale pendendo tributum; quod erit, si facultates permittant, aliqua in pauperes erogata eleëmosyna.

Explicatio.

Requirit hæc Regula non ingratum B. MARIÆ Virginis cultoribus discursum, de sabbati religione, quam Christiani obseruant in honorem Matris Dei: nam, præter Missas atque officia diuina eo die in eius honorem celebrari solita, plerique fideles, præter indictam ab Ecclesiâ à carnibus abstinentiam, strictioris obseruantiæ addunt ieiunium, mortificationes prætereà quasdam particulares, aut cilicia, aut similes corporis castigationes, eleëmosynas insuper, templorum visitationes: multi Litanias vel recitant ipsi, vel officio, vbi publicè decantantur, intersunt. adeò vt nouum nihil Regulâ hac B. MARIÆ Virginis mancipijs præscribatur; sed tantùm memoria renouetur, vt ea, quæ qualescumque Virginis cultores faciunt, ipsi, qui peculiariter se profitentur eius mancipia, non omittant. Dicam ergo primò, quando; deinde, quare sabbatum sit honori Virginis conse-

consecratum; ac tandem adiungam, quomodo debeat aut possit à nobis celebrari. Ac sabbatini quidem ieiunij originem in Occidentali Ecclesiâ ad ipsa Apostolorum tempora refert S. Augustinus Epist. 86. *Quoniam*, inquit, *hæc est opinio plurimorum (quamuis perhibeant esse falsam plerique Romani) quòd Apostolus Petrus, cum Simone mago die Dominico certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum eiusdem vrbis Ecclesiâ ieiunarit; & consecuto tam prospero gloriosoq; successu, eumdem morem tenuerit: eumq; imitatæ sunt nonnullæ Occidentales Ecclesiæ.* Eamdem rationem adfert Cassianus lib. 3. de Instit. cap. 10. Innocentius primus Epistolâ ad Decentium, causam sabbatini ieiunij & sextæ Feriæ communem adfert, quòd Apostoli vtroque die ob passionem Domini in mœrore fuerint. Dixi in Ecclesiâ Occidentali, quòd in Orientali contraria prorsus esset consuetudo: cuius rationem quamdam adfert D. Augustinus in Epistolâ suprà citatâ: *Populi Orientis, propter requiem significandam, quâ caro* CHRISTI *in monumento requieuit, malunt in sabbato ieiunium relaxare.* Sed grauiorem quamdam causam subfuisse indicat S. Ignatius epist. ad Philippenses, cùm seuerissimè ibi ieiunium sabbatinum prohibeat: *Si quis*, inquit, *Dominicum diem, aut sabbatum, vno excepto, ieiunarit, hic* CHRISTI *interfector est.* Affirmabant enim Simon magus, Menander, Saturninus, Cerinthus, & posteà Cerdon, Marcion, ac similis farinæ hæretici (quorum mentionem facit Irenæus lib. 2. cap. 20. Epiphanius Hæres. 21. & specialiùs Hæres. 42.) Iudæorum Deum, mundi huius visibilis opificem, malum esse; atque idcircò in eius contumeliam, eo quo ipse ab opere requieuerat die, quem Iudæi magnâ religione colebant, ipsi ieiunabant. Cuius hæresis cùm signum aut fauor videretur, ieiunium sabbatinum apud Orientales, vbi hæ vigebant sectæ, hinc seuerè prohibetur à S. Ignatio, ne quis se sabbatino ieiunio profiteatur CHRISTI hostem & aduersarium, imò interfectorem; quales sunt omnes qui hæreticis vel adhærent, vel fauent. In Occidentali verò Ecclesiâ constanter fuit obseruata die sabbatino à carnibus abstinentia, quam *ieiunium portionale* vocat Tertullianus lib. contra Psychicos. Quod etiam apud Hispanos obseruatum fuisse, S. Hieronymus scribit Epistolâ 28. de eâque re dicit Hippolytum, virum disertissimum, & alios auctores scripsisse. Imò S. Ambrosius, à S. Augustino adhuc catechumeno nomine matris eius Monicæ consultus, vtrius Ecclesiæ mos esset obseruandus; respondit, eius Ecclesiæ morem sequendum, in quâ quis degit. Qui discursus nos docet, antiquissimam esse in Romanâ Ecclesiâ abstinentiæ sabbatinæ obseruationem; sed quando ea in honorem B. MARIÆ Virginis obseruari cœperit, nondum docet. De quâ re doctissimè discurrit Petrus Antonius Spinellus cap. 29. pulcherrimi Operis de Beatissimæ Virginis MARIÆ laudibus; ex quo nonnulla deinceps mutuabimur. Sunt ergo, qui ad Concilium Claromontanum sub Vrbano II. anno 1094. referunt sabbati in Virginis honorem consecrationem; eò quòd in eo Concilio Preces horariæ, seu Officium D. Virginis, vt vocant, paruum, omnibus, qui Officium Dominicum recitare tenentur, est indictum; ibidemque statutum, vt sabbatis Officium Deiparæ & Missa de eâdem solemniter celebretur. Hæc enim in Claromontanâ Synodo testantur S. Antoninus 2. p. Hist. tit. 16. cap. 1. §. 23. Genebrardus lib. 4. Chronol. in Vrbano II. & ante eos Vincentius Belluacensis lib. 25. Speculi historialis cap. 112. Ptolemæus de Lucca in Historiâ Scholasticâ nouâ apud Raulinum 2. partis Sermonum de Sanctis Sermone 45. & alij, constituta fuisse ab Vrbano II. ad eiusdem Deiparæ patrocinium, in expeditione pro Terrâ sanctâ recuperandâ in eodem Concilio decretâ, impetrandum. Attamen longè priùs sabbatum in honorem Deiparæ seruatum inuenitur. Nam S. Gerardus, Episcopus Canadiensis, de quo Surius Tom. 5. die 24. Septembris, qui præ-

Origo ieiunij sabbatini in Occidentali Ecclesiâ.

Prohibitum erat ieiunium sabbatinum in Ecclesiâ Orientali.

in Occidentali semper obseruatum.

præclariſſimo martyrio pro CHRISTO eſt affectus anno 1042. ſingulis ſabbatis Officium Aſſumptionis Deiparæ cum nouem Lectionibus magniſque laudum præconijs ante eius aram inſigni pietate explebat. Et Ordo Cluniacenſis inſtitutus anno 812. in ſuo Breuiario ſic habet: *Vt ſabbatis extra Quadrageſimam, & niſi ſit feſtiuitas*, &c. *Officium celebretur de intemeratâ Virgine, ſingulari noſtrâ ſpe poſt Dominum* IESVM. Quo ſatis indicare videtur, antequam Concilij Claromontani decreto in vniuerſali Eccleſiâ Officium Virginis in ſabbato ſanciretur, ſabbatum Virgini communi ſenſu fuiſſe attributum. Quare mihi admodum veroſimile eſt, Concilium Claromontanum, id quod de ſabbato Deiparæ attributo inductum in mores iam erat, ſuâ auctoritate ſanxiſſe. Quod innuere videtur Caniſius lib. 5. de B. Virgine cap. 29. cùm ait, *Synodum Claromontanam vel tradidiſſe, vel confirmaſſe illud de Horarijs Deiparæ precibus recitandis ab Eccleſiaſticis, & de ſabbato Virginis cultui dicato.* citatque Hieronymum Rauennatem lib. 5. Hiſt. Quâ de re videndus etiam Arnoldus VVion lib. 5. Ligni vitæ. Quin etiam Pelbartus, grauis Theologus, lib. 4. Stellarij B. MARIÆ Virginis p. 4. art. 3. c. 2. ſabbatinum Deiparæ Officium à S. Ildephonſo, qui circa annum Domini 660. floruit, vſurpatum affirmat: ſcribit enim haberi præcipuè in libro, qui inſcribitur Scala cæli, cuius auctor fuit Ioannes Ægidius, ſeu Ioannes Minor, Ordinis Prædicatorum: haberi prætereà in miraculis B. Virginis, S. Ildephonſum, Toletanum Archiepiſcopum, poſt editum de Perpetuâ Deiparæ virginitate librum, nouem Lectiones, in Officio ad Deiparæ honorem quolibet ſabbato dicendas, confeciſſe: cumque die quodam ſabbati admirabilis in Eccleſiâ harmonia reſonaret, arbitratus Canonicos eo abſente Matutinum Officium perſoluere, ocyùs cum ſuis ad Eccleſiam perueniens, admirabilem vidit claritatem, & Angelorum choros Officium illud à ſe editum decantantes, ac beatam Virginem, quam Angeli laudabant, in Epiſcopali Cathedrâ reſidentem; abſolutiſque Matutinis, S. Ildephonſo ad ſe vocato, caſulam ad celebrandum cælitus allatam, eſſe largitam. Hæc Pelbartus. Hoc ipſum de ſabbato ante multa annorum ſæcula in Hiſpaniâ in honorem Deiparæ dicato, colligi poteſt ex hiſtoriâ celeberrimi Deiparæ templi in Monteſerrato eâ occaſione exſtructi: quòd anno Domini circiter 890. paſtores, qui cum ſuarum ouium grege in illius montis iugo degebant, obſeruarunt ſingulis diebus ſabbati, inclinatâ iam die, ingentia lumina in proximum antrum delabi, concentuſque Angelicos ibidem exaudiri. Quo prodigio ad Barcinonenſem Epiſcopum delato, & eius oculis perſpecto, inuenit is in eo antro Deiparæ ſimulacrum pijſſimum, cui poſteà inſigne illud templum eſt excitatum. Huc etiam ſpectat, quod de precatione, cui initium *Salue Regina*, Nauarrus, pietate & doctrinâ clariſſimus, Abbas monaſterij Roncæuallis, pugnâ Caroli Magni cum Mauris celebratæ, in finibus Nauarræ, refert in Manuali de Oratione cap. 19. n. 183. *Fama eſt*, inquit, *ſapidam illam orandi formam (Salue Regina) olim in noſtrâ Roncaualle ſabbatis ſolitam ab Angelis cantari apud quemdam fontem, quem ab eo tempore in hoc præſens Angelorum fontem appellant; quam, vt alij aiunt, S. Bernardus audiuit ab ijſdem alibi cantari.* Quod ne mirum videatur, adijciam id, quod hac de re ſcriptum reliquit Guilielmus Durandus in Rationali diuinorum Officiorum lib. 4. cap. 1. Is enim agens de Miſſis, quæ particulariter olim ex commiſſione Alcuini, magiſtri Caroli Magni, rogatu tamen Bonifacij Archiepiſcopi Moguntini, ſingulis quæque diebus hebdomadæ aſſignatæ erant; affirmat, quintâ Feriâ dici Miſſam de Angelis, ſextâ Feriâ de Cruce, ſabbato verò de B. Virgine. Claruit verò Alcuinus circa annum Domini 770. Quod ſatis indicat, iam tum in more poſitum, vt ſabbatum Deiparæ eſſet ſolemne, alioquin Miſſæ de Deiparâ vltimum hebdomadæ diem non aſſignaſſet, neque eam

Officium ſabbatinũ B. MARIAE Virginis à S. Ildephonſo compoſitum.

Sabbatum ab Angelis celebratũ.

Miſſa diebus ſabbatinis in honorem B. MARIAE Virginis dici quando inceperit.

eam Angelis, quorum est Regina, postposuisset: verum in hac Missarum assignatione tantum habita est ratio eius diei, qui tum erat Virgini ex more dicatus. Posteà, immutato nonnihil ordine Missarum ab Alcuino facto; mansit tamen constanter sabbato Missa de B. Virgine. Quod ex quodam miraculo Constantinopoli ortum habuisse Guilhelmus Durandus docet his verbis: *In septimâ Feriâ statutum est, vt Missa dicatur de B. Virgine: quod initium habuit, quoniam olim in quadam Ecclesiâ ciuitatis Constantinopolis erat imago B. Virginis, coram quâ dependebat velum, quod totam velabat imaginem: sed hoc velum in sextâ Feriâ post Vesperas recedebat ab imagine nullo mouente, solo Dei miraculo, quasi deferretur in cælum, vt ad plenum posset imago à populo prospici; celebratis verò Vesperis in sabbato, descendebat ipsum velum ante eamdem iconem, siue imaginem, & ibi manebat vsque ad sextam Feriam.* Hoc viso miraculo, sancitum est, vt semper illâ Feriâ de B. Virgine cantaretur. E quo discursu facile est intelligere, quàm fuerit antiqua in Ecclesiâ Dei sabbati ad honorem D. Virginis celebrandi religio. Quare autem visum sit eam potissimùm diem cultui eius assignare, iam Capite sequenti examinabimus.

In Rationali diuinorum officiorum lib. 4. c. 1.

CAPVT XXX.

Quare sabbatum dedicatum sit B. MARIAE Virgini.

NON id hîc quærimus, cùm Sanctis alijs suus cuique per annum recurrat dies, quo virtutum meritorumque, quibus ipsi Deum sibi reddiderunt amicum, memoriam agentes, eos rogamus, vt per eadem nobis illum reddant propitium; cur Virgini Deiparæ quothebdomadis diem vnum, Catholicorum consuetudine & deuotione prouocata, consecrauerit Ecclesia (huius enim è Virginis dignitate, illâque Matris Dei omnia Sanctorum priuilegia superante excellentiâ, facilè redditur ratio: debebat enim illa, quæ omnes simul Sanctos excellit gratiâ & gloriâ, plus singulis à nobis honorari:) sed hoc indagamus, quare sabbati potissimùm dies electa sit, quæ Virgini consecraretur, præ alijs hebdomadæ diebus. Cuius rei præclaram prorsus rationem adferunt SS. Bonauentura & Bernardus: hic in lib. de Passione Domini cap. 2. his verbis: *Passionis tempore omnes relicto eo fugerunt; sola illa, quæ benedicta est in mulieribus, per illud triste sabbatum stetit in fide, & saluata fuit Ecclesia in ipsâ solâ: propter quod aptissimè sancta Ecclesia, in laudem & gloriam eiusdem Virginis, diem sabbati per totius anni circulum celebrare consueuit.* S. Bonauentura verò in 3. dist, art. 2. q. 3. ad 2. *Quoniam,* inquit, *Discipulis dubitantibus, in Virgine eâ die remansit fides Ecclesiæ solida & inconcussa.* Æquum ergo est, vt illa, quæ totius Ecclesiæ dignitatem sola fide suâ integram diem sustinuit, eo ipso die quothebdomadis ab Ecclesiâ colatur. Neque imminutam magnopere, aut vehementer eclipsatam existimemus Ecclesiam, quòd, omnibus ceteris eam deserentibus, vna Virgo eam sustinuerit. Nam quemadmodum plus luminis nox obscura accipit ab vnico lunari orbe, quando circulum totum implente lumine plenam terris faciem ostentat, quàm ab omnibus simul planetis & stellis alijs; eâdem ratione magis splendebat Ecclesia in vnâ Virgine conseruata, quàm in omnibus simul qui antea vel posteà exstiterunt fidelibus. Non disputabo hîc acutiùs, an fidem prorsus omnem amiserint tunc ceteri omnes CHRISTI Discipuli, Matre vnicâ exceptâ; an verò suffecerit, vt non censerentur increduli, quòd crederent Messiam, qui venturus erat, resurrecturum, quamuis in particulari non crederent hunc mortuum, qui multis eorum nondum erat sufficienter annuntiatus, resurrecturum. nam ipsi etiam Apostoli nondum sciebant Scripturas, *quia oportebat eum à mortuis resurgere*, Ioan. 20. v. 9. cum satis constet (id quod ad laudem, quam hic Virgini damus, sufficit) eam solam illo sabbato fidem habuisse in particulari,

Prima ratio, quia in solâ B. MARIA Virgine per eam ranit inconcussa fides in sabbato mortis CHRISTI.

lari, quòd ille Filius suus iam mortuus esset resurrecturus. In cuius fidei verè singularis laudem merebatur ipsa, vt omnes omnino dies ei ab Ecclesiâ consecrarentur; vt mirandum non sit, si saltem illa per hebdomadam ei sit sacra, quâ sola in eâ perseuerauit. Fidem hanc significari illâ candelâ, quæ triduo Hebdomadæ sanctæ, reliquis in triangulari candelabro exstinctis, sola accensa reseruatur, dicit Antoninus 4. p.tit.15.cap.41. §.1. *Fidei*, inquit, *lumen in Deiparâ occultum, quod omnibus postea patefactum, & omnes suo exemplo illuminauit, significatur candelâ illâ accensâ in Matutino tridui Hebdomadæ sanctæ*.

Secunda ratio, martyrium cordis, quo affecta fuit sabbato mortis CHRISTI.

Alia ratio: quia, cùm Virgo sacratissima plus sit quàm Martyr, propter martyrium cordis, & acerbos illos dolores, quos lib.1. cap.27. attigimus, in quorum comparationem exiguum est quidquid Martyres omnes alij pertulerunt; æquum erat, vt Ecclesia huius martyrij diem hebdomadatim celebraret, vt ceterorum annuam recolit memoriam. Durauit autem à Feriâ sextâ vsque ad Dominicam illud martyrium: tota ergo dies sabbatina propter absentiam Filij isti impensa fuit; quo tempore gladius ille Simeonis semper continuis cruciatibus cor eius suffodiebat. Rationem hanc adfert Auctor Sermonum Discipuli, Serm.164. *Optimo autem ordine sequitur, vt, cùm die Veneris Filij mortem planxerimus, die insequenti Matris lugeamus solitudinem; vt die Dominicâ possemus & de huius consolatione & de illius resurrectione exultare.* Et hæc ratio etiam est, cur non festis lætitiæ signis, vt ceterorum Martyrum dies, celebremus sabbatum; sed ieiunijs & pœnitentiâ, quòd nimirum toto illo tempore consolatione caruerit Mater nostra, sed acerbissimis cruciata fuerit doloribus. itaque eius doloribus non secùs tunc ingemiscimus, atque die Veneris Filij tormentis. Licebit autem similes istis affectus excitare, quos superiore Regulâ ex Domini passione eliciendos esse diximus: qui potentiùs excitabuntur, si accuratè relegantur quæ suprà de magnitudine dolorum Virginis disseruimus.

Tertia ratio, quia nos corredemit.

Tertia ratio petitur ex titulo Corredemptricis, quem suprà ostendimus Virgini propriè conuenire; ita vt nos ideò serui ipsius & mancipia simus, quia nos diaboli mancipatui traditos, non tantùm sanguinem Filij sui offerendo, sed suis etiam doloribus & precibus vnà cum Filio redemit. Gratitudinis ergo nostræ erat, qui meritissimo iure vnam quotthebdomadis diem memoriæ Redemptoris consecramus, ei alteram adiungere Corredemptrici sacram; ne in gratijs agendis separemus à Filio eam, quę in conferendis beneficijs nec voluit nec potuit vmquam ab illo segregari.

Rationes mysticæ.

Omitto autem mysticas alias rationes, quas adferunt aliqui ex comparatione quadam & similitudine sabbati cum B. MARIA Virgine; cùm eas potiùs existimem pias quasdam ad rem iam factam accommodationes, quàm occasiones cur ita facta sit. Durandus in Rationali: *Quoniam*, inquit, *sabbatum est ianua & introitus in diem Dominicam, quæ est dies requiei, & significat vitam æternam: quia verò Deipara est nobis porta ad regnum cælorum, quod per diem Dominicum figuratur; ideò de illâ solemnizamus in septimâ Feriâ, quæ diem Dominicam præcedit.* Auctor Sermonum Discipuli addit: *Sabbatum est medium inter diem gaudij & pœnosam, hoc est, inter Dominicam & Feriam sextam; & ipsa Virgo mediatrix est, nimirum ad intercedendum inter Deum & hominem.*

Sepulchri & vteri virginalis similitudo, occasio fuit colendi sabbatum in honorem Deiparæ.

Occasionem aliquam celebrandi in honorem Virginis diem sabbatinum dedisse potuit magna vteri virginalis cum CHRISTI sepulchro similitudo: cùm enim cùm Capite superiore ostenderimus primò, Apostolorum tempore memoriam agi consueuisse istius quietis, quam Dominus habuit in sepulchro, facilè traducta fuerit imaginatio & veneratio à saxeo illo ad viuum quietis Domini locum. Quod cùm magno Patri nostro Augustino inciderit, non malè fundata videtur hæc ratio: ille enim lib.4. de Trinitate cap.5. ait: *Octauo Kalendas Aprilis Dominus conceptus creditur,*

creditur, quo & passus: ita positio in monumento nouo quo sepultus est, vbi nullus mortuorum positus nec anteà nec postea, congruit vtero Virginis, quo conceptus est, vbi nullus seminatus est mortalium. Consonat Augustino S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, expendens illud Cant. 4. *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Quod clausum est,* inquit, *atque signatum, similitudinem habet Matris Domini, matris & virginis: vnde & in sepulchro Saluatoris nouo, quod in petrâ purissimâ fuerat excisum, nec anteà nec posteà quisquam positus est.* Vbi Patres isti primam tangunt sepulchri & vteri Virginei analogiam: erat enim illud, vt ex Euangelicâ constat historiâ, nouum, & in quo nondum quisquam positus fuerat, adeoque obsignatum: Virgo autem non tantùm ob intactam virginitatem obsignata erat, sed noua etiam prorsus, quia nihil vetustaris ex vetere Adamo contraxerat. Quòd si pergimus conferre cetera; sepulchrum exciderat sibi Ioseph ab Arimathæâ in petrâ: & numquid Virgo petra, à quâ abscissus est lapis ille sine manibus, qui comminuit statuam, quam sibi erexerat Monarcharum superbia? numquid de illâ clamat Isaias cap. 16. v. 1. *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petrâ deserti?* Si enim petra erat CHRISTVS, petra etiam erat, vnde ille abscissus est; & petra deserti, ab omni viri consortio deserta; cùm sit abscissus sine manibus. Erat autem petra hæc Virginea sub sanctissimi Iosephi custodiâ, vti illa sepulchralis ab altero Iosepho curabatur; loco verò custodientium militum, Iudæorum operâ adhibitorum, erant Angelorum excubiæ, Domini sui Matrem perpetuo stipantes obsequio. Erat in horto sepulchrum, prope locum vbi crucifixus est IESVS: nec aliò Filium suum quàm in hortum vocat Deipara, quando precatur, vt in virginalia viscera sua descendat: *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Condatur inter sanctarum cogitationum frondes, recreetur odoris verborum sapientissimorum floribus, pascatur fructibus bonorum operum, & luxurietur in tam amœno loci situ, qui iugi passionis memoriâ vicinus est loco Caluariæ, ad quem ille desiderio desiderat ascendere. Iam verò si in mundâ sindone ponitur in sepulchro; mundissimis conditur visceribus in vtero: si istic aromata myrrhæ & aloës; hîc sunt mortificationis, humilitatis & tot virtutum flores: si istud prædicat Isaias fore gloriosum; de hac Salomon canit: *Viderunt eam filiæ* Sion, *& beatissimam prædicauerunt.* Et Isaiâ ac Salomone maior Vates ipsa Virgo MARIA prophetizat: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Fecit ergo, vt suprà dicebamus, ista sepulchri & vteri Virginei similitudo, vt facilè pietas translata fuerit à saxeo & inanimo tumulo ad viuum & rationale vteri sepulchrum; ab isto loco, in quo Dominus mortuus ad triginta sex horas quieuit, ad eum, in quo viuus & sentiens nouem integros menses permansit; ab eo, in quo corpori exanimo habuerat latibulum, ad illum, in quo factus homo accepit viuum carnis indumentum; ab illo denique, in quo nihil egit mortuus, ad illum, in quo vitam accipiens, iam tum operatus fuit salutem nostram in medio terræ.

Cant. 5. v. 1. | Cant. 6. v. 8. | Lucæ 1. v. 48.

CAPVT XXXI.

Aliæ rationes, cur sabbatum consecratum sit B. MARIAE *Virgini.*

SI quis curiosiore perscrutatione, quas dedimus rationes, veluti obuias transiliens, in ipsis mundi principijs primâque sabbati institutione disquirere velit, an non possit antiquitate, quæ CHRISTI ortum præcedat, donare tam religiosam Christianorum pietatem; forte operam non perdiderit, si diligentiùs S. Scripturæ quasdam sententias excusserit. Nam, quòd Textus sacer dicat, *Requieuit Deus die septimo*; tempus quidem habemus quietis istius Dominicæ, locum autem, in quo requieuerit, non discimus. nec satisfa-

Non quieuit Deus in se. Gen. 2. v. 2.

cis, si dicas in se ipso quieuisse, qui se solo beatus, alio non eget ad quietem. nequijt enim in se ipso quiescere, qui se ipsum non fatigauerat. at in creaturis fortè suis delectabatur, & animi quamdam voluptatem pro quiete habebat. sed negat id, dicens: *In omnibus requiem quæsiui.* & S. Petrus Damianus ad illud Cant.8. *Quæ est ista, quæ ascendit delicijs affluens innixa super dilectum suum? Numquid,* ait, *in Angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit prauitatem? numquid in constellatione aut scintillatione stellarum, quarum alia conuertuntur in sanguinem, alia cadunt de cælo, alia tenebris obscurantur? numquid in aëre, vel in igne, vel in ventis? nequaquam: quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in spiritu Dominus; si verax est ille, qui curru igneo & equis igneis assumptus est in cælum. Numquid in aquis, vbi furens & tortuosus Leuiathan memoratur; aut in terra, quæ sub maledicto Adæ spinas emittit & tribulos?* Nusquam voluptatem aut quietem Deo reperit, discurrens per omnes creaturas Cardinalis ille doctissimus. Quid ergo? dicámne cum Psalmistâ: *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis; donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob?* Profectò longo fatigaremur labore, diu quæreremus ad intrà, vbi lassatus esset; ad extrà, vbi quiesceret, nisi adoraremus *in loco, vbi steterunt pedes eius,* ibique audiremus: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* & Petrus Damianus affirmaret: *Non est locus voluptatis, nisi vterus Virginis. Sola Virgo in delicijs, quia vitijs omnibus caret, quibus ceteræ creaturæ inquinantur: cum illâ gaudet cor sponsi eius, quia omnibus omnium creaturarum abundat gratijs.* Quiescebat ergo in Virgine Deus primo illo sabbato, quando *requieuit ab vniuerso opere quod patrarat.* Res mira, quòd Scriptura dicat quieuisse Deum, cùm CHRISTVS ipse testetur eum numquam ab operando destitere: *Pater,* inquit, *meus vsque modò operatur.* quod dicebat occasione murmuris exorti, quòd ad piscinam curasset hominem die sabbati: *Erat autem sabbatum in die illo; & propterea persequebantur Iudæi IESVM, quia hæc faciebat in sabbato.* ac si diceret: Quid mirum, si operer ego in sabbato, quandoquidem Pater meus ab initio mundi operetur etiam in sabbatis, nec vmquam destiterit ab opere suo? An non opponuntur quies & operatio? Si ergo *requieuit Deus die septimo ab vniuerso opere quod patrarat,* quomodo vsque modò operatur? S. Augustinus lib.4. de Genes. ad litteram cap.12. Deum putat à rerum creatione quieuisse, operari autem earumdem conseruationem. *Nunc,* inquit, *operatur earumdem rerum administrationem.* At Philo non Deo quietem adscribit, sed rebus ipsis; legit enim: *Quiescere fecit in septimo die quæ exorsus est. Quiescunt enim,* inquit, *quæ videntur operari, ipsa non agentia; at factor ipse non quiescit.* Pergit ergo, & paulatim nos quò tendimus, deducit: *Requiescens igitur septimo die à mortalibus operibus, altas diuiniores formationes incipit: numquam enim Deus operari desinit; sed sicut proprium est ignis vrere, & niuis refrigerare, ita Dei operari.* Quiescit die septimo Deus, sed à mortalibus & inferioribus operibus; iamque maiore ac diuiniore quodam opere formando, die sabbati delectatur. quod quantum ac quale fuerit, insinuare videtur S. Bonauentura in Speculo: *Diuinum,* inquit, *quoddam opus efformandum accipit, cùm matrem suam, Virginem scilicet* MARIAM, *Deus condidit.* Iámne intelligis, *Pater vsque modò operatur?* Quid autem? *diuiniores operationes incipit.* quid verò posteà? *diuinum opus efformandum accipit, cùm Matrem suam condidit.* An ergo dubium est, vbi quieuerit, qui semper operatur? an non videmus Deum, qui naturam producendo quodammodò fatigabatur, quòd mox perituram quasi irrito labore conderet; delectatum fuisse & quieuisse, quando liber illâ, vt sic dicam, molestiâ, totis cogitationibus ad hoc gratiæ opus, ad naturæ reparatricem, ad Matrem suam conuertebatur? an non

Eccli.24. v.11. *non in creaturis alijs.* Psal.131. v.4.& 5. *sed in diuâ Virgine.* Ibid. v.7. Eccli.24. v.12. Gen.2. v.2. Ioan.5. v.17. Ibid. v.9. 16. Gen.2. v.2.

non fatigabatur, quando habitationem domosque faciebat hominibus, in quibus illi scelera nefariasque in cælum coniurationes designarent? an non quiescebat, dum suo intentus habitaculo, illud quasi per otium, reliquis operibus expeditus, exornabat, vt in eo ipse salutem nostram operaretur? Hæc est sabbati istius sacrosancti quies; hæc operatio, quam numquam deposuit è manibus Pater cælestis. Huic ergo operi quia dies septimus fuit natalis, eâ quâ dictum ratione, quòd nimirum Deus particularem curam, quæ nihil haberet cum reliquarum rerum molitione commune, ei destinauerat; iustum fuit eius quothebdomadis grata recoleretur in Virginis honorem memoria, omnesque Virgini singulari sacramento deuoti colerent sabbatum, tamquam Dominæ suæ natalem, ijs operam dantes pietatis exercitijs, quæ iam verbo attingemus.

CAPVT XXXII.

Quomodo diebus sabbatinis colenda sit Virgo Deipara.

Virgo Deipara colenda diebus sabbatinis:

TERTIVM ex propositis erat, quomodo coli possit diebus sabbatinis Virgo Deipara: cuius rei cùm praxes vtilissimas præscribat Regula, primò de illis agemus; tum videbimus, an quidpiam ijs sit adiungendum. Primò ergo ieiunium suadetur, non illud tantùm *portionale*, vt Tertullianus id vocat, id est, vt ipsemet explicat, *exceptio quarumdam eduliorum*, siue à carnibus abstinentia; nam cùm hoc præcepti sit, in deliberationem non venit eius obseruantia; sed strictius quoddam, quale Ecclesiasticum ieiunium vocant, quod містерeà vnicâ per diem refectione contentos esse iubet fideles, quando est ieiunandum. Cuius Regulæ obseruantiam non suadebo maximis, quibus ieiunium commendari potest, spiritualibus commoditatibus; sed tantùm vno alteróve exemplo mancipia traham in cultorum Deiparæ imitationem. Atque in primis hoc sufficere deberet Sodalibus, quòd VValterus de Birbach, alter ex primis Virginis mancipijs, cùm adhuc in sæculo degeret, omnium solemnitatum Deiparæ Vigilijs ieiunabat, ac pane tantùm & aquâ vescebatur; sæpè etiam idem faciebat sextis Ferijs, ob reuerentiam sabbati, vti de ipso narrat Cæsarius lib. 7. cap. 39. Sequamur patronorum vestigia, quorum in morte speramus solatia; & si non possimus tam strictam in pane & aquâ seruare abstinentiam, compensemus rigorem assiduitate & constantiâ, singulis diebus sabbatinis ieiunando; aut more VValteri, die Veneris in honorem sabbati, si velimus læta vel gaudiosa beatæ Virginis mysteria contemplari in sabbato. Pergo ad alia abstinentiæ exempla.

Primò, ieiunio:

Sancta Elisabetha, Lusitaniæ Regina, inter ieiunia, quæ plurima seruabat, & præter Quadragesimam, quam in honorem Deiparæ ante eius Assumptionem peragere consueuerat, in peruigilijs festorum B. MARIÆ Virginis, & singulis sextis Ferijs, & sabbatis, ieiunio panis tantùm & aquæ vitam ægrè tolerabat.

S. Nicolaus Tolentinas secundâ, quartâ & sexta Feriâ, & in honorem B. MARIÆ Virginis sabbato, semel tantùm cibum capiebat, pane & aquâ contentus. Ita Surius in eius Vitâ. Longior sim, si omnes velim percensere; sufficiant hi diuersi ordinis & sexus mancipijs exemplo & incitamento, cùm minora ab ipsis exigantur, quàm ab istis præstita fuerunt.

Secundò, Litanijs.

Secunda praxis colendi Virginem sabbato, est Litanijs, vbi decantantur in eius honorem, interesse, aut saltem eas priuatim recitare; idque ad mortem felicem, quò maximè spectat mancipatus noster, obtinendam. Quòd autem huc faciat ista deuotio, opinio fuit multorum in eam conspirantium. Nam circa annum Domini 1608. conuenit inter quosdam pietati singulariter addictos, recitare quotidie pro se inuicem Litanias B. MARIÆ Virginis, easdem illas, quas hîc commendamus, quæ in æde Lauretanâ recitari solent; vt eâ ratione

tione sibi inuicem procurarent mortem felicem, easque gratias quæ ad illam necessariò requiruntur: ad quos continuò tanta vndique ex Italiâ, Hispaniâ, Indiâ & Galliâ multitudo confluxit, vt anno 1611. ad viginti hominum millia auctus sit numerus. Erat autem hic conspirationis modus. Primò, oportebat eum, qui precum istarum futurus erat particeps, admitti in ceterorum consortium ab aliquo, qui ad hoc à primo institutore auctoritatem acceperat. Secundò, quotidie recitandæ erant Litaniæ cum Oratione de S. Iosepho, vti eas hîc subijcimus. Tertiò, offerendæ erant hæ preces Deo pro omnibus istius conspirationis membris; ita vt singuli pro omnibus orarent. Quartò, addenda erat intentio, vt fierent pro felici morte obtinendâ.

Litaniæ Lauretanæ.

KYRIE eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere nobis.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo virginum, ora.
Mater CHRISTI, ora.
Mater diuinæ gratiæ, ora.
Mater purissima, ora.
Mater castissima, ora.
Mater inuiolata, ora.
Mater intemerata, ora.
Mater amabilis, ora.
Mater admirabilis, ora.
Mater Creatoris, ora.
Mater Saluatoris, ora.
Virgo prudentissima, ora.
Virgo veneranda, ora.
Virgo prædicanda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidelis, ora.
Speculum iustitiæ, ora.
Sedes sapientiæ, ora.
Causa nostræ lætitiæ, ora.
Vas spirituale, ora.
Vas honorabile, ora.
Vas insigne deuotionis, ora.
Rosa mystica, ora.
Turris Dauidica, ora.
Turris eburnea, ora.
Domus aurea, ora.
Fœderis arca, ora.
Ianua cæli, ora.
Stella matutina, ora.
Salus infirmorum, ora.
Refugium peccatorum, ora.
Consolatrix afflictorum, ora.
Auxilium Christianorum, ora.
Regina Angelorum, ora.
Regina Patriarcharum, ora.
Regina Prophetarum, ora.
Regina Apostolorum, ora.
Regina Martyrum, ora.
Regina Confessorum, ora.
Regina Virginum, ora.
Regina Sanctorum omnium, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater noster. Aue Maria, &c.

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa & benedicta, Domina nostra, Mediatrix nostra, Aduocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.
℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

GRatiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, vt qui Angelo nuntiante CHRISTI Filij tui incarnationem cognouimus, per passio-

passionem eius & crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Ora pro nobis beatissime Ioseph.

℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

SAnctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, mentis adiuuemur; vt quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Diuinum auxilium maneat semper nobiscum. Amen.

Litaniæ commendantur.

LItanias autem, quarum vsus tam frequens in Ecclesiâ Catholicâ, omittere non possum quin præclarâ S. Bernardini Senensis commendem sententiâ, qui Tom. 3. Serm. 1. de nomine Virginis sic ait: ***Deum ipsum non vno tantùm nomine nominamus, sed multis; vt sic eius incomprehensibilitatem enuntiemus: sic & gloriosam Virginem multis nominibus designamus, & nunc lucem, nunc solem, & huiusmodi nominare solemus; vt sit ad sublimitatem eius cognoscendam aliquantulùm pertingamus.*** Ex quibus verbis colligo, Litanias B. MARIÆ Virgini duplici affectu recitari posse. Primo, vt statuat se quis tamquam famulum & mancipium ante thronum tam eximiæ Dominæ, cuius dignitatem, excellentiam, virtutem, maiestatem cùm nec oratione explicare nec mente omnino consequi possit, conetur tantâ epithetorum & elogiorum congerie diuersas eius proprietates & prærogatiuas attingere, quas omnes ne infinitis quidem titulis posset explicare. Quâ in re nihil latere potest, quod vel superstitionem vel imminutionem dignitatis MARIANÆ sapiat; cùm Scriptura nobis huius pietatis viam monstrauerit, quæ vocabula multa ex rebus nobis cognitis adhibet, ad dignitatem eius metaphoricè declarandam: ita enim per nardum odoriferam, eius humilitatem; per altare thymiamatis, orationis sublimitatem atque fragrantiam; per candelabrum aureum, charitatis feruentissimæ pretium inæstimabile; per virgulam fumi ex vniuersis aromatibus, virtutum omnium plenitudinem, cum imitandâ boni odoris sanctitate coniunctam, non incongruè significat.

Prima praxis eas recitandi.

Secunda praxis.

Secundus affectus quo Litaniæ recitandæ, est, vt ea ipsa elogia repetantur quasi diuersa eaque efficacissima motiua, quibus B. Virgo inducatur ad concedendum id quod ab eâ impetrare contendimus. Iam cùm tituli dignitatum in Virgine sint, & affectus erga eam in nobis esse possint tam multi; nihil vetat, exundante feruore pietatis, quotidie noua vel excogitare, vel ex Scripturâ Patribusque concinnare encomia: quæ si in catalogum quemdam seu ordinem referamus, nouas Litanias habebimus, non improbando nec Virgini ingrato pietatis exercitio. Si enim carmina, hymnos, panegyres in eius honorem elucubrare laudi datur encomiastis MARIANIS; quare vitio vertetur, breui Litaniarum catalogo ipsis istis laudationibus suggerere materiam? quam etiam desumere poterunt ex hisce, quas subijcio, Litanijs.

Litaniæ B. MARIAE *Virginis exprimentes præcipuè duodecim eius priuilegia: in quorum honorem à mancipijs corona duodecim stellarum recitatur.*

KYRIE eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Mater CHRISTI, Audi nos.
Mater CHRISTI, Exaudi nos.
Maria, Filia Patris Dei, Ora pro nobis.
Maria, Mater Filij Dei, ora.
Maria, Sponsa Spiritus sancti Dei, ora.
Maria, totius sanctissimæ Trinitatis triclinium, ora.

Stella prima.

Maria, Filia superni Regis nobilissima, ora pro nobis.
Maria, Filia Deo amantissima, ora.
Maria, Filia Deo dignissima, ora.

secunda.

Maria, ante omnes puras creaturas prædestinata, ora.

Maria, maſſæ noſtræ primitiæ, ora.
Maria, inter omnes prælecta, ora.
Maria, omnium primogenita, ora.
Maria, ſæculorum omnium negotium, ora pro nobis.
Maria, omnem electæ creaturæ altitudinem electionis tuæ ſublimitate tranſſcendens, ora.
Maria, electa electorum, ora.
tertia, Maria, ab omni æternitate in Matrem Dei ordinata, ora.
Maria, comprehendentis omnia comprehenſio, ora.
Maria, fons humanitatis Filij Dei, ora.
Maria, Genitoris tui Genitrix, ora.
Maria, vnitarum inter ſe naturarum officina, ora.
Maria, terra germinans Saluatorem, ora pro nobis.
Maria, ſacra & animata Dei viuentis arca, ora.
quarta, Maria, ſine peccato originali concepta, ora pro nobis.
Maria, corruptionis interitus, ora.
Maria, vitæ introitus, ora.
Maria, lilium inter ſpinas, ora.
Maria, ſerpentis caput conterens, ora.
Maria, terra Domini benedicta, ora.
Maria, paradiſus voluptatis, ora.
Maria, niue candidior, ora.
quinta, Maria, benedicti ſeminis auguſta Parens, ora.
Maria, Dei Genitrix glorioſa, ora.
Maria, Mater diuinæ Maieſtatis, ora.
Maria, Regis cæleſtis domus immaculata, ora.
Maria, nutrix omnia nutrientis, ora.
ſexta, Maria, virginum primiceria, ora.
Maria, ante partum, in partu, & poſt partum virgo intemerata, ora.
Maria, caſtimoniæ præſidium, ora.
Maria, feſtiuitas & honor virginum, ora pro nobis.
Maria, Virgo decora corpore, & animo fulgida, ora.
Maria, ſpecies totius caſtitatis, ora.
Maria, ſingulare virginitatis exemplar, ora pro nobis.
ſeptima, Maria, miris modis res vna cum Deo effecta, ora.
Maria, ſumma diuinæ comprehenſibilitatis, ora.

Maria, forma Dei, ora.
Maria, diuinæ charitatis promptuarium, ora.
Maria, vna cum Chriſto caro, ora.
Maria, Deo ſimillima, ora.
octaua, Maria, cæli ac terræ Imperatrix, ora.
Maria, hominum pariter & Angelorum Regina, ora.
Maria, regnantium regnatorumque Domina, ora.
Maria, vnica Dominatrix ſuper choros Angelorum exaltata, ora.
Maria, noſtra regeneratrix & Hera, ora pro nobis.
Maria, Regina duodecim ſtellis coronata, ora.
Maria, Regina circumdata varietate, ora pro nobis.
nona, Maria, Soror & Sponſa Dei, ora.
Maria, thalamus Spiritus ſancti, ora.
Maria, à Spiritu ſancto obumbrata, ora pro nobis.
Maria, pratum totius fragrantiæ Spiritus ſancti, ora.
Maria, paradiſi deliciæ, ora.
Maria, materfamilias in domo ſanctiſſimæ Trinitatis, ora.
decima, Maria, collegium ſanctitatis, ora.
Maria, mons Domini in vertice montium, ora.
Maria, virgula fumi ex vniuerſis aromatibus, ora.
Maria, ſuper omnes ſpecioſa, ora.
Maria, aquæductus cæleſtium gratiarum, ora.
Maria, donorum cæleſtium theſauraria, ora.
Maria, pelagus gratiarum, ora.
vndecima, Maria, à peccatis etiam leuiſſimis immunis, ora.
Maria, germen iuſtitiæ in oppido iniquitatis, ora.
Maria, ortus ſolis nullum ferens occaſum, ora.
Maria, omnibus firmamentis firmius firmamentum, ora.
Maria, eâ puritate nitens, quâ maior ſub Deo nequit intelligi, ora.
duodecima. Maria, cæleſtis planta, ora.
Maria, Dei atque hominum veriſſima mediatrix, ora.
Maria, puella gratioſa, ora.

Maria,

Maria, ciuitas refugij, ora.
Maria, fenestra cæli, ora.
Maria, mediatrix pacifica inter summa & ima, ora.
Maria, propitiatorium vniuersæ terræ, ora pro nobis.
Maria, patrona acceptissima, ora.
Maria, spes desperantium, ora.
Maria, mater sanctæ spei, ora.
Maria, vita, dulcedo, & spes nostra, ora pro nobis.

Tertiò, colenda Deipara recollectione hebdomadariâ.

Tertia praxis colendi B. MARIAM Virginem in sabbato est vtilissima, & propria mancipijs; quippe ex ipso famulorum mancipiorumque more petita: si qui enim illorum rem aliquam domini sibi creditam habent, cuius vel distributores vel dispensatores ipsi sint constituti, solent quàm frequentissimè rationem dominis suis reddere, vt constet illis accuratè quid acceptum, quid expensum sit. Etenim valet hæc obligatio rationem reddendi sæpiùs ad stimulandam famulorum diligentiam, ad confirmandam fidelitatem, & ad curas eorum & sollicitudines imminuendas, quando sciunt benè hactenus se functos officio; neque timent, ne fortè quid lateat in rationibus, quod reos tandem ipsos faciat malè administratæ rei sibi creditæ. Conuenienter autem hoc tempus ineundæ rationis mancipatus sui Sodalibus singulis diebus sabbatinis præscribimus. Neque enim frequens est nimiùm in re tanti momenti, atque est obsequij B. MARIÆ Virginis salutisque nostræ negotium; neque lentum etiam nimis, cùm facilè cuique possit constare, quî sese septem dierum spatio gesserit. Neque opus est particulare ad id tempus desumere, cùm possit vel eo, quo Litaniæ decantantur, vel Missa recitatur, spatio absolui hebdomadaria ista disquisitio: quæ fiet vel hoc vel simili aliquo modo.

Recollectio hebdomadaria.

IMAGINATIONE se statuet quisque ante conspectum Dominæ suæ, eamque veluti dicentem audiet: Redde rationem seruitij & mancipatus tui. Expendere itaque incipiet primò, an istâ hebdomadâ preces à Sodalitate præscriptas recitauerit, tributum quotidie soluerit, manè surgens è lectulo ac vesperi decumbens ea fecerit quæ Regulâ quartâ & septimâ præscribuntur, die Veneris passionis & sabbato proximè elapso peculiaris obseruantiæ memor fuerit. Si obseruata omnia, humillimè gratias aget Dominæ suæ, quòd gratiam ad id impetrauerit; magnâ animi demissione coram eâ profitebitur, quòd seruus inutilis sit, quantumcumque faciat quod debet: si erratum vspiam, dolorem excitabit, veniam petet, emendationem pollicebitur, & pœnitentiam sibi ipsi pro delicti grauitate imponet; ac firmiter statuet sequenti hebdomadâ strictiorem Regularum obseruantiam. Examinabit ea quæ sibi credita sunt; quorum omnium Virgini, tamquam Dominæ & matrifamilias, rationem reddet: ipsi enim cura est de omnibus.

Circa Regulas.

Circa bona externa.

Primò ergo facultates examinabit & bona fortunæ; considerabitque, an nihil iniustè acquisitum, an nihil prodigè expensum, aut auarè seruatum; an buccellam suam cum inope diuiserit, & fecerit secundùm statum suum & temporum exigentiam eleëmosynas; an obligationibus suis omnibus satisfecerit.

Circa bona corporis.

Secundò, bona corporis: an vires, formam, valetudinem impenderit ad obsequium Dominæ suæ; an quinque sensus suos ita custodierit, vt non siuerit eos alteri quàm MARIÆ eiusque benedicto Filio inseruire; an membra singula omne id præstiterint obsequij, quod poterant in eius honorem operari. seruum namque reprehendimus, sicubi eum videmus otiari, quando potest præstare seruitium; & æquum est, vt nos omnibus membris & sensibus MARIÆ inseruiamus, quandoquidem ipsa nobis omnibus inseruierit. quod Lib. 5. ostendemus.

Circa animæ bona.

Tertiò, bona animæ naturalia: vt sunt memoria, voluntas, & intellectus; quomodo nimirum ea impenderit in Dominæ

Dominæ suæ obsequium, studendo propagationi honoris Filij eius, amando eam tenerrimè supra res omnes creatas propter Filium eius, qui propter se supra omnia est diligendus; non aliâ denique re frequentiùs occupando memoriam, quàm cælitus acceptis beneficijs, Matris Filijque ipsius laudibus, & praxibus, quibus possit ipsis complacere.

Circa dona supernaturalia.

Quartò, bona animæ supernaturalia; vt gratiæ & inspirationes diuinæ, consolationes cælestes, & similia: circa quæ examinabit, an iuxta Regulam sextam ea accipiens statim gratus exstiterit; an benè acceptis vsus ad profectum suum spiritualem; an inspirationibus obsecutus, &c.

Circa proximum.

Quintò, examinabit, quomodo se gesserit circa totam Virginis familiam, & omnes conseruos suos; inter quos habet Primò, Superiores, quibus debebat honorem & amorem, promptam præterea obedientiam: consideret ergo, an ea illis præstiterit. Secundò, æquales; inter quos pauperes, quibus debet compassionem, consolationem & opera charitatis; peccatores, quibus debet zelum animarum, orationem & studium eos conuertendi; alios denique, quibus omnibus debet charitatem, bonum exemplum, affabilitatem, & cetera pietatis Christianæ exercitia. Tertiò, inferiores; de quibus speciatim redditurus est rationem: videat quomodo ijs prospexerit in spiritualibus, quomodo in temporalibus; & speciatim, an totius familiæ mores testentur herum esse talis Dominæ mancipium. Quartò denique, seipsum circumspiciat, consideretque, an omnia exteriora interioraque sua ita ordinarit, quemadmodum decet Virginis mancipium. Hic videndum, quâ vtatur in victu & vestitu moderatione, quâ temperantiâ in ornatu, habitatione, ludo, studio, exercitio, & ceteris occupationibus; omniaque componet ex Dominæ suæ voluntate & moribus. Solet enim sæpiùs ex famulorum honestate, modestiâ, ceterisque virtutibus, de hero vel herâ fieri iudicium. Certè ad honorem Dominæ nostræ spectat, famulos eam habere moribus quàm compositissimis.

Postquam omnium rationes collegerit, & scripto mandarit bona proposita, conuersus ad CHRISTVM Dominum, petet ab eo gratiam per Virginis intercessionem & merita, vt ea possit constanter obseruare. ad quod seruiet Oratio S. Thomæ Aquinatis, additis aliquot quas parenthesi includemus voculis.

Oratio D. Thomæ Aquinatis.

CONCEDE mihi misericors Deus (*per merita & intercessionem Dominæ meæ, Matris tuæ amantissimæ*) quæ tibi placita sunt ardenter concupiscere, prudenter inuestigare, veraciter agnoscere, perfectè adimplere, ad laudem & gloriam nominis tui (*& ad obsequium Dominæ meæ, Matris tuæ dilectissimæ.*) Ordina statum meum: & quod à me requiris vt faciam, tribue vt sciam: & da exequi sicut oportet & expedit saluti animæ meæ. Da mihi, Domine Deus, inter prospera & aduersa non deficere, vt in illis non extollar, & in istis non deprimar: de nullo gaudeam vel doleam, nisi quod ducat ad te, vel abducat à te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi (*& Dominæ meæ Virgini* MARIÆ.) Vilescant mihi, Domine, omnia transitoria, & chara mihi sint omnia tua propter te, & tu Deus meus præter omnia. Tædeat me gaudij quod est sine te, nec aliquid cupiam quod est extra te. Delectet me, Domine, labor qui est pro te, & tædiosa sit mihi omnis quies quæ est sine te. Frequenter da mihi, Domine, cor ad te dirigere, & in defectione meâ cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me, Domine Deus, obedientem sine contradictione, pauperem sine defectione, castum sine corruptione, patientem sine murmuratione, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine deiectione, maturum sine grauitate, agilem sine leuitate, timentem sine desperatione, veracem sine duplicitate, operantem

tem bona ſine præſumptione, proximum corrigere ſine elatione, ipſum ædificare verbo & exemplo ſine ſimulatione. Da mihi, Domine Deus, cor peruigil, quod nulla abducat à te curioſa cogitatio; da nobile, quod nulla deorſum trahat indigna affectio; da rectum, quod nulla deorſum obliquet ſiniſtra intentio; da inuictum, quod nulla frangat tribulatio; da liberum, quod nulla ſibi vindicet peruerſa & violenta affectio. Largire mihi, Domine Deus, intellectum te cognoſcentem, diligentiam te quærentem, ſapientiam te inuenientem, conuerſationem tibi placentem, perſeuerantiam te fideliter exſpectantem, & fiduciam te finaliter amplectentem; tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficijs vti in viâ per gratiam, & tandem tuis gaudijs in patriâ perfrui per gloriam. Qui cum Patre, &c.

Si cui magis id ſapiat, poterit paucis mutatis Orationem hanc ad D. Virginem dirigere, ab eâque petere, vt ipſa Domina mancipio ſuo de ijs virtutibus prouideat, quarum in eâ fit mentio.

Quartò, imagine B. Mariae Virginis in officinâ.

Cùm zeloſorum mancipiorum ſit, ita noua quædam & ſibi particularia aſſumere obſequia, vt tamen in ijs quæ communi conſuetudine recepta ſunt, conentur præ ceteris excellere; non erunt immemores laudatiſſimi moris, qui iam vbique pænè receptus; vt qui merces apertâ officinâ diſtrahunt, in eâ ipsâ loco conſpicuo imaginem B. Mariæ Virginis habeant: cui ſabbato, quo tempore Laudes Virginis decantantur in templo, candelam accendant. Viſitationes item imaginum, quæ miraculis clarent, ijs præ ceteris frequentandæ.

CAPVT XXXIII.

Regula decima.

Reficient ſe mancipia Ven. Euchariſtiæ Sacramento vt minimùm ſingulis menſibus ſemel, omnibus item Christi Domini ac Dominæ ſuæ Feſtis diebus; & memores erunt illo, vel ſtatuto alio menſis die, menſtruum tributum pendere.

Explicatio.

Serui quandoque edebant in mensâ dominorum.

Qui ſeruorum conditionem apud veteres miſeram & abiectam, & dominorum contrà ſuperbiam & inclementiam conſiderabit; non ſatis demirabitur illam conſuetudinem, quâ feſtis quibuſdam diebus ſerui epulabantur cum dominis, imò dominos ſuos ſibi in mensâ ſeruire ac miniſtrare faciebant. Quod apud Romanos Saturnaliorum diebus fiebat, apud Græcos in Cretâ Mercurialium feſtis, apud Babylonios 16. Kal. Septembris, in feſto Saccan, quando quinque omnino diebus ſerui dominis imperabant; & apud alios alijs diebus: qui dies ſeruis ſpeciem aliquam & guſtum præbebant iſtius felicitatis, quæ ex libertate percipitur. Et ideò fortè id inſtitutum erat à maioribus, vt ſeruilia illa ingenia iſto libertatis ſapore excitarentur ad fidem, diligentiam induſtriamque ſuam ita dominis probandam, vt mererentur maximum obſequij præmium, libertatem aliquando accipere. Certè Dominus noſter ac Herus, ſub quo clementem ac liberalem ſeruimus ſeruitutem, præmium obſequiorum noſtrorum ſub illâ honeſtiſſimâ libertatis ſpecie, quâ ſeruo epulanti miniſtret Dominus, propoſuit, vt ad illud omnibus votis aſpiraremus. Lucæ namq; 12. v. 37. ait: ***Beati ſerui illi, quos, cùm venerit dominus, inuenerit vigilantes; amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.*** Quod ideò maximè dico, vt expendamus Dominæ noſtræ ſuauiſſimæ benignitatem, quæ ſeruis ſuis præparauit iuge conuiuium, & clamat, & inuitat ipſa: ***Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.*** miniſtram ſe profitetur in conuiuio, cùm pocillatricis officium dicat eſſe ſuum: ***Vinum quod miſcui vobis.*** Beatus Petrus Damianus in Sermone de Natiuitate Virginis id expendens: ***Hîc, dilectiſſimi fratres,*** inquit, ***hîc, rogo, perpendite quàm debitores ſimus huic beatiſſimæ Dei Genitrici, quantaſq; illi poſt Dominum gratias agere debeamus. Illud ſiquidem corpus,***

Et ſuos inuitat Deipara ad menſam.

Prou. 9. v. 5.

Bbb *quod*

quod beatissima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod fascijs cinxit, quod maternâ curâ nutriuit, nunc de sacro altari percipimus, & eius sanguinem in Sacramento nostræ redemptionis haurimus. Impar est illi omne humanæ linguæ praeconium, quæ de intemeratæ carnis suæ visceribus cibum nobis protulit animarum; eum videlicet, qui de seipso perhibet: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Quibus verbis insinuat, Virginem Deiparam, quando Filio suo præbuit sanguinem, vt inde efformaret sibi corpusculum; quando eum nutriuit in vtero, quando portauit in gremio, quando lactauit vbere; tum scilicet huic mensæ præparandæ insudasse, tum agnum impinguasse qui hîc comeditur, tum cibum præparasse qui in Eucharistiâ proponitur: ita vt verè illa dicat: *Venite, comedite panem meum.* Res ergo communis quidem omnibus ijs, qui sese pietati singulariter addixerunt, imò qui certiorem aliquam spem habent vitæ æternæ, præscribitur, quando commendatur frequens Communio; sed non vulgari ratione obeunda ea traditur, quando mancipijs, ideò quia Virginis mancipia sunt, ea præcipuè iniungitur. Quid enim aliud significat, *Omnibus* CHRISTI *Domini atque Dominæ suæ Festis diebus mensæ sacræ accumbant Sodales*; quàm vt mancipia, quę verbo & gratiâ diuinâ quotidie pascit eorum Domina, diebus festiuioribus ijs epulis indulgeant, quæ solemniori ritu, arte magis exquisitâ & charitate abundantiore, illis præparauit Domina sua? Quapropter non illud mihi negotij datum arbitror in explicandâ hac Regulâ, vt fusiùs de excellentiâ & dignitate Eucharistiæ agam, aut longâ tractatione deducam, quàm admirabilia fides de eâ mysteria proponat; quâ præparatione ad eam sit accedendum; quibus praxibus debita deuotio, fiducia, amor ac spiritualis fames excitanda; quomodo post eam diuinæ bonitati agendæ gratiæ; quis fructus ex tam diuino epulo sumendus; cùm de ijs iam plurimi spirituales ac optimi tractatus versentur in omnium manibus; propositumque mihi solummodò sit, id quod ad mancipatum singulariter spectat, attingere. Duo igitur tantùm dicam: primum, quare epulum istud diuinum, quod Filij tantùm videbatur, particulari ratione sit Matris Deiparæ: secundum, quomodo Sodales poterunt auxilio Dominæ suæ, & praxibus ex mancipatu petitis, augere suam in sumendâ sacrâ Eucharistiâ deuotionem.

CAPVT XXXIV.

Quòd Eucharistia peculiariter sit epulum à BEATA MARIA *mundo exhibitum.*

Ex generali propositione, quam sæpiùs ex D. Bernardo alijsque attulimus & confirmauimus, nihil dari mortalium generi à Deo, quod non transeat per manus MARIÆ; facilè infertur conclusio, cùm mirabilium omnium prodigium, beneficiorum omnium compendium, promissorum omnium pignus certissimum, sit Eucharistia, eam nullâ ratione concessam nobis ita, vt non peculiari ratione debeamus eam Virgini MARIÆ referre acceptam. Quæ enim tantam partem habuit in mysterio incarnationis & passionis Dominicæ, vt, quantum ad hanc, in corde ipsa passa sit, quidquid in corpore suo Filius pertulit; quantum ad illam verò, de corpore suo suppeditarit, vnde mortalitatem nostram Deus assumpsit; non potuit non adhiberi in illo mysterio, quod vtriusque istius prioris factum est memoriale & viua repræsentatio, & in quo fructus vtriusque tamquam in arcâ sacrosanctâ conclusus fuit. Non ago hîc de eo, quòd precibus illa suis nobis donum tam singulare impetrauerit, vt diuinis epulis accumbamus; licet tanti fabulosas epulas faciat apud Poëtam Æolus, vt nihil Iunonem putet rogare posse, quod non promptè atque alacriter sit executurus, ideò quòd ipsa eum faciat deorum conuiuio interesse.

Eucharistiam B. MARIÆ Virgini debemus acceptam.

non tantùm quia impetrauit eam nobis precibus.

— *Tuus*, inquit, *ô Regina, quid optes*
Explorare labor, mihi iussa capessere
fas est.

Ratio

Ratio deinde præcipua tam promptæ voluntatis sequitur:

——*Tu das epulis accumbere Diuûm.*

Non enim hisce continetur terminis, quod MARIA nobis præstat in Ven. Eucharistiâ beneficium; nec hoc tantùm voluerunt SS.Patres, quando tot similitudinibus exprimere conati sunt nostram propter Ven. Eucharistiæ Sacramentum erga Deiparam obligationem. MARIÆ enim, dicunt omnes, sumus obnoxij tamquam terræ virgini; quæ sine humano semine, aut aliâ quàm diuinæ manus culturâ protulit frumentum, vnde confectus est panis vitæ; tamquam feminæ sapienti, quæ eum ex animâ, corpore, diuinitate, veluti farinæ satis tribus, adhibito fermento fidei, fuit operata; tamquam tabernaculo Abraham vel Saræ, in quo sub cineribus ad ignem diuinitatis coctus est; tamquam furno intellectuali diuinis ardoribus accenso, vnde calens & recens extractus est, vt citò nobis vitam redderet; tamquam Bethlehem mysticæ, seu domui panum, in quâ panis hic seruatus fuit ad refectionem mortalium. Quid plura? Sunt qui templum faciant MARIAM, in quo primùm fuit consecratus panis Angelorum; sunt qui altare, seu mensam, in quâ fuit propositus; sunt qui vas aureum, in quo manna hoc cæleste fuit conseruatum. Alij aliam respicientes Sacramenti huius speciem, inter quos S.Ioannes Damascenus & S. Epiphanius, vineam vocant fertilissimam, quæ vinum protulit suauitatis, & nectar vitæ æternæ; S.Germanus sepem mysteriosam plantatam manu Dei, vt Ecclesiæ reddat botrum incorruptionis. *Verè aluus ille* MARIÆ, inquit S.Ambrosius, *crater ille tornatilis, in quo erat sapientia, qua miscuit in cratere vinum.* Alij denique affirmant, si arbor vitæ est Ven. Sacramentum, MARIAM esse paradisum: si est pomum immortalitatis, arborem esse MARIAM, vnde decerptum est: si agnus paschalis est, MARIAM eum suppeditasse: si carbo Isaiæ Seraphicus est, forcipem esse MARIAM, quâ de altari diuinitatis acceptus est: denique, si vnio est pretij incomparabilis, concham & matricem, in quâ formatus est, non aliam esse quàm Virginem. Quibus tam frequentibus comparationibus diuersimodè explicant, quam partem habeat Deipara in Sacramenti huius institutione. Quæ Sapientis hortatu curiosiùs communicantibus sunt perscrutanda: nam *quando sederis vt comedas*, inquit Prouerb. 23. vers. 1. *cum Principe, diligenter attende quæ proposita sunt ante faciem tuam.* Hebræa habent, *intelligendo intellige, & perspice.* Indagando autem curiosiùs duo potissimùm consideranda reperio in Eucharistiâ, consecrationem & communionem fidelium. In consecratione passionem suam iucundissimè recolit Dominus noster IESVS CHRISTVS; in eâdem autem, & simul etiam in communicatione fidelium, historiam conceptionis suæ in vtero Virgineo gratâ recordatione commemorat. Atque in vtrâque partem magnam habet Virgo, vt ei nominatim debeamus Ven. Eucharistiæ institutionem referre acceptam. Cùm enim consecratio sacrificium sit, in quo Dominus noster IESVS sub panis & vini speciebus Patri offertur; eodem modo de hoc ratiocinandum est, quemadmodum suprà de crucis sacrificio ratiocinati sumus: videlicet CHRISTVM esse rem quamdam B. MARIÆ Virginis, quòd sub maternâ eius potestate sit constitutus; atque inde fieri, quemadmodum consensus eius ac voluntas, quæ Patri Filium pro mundi salute offerenti, & Filio seipsum sacrificanti conformis fuit, sufficit, vt illa dicatur Filium suum pro mundo obtulisse, nosque vnà cum Filio redemisse: ita hîc, quòd voluntas eius voluntati Filij sese in Eucharistiâ offerentis consenserit, satis esse, vt ipsa nobis manna illud cæleste donasse, & obtulisse pro nobis istud sacrificium dicatur; eò quòd Sanguis & Corpus CHRISTI, hostia scilicet quæ offertur, res eius fuerit, vereque ad eam pertinuerit. Ad quod alludit S.Epiphanius Sermone de Laudibus Virginis: *O Virginem, inquit, stupendum Ecclesiæ thesaurum, qui ade-*

sed quia multiplici-ter eius est causa

maximè in quantum est sacrifi-cium

ptus est ingens mysterium! Virginem appello, velut sacerdotem pariter & altare: qua quidem mensam ferens dedit nobis cælestem panem CHRISTVM *in remissionem peccatorum.* Verba præclara, & de quibus meritò dubites, ad honorémne Virginis magis faciant, an ad nostram consolationem. Nam cùm D.Thomas in Opusculo de Sacramento altaris doceat, hoc Sacramentum esse *diuinæ donationis complementum*; honoris MARIANI intererat; & verò nostræ vtilitatis, vt quæ in primâ oblatione & donatione sanguinis fuerat socia, non abesset in complemento primæ istius oblationis: vt in illâ opus perfectum haberet laudem maiorem, & in nobis Matris propitia ac benigna manus, operi ad finem vsque constanter adhibita, causaret illam, quam vbique sentimus, admistam suauitatem. Quomodo verò incarnatio CHRISTI per consecrationem repræsentetur, à Doctore Angelico discendum est: qui si reliquam Theologiam suam ab Angelis didicit, eam quam de hoc mysterio tradidit doctrinam, profectò ex ipso CHRISTI in eo reclusi latere hausisse videtur; adeò in reliquis alios omnes, hîc seipsum longè superauit. Is ergo Opusculo de Sacramento altaris cap. 13. dicit: *Quomodo fiet hoc (ait Virgo) quoniam virum non cognosco? Respondit autem Angelus: Spiritus sanctus superueniet in te, & ipse faciet. Et tu quæris, quomodo panis fiat corpus* CHRISTI; *& ego dico tibi: Spiritus sanctus superuenit, & virtus Altissimi obumbrat: & quod ibi conficitur sub panis speciebus, est corpus* CHRISTI. Iam qui vim rationis illius, prout ad rem nostram facit, intelligere desiderat, priùs indaget atque perspiciat necesse est, quantâ animi, vt sic loquar, gestientis lætitiâ Filius Dei exultauerit, quanto infantuli istius recenter formati cor exilierit gaudio, quando videbat mysterium illud incarnationis, tot prædictum sæculis, tot confirmatum promissis, tot figuratum symbolis, tot desideratum suspirijs, tandem perfectum: vt inde æstimet, quanti momenti fuerit, ad persuadendam illi sacræ Eucharistiæ institutionem, quòd ipsa consecratio, quâ Spiritus sancti operâ sub speciebus panis & vini constituitur, tam viuaciter referat eam Spiritus eiusdem obumbrationem, quâ, primùm humanitate nostrâ tectus, in vterum Virginis fuit receptus: vbi eum Baptista clausum clausus ipse ac tectus materni corporis vmbraculo adorauit, nos docens, nihil de dignitate imminui, quòd latens proponatur Deitas. Fuit ergo Virgo eâ ratione auctrix istius Sacramenti, quòd Filium Dei ita magnificè, ita superabundantibus amoris affectibus, ita emicantibus miraculorum quæ patrabantur mysterijs, in incarnatione excepert, vt auidissimè instituerit rei eiusdem, per consecrationem Eucharisticam, memoriam. Ad quod rursus illum excitauit illa similitudo, quam habet quilibet sacræ Communionis particeps cum ipsâ Virgine MARIA CHRISTVM vtero suo gestante. *Mirabile quidem fuit*, inquit Petrus Damianus, CHRISTVM *concipi in vtero carnis; sed non est inferius, si deferatur in ergastulo pectoris.* præsertim si non inferiori cordis & corporis munditiâ, non remissiore charitate accipiatur pectore, quàm receptus fuerat vtero. Quod ei contigit, quando ipsa B.MARIA Virgo, auctore Anonymo apud Metaphrasten, ad diuina mysteria quotidie accedebat, & Filij corpus, quod priùs in vtero gestauerat, sæpè visceribus inferebat. Fuerunt ergo illi semel degustatæ in vtero materno deliciæ causa instituendi huius mysterij; vt scilicet per hoc quasi iteratò in ventrem Matris introiret, ac sæpenumerò illâ suauitate perfrueretur, re ipsâ in Matre communicante; figuratè autem in nobis eumdem Dominum, quem Virgo gestauit, corpore circumferentibus.

deinde in quantum est incarnationis repræsentatio.

Sermone de Natiuitate.

Hisce addamus, quod verissimè affirmari potest, consolationem istam, quam Matth. 28. v. 20. CHRISTVS dabat Ecclesiæ: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*. præcipuè datam fuisse Virgini Matri, & ratione ipsius alijs deinde communicatam. Quid enim? an putas cor illud amantissimum

Tertiò, quia præcipuè ad consolationem B.MARIAE Virginis instituta est Eucharistia.

tissimum optimi Filij ac Sponsi dilectissimi, & supra omnem charitatem diligentis, non vehementissimè affectum fuisse, quando Matrem & Sponsam, cuius ipse amore languebat, & quam toties iam professus erat transisse in charitatem, orbam & viduam relinquebat? an non existimas eum se in omnem partem versasse, vt inueniret, quo moras incolatus & viduitatis ipsius consolaretur? an non omnes potentiæ, bonitatis, sapientiæ diuinæ perlustrasse thesauros, vt quidpiam reperiret, quod non frigidè pro se offerret ei, quæ nihil præter ipsum diligebat? Cumque nihil non excogitasset, eò tandem deuenisse, vt sui absentis Matri exhiberet præsentiam, remaneretque sub vini & panis speciebus realiter cum illâ, qui verè in cælos ascendebat, & mundo visibilem suam subtrahebat præsentiam. Instituebat nimirum conuiuium, quotidie cum Matre suâ epulaturus; cuius nos deinde fructum, tamquam mancipia & serui, comedentes micas tam lautas, non mittendas canibus, ex mensâ Dominæ nostræ etiam perciperemus. adeò vt verè dici possit, propter MARIAM epulas hasce Ecclesiæ datas, fortè nullâ ratione dandas, nisi ipsa sic consolanda fuisset.

Quartò, quia pars corporis Virginis est CHRISTVS.

Rursus, vt sciamus quidnam hic debeamus Virgini, expendenda sunt S. Bernardini Senensis Tom.1. Serm. 61. verba, vbi ait: *De carne Virginis benedictâ, & in parte corporis eius excisâ consistit, perficitur & terminatur totum decus ac pondus Sacramentorum Ecclesiæ. Certum est enim, quòd omnis institutio Sacramentorum, & omnia alia Sacramenta, tamquam ad vltimum fontem, ad illud Sacramentum omnium Sacramentorum excellentissimum, quod est Eucharistia, ordinatur.* Mitto nunc de alijs Sacramentis dicere; quorum decus ac pondus in hoc; & consequenter in carne Virgineâ, consistere profitetur. De Ven. Eucharistiâ videamus. Vbi in primis notandum, quod S. Germanus super Græcorum oblatione & consecratione philosophatur: habent enim ipsi morem nonnihil à Romano in consecratione diuersum: quippe non circumcisum vndique, ac proximè consecrationi paratum panem more nostro inferunt in altare; sed maiorem quàm pro sacrificio requiratur, cuius in medio CHRISTI cruci affixi imago visitur, quam vocant Sigillum oblationis, quòd partem istâ signatam imagine sacerdos ad consecrandum exscindat: reliquum panis absoluto sacrificio ijs distribuitur, qui de sacrâ Communione non participarunt; quem vocant benedictionem seu antidotum. Super hoc, inquam, more S. Germanus discurrens, panem istum maiorem dicit esse B. MARIAM Virginem: de cuius ventre sumptum est corpus illud diuinum notatum formâ substantiali hominis Dei. Quamuis autem corpus separatum à Matre aliam acceperit hypostasim, in quâ separatum ab illâ subsistit; est tamen caro & substantia Virginis, non secùs atque hostia pars erat panis istius maioris, vnde desumebatur. Quod 5. Ethic. cap. 4. confirmat Philosophus: *Filius*, inquit, *pars est ipsius patris vel matris.* & primo mag. Moralium c. 34. *Membrum parentis est filius, imò idem cum ipso.* Vnde sequitur, eos qui Filij Carnem & Sanguinem sumunt, Matris magnam portionem suscipere; & non tantùm cum Filio, sed etiam cum Matre, carnem vnam fieri, omnesque carni isti Virgineæ quodammodò incorporari, qui cibo Eucharistico nutriuntur. Nam S. Augustinus Psal. 98. *De carne*, inquit, MARIÆ *carnem accepit, & ipsam carnem* MARIÆ *nobis manducandam ad salutem dedit.* Et alius quidam: *Et tamen est eadem caro tunc de Virgine nata, & caro nunc verbo vitæ de pane sacrata.* Res sanè plena dulcedinis, plena suauitatis ijs qui aliquando degustarunt, quàm suauis est diligentibus se ista Regina misericordiæ, in quâ sunt reconditi omnes thesauri cælestis consolationis. Suauiter nobis mysterium hoc magnum in memoriam reducit Cardinalis, cuius frater Marinus nobis primam inicit mancipatus huius cogitationem, Sermone de Natiuitate Virginis: *Hic, dilectissimi fratres, hic, ro-*

Petrus Blosius Tract. de Eucharist. cap. 1

Petrus Damianus

go, perpendite, quàm debitores ſimus huic beatiſſimæ Dei genitrici, quantaſq́; illi post Deum gratias agere debeamus. Illud ſiquidem corpus quod beatiſſima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod faſcijs cinxit, quod maternâ curâ nutriuit; nunc de ſacro altari percipimus, & eius ſanguinem in Sacramento redemptionis noſtræ haurimus. Impar eſt illi omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemerata carnis ſua viſceribus cibum nobis protulit animarum, cum qui de ſemetipſo perhibet: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. O Virgo, quam te memorem? ô Mater dulciſſima, quæ poſtquam nos ſemel in lucem edidiſti, non alteri (quæ matrum plerarumque nouercalis mollities eſt) tradis nutriendos; ſed ipſa gerulæ, ipſa nutricis munera ſubis, ſeruis ſubminiſtrans mel & lac filiorum Dei; quodq́ue omnem ſuperat matrum indulgentiam, ijs præbens Carnem & Sanguinem Filij tui vnigeniti; quodq́ue inde ſequitur, delicioſè eos paſcens carne tuâ, & inebrians ſanguine tuo Virgineo, donec perficiatur in ijs generatio cæleſtis, & formetur in ipſis vita & ſpiritus tuus, qui eſt IESVS CHRISTVS Filius Dei vnigenitus. Deprædicabit ſemper grata poſteritas filiæ iſtius pietatem, quæ captiuum patrem diu ſuis ſuſtentauit vberibus; nec minùs execrabitur crudelem heri Romani gulam, murænas ſeruorum ſanguine paſcentis. Habent, quas commemorent hiſtoriæ, matres durâ neceſſitate ad filiorum carnem manducandam adactas; ſed nihil tam commemorabile neceſſitas, nihil tam ſtupendum crudelitas, nihil tam laudabile pietas adinuenit, quod comparandum ſit cum Dominæ noſtræ charitate, mancipia Filij & ſuo ſanguine nutrientis. Videtis ergo quàm proprium ſit MARIÆ mancipus, crebrò ad hanc menſam accedere, cùm ea ſit ipſis Dominæ ſuæ amore, Dominæ ſumptibus, Dominæ curâ & induſtriâ, imò de eiuſdem Dominæ carne & ſanguine præparata; in eâque poſſint plus fauoris, gratiæ, familiaritatis breui tempore acquirere, quàm longo aliorum obſequiorum ſeruitio: quapropter

Nutrit B. MARIA ſuos Filij & ſuo ſanguine.

videndum deinceps eſt, quâ ratione ſe poterunt ad tantum conuiuium dignè præparare.

CAPVT XXXIV.

De diſpoſitione & actuali deuotione, quam mancipia adferre debent ad ſacram Communionem.

DE puritate illâ, prorſus ad hoc Sacramentum neceſſariâ, quam Apoſtolus exigit, dicens, *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*; vt ſcilicet ab omni peccati mortalis labe non ſolùm per contritionem, ſed etiam per confeſſionem actualem ac confeſſarij iudicium ſint expurgati, qui ad Agnum immaculatum comedendum accedunt; nihil hîc diſputabo, cùm ſupponam me B. MARIÆ Virginis mancipia alloqui: quibus certum eſt, fieri non poſſe vt quis ſimul Deo ſeruiat & mammonæ; ſimul quis puritati, quæ Virgo MARIA eſt, & ipſis nequiriæ ſordibus mancipetur: quique magis noſcant Dominam ſuam, quàm vt licere putent; magis reuereantur, quàm vt audeant ad menſam eius illotis manibus accedere; cùm etiam pedes diſcipulorum anteà Dominus lauerit, quàm eos tantis myſterijs impertiretur. quo Indicabat, à venialibus etiam peccatis & inordinatis affectionibus expurgandum animum eorum, qui deſiderant copioſam illam & abundantem gratiam & virtutem huius Sacramenti participare, effectuſq́ue illos perſentiſcere in animo, quos videmus cibum lautiorem operari in corpore benè nutrito; vt nimirum ſanum, vegetum, agile, robuſtum ſit, plenum ſanguine, plenum ſucco, ac grati viuidiq́ue coloris. Quam in rem cùm vulgare illud plurimùm valeat, *Quod ſapit, nutrit*; doceanrq́ue paſſim SS. Patres, & vitæ ſpiritualis magiſtri, plurimum ad eximios illos fructus percipiendos valere, ſi actuali quadam deuotione procuretur, vt cibus ille palatum comedentis iucundè afficiat; de ſapore illo procurando paucis agemus. Notandum tamen, non hîc agere nos de ſenſibili illâ deuo-

1. Cor. 11. v. 28.

Non de immunitate à peccatis.

Sed de actuali deuotione excitandâ agimus.

deuotione, quâ plerumque condire solet Mater benignissima hoc mancipiorum suorum epulum; sed de solidâ sincerâque pietate, quæ sine istâ sensibilitate esse potest: cui procurandæ quò plus studij diligentiæque quisque impenderit, eò lautiùs in hoc conuiuio epulabitur, percipietque fructus Eucharistiæ eos, quos ex opere operato confert abundantiores. Quoniam autem nusquam desunt piæ ad hanc deuotionem excitandam considerationes & praxes; omissis ceteris (quas tamen idcircò non iudicamus Sodalibus omittendas, sed ex iis libris, qui accuratè de hac materiâ scripserunt, petendas) ea tantùm adferemus, quæ mancipiis sunt propria, ac respectum quemdam habent ad Dominam eorum, quam iam diximus vnà cum Filio illis epulum istud præparasse.

Humilitas & reuerentia. Primùm ergo procuranda demissa quædam humilitas & reuerentia, quam colligere poterunt vel ex suo ipso mancipatu: si nimirum considerent magnitudinem Virginis, quæ cæli & terræ Domina, hominum Angelorumque Regina cùm sit, inuitet eos indignos famulos & abiectissima mancipia, vt epulentur cum Rege maiestatis, potentiæ & magnitudinis infinitæ; qui solo verbo cælos & terram, & quidquid eorum ambitu continetur, condidit, condita nutu conseruat & gubernat; nutu eodem redacturus omnia, si collibuerit, in nihilum: in cuius conspectu Cherubim & Seraphim faciem tegunt præ reuerentiâ: *ad cuius nutum columnæ cæli contremiscunt, & pauent*. (*Iob 26. v.11.*) Petent à Dominâ suâ, quemadmodum benignitate eius inuitantur, ita dignetur illis communicare istam animi demissionem & reuerentiam, quâ illa Filium Dei susceptura in vtero, dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* (*Lucæ 1. v.38.*)

Exemplum Miphiboseth. Secundò, imaginentur sibi dici à B. MARIA Virgine verba illa, quæ Dauid dixit ad Miphiboseth Ionathæ filium: *Tu comedes panem in mensâ meâ semper.* (*2. Reg. 9. v.7.*) cui cum eodem Miphibosetho respondeant: *Quis ego sum seruus tuus, & mancipium tuum, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?* (*Ibid. v.8.*)

Meditatio de Canâ Galilææ. Tertiò, considerent B. MARIÆ Virginis in nuptijs Canæ Galilææ curam, solicitudinem, diligentiam, quâ ipsa omnibus prospiciebat: primò, quidnam prouisionis esset examinauerat; primaque aduertit vinum deesse: secundò, Saluatorem eâ de re admonuit: tertiò, ministros, ne quod ipsi beneficiis Dei obstaculum ponerent, disposuit: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* (*Ioan. 2. v.5.*) Rogent, vt eamdem curam & solicitudinem adhibere dignetur circa eos, dum huic diuino intersunt epulo: ipsa videat & examinet, quàm mancipiis suis parcè prouisum ab iis rebus quæ necessariæ sunt, vt tantum tamque diuinum hospitem dignè accipiant; admoneat proinde Filium, gratiamque pro nobis petat humilitatis: quæ sola est, quam ex parte nostrâ, licet non tamquam à nobis, possimus adhibere: tertiò, ministros nostros, id est quinque sensus ac phantasiam, concupiscibilesque atque irascibiles facultates admoneat, ne quod liberalitati diuinæ ponant impedimentum, sed in omnibus sanctissimæ eius voluntati obtemperent.

Amor & fiducia erga Virginem. Quartò, amorem ac fiduciam vehementem excitabunt erga B. MARIAM Virginem. Quid enim non dabit illa mancipiis suis, si ea Filij vnigeniti nutriat carne & sanguine? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus; hæc autem clemens ac benigna Domina, nos seruos ac vernas suos non tantùm lacte vberis sui, sed sanguine Vnigeniti sui pascit; quæ autem Filium dedit in cibum, quænam, obsecro, negabit precum, fauoris gratiarumque priuilegia?

Quintò, subinde reflectentes ad hoc, quòd CHRISTI & Virginis eadem sit caro, animo reuoluet istam puritatem, quâ carnem suam custodiuit, vt etiam Angelo excelsam illam Matris Dei dignitatem annuntianti opponeret: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* (*Lucæ 1. v.34.*) malens istam non admittere dignitatem, quàm vt caro eius aliquibus

bus immunditiæ sordibus inquinaretur. Et cuius frontis illud erit mancipium Virginis, quod carnem illam de tali Virgine sumptam, & multò etiam puriorem hypostaticâ vnione effectam, in contumeliam ipsius proiiciet in sterquilinium pectoris inquinati sordibus peccatorum? Sed meliora de mancipiis, quæ tantæ impudentiæ non erunt, vt Virginem, cuius honorem defendendum susceperunt, tam insigni afficiant contumeliâ. Interim recogitent Dominæ suæ amorem, quæ maluit consentiendo in Eucharistiæ institutionem, periculo se exponere, quòd caro Filij ab immundis multis sumeretur, quàm vt serui ipsius eam non degustarent.

Reliquiæ B. MARIAE Virginis quanti fierent.

Etiam hæc ad pietatem inter communicandum vehementer excitabit cogitatio; si consideres, quàm piè locum istum inuiseres, qui Virginei corporis seruaret depositum, nisi hoc esset vnà cum animâ in cælis assumptum. Profectò, si tantus fiat Lauretum ex toto orbe concursus, quòd parietes illi sint ibi, intra quos peractum est tremendum incarnationis mysterium; quâ pietate corpus illud inuiserent Christiani, de quo caro decisa, quam Verbum assumpsit, & quod nouem mensibus Deum intra se de suo nutriuit? Et habes in Ven. Eucharistiâ eamdem illam Virginis carnem viuam & spirantem, prout assumpta est à Verbo, tantò venerabiliorem, quantò diuiniore hypostasi subsistetem.

Atque hæ considerationes de multis sufficient; quibus viam ostendimus Sodalibus, quâ similes ex ipsâ mancipatus sui ratione, ex institutione Vener. Eucharistiæ, ex Dominæ suæ perspectâ naturâ & bonitate elicient, quæ conuiuium illud condient mirâ saporis dulcedine; non vt omittant ea quæ reuerentiam, amorem, fiduciam erga CHRISTVM ipsum qui sumitur, excitant, sed vt hisce affectus eos augeant. Crescit enim semper ex Matris dilectione in Filium amor, ex illius honore huius reuerentia, ex fiduciâ in Virginem confidentia in eum Virgine genitum, à quo omnia scimus in ipsam redundare. Vt autem facilior reddatur & familiarior communicantibus mancipiis praxis agendi cum Dominâ suâ; subiiciam paulò prolixiorem ad Virginem affectum, quo se poterunt ad communicandum præparare.

Affectus eorum qui communicaturi sunt ad B. MARIAM *Virginem.*

O DOMINA mea, excellentiæ, potestatis, iurisdictionis pænè infinitæ; ecce me omnium mancipiorum tuorum vilissimum paratum accedere ad mensam tuam, vt manducem panem Angelorum vnà cum fidelibus seruis ac mancipiis tuis. non auderem ego conscius peccatorum meorum tantum præsumere, nisi te tam benignè audirem inuitantem: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.*

Prouerb 9. v. 5.
Matth. 22. v. 4.
Cant. 5. v. 1.

Quinimò rusticitatis mihi videtur, quæ ingenuum tuum famulatum dedeceat, post tam amicam inuitationem tergiuersari: nam video te zelo quodam omnes vtriusque paradisi delicias coëgisse in vnum, vt eum nobis cibum conficeres, quem nemo fastidiret. Venio ergo, Domina mea, venio famelicus & sitibundus, venio desiderans & æstuans, vt reficiar & inebrier vino tuo, vnico haustu gratiam, vitam, salutem bibiturus: venio exhaustus & fame enectus, cibo tuo vires, spiritum & animam recepturus. Vnica res tamen nonnihil retardat gressum anhelantem, facitque, ne audeam tantâ alacritate accedere, quantâ fueram benignitate inuitatus: audio namque de te, Domina mea, admirabundam Ecclesiæ vocem, quæ me vti supplice adoratione ad pedes tuos prosternit, ita prorsus timore exanimat: miratur enim illa & vehementer obstupescit de puritate, sanctitate & maiestate illâ infinitâ, de tuo illo Deique Filio, quòd suscepturus hominem non horruerit Virginis vterum. Quænam autem illa Virgo, quam mirum est Deum non abhorruisse? nónne

tu

tu ipsa, ô puritas, Angelicis spiritibus adoranda? quid hoc est, aut quid sibi vult admirabilis iste Ecclesiæ stupor? Quinquaginta pænè sæculis laboratum est omnibus non solùm naturæ viribus, sed totâ, vt sic loquar, auctoris naturæ industriâ, vt tu ipsis Cherubim & Seraphim nitidior redderetis: versus est naturæ totius ordo, omnes ordinariæ gratiæ leges refixæ sunt, vt tu vitam istam sine originalis culpæ maculâ ordireris, & sine actualis peccati rugâ pertexeres: Spiritum sanctum personaliter descendere è cælo oportuit, vt corpus tuum & animam ijs exornaret gratijs, quas tibi soli reseruatat. Et post hæc omnia, quid audio, tamquam rem maximæ admirationis, dicere veritatis columnam: *Non horruisti virginis vterum?* Si post illa, ad te Filium tuum venisse stupor est; certè monstri simile erit, me immundum & hominem pollutis labiis cum ad me inuitare, & ad cordis penetralia deducere. O quanta cordis sanctitas, quanta simplicitas oculorum, quanta aurium honestas, manuum innocentia, intellectus puritas, voluntatis rectitudo in eo requiritur, qui se tam arctè coniuncturus est omnis sanctitatis fonti & origini! Ego agnosco infirmitatem meam, ego immunditiam meam erubesco, & deploro nequitiam cordis mei; nihil in me est, quod non sit hospitis Dei oculos offensurum, *& inducam super me maledictionem pro benedictione.* Quapropter rogo te, Domina mea, habe me excusatum: nam, quantum tua inuitat benignitas, vt tecum vescar pane in mensâ tuâ, tantum repellit ipsa tua innocentia; quæ cùm vix munda satis fuerit, vt panem istum electorum susciperet, ego impius & peccator vbi parebo? ergóne fame peream ego in domo Matris meæ, vbi tot mercenarij abundant panibus? Me miserum! quid faciam? Si comedo, propter conscientiæ meæ immunditiam iudicium mihi manduco; si non comedo, fame pereo: scio quid faciam; adibo Dominam meam ac Matrem benignissimam, vt quâ suauitate inuitauit, eâ liberalitate dignum

Genes. 27. v. 12.

me reddat diuino suo conuiuio. Da, da, Virgo purissima (nam tu es omnium donorum cælestium thesauraria) da mancipio tuo in solâ tuâ clementiâ post Deum fiduciam habenti, eâ mentis puritate, eâ fidei viuacitate, eo charitatis feruore ad vescendum Filio tuo sub panis specie accedere, quâ tu eum hominem factum suscepisti. Da mihi, iterùm supplico, Domina amantissima, si cetera negentur, saltem virtutis illius, cuius plurima in me est materia, exemplum in te solâ perfectissimum, humilitatis inquam profunditatem: vt quâ animi demissione tu, in nihileitatis tuæ centrum descendens, attraxisti ad te oculos Creatoris tui, vt respiceret humilitatem ancillæ suæ, Matremque suam efficeret, quæ tam modestè se ancillam & mancipium gerebat; eâdem ego humilitate peccatoris vilitatem, abiectionem, nequitiam perspiciens, infinitis spatijs infra nihileitatis abyssum possim descendere: vt me non solùm iam nihil existentem, sed malum, sed nequam, sed Dei inimicum effectum, & quanta in eo sit vilitas agnoscentem, respiciat; atque de peccatore iustum, de inimico amicum, de vilissimo creaturarum omnium excremento mensâ tuâ dignum conuiuam efficiat. Non ego sum dignus tanto fauore, Domina mea, sed tu digna es, quæ mancipium nullum habeas, quod non resplendeat virtutibus tuis; tu mereris benedictionem istam, vt serui & filij tui, sicut nouellæ oliuarum, gratiæ diuinæ oleo delibuti, stent in circuitu mensæ tuæ. Fac ergo, ne ego veluti planta infructifera, pinguedine cælestis gratiæ destituta, & frondium, id est virtutum cælestium, orbata virore, dedecori sim Dominæ meæ in die ostentationis suæ, quando facit conuiuium grande famulis suis. Res est, quæ non vulgariter matris cuiuscumque pectus afficiat, si ipsa coram oculis suis videat filiorum suorum aliquem fame aut siti emorientem. Non sustinebat Abrahami ancilla tantum videre dolorem, atque ideò *abiecit puerum subter vnam arborem, & abyt, seditq. è regione procul*, ne scilicet videret

Genes. 21. v. 15.

videret morientem puerum. Id quod ſpem mihi facit & certam fiduciam, quòd non ſuſtinebis, Domina mea, quæ omnes matres ſuperaſti, tenerrimo erga ſeruos tuos amore; me inter diuinas haſce epulas fame enecari; deſtitutum fructu ſolidæ pietatis. Scio quàm fueris in Canæ nuptiis ſolicita, ne quid deeſſet; indicio mihi certo, quòd in hoc conuiuio; quod ipſa paraſti de carne & ſanguine Filij tui & tuo; nihil ſines deeſſe mancipiis tuis ex ijs quæ faciunt non ſolùm ad præcepti neceſſitatem, ſed etiam ex iis quæ animum ſoleant perfundere cæleſti voluptate.

Additur ſub finem huius Regulæ, vt pendendi tributi menſtrui memores ſint Sodales: de quo nihil hîc in particulari dicendum occurrit, cùm ſufficiat ſemel tributa iſta, tamquam inſignia mancipatus noſtri obſequia, commendaſſe.

CAPVT XXXVI.

Regula vndecima.

SEMEL per annum ſolemniter fit inſtauratio primæ in ſeruitutem oblationis. Ex vſu fuerit, ad hoc diem vnum ab omnibus aliis occupationibus vacuum ſeligere: quo die, ſumpto Ven. Euchariſtiæ epulo, abeant in ſolitudinem, vt otioſiùs mores ſuos componant; atque ad pedes Dominæ ſuæ proſtrati, hoc die totius mancipatus ſui ab anno præterito rationem exigent, veniam poſtulantes tam malè expleti ſeruitij, & aliquam pro erratis addentes ſatisfactionem: tum de vltimâ ſuâ voluntate diſponant, vel, ſi illud anteà factum, num quid immutandum diſpiciant: tandem annuum Virgini pendant tributum, & rurſum incipiant, tamquam ſerui vel fugitiui vel dimittendi iterùm recepti in familiam & gratiam, nouo ſtudio & feruore in humilitate ſeruire.

Explicatio.

Regulæ huius praxim habemus expreſſam à Petro Damiano, quando de fratre ſuo narrat: *Altari ſe Beatæ Dei Genitricis velut ſeruile mancipium tradidit; mox ſe quaſi ſeruum malum coram Dominâ ſua fecit verberibus affici.* Quod poſteà indicat eum quotannis renouaſſe: pœna autem iſta, quâ ſeſe tamquam ſeruum malum affici iubebat, ſine dubio præuium habuit diſquiſitionis & examinis iudicium. Præſcribitur ergo Regulâ iſtâ Primò, renouatio mancipatus & propoſiti ſeruiendi B. MARIÆ Virgini; Secundò, modus quo id commodè fieri poteſt; Tertiò, praxis deinceps meliùs ſeruiendi. De ſingulis pauca dicemus, quæ ex vſu erunt mancipiorum.

De renouatione faciendâ.

QVIDQVID in orbe hoc inferiore reperitur pulchrum aſpectu, & eleganti quadam iuuentute oculis blandiens, totum id propterea conditum videtur, vt poſſit ſpeciem aliquam ingenerare mentibus noſtris; quâ mediante, poſſimus animi recenter ad ſeruiendum Deiparæ erecti vigorem concipere. Nam ſi primâ florentem ætate iuuenem ſanguinis ſuccique plenum, animo feruentem, laudis honoriſque percupidum, armis inſtructum, argento & auro ſplendentem, generoſo vectum equo imagineris in ſtadio, vix equo, vix animis, vix ſibi temperantem, donec ſignum curſus acceperit: talis nimirum eſt feruens ille ſpiritus, vectus diuinâ gratiâ, & ad omne Virgini præſtandum obſequium incitatus; cui omnis mora longa videtur, quæ illum ab heroicis pro obſequio Dominæ ſuæ operibus retardat. Si hortum quemdam tibi propoſueris, in quo ingenium omne natura impendiſſe videatur, vt diuitias ſuas explicaret; quòd tantâ colorum varietate oculos alliciant, tantâ ſuauitate odoris naribus flores lenocinentur: hîc ſcilicet attigeris imaginem aliquam eius, quod gratia diuina operatur in animâ mancipij recenter ſeſe Deiparæ conſecrantis. tanta enim bonorum propoſitorum varietas, tanta virtutum in eâ fragrantia percipitur, vt Filio ſuo dicere non reformidet Virgo: *Veniat dilectus meus in hortum*

Symbola animi ad virtutem incitati.

Iuuenis curſui imminens.

hortus florens.

Cantic. 5. v. 1.

Cantic.6. v.1. *auis volans,* *hortum ſuum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.* Si autem celerrimo alarum ſuarum remigio per aëra vectam conſpicias; animum tibi cernere videberis totis voluntatis atque intellectus viribus latum in cælum, vt ibi ſeſe ad pedes Dominæ ſuæ abijciat, offeratque ad omne ſeruitij genus. *omnia languescunt.* Elegantia ſunt hæc mancipij ſeruitutem ſuam exordientis ſymbola; ſed prô dolor! iuuenis ſeneſcit, flores marceſcunt, auis defatigatur, & mancipium, quantocumque feruore inceperat, paulatim flacceſcit ac deſciſcit à primâ illâ ſeruiendi voluntate. Habent hoc omnia mortalia, vt, cùm omnis eorum ſit ad interitum impetus, nihil tanto feruore incipiat, quod non paulatim ſe remittàt, ac languere incipiat, donec prorſus emoriatur. Inter mortalia autem cenſetur omnis vis iſta, quâ corpore hoc concluſi, actus virtutum exercemus: quorum licet pretium & merces æternùm duratura reponatur in cælis; illam tamen à mortalitate & infirmitate noſtrâ habent conditionem, vt feruentiùs incipiant quàm perſeuerent, & tandem prorſus etiam intereant. Vnde ſequitur, ſolam eſſe in tam fluxis & ſemper pereuntibus animi noſtri propoſitis perpetuitatis rationem, eam quam ab ipsâ naturâ edocemur; cùm ſingularia intereant, crebram eiuſdem ſpecie rei innouationem. ita videmus genus humanum, quod, quantum quantum eſt, vnius tantùm ætatis foret, niſi nouâ quotidie ſobole innouaretur, tot iam ſæculis perdurare; ita florum, plantarum frugumque caducas ſtirpes ſæpiùs innouando ſemper florêre; ita totam ſtare rerum naturam, iſtâ renouatione ſemper eamdem, & toties variam: neque aliâ ordinatione perſeuerat dies, quàm vt huic pereunti alia ſuccedat. Vt doceamur, in ſpiritualibus crebrâ opus eſſe propoſitorum renouatione, ſi velimus conſtanti mentis feruore & ſemper vegetâ pietate in aliquo animi decreto perſeuerare. Experientia enim quemque docet, omnes, quamcumque in rem ferantur, animi impetus ſubſidere paulatim ac retardari, niſi crebriùs incitentur. Debet autem feruor ille pietatis, quo primùm Sodales incitantur, vt Virgini Deiparæ totos ſeſe tradant in mancipia, ſemper perſeuerare, & potiùs incrementa ſumere quàm decreſcere. *Hinc ſæpè innouandus feruor,* Quapropter Regula hæc præclarum ſuppeditat aduerſus labentis naturæ imbecillitatem remedium, inſtaurationem ac renouationem prioris propoſiti; quâ, tamquam ſuggeſtis iterùm lignis, focus priorem flammam concipiat, & paulò ſubinde etiam maiorem, quando liberaliùs tum, quàm cùm primùm factus erat, ligna apponuntur. Dedit autem remedium idem Epheſijs Apoſtolus ſcribens: *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ.* Epheſ.4. v.23. Eſt enim propoſiti iſta inſtauratio tamquam quædam innouatio ſpiritus; maximè quando eâ, quam Regula tradit, ratione inſtituitur. Solet enim neſcio quâ ratione perinde ſpiritus noſter veteraſcere atque reliqua, *qui duobus modis ſolet veteraſcere.* quæ vel rubigine obducuntur, vel vſu atteruntur; quo fit, vt in ſuſceptis ſemel pietatis exercitiis vel languidior fiat, vel tardior. Si enim peccatorum atque imperfectionum per mundi immunda gradienti frequens rubigo adhæſerit; neceſſariò infringitur, ſi mortalia peccata fuerint; aut ſaltem retardatur, ſi venialia, ad virtutem curſus: ſi autem tepore quodam paulatim ſurrepente vires ſpirituales exedantur, langueſcit nimirum incitatus ille ad omnem honeſtatem impetus, & frigidiùs virtutis exercitia obeuntur. vtrique autem vetuſtatis vitio remedium adhibetur iſtâ, quam præſcribimus, ſpiritus innouatione; cuius inſtituendæ modum iam explanabimus.

CAPVT XXXVII.

De modo, quo inſtituitur annua propoſiti inſtauratio, ſeu renouatio ſpiritus: ac primùm de ſeceſſu à turbis.

De ſancto Abbate Arſenio legitur, eum ſolitum magnâ feſtiuitate celebrare diem iſtum, quo primùm aulæ & ſæculo, omnibuſque eius vanitatibus nuntium remiſerat. *S. Arſenius celebrabat diem ingreſſus in ſolitudinem.* Fiebat autem in hunc modum iſta feſtiuitas: primò, ſe

se sacrosancto Eucharistiæ epulo reficiebat: secundò, tribus pauperibus largiebatur eleëmosynam: tertiò, præter morem, cocta legumina in cibum adhibebat: quartò, omnes passim Monachos ad sui conspectum intra cellam admittebat. Non inferiore solemnitate Sodalibus dies illa celebranda, quâ primùm felici sorte in hanc seruitutem traditi sunt, perdentes noxiam mundi libertatem, & toti Deiparæ facti ad faciendam ipsius ac Filij eius voluntatem: quâ die, vel, si ea incommoda sit, aliâ quapiam hasce obseruabunt vtiles ac salutares cæremonias. Primò, reficient se Ven. Eucharistiæ Sacramento; vt secum habeant eum, quocum toto illo die agendum est. Secundò, non prodibunt ipsi cum Arsenio in publicum; sed, quod ille reliquo anni tempore faciebat, id illi hoc saltem die vsurpabunt, vt publico abstineant, hominum consortia vitent, in solitudinem secedant, memores istius Moysis responsi, quod ille dabat Pharaoni petenti, ne sacrificandi causâ fines suos cum filijs Israël excederet. *Non potest*, inquit, *ita fieri: abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro.* Vaccas enim, agnos, vitulos & cetera prodigiosa Ægyptiorum numina immolaturi erant Deo suo; proinde abominationi ipsis futuri erant, quippe sacrificantes ea quibus ipsi sacrificabant. dicebant ergo: *Viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino Deo nostro.* Eamdem ergo viam relegent Sodales per tres animæ suæ potentias, discedentes ex istâ confusâ mundanorum negotiorum Ægypto; eò quòd abominationes Ægyptiorum immolaturi sunt Domino Deo suo: nam proposita facturi sunt omnibus mundanorum principiis contraria: libertatem illi amant, quæ falsâ specie illos captiuos tenet sub lege peccati; ipsi autem voluntariè compedes induent, per quas aspirent ad libertatem filiorum Dei: illi superbiam, luxuriam, vanitatem veluti numina quædam colunt, quibus non tantùm sua, sed seipsos prætereà totos consecrauerunt; Sodales verò, ex Dominæ suæ ingenio, oppositis virtutibus aras sunt in corde suo instructuri. Et sanè tam multiplicem fructum spondet iste à sociis & negotijs secessus, vt operæ pretium factùrum me iudicem, si paucis eum suadere coner. Deus ipse animæ pœnitenti nihil priùs inculcat, quàm hunc secessum à turbâ: nam Osee 2. v.14. ait: *Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Alloquitur autem Synagogam Dominus, quæ fornicata cum diis multis alienis, versu 7. dixerat: *Vadam, & reuertar ad virum meum priorem; quia benè mihi erat tunc magis quàm nunc.* (ipsorum Sodalium verba, qui considerantes sese aliis multis dominis impendisse obsequium, quod totum Virgini MARIÆ mancipauerant, pœnitentiâ ducti dicere possunt: Vadam, & reuertar ad Dominam meam priorem; quia benè mihi erat tunc magis quàm nunc.) *Propter hoc* autem, inquit Dominus, id est, quia incipit pœnitentiam agere, *ecce ego lactabo eam*; id est, alliciam, pelliciam, suadebo. non enim ibi vox illa *lacto* significat *lacte nutrio*; sed verbum frequentatiuum est à voce *lacio*, quemadmodum Prouerb. 1. v.10. *Si te lactauerint peccatores*, id est, pellicere & seducere voluerint; *ne acquiescas eis.* quemadmodum & in hisce locutionibus: *Herus me hac spe lactat: Magnis promissis lactor.* Ad rem ergo: Propter bonam istam voluntatem quam habet sponsa mea reuertendi ad me, ego media illi suggeram optima plenè ad me reuertendi; ad eaque non violentè aut coactè, sed suauiter eam perducam, alliciendo, suadendo & inescando, vt veniat ad solitudinem primò; ibi tum facilè ego cetera perficiam, loquendo ad cor, &c. Et sanè prorsus necessarium est ijs, qui vitam non perfunctoriè emendare cupiunt, vt à turbâ declinent, solitarium locum eligant, ibique ad tempus hæreant; vt otiosè vitam suam inspicere, vitia dediscere, occasiones peccatorum animaduertere, radices eorum in animo deprehendere valeant; sanctis meditationibus ac piis exer-

Cur solitudo captanda ad renouationem.

Exod. 8. v.26.

Ibidem v.27.

est medium ad conuersionem opportunum.

Quàm multa agenda in solitudine.

exercitationibus insistant; vbi denique à Deo visitentur. Quod initio conuersionis faciendum ad longius aliquod spatium; sed quotannis ad vnicum saltem diem, si plus negotia non permittant, iterandum. Mirum est Senecam inter naturalis luminis scintillas vidisse, quanti hoc ad vitæ emendationem conduceret: nam Epistolâ ad Lucil. 7. mira dicit de hoc secessu & solitudine: *Quid tibi*, inquit, *vitandum præcipuè existimes, quæris? turbam. Nondum enim illi tutò te commiseris. Ego certè confiteor imbecillitatem meam. Numquam mores quos extuli, refero: aliquid ex eo quod composui, turbatur: aliquid ex his quæ fugaui, redit.* & mox: *Inimica est multorum conuersatio: nemo non aliquod nobis vitium aut commodat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Nihil verò est tam damnosum bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desidere: tunc enim per voluptatem faciliùs vitia surrepunt. Quid me existimas dicere? auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior? imò verò crudelior & inhumanior, quia inter homines fui.* Et tandem quomodo in secessu isto nos gerere debeamus, suo exemplo docet Epistolâ 8. *Secessi non tantùm ab hominibus, sed etiam à rebus, & primùm à meis.* & posteà: *Duriùs tractandum est corpus, ne animo malè pareat. Contemne omnia, quæ superuacaneus labor velut ornamentum ac decus ponit. Cogita in te, præter animum, nihil esse mirabile: cui magno nihil magnum est.* Si Philosophus, qui totus erat in animæ culturâ, à turbâ & conuersatione hominum tantum detrimenti accipiebat, vt minùs homo ab hominibus rediret; non est profectò vlla ratio certior, animum Christianorum à nimiis humanis affectibus abstrahendi ad cælestia, quàm si ab hominum consortio ipsi se segregent, vt cum Deo ac Dominâ suâ Virgine Deiparâ agere possint. Homines à negotijs vacuos, & in solitudine quadam desertâ inter cælestia negotia otiosos requirat hic libet, si adferre ea velim quibus Sancti sanctam hanc solitudinem & secessum ab hominibus commendant. Pauca ergo tantùm ex infinitis delibabimus, quæ sufficiant Sodalibus, vt laɫentur & alliciantur prauiâ quadam dulcedine ad degustandum, quam suauis sit Dominus & Domina, quando loquuntur soli cuipiam ad cor: iis autem qui turbâ auferuntur, quibusque nihil placet, quia bonum, sed, quia multi id faciunt; etiam hæc pauca de vitâ quam vel oderunt, vel certè non nouerunt, nimis erunt prolixa. Ordior à S. Hieronymo, qui ad solitudinem Syriæ inuitans Heliodorum, hæc scribit; (quæ omnia intelligenda sunt de quocumque loco solitario, in quo Deo quis & sibi vacat:) *O desertum* CHRISTI *floribus vernans! ô solitudo, in quâ illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas Regis magni exstruitur! ô eremus familiarius Deo gaudens! Quid agis frater in sæculo, qui maior es mundo? quamdiu te tectorum vmbræ premunt? quamdiu fumosarum vrbium carcer includit?* Inuitat ad perpetuam ipse Heliodorum commorationem, quod perfectius; ego iisdem verbis Sodales meos adhortor ad breuem in solitudine moram, quod multò est facilius; & fructus habet ingentes, quia isto saltem tempore facit quod Tertullianus dicit lib. de Pallio cap. 5. *Secessi de populo. imò vnicum mihi negotium est, nec aliud nunc curo quàm ne curem. Vitâ meliore in secessu fruare, quàm in promptu*, id est, in publico. *Nemo alij nascitur, moriturus sibi.* Præclarissimè autem commendat vitam illam seiunctam à turbâ S. Basilius; qui cum S. Gregorio Nazianzeno in eremo orationi & studio sacrarum Litterarum vacans, de eremi laudibus orationem conscripsit, quam ita exorditur: *Solitaria vita cælestis doctrinæ est schola, ac diuinarum artium disciplina: illic Deus est totum quod discitur, via quâ tenditur, totum per quod ad summæ veritatis notitiam peruenitur. Eremus est paradisus deliciarum, vbi spirant ornamenta virtutum; ibi rosæ charitatis igneo rubore flammescunt; ibi lilia castitatis niueo candore albescunt, cum quibus etiam humilitatis violæ; ibi myrrha mortificationis, non solùm carnis, sed, quod gloriosius est, etiam propriæ voluntatis abundat,*

Se multitudini subtrahere suadetur à Senecâ.

Item à SS. Patribus.

se sacrosancto Eucharistiæ epulo reficiebat: secundò, tribus pauperibus largiebatur eleëmosynam: tertiò, præter morem, cocta legumina in cibum adhibebat: quartò, omnes passim Monachos ad sui conspectum intra cellam admittebat. Non inferiore solemnitate Sodalibus dies illa celebranda, quâ primùm felici sorte in hanc seruitutem traditi sunt, perdentes noxiam mundi libertatem, & toti Deiparæ facti ad faciendam ipsius ac Filij eius voluntatem: quâ die, vel, si ea incommoda sit, aliâ quapiam hasce obseruabunt vtiles ac salutares cæremonias. Primò, reficient se Ven. Eucharistiæ Sacramento; vt secum habeant eum, quocum toto illo die agendum est. Secundò, non prodibunt ipsi cum Arsenio in publicum; sed, quod ille reliquo anni tempore faciebat, id illi hoc saltem die vsurpabunt, vt publico abstineant, hominum consortia vitent, in solitudinem secedant, memores istius Moysis responsi, quod ille dabat Pharaoni petenti, ne sacrificandi causâ fines suos cum filijs Israël excederet. *Non potest*, inquit, *ita fieri: abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro.* Vaccas enim, agnos, vitulos & cetera prodigiosa Ægyptiorum numina immolaturi erant Deo suo; proinde abominationi ipsis futuri erant, quippe sacrificantes ea quibus ipsi sacrificabant. dicebant ergo: *Viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino Deo nostro.* Eamdem ergo viam relegent Sodales per tres animæ suæ potentias, discedentes ex istâ confusâ mundanorum negotiorum Ægypto; eò quòd abominationes Ægyptiorum immolaturi sunt Domino Deo suo: nam proposita facturi sunt omnibus mundanorum principiis contraria: libertatem illi amant, quæ falsâ specie illos captiuos tenet sub lege peccati; ipsi autem voluntariè compedes induent, per quas aspirent ad libertatem filiorum Dei: illi superbiam, luxuriam, vanitatem veluti numina quædam colunt, quibus non tantùm sua, sed seipsos prætereà totos consecrauerunt; Sodales verò, ex Dominæ suæ ingenio, oppositis virtutibus aras sunt in corde suo instructuri. Et sanè tam multiplicem fructum spondet iste à sociis & negotijs secessus, vt operæ pretium facturum me iudicem, si paucis eum suadere coner. Deus ipse animæ pœnitenti nihil priùs inculcat, quàm hunc secessum à turbâ: nam Osee 2. v.14. ait: *Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Alloquitur autem Synagogam Dominus, quæ fornicata cum diis multis alienis, versu 7. dixerat: *Vadam, & reuertar ad virum meum priorem; quia benè mihi erat tunc magis quàm nunc.* (ipsorum Sodalium verba, qui considerantes sese aliis multis dominis impendisse obsequium, quod totum Virgini MARIÆ mancipauerant, pœnitentiâ ducti dicere possunt: Vadam, & reuertar ad Dominam meam priorem; quia benè mihi erat tunc magis quàm nunc.) *Propter hoc* autem, inquit Dominus, id est, quia incipit pœnitentiam agere, *ecce ego lactabo eam*; id est, alliciam, pelliciam, suadebo. non enim ibi vox illa *lacto* significat *lacte nutrio*; sed verbum frequentatiuum est à voce *lacio*, quemadmodum Prouerb. 1. v.10. *Si te lactauerint peccatores*, id est, pellicere & seducere voluerint; *ne acquiescas eis.* quemadmodum & in hisce locutionibus: *Herus me hac spe lactat: Magnis promissis lactor.* Ad rem ergo: Propter bonam istam voluntatem quam habet sponsa mea reuertendi ad me, ego media illi suggeram optima plenè ad me reuertendi; ad eaque non violentè aut coactè, sed suauiter eam perducam, alliciendo, suadendo & inescando, vt veniat ad solitudinem primò; ibi tum facilè ego cetera perficiam, loquendo ad cor, &c. Et sanè prorsus necessarium est ijs, qui vitam non perfunctoriè emendare cupiunt, vt à turbâ declinent, solitarium locum eligant, ibique ad tempus hæreant; vt otiosè vitam suam inspicere, vitia dediscere, occasiones peccatorum animaduertere, radices eorum in animo deprehendere valeant; sanctis meditationibus ac piis exer-

Cur solitudo captanda ad renouationem:

Exod. 8. v.26.

Ibidem v.27.

est medium ad conuersionem optimum.

Quàm multa agenda in solitudine.

exercitationibus insistant; vbi denique à Deo visitentur. Quod initio conuersionis faciendum ad longius aliquod spatium; sed quotannis ad vnicum saltem diem, si plus negotia non permittant, iterandum. Mirum est Senecam inter naturalis luminis scintillas vidisse, quanti hoc ad vitæ emendationem conduceret: nam Epistolâ ad Lucil. 7. mira dicit de hoc secessu & solitudine: *Quid tibi*, inquit, *vitandum præcipuè existimes, quæris? turbam. Nondum enim illi tutò te commiseris. Ego certè confiteor imbecillitatem meam. Numquam mores quos extuli, refero: aliquid ex eo quod composui, turbatur: aliquid ex his quæ fugaui, redit.* & mox: *Inimica est multorum conuersatio: nemo non aliquod nobis vitium aut commodat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Nihil verò est tam damnosum bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desidere: tunc enim per voluptatem faciliùs vitia surrepunt. Quid me existimas dicere? auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior? imò verò crudelior & inhumanior, quia inter homines fui.* Et tandem quomodo in secessu isto nos gerere debeamus, suo exemplo docet Epistolâ 8. *Secessi non tantùm ab hominibus, sed etiam à rebus, & primùm à meis.* & posteà: *Duriùs tractandum est corpus, ne animo malè pareat. Contemne omnia, quæ superuacaneus labor velut ornamentum ac decus ponit. Cogita in te, præter animum, nihil esse mirabile: cui magno nihil magnum est.* Si Philosophus, qui totus erat in animæ culturâ, à turbâ & conuersatione hominum tantum detrimenti accipiebat, vt minùs homo ab hominibus rediret; non est profectò vlla ratio certior, animum Christianorum à nimiis humanis affectibus abstrahendi ad cælestia, quàm si ab hominum consortio ipsi se segregent, vt cum Deo ac Dominâ suâ Virgine Deiparâ agere possint. Homines à negotijs vacuos, & in solitudine quadam desertâ inter cælestia negotia otiosos requirat hic liber, si adferre ea velim quibus Sancti sanctam hanc solitudinem & secessum ab hominibus commendant. Pauca ergo tantùm ex infinitis delibabimus, quæ sufficiant Sodalibus, vt lactentur & alliciantur præuiâ quadam dulcedine ad degustandum, quàm suauis sit Dominus & Domina, quando loquuntur soli cuipiam ad cor: iis autem qui turbâ auferuntur, quibusque nihil placet, quia bonum, sed, quia multi id faciunt; etiam hæc pauca de vitâ quam vel oderunt, vel certè non nouerunt, nimis erunt prolixa. Ordior à S. Hieronymo, qui ad solitudinem Syriæ inuitans Heliodorum, hæc scribit; (quæ omnia intelligenda sunt de quocumque loco solitario, in quo Deo quis & sibi vacat:) *O desertum* CHRISTI *floribus vernans! ô solitudo, in quâ illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas Regis magni exstruitur! ô eremus familiariùs Deo gaudens! Quid agis frater in sæculo, qui maior es mundo? quamdiu te tectorum vmbræ premunt? quamdiu fumosarum vrbium carcer includit?* Inuitat ad perpetuam ipse Heliodorum commorationem, quod perfectius; ego iisdem verbis Sodales meos adhortor ad breuem in solitudine moram, quod multò est facilius; & fructus habet ingentes, quia isto saltem tempore facit quod Tertullianus dicit lib. de Pallio cap. 5. *Secessi de populo. imò vnicum mihi negotium est, nec aliud nunc curo quàm ne curem. Vitâ meliore in secessu fruare, quàm in promptu*, id est, in publico. *Nemo alij nascitur, moriturus sibi.* Præclarissimè autem commendat vitam illam seiunctam à turbâ S. Basilius; qui cum S. Gregorio Nazianzeno in eremo orationi & studio sacrarum Litterarum vacans, de eremi laudibus orationem conscripsit, quam ita exorditur: *Solitaria vita cælestis doctrinæ est schola, ac diuinarum artium disciplina: illic Deus est totum quod discitur, via quâ tenditur, totum per quod ad summæ veritatis notitiam peruenitur. Eremus est paradisus deliciarum, vbi spirant ornamenta virtutum; ibi rosæ charitatis igneo rubore flammescunt; ibi lilia castitatis niueo candore albescunt, cum quibus etiam humilitatis violæ; ibi myrrha mortificationis, non solùm carnis, sed, quod gloriosius est, etiam propriæ voluntatis abundat,*

Se multitudini subtrahere suadetur à Senecâ,

item à SS. Patribus.

dat, & thus assiduæ orationis indesinenter emanat. & paulò pòst: *O eremus sanctarum mentium delectatio, & intimi gustus inexhausta dulcedo! Tu caminus ille Chaldaicus, vbi sancti pueri feruentis incendij vires orationibus reprimunt & extinguunt: tu fornax, vbi superni Regis vasa formantur, & ad perpetuum nitorem malleo pœnitentiæ percussa, ac limâ salutiferæ correctionis erasa, perueniunt. O cella negotiatorum cælestium apotheca! Felix commercium, vbi terrenis cælestia, transitorijs mutantur æterna!* Laudibus solitudinis, quid in eâ faciendum sit, immixtum inueniet, qui diligenter allata S. Basilij verba excusserit. Pergit autem paulò inferiùs: *O cella spiritualis exercitij mirabilis officina, in quâ humana anima Creatoris sui imaginem in se restaurat, & ad suæ redit originis puritatem: tu das, vt homo mundo corde Deum conspiciat, qui suis obuolutus tenebris, Deum & seipsum priùs ignorabat: tu facis, vt homo in mentis arce constitutus, cuncta sub se videat terrena defluere, semetipsum quoque prospiciat in ipsâ rerum labentium decursione transire. O cella castrum Dei, turris Dauid, Angelorum spectaculum, palæstra fortiter dimicantium! ô eremus mors vitiorum, fomes & vita virtutum! tibi Moyses debet bis acceptæ legis decalogum: per te Elias nouit Domini pertranseuntis aduentum: per te Eliseus duplicem magistri sortitus est spiritum: tu scala Iacob, quæ homines vehis ad cælum, & Angelos ad humanum deponis auxilium. O vita eremitica, balneum animarum, purgatorium sordidorum! cella nempe est conciliabulum Dei & hominum.* & sub finem: *O eremus mundi persequentis felix effugium, laborantium quies, mærentium consolatio, ab æstu sæculi refrigerium, peccandi repudium, reclusio corporum, libertas animarum, exedra gemmarum cælestium, curia cælestium Senatorum! vbi victor dæmonum socius efficitur Angelorum, exul mundi heres est paradisi, abnegator sui heres est* CHRISTI. Quæ magnificentissimè de cellâ & eremo dicta, non tam de locis istis materialibus intelligenda sunt, quàm de illâ quam præstant mentis solitudine: illa enim est quæ omnem laudem meretur, & quam hîc suademus Sodalibus; de quâ S.Bernardus Sermone 40. in Cant. *Sola*, inquit, *indicitur tibi mentis & spiritus solitudo. Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suspiciunt, si fastidias quod omnes desiderant, si iurgia deuites, si damna non sentias, si non recorderis iniuriarum; alioquin nec si solus corpore es, solus es.* Sed modus perueniendi ad istam mentis solitudinem, est ista, quam præscribimus, corporis abstractio à consortio, negotijs & omnibus occupationibus, vt eleuet ita quis se supra se. Concludo hæc pulcherrimis S.Bernardi verbis in 40. Sermone in Cant. quæ paucis immutatis ita mancipatui applico: *Omnino*, inquit, *supra te est Angelorum Dominæ mancipari.* An non supra te est, seruire Matri Dei, & per eius famulatum certiùs Deo adhærere, atque vnum spiritum esse cum eo? Sede itaque solitarius sicut turtur, nihil tibi & turbis; etiam ipsum obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex & Regina decorem tuum. O sancta anima, sola esto, vt soli omnium serues te ipsam, quam ex omnibus tibi Dominam elegisti: fuge publicum, fuge & ipsos domesticos. An nescis te Virginem habere Dominam, quæ delectetur famulis & mancipiis modestis, ac solitudinis amantibus? Secede ergo non solùm corpore, sed etiam mente, sed intentione, sed deuotione, sed spiritu. Atque hæc sufficiant ad suadendum primum recollectionis animæ punctum, quod est secessus in solitudinem, seu abstractio ab omnibus alijs negotijs, ad vnum saltem diem.

Magis tamen mentis quàm corporis solitudo spectanda.

CAPVT XXXVIII.

Quid in isto secessu faciendum.

QVID in solitudine agendum, vt quis sese cum fructu colligat, deinde in Regulâ præscribitur; & in primis verbis illis, *Atque ad pedes Dominæ suæ prostrati*, &c. indicatur qualem personam induere debeat mancipium, vt

actua-

actualem deuotionem in sese excitet hoc recollectionis tempore; eam nimirum, quam descriptam habemus Matth. 18. v. 26. in seruo, qui cùm multa deberet domino, nec haberet vnde redderet, *procidens orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Antequam accedat ad rationem ponendam cum Dominâ suâ, sese humiliet; & agnoscens quàm malè seruierit, tamquam seruus nequam accedat ad illam vinctus catenis, orans & obsecrans, vt dignetur etiam hac vice patientiam habere; atque ita misericordiam implorans, incipiet in famulatum suum inquirere, non vt sese coram Dominâ suâ iustificet, sed vt sese ipse magis accuset, atque ita humilitate veniam mereatur. Vel si cui magis ad gustum faciat ægroti species, sese imaginabitur tot vulneribus confossum, quot mentem habet imperfectionibus sauciam; atque ita recurret ad Dominam suam benignissimam, procidens atque inclamans: Illos tuos misericordes oculos ad me conuerte; & manum istam potentem, quæ genus humanum periculosissimè laborans sanauit, ad vulnera mea aduerte. Tum incipiet particulariùs in se, ac viuendi modum quem isto anno tenuit, inquirere, reuocans examen totum ad quatuor præcipuè capita.

Tamquam seruus nequam,

vel vt ægrotus accedat ad Dominam

Primò, quæ peccata, defectus, negligentiæ tam in Dei mandatis obseruandis, quàm in obeundâ particulari hac mancipatus ratione commissa sunt, examinabit; atque hæc tum dolore, tum confessione ac humili veniæ supplicatione delere conabitur.

Primò, peccata sua percurrens:

Secundò, inquiret in radices, caussas & occasiones suorum defectuum. Solet enim quisque habere passionem, vel humorem aliquem vnum atque alterum prædominantem, vnde pleraque eius vitia pullulent: ita hic gulæ, ille superbiæ, alius impatientiæ est deditus; sunt quos inuidia exagitet; aliis luxuria negotium facessit; plures denique sunt in homine inclinationes prauæ, quæ ipsum à rationis tramite detorquent: quarum præcipuè respectum habent ad septem ista peccata, quæ capitalia dicuntur; quòd capita sint & fontes, vnde reliqua peccata scaturiunt. Vbi verò radices istas in sese deprehenderit quispiam, tum ijs remedia diligenter adhibebit: hîc sese muniet tamquam in loco maximè debili & hostibus magis exposito; hîc laborabit, hîc vigilabit, & experientiâ discet, si non segnem hîc impenderit operam, excisâ radice ramos non ampliùs pullulare, fonte obturato riuos non fluere, isto duce debellato omnia castra Philisthijm fugam capessere. Vt verò conditionem & vires hostis sui, ac media quibus debelletur cognoscat, operæ pretium erit videre Iacobi Marchantij Tractatum, quem inscripsit Tubam sacerdotalem demolientem muros septem Iericho, siue vocem concionatoris destruentem vitia septem capitalia; vbi vitiorum istorum longitudinem, latitudinem, celsitudinem, profunditatem declarat, remediaque suppeditat quibus possunt debellari.

Secundò, caussas eorum & occasiones examinans:

Tertiò, quod tempore recollectionis faciendum est, videbit, num quod axioma politicum propositum sibi habeat, quo in actionibus suis dirigatur; ac sæpè à recto deducatur: & occasiones quidem vitandæ, consuetudines contrariâ consuetudine vincendæ, axiomata verò illa ex Euangelij veritate Ecclesiæque doctrinâ sanâ corrigenda. Fit enim sæpè, etiam in Catholicis & orthodoxis hominibus, vt, licet in omnibus cum Ecclesiâ Catholicâ sentiant, paratique sint etiam sanguine suo fidem suam consignare; si tamen accuratiùs vitam & mores suos introspiciant, examinentque animi sensa, inuenturi sint aliquid, quo practicè sæpè dirigantur, quod nec perfectioni, & sæpè ne quidem veritati Euangelicæ est consentaneum. Quale aduertere est in ijs, qui honoris causâ vel status, vt aiunt, omnia licere putant; non quidem contentiosè hoc verbis profitentes, sed tacitè sentientes in animo, vel saltem, licet formaliter non sentiant, ita viuentes atque si sentirent. Ita de multis alijs censendum axiomatibus, quæ non est necesse longiùs diducere.

Tertiò, axiomata politica Christianâ veritate refutans:

Quartò

Quartò, actiones quotidianas ordinans:

Quartò denique percurret animo præcipuas actiones suas quotidianas, dispicietque an eâ ratione fiant, quâ eas factas vellet, si iam de ijs esset Iudici æterno ratio reddenda; statuetque; quo modo posthac in honorem Dei & Dominæ suæ sint ordinandæ, vbi reflectet ad ea quæ mancipatus Regulis præscribuntur; quatenus scilicet possint cum suis occupationibus consistere; & operam adhibebit, vt ea in posterum quàm accuratissimè obseruentur. Poterit denique puncta recollectionis hebdomadariæ suprà allata accuratiùs expendere; ac de toto vitæ suæ modo Dominæ suæ quodammodò rationem reddere; ac pœnitentiam quamdam extraordinariam assumere, exemplo Marini, quâ pro defectibus hactenus admissis conetur ex parte satisfacere. Denique ita omnia componat, ac si foret iam moriendum; reputetque secum, antequam solitudinem istam deserat, an paratus sit iam coram tribunali diuinæ Maiestatis comparere; proinde etiam temporalia sua redigat in ordinem, & de vltimâ voluntate, si quid immutandum sit, disponat. Quæ res mirabilem adferet in posterum quietem, & expeditum reddet, vt vitam nouam, tamquam homo nouus, auspicetur; in quo præcipuus consistit huius recollectionis fructus: nam *cùm consummauerit homo, tunc incipiet; & cùm quieuerit, operabitur*, ait Ecclesiasticus cap. 18. v. 6. *Cùm consummauerit homo*, nil vetat interpretari, Quando vitam suam ita composuerit, tamquam si iam esset moriturus, consummaueritque pœnitentiam sinceram, & omnes actiones suas introspexerit, ordinauerit, & quâ ratione consummandæ sint singulæ, statuerit; tunc incipiet, tunc cum Psalte pronuntiabit, *Dixi: Nunc cœpi*. arripietque primum illud spiritualis vitæ fundamentum, quod S. Abbas Antonius tradebat suis: *Cogitate vos quotidie incipere seruire Deo.* addo ego, *& mancipari Deiparæ.* Et *cùm quieuerit*, in istâ solitudine quiescens ab omni opere quod patrare solet, à curis, solicitudinibus, negotiis & nugis mundi; *operabitur*, talia inceptabit, quæ scribi mereantur inter opera æternitate & hominum Deique memoriâ digna. Quod vt feruentiùs faciat, iuuabit ista persuasio, quæ non fingitur, sed in veritate rei subest; quòd ipse seruus per peccata fugitiuus à Dominâ; vel certè quamprimùm ab eâ dimittendus, precibus suis, ab innatâ Dominæ suæ clementiâ veniam impetrarit: quapropter vehementer illi conandum, vt veteres errores nouis deleat obsequijs, & præteritam negligentiam compenset præsenti in seruiendo alacritate.

& tum de nouo incipiat.

Annuum denique meminerit pendere tributum, legens Orationem, quam Marinus solebat tunc recitare, quam inueniet paginâ 590.

CAPVT XXXIX.

Regula duodecima.

QVINQVE per annum occurrunt dies mancipijs festiuiore cultu celebrandi. Primus est 25. Martij, quo die totiùs huius famulatus positum est fundamentum; quando Virgo Deipara se verbis humillimis confessa Dei mancipium, facta est eius Mater, vnde redundat in eam absolutum rerum omnium dominium. Alter est, 15. Augusti, quo Virgo in cælos assumpta possessionem adijt absoluti illius in omnia dominij; atque à SS. Trinitate Regina est cæli terræque coronata. Tertius est 18. Decembris, siue dies Exspectationis partus Virginei; qui occasione huius Sodalitatis in Belgio coli est cœptus. Quartus est festũ augustissimi nominis MARIÆ; ad cuius exaltationem (quod ipse titulus præfert) specialiter erecta est congregatio Mancipiorum: hic autem die 17. Septembris celebratur. Quintus denique est dies, quo Sodalitas quæque primùm instituitur; annuâ solemnitate, nisi in aliquem priorum inciderit, recolendus.

Explicatio.

Si festiuitates hasce mancipiorum profanâ aliquâ auctoritate illustrare luberet,

beret, inueniremus suos apud antiquos fuisse seruis & mancipiis dies, quibus dominorum indulgentiâ sacris & genio indulgerent; verùm non à consuetudine, sed ab ipsâ ratione probandæ sunt nostræ nobis solemnitates. Cùm enim seruitutem hanc non tamquam onus suscipiamus, sed veluti honorem ambiamus, non imitamur eorum exemplum, qui semel atque iterùm per annum soluuntur molestiâ; sed cum ijs qui magno affecti sunt beneficio, gratâ commemoratione sæpiùs eius occasionem & auctorem recolimus. Et primò quidem celebramus diem, quo Virgo lætum ab Angelo diuinæ incarnationis nuntium accepit. Ratio duplex in Regulâ tangitur. Prima, quia eo ipso die B. MARIA Virgo præstitit nobis normam istius seruitutis, tum in piâ illâ contemplatione quâ mentem occupatam habebat, quando Angelus ingrediebatur ad illam, vouens atque exoptans ancilla & mancipium esse illius Virgunculæ, quæ aliquando erat in Matrem Dei assumenda; tum verò responsione illâ humillimâ, *Ecce ancilla Domini*. nos docens, quo modo debeamus ad infimum seruitutis gradum, vt ipsa fecit, descendere, nosque ad mancipiorum vilitatem abiicere, si velimus adoptari in filios, quemadmodum ipsa per ancillæ humilitatem Dei Mater effecta est. Altera ratio est, quia illo die Virgo per Dei maternitatem euecta est ad illam dignitatem, quam tam humili mancipiorum famulatu colimus: quam illi tum maximè gratulari oportet Sodales, & felicitatem suam recolere, quòd tunc ipsa acceperit, vnde iis liceat se suaque omnia post Deum tam benignæ Dominæ consecrare. Quomodo dignitas illa MARIÆ, & nostra felicitas tota oriatur ex isto maternitatis diuinæ titulo, alibi docuimus.

Lucæ 1. v. 38.

Alterum festorum Sodalitatis, est Assumptio B. MARIÆ in cælos: tunc enim Regnum suum adiit Domina nostra, tunc possessionem cepit cæli & terræ, tunc coronâ & diademate Regni à SS. Trinitate redimita est, & gloriâ suâ cælum & terram exhilarauit. Quemadmodum autem in Regibus & Imperatoribus electionis & coronationis dies diuersis aguntur festiuitatibus, ita mysteria ista distinguimus: id quo Virgo per Dei maternitatem electa est quodammodo in Dominam vniuersorum, & ius acquisiuit ad obtinendam primam post Deum supra omnes creaturas sedem, quod in Annuntiatione factum: & illud quo actu ipso diadema regni suscepit, ac re ipsâ est à SS. Trinitate coronata; quod die isto, quem ab Assumptione appellamus, recolimus.

Tertia solemnior mancipiis festiuitas, est dies Exspectationis Virginei partus: cùm autem à Sanctissimo Domino nostro Vrbano VIII. impetrauerimus plenariam Indulgentiam mancipiis eo die communicantibus, &c. prout in Bullâ Indulgentiarum huius Sodalitatis exprimitur, cœperitque eâ occasione festum hoc etiam extra Hispaniam in Belgio celebrari; paucis institutionem eius primam in Hispaniâ recensebo.

Non alibi, quod sciam, hactenus celebrari festiuitas illa solet, quàm in Hispaniâ, atque in eâ nusquam celebritate maiore quàm Toleti: quæ ciuitas cùm habeat etiamnum ardentis illius zeli amorisque flagrantissimi, quo suus Ildephonsus in Virginem MARIAM ferebatur, plurimas reliquias; hanc festiuitatem seruat, non in Patroni tantùm sui memoriam, sed propriæ etiam pietatis erga Virginem testimonium. Institutum autem fuit festum istud, titulo Annuntiationis B. MARIÆ Virginis celebrandum, 18. Decembris, in Concilio Toletano decimo, quod Recesuinthi Regis octauo, Eugenij Archiepiscopi anno vltimo celebrabatur; propterea quòd 25. Martij, quando Verbum æternum nostrâ se carne induit, cadat in Quadragesimam: quo tempore Concilia prohibebant vel Martyrum natales celebrare; quòd illi gaudium & lætitiam, Quadragesima verò luctum & pœnitentiam requireret. Vt ergo tam lætâ festiuitate, qualis erat Incarnationis Filij Dei, cum debitâ lætitiæ demonstratione fideles exultarent in Domino, quâ dixi 18. Decembris

die Annuntiationis festum institutum: cui deinde S.Ildephonsus, Eugenij successor, partâ insigni de hæreticis Angelicam B.MARIÆ Virginis puritatem oppugnantibus victoriâ, nomen Exspectationis partus Virginei imposuit. At vulgus, tum quòd à Vesperis istius festiuitatis Antiphonæ quædam recitari incipiant, quæ à litterâ O sumant initium, tum quòd Ecclesiæ Toletanæ Clerus post easdem Vesperas confusis vocibus litteram istam pronuntiet; festo nomen dedit ab ipsâ illâ litterâ O. Multa ergo magnaque die istâ celebrantur mysteria; atque in primis mysteriorum omnium maximè arcanum, quod cùm neque verbis exprimere, neque cogitatione possimus comprehendere, simpliciter, non sine profundâ animi demissione, vocamus Diuinæ incarnationis sacramentum. Alterum est, assertæ per S.Ildephonsum puritatis Virgineæ triumphus; cui par est omnes Deiparæ amatores ex animo congaudere. neque enim Mater Dei exstitisset, nisi tanta ei fuisset illibatæ puritatis custodia. Celebrantur prætereà vehementia Patrum antiquorum desideria, quibus inter legalis tædij vmbras, & redemptionis toties expetitæ dilationes, omnibus animi suspiriis, totisque defatigatæ mentis affectibus anhelabant ad diem istam, quæ, illæsâ claustri Virginei integritate, natum de MARIA Virgine mundo ostenderet Saluatorem. O quoties inter rebellantis populi fastidia zelosâ quadam impatientiâ Moyses in hasce voces prorumpebat: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es!* (Exodi 4. v.13.) Quoties Dauid ardui operis difficultatem considerans exclamabat: *Excita*, Domine, *potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos!* (Psal.79. v.3.) & sapientior patre filius: *Mitte illam* (sapientiam) *de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret!* (Sap.9. v.10.) Quoties Tobias canos suos futurâ spe, tamquam re præsenti, consolabatur, excitans his verbis in se iucundam ex confidentiâ lætitiam: *Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Ierusalem ciuitatem suam à cunctis tribulationibus eius Dominus Deus noster: beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem!* (Tob.13. v.19.) & omnium nomine omnibus fortiùs Isaias cap.16. v.1. *Emitte agnum Domine, dominatorem terræ.* & rursum c.45. v.8. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem: & iustitia oriatur simul.* & plenis votis cap.64. v.1. *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes!* Tandem certâ promissionis fide temperans æstum desiderij Aggæus c.2. v.8. *Veniet*, inquit, *desideratus cunctis Gentibus: & implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum.* Quis indigna recordatione existimet tot vota, quibus illi desiderabant videre, quæ manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ?

Sed aliud est, quod maximè suauem mancipiorum pietatem excitet, die Exspectationis partus Virginei: ipsa scilicet Virginis vota, illa illa ardentia incendio charitatis, contorta infallibili fiduciæ neruo in cælum desideria, quæ cor Virginis Deiparæ emittebat tamquam sagittas potentis, vt cor Filij Dei sauciaret, & quasi de celso throno suo deijceret. Vidi ego familiare Belgis exercitium; quo auem præcelsâ in perticâ collocatam certatim sagittis nituntur deijcere, quæ lapsu suo Regem confraternitatis illius iaculatoriæ facit eum qui deiecerit: qui mox, appensâ de collo auiculâ, inter festum tympanorum ac fistularum sonum à suis regium in morem deducitur. Iucundumque fuit cernere anno 1615. quando gloriosæ recordationis Infanta ELISABETHA CLARA EVGENIA mixta populo, infra magnitudinem suam non existimauit id decus appetere; fuitque ea populi erga Principem benignam veneratio, vt quotannis diem istam festiuâ recordatione celebrarent, quâ ipsa felicibus sagittis auem deiecerat. Ecce eius quod Exspectationis festo celebramus imaginem emblematicam, quam sic liceat à rebus obuijs ad explicanda sacrosancta mysteria transferre: Posuerat nidum suum præcelsâ in perticâ Phœnix ille, cuius eleuata est magnificentia super cælos, & veritas

veritas vſque ad nubes, vnde nos erat deſcenſu ſuo beaturus; nónne autem vides eò Patriarchas, Prophetas, Iudices, Reges, & quidquid ſanctum lex vetus proferebat, votis & deſideriis collineare, vt veluti deſideriorum ſagittis deiiciant? Et fuerunt, qui non infeliciter iaculabantur: toties enim tacta auis, nutare videbatur, quoties nouis promiſſis deſcenſuram ſe confirmabat æterna Sapientia. Irrita tamen omnium fuerunt vota, donec Princeps ac Domina noſtra Virgo MARIA, turbæ & ancillarum gregi permixta, arcum ſuum tetendit, & expediuit ſagittas electas talium deſideriorum, quibus non poſſet diutiùs reſiſtere Dei Filius; laxatoque cui inhærebat iuſtitiæ chalybe, deſcendit, eamque deſcenſu ſuo Reginam & Dominam confraternitatis iaculatoriæ, id eſt totius creaturæ, effecit. Teſtatur id ipſe pendens è collo Filius. ac ſi diceret, verè Reginam & Dominam eſſe omnium, quæ non tantùm è cælo detraxerit; ſed etiam ſibi ſubiecerit Dominum vniuerſorum. Quin ergo nos ſubditi & mancipia eius, maximâ animi gratulatione quotannis vota illa & deſideria Virginis tam potentia celebremus feſto Exſpectationis partus Virginei? ipſa enim Patribus omnibus antiquis ſanctior, plus omnibus anhelabat ad ſanctum Sanctorum: ipſa aurora ſolis venturi, plus habebat lucis, quâ agnoſceret beneficij magnitudinem, quàm Patriarchæ & Prophetæ, quibus ſedentibus in vmbrâ mortis, vix aliquando exigua lucebat facula; per cuius lumen accipiebant veræ lucis deſiderium: ipſa plus omnibus diligebat genus noſtrum, vnde plus omnibus ſalutem & redemptionem eius deſiderabat. Hæ Virgini cauſæ erant expetendi vehementiùs ceteris Redemptoris aduentum. At quando iam nuntium cæleſtem audierat, quando iam conſenſum præſtiterat, impletumque eſſe ſciebat in vtero ſuo omnium gentium deſiderium; quæ, putas, ipſi fuit horæ illius exſpectatio, quod partus deſiderium, quæ cupiditas videndi & amplexandi puerum iſtum admirabilem tam admirabiliter in vtero ſuo conceptum? quoties exclamabat: Quis mihi det te filium meum concluſum in vtero meo, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat? quoties materna officia maternaſque delicias ordinabat, dicens, *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum?* (Cant. 8. v. 2.) Quis explicet, quomodo in horas ſingulas, appropinquante magis magiſque partu, creſcebat auida matris exſpectatio, eò maioribus incrementis, quò minùs dolores, pericula, ceteraſque parturientium timebat ſordes & miſerias hæc Mater honorificata? Inter haſce contemplationes poterunt à decimooctauo Decembris, vſque ad feſtum Natiuitatis, Seruatorem cum Dominâ ſuâ exſpectare mancipia; & exſpectationem ipſius feruidam, quæ nobis cauſa fuit acceleratæ redemptionis, piâ mente celebrare; demum lucrando plenarias peccatorum Indulgentias, quas Exſpectationis die templum Sodalitatis viſitantibus Sanctiſſimus Dominus Noſter Vrbanus VIII. conceſſit, ſe ad dignè recipiendum Saluatorem mundi diſponere.

Quarta ſolemnitas Sodalibus commendata eſt auguſtiſſimi nominis MARIÆ: ad cuius religioſam obſeruantiam, ſi eos velim pro officij mei debito cohortari, volumine alio eſſet opus, quo nominis illius celebraretur excellentia. Quod cùm non ſit huius loci, non niſi verbo indicabo, mancipia nos eſſe Deiparæ Virginis, eiuſque dulciſſimi nominis MARIÆ: quo monemur induſtriam noſtram omnem, omne ſtudium eò in primis conferre, vt nomen iſtud quotidie reddatur celebrius: portemus hoc, vt fidelia mancipia non ſolùm coram Sodalibus, qui id diligunt, ac Chriſtianis ceteris, qui ſubmiſsè venerantur; ſed etiam coram hæreticis, qui execrantur, & Gentibus, quæ ignorant. Ait Germanus Patriarcha Conſtantinop. Orat. de Deiparâ: *Sicut continua reſpiratio non ſolùm eſt ſignum vitæ, ſed etiam cauſa; ſic*

ſic ſancta MARIÆ *nomen, quod in Dei ſeruorum ore aſſiduè verſatur, ſimul argumentum eſt quòd verè viuant; ſimul etiam hanc ipſam vitam efficit & conſeruat, omnemq; eis lætitiam & opem ad omnia impertitur.* Approbat Regulam hanc & titulum Sodalitatis hic Auctor, quando ſupponit, MARIÆ ſeruos aſſiduè nomen eius auguſtiſſimum habere in ore, cùm inde vitam, inde lætitiam, inde opem accipiant. Quis autem recuſabit rem tam ſalutarem propagare ad proximos? cui erit graue, ſemel per annum celebrare feſtum nominis illius, vnde nouit toto anni curriculo tot in ſe redundare beneficia? Requirit autem Regula, vt piâ quadam conſpiratione laborent Sodales quotannis feſtiuitatem iſtam reddere celebriorem: quò ſatis eos zelus erga Dominam ſuam incitabit, & Sodalitatis ſuæ ſplendor, qui hoc nominis MARIANI ſole quotidie reddetur illuſtrior. Iam Romæ, quod alibi monui, inſtat mancipiorum MARIANORVM zeloſiſſimus Ferdinandus Infans Cardinalis, vt liceat in Conuentibus S.P.N. Auguſtini per Belgium, in quibus inſtituta eſt hæc Sodalitas, Officium de nomine MARIÆ per modum Duplicis recitare; vt iſtâ ratione excitetur magis Sodalium pietas.

Denique celebrandus eſt annuâ recordatione ille dies, quo primùm inſtituta eſt quæque congregatio Mancipiorum; vt gratias reddamus Virgini Deiparæ, quòd inſtituerit in noſtrâ ciuitate familiam ſuam, in quam nobis obtigit felicitas inſcribi. Qui ceperit quantum inde ad prædeſtinationis certitudinem ei obtigerit momentum, ei adhortatione non erit opus ad gratitudinem.

CAPVT XL.

Regula decimatertia.

SEMEL in anno celebrantur à Sodalibus, ſolemniter decantato Miſſæ officio, exequiæ illorum qui in mancipatu Virginis obierunt: cui omnes intereſſe conabuntur, atque orare pro collegis ſuis defunctis, quemadmodum deſiderant, vt ſibi poſt mortem idem charitatis officium impendatur.

Explicatio.

Regula hæc neque explicatione eget propter claritatem, neque exhortatione, propter rei quæ præſcribitur æquitatem: fundatur enim in ipſis humanitatis officiis & radicibus charitatis. Neque enim humanitas ſinit, quibuſcum in vitâ tam arctum fuit amicitiæ vinculum, vt eidem Dominæ nobiſcum inſeruirent, eorum poſt mortem adeò obliuiſci, vt non ſit vel ſemel in anno pia eorum recordatio; & charitas exigit, vt quod nobis præſtari exoptaremus ab aliis, id nos proximo impendamus. Quis autem purgatoriis flammis traditus, non vellet & exoptaret piam eorum opem, quibuſcum in terris habuiſſet communia præcipuæ pietatis exercitia? Id autem eſt quod Sodalibus iam defunctis impendendum præſcribitur, vt per annum ſaltem vno die eorum recordemur. Quâ in re diligentiam noſtram excitet pia Caietani opinio, qui exiſtimat tum, cùm Indulgentiæ aut Miſſæ generaliter pro defunctis offeruntur, illis maximè prodeſſe, qui in carne adhuc mortali degentes, magnâ erga Indulgentias ferebantur deuotione, & erga claues Eccleſiæ fide, per quas Indulgentiæ conferuntur, & qui ſollicitudinem & diligentiam in adiuuandis defunctis impenderunt: vt verificetur quod dictum eſt: *Quâ menſurâ menſi fueritis*, eâdem *remetietur vobis.* Quod confirmant variæ à viris fide dignis relatæ hiſtoriæ. Vincentius enim refert in Speculo, Religioſum quemdam in dicendis Miſſis pro defunctis, quas iuxta Ordinis inſtitutum Religioſi dicere conſueuerunt, negligentem fuiſſe: illo ergo mortuo, punitio & reprehenſio grauis ſecuta eſt, ita vt Miſſas omnes, aliaſque orationes, quæ pro illo dicendæ erant, alteri Deus applicari voluerit, vt ipſe nullum earum fructum perciperet. In Hiſtoriâ autem D. Franciſci non abſimilem habemus hiſtoriam lib. 9. cap. 22. de Monacho, qui poſt mortem cuidam ſuorum Sodalium

Orandum pro defunctis.

Matth. 7. v. 2.

Lib. 2. diſt. 12. cap. 1.

Punitio eorum qui in hoc negligentes.

dalium magnos se in Purgatorio pati cruciatus significauit, propereà quòd in vitâ negligens fuisset in recitandis precibus pro defunctis; ideoque nihil sibi profuisse Missas pro ipso oblatas; sed in pœnam negligentiæ Deum aliis fructum earum applicasse, sine dubio iis qui fuerant in eâdem pietate diligentiores. Studeant ergo Sodales pia Dominæ suæ induere viscera, quæ tangantur commiseratione fratrum suorum in carcerem coniectorum, vt soluant nouissimum quadrantem; & istâ ferantur in Dominam suam pietate, vt quàm possunt citissimè mancipia pœnis istis liberent, vt possint in cælis tantò citiùs Dominæ suæ delectari aspectu, gloriamque illam atque supremum dominium illi congratulari.

CAPVT XLI.

Regula decimaquarta.

SALVTATIONIS formula, tam in litteris quàm familiaribus congressibus eorum qui se profitentur Deiparæ eiusque sacrarissimi nominis mancipia, erunt hæc verba, *Aue Maria*: illa enim sunt publica mancipiorum tessera: qui verò in congressu reddit salutem, dicet, *Gratiâ plena*.

Explicatio.

Cùm eiusdem familiæ omnia sint quæ in hanc Sodalitatem conscribuntur mancipia, vtpote eidem Dominæ seruientia; non incongruè illis tesseram assignamus, quasi militarem, siue quæ mancipijs eidem sit vsui, cui militibus suæ erant tesseræ. de quibus Polybius: *Tessera tabella erat inscripta, quæ sole occiduo à tribuno accepta ferebatur ad signorum Principes, rursumq; ad tribunum redibat, vnde is omnibus esse datum signum cognoscebat, necdum se intendentibus tenebris, perq; omnes ad se peruenisse.* Ita Cælius Rhod. lib.27. cap.21. Fuit ergo symbolum bellicum, & signum quo socij milites dignoscebantur ab hostibus, vt pro quibus & contra quos arma sumerent, facilè dignoscerent. Quod signum vel reale erat, vt ex Polybio dicebamus; & loco istius sunt Sodalibus compedes, catenæ, Sodalitatis rosaria; & tot alia quæ ipsi gestant symbola sui mancipatus: vel certè verbale, & de isto hîc agimus. De quo Alexander ab Alex. lib.4. cap.2. hæc habet: Tesseram fuisse in castris Iulij *Victoriam*; in Pompeij Magni, *Herculem inuictum*; in Pompeij iuuenis, *Pietatem* narrant: in Marc. Antonij exercitu *Lar* Deus fuit; in Syllæ autem *Apollo*. Neronem verò *optimam matrem* militibus tesseram dedisse tradunt; Brutum in Philippis, *Apollinem*. Cyri autem tessera fuit, *Iupiter belli socius & dux*; Diui verò Antonini, *Aequanimitas*; Seueri Septimij, *Laboremus*; Pertinacis, *Militemus*. Claudius Cæsar Græcanico versu definiuit tesseram in hæc verba: *Virum vlcisci decet, qui prior iniuriatur.* Demetrius Poliorcetes, *Iouem & Victoriam*; Antiochus Soter aduersus Galatas ducturus, signum proposuit, *Benè valere.* Mæcenas quoties in castris ducis fungebatur officio, *Discincti* tesseram dedit. Vnde patet, sæpe ab ingenio & conditione ducis aut militum, sæpiùs à pietate tesseram istam desumi. Et quidem C. Caligula, homo mulierosus, quòd Cassio Chæreæ tribuno obscenam tesseram dare consueuisset, ab eo occisus est. Nos autem nihil castius, nihil magis pium, aut magis ex ingenio mancipiorum adferre potuimus, quàm illa verba sacrosancta, numquam satis repetita, numquam satis honorata, *Aue Maria*; quibus mancipia se inuicem & salutent in signum beneuolentiæ, & inuicem agnoscant tamquam tesserâ, & Virginem Dominam suam laudent: cuius gloriam vti operibus suis vbique conantur propagare, ita laudem frequentissimè debent in ore habere: ideoque præscribitur, vt non tantùm tesseræ, sed etiam salutationis familiaris loco eam adhibeant: nequeunt enim nimis frequenter recordari mysteriorum illorum, quæ ad hasce voces necessariò occurrunt animo vel tantillum in pietate exercitato. Tantæ autem pietatis & dignitatis sunt ista Salutationis Angelicæ verba, vt S.Basilius & S.Ioannes

Tessera quid.

Variæ variorum tesseræ.

mancipiorum est Aue Maria.

Dignitas & vis horum verborum.

nes Chrysostomus, vterque in suâ Liturgiâ arbitretur, debere proximum dignitatis & sanctitatis locum post ter sanctissima consecrationis verba Salutationem Angelicam obtinere: nam, vt B. Petrus Damianus ait Serm. 1. de Natiuitate B. Virginis, *incarnatio Dei, redemptio hominum, & renouatio mundi in eâ continetur.* Verùm nemo fortiùs nos inuitat ad crebram eorum verborum vsurpationem B. Alano lib. de Psalterio B. Virginis cap. 70. vbi miros eorum effectus commemorat: *Auscultet,* inquit, *sancti nominis tui amator, ô Maria. Cælum gaudet, omnis terra stupet, cùm dico, Aue Maria. Satan fugit, infernus contremiscit, cùm dico, Aue Maria. Mundus vilescit, cor in amore liquescit, cùm dico, Aue Maria. Terror euanescit, caro marcescit, cùm dico, Aue Maria. Crescit deuotio, oritur compunctio, cùm dico, Aue Maria. Spes proficit, augetur consolatio, cùm dico, Aue Maria. Recreatur animus, & in bono confirmatur æger affectus, cùm dico, Aue Maria. Siquidem tanta est suauitas huius benedictæ Salutationis, vt humanis non possit explicari verbis; sed semper altior manet & profundior, quàm omnis creatura indagare sufficiat. Hæc oratio parua verbis, alta mysterijs, breuis sermone, alta virtute, super mel dulcis, super aurum pretiosa, ore cordis iugiter est ruminanda, labijsq; puris frequentissimè legenda, ac deuotè repetenda: nam verbis paucissimis contexitur, & in latissimum torrentem cælestis suauitatis diffunditur.* Quàm sæpè est repetendum, quod tot fructus generat solâ sui pronuntiatione? Sunt qui confidunt altis, vt vocant, nominibus: sunt qui verbis hoc vel illo modo superstitiosè prolatis, miras tribuunt facultates: sunt qui iuramenta quædam adeò sibi habent familiaria, vt tertio quoque verbo ea repetant, & cum nominis diuini iniuriâ peierent. Ecce nomen super omnia post IESV nomen eleuatum: ecce verba non superstitiosè, sed religiosissimè pronuntianda: ecce non iuramentum, sed sacramentum maximum, quo perfectum est id, quod toties Deus ipse iurauerat Patribus nostris. Crebriùs ergo habeamus illa in ore, quàm quilibet sacrilegus suas blasphemias; religiosiùs ea pronuntiemus, quàm quilibet superstitiosus suas voculas; confidentiùs ea circumferamus, quàm quilibet impius suas ineptias. Sunt enim illa aduersus mortem æternam amuletum certissimum, sunt ad obtinenda quælibet dona cælestia medium fortissimum. Vtrumque testatur idem, quem suprà citaui, B. Alanus cap. 11. vbi hæc dicit: *Scias, & securè intelligas, quod & inde latè omnibus patefacias; quòd videlicet signum probabile est & propinquum æternæ damnationis, horrere, & attadiari, ac negligere Salutationem Angelicam, totius mundi reparatiuam.* Cuius neglectus est signum æternæ damnationis, eius amor profectò indicium erit prædestinationis æternæ; & consequenter est *Aue Maria*, & eius amor (qui, sæpiùs iteratâ honorificâ eius pronuntiatione, indicatur) amuletum aduersus mortem æternam. Quid verò ad meritum valeat, idem B. Alanus docet cap. 69. vbi narrat piam quamdam B. Virginis famulam, quæ religiosam, quam professa fuerat, castitatem condiuerat singulari erga Deiparam pietate, post obitum sorori cuidam suæ apparuisse, eique inter ceteras Salutationis Angelicæ laudes hæc verba obseruatu dignissima inculcasse: *Si possem redire ad corpus, & vnum dumtaxat Aue Maria orare, & si sine magnâ deuotione; ego propter meritum illius vellem tantum rursus sustinere cruciatum, quantum ante mortem perpessa tuli.* non obscurè indicans, quantum ij mereantur, qui Virginem crebriùs ex animo & internâ deuotione salutant; cùm etiam, sine exquisitâ aliquâ deuotione eam salutare, præualeat mortis doloribus.

Signum damnationis est malè affici erga Salutationem Angelicam.

Sed hîc opponunt se quidam, cærimonijs aulicis vel præfecti vel addicti, aiuntque, non satis congruam esse formulam salutandi, *Aue Maria*; reperire se, dum antiquitatem excutiunt, varios tam in profanis quàm sacris salutandi modos, sed omnes ad illos dirigi, qui salutatur: hoc autem vehementer abs re videri, dum Petrum verbi gratiâ saluto,

Obiectio contra hanc salutandi formulam.

to, dicere, *Aue Maria*. Esto, Virginem ames, nemo carpit, omnes laudant; imò neque amari satis neque laudari à nobis posse profitemur; sed debent tamen amoris istius indicia quamdam cum ratione, quæ agendorum est norma, habere conformitatem. Quis autem hominum ferat, si ex eo quòd Cæsarem amet, amicum occurrentem hac voce salutauerit, *Aue Cæsar?* Græcis vsitatum erat suum χαῖρε; Latinis matutinis quidem horis *Aue*, vespertinis verò *Salue*, inter discedendum *Vale*. In sacris plures habemus formulas. Angelus enim ad Gedeonem ait: *Dominus tecum, virorum fortissime*, Iudic.6.v.12. Booz ad messores: *Dominus vobiscum*, Ruth 2. v.4. Daniel ad Regem cap.6. v.21. *Rex in æternum viue*. 2.Reg.16.v.16. habes: *Salue Rex*. Tob. cap.5. v.11. *Gaudium tibi sit*. 1.Cor.1. *Gratia vobis & pax à Deo*. Iudith 3. v.22. *Benedixit te Dominus*. & v.23. *Benedicta es tu*. Sed nulli vel hominum vel nationi vsurpatum legimus, vt in salute dandâ alium alloquantur, quàm eum quem salutant. Hic maximus est aries eorum, qui Regulam hanc impetunt, & ideò conuellere conantur; quòd non satis decorè videatur in mores introduci. Quibus ego breuiter respondeo, eos, dum omnia excussisse se dicunt, valdè nobis suspectam reddere vel diligentiam suam, vel fidem: nam si Iudith 13. v.23. legerint, *Benedicta es tu*; miror quòd in eâdem salutatione non viderint, *Benedictus Dominus*; vbi sermo conuertitur ad Deum, quamuis salutetur Iudith: imò legisse illos nusquam, salutationem Virgini Deiparæ familiarem fuisse, *Deo gratias*, quæ iam in omnium pænè Religiosorum transijt consuetudinem. Quod satis nobis exempli est, vt, contra torrentem profanæ antiquitatis, non alloquamur occurrentem in salutationibus, ipsi bonam valetudinem, aut sapientiam, aut aliud quodpiam bonum exoptantes; sed potiùs, boni aliquid re ipsâ ei conferamus, excitantes ipsum voce nostrâ vel ad Deo gratias agendum, vel ad salutandam Virginem. quo facto, defluent ad eum plures è cælo gratiæ, quàm nos ei potuissemus sexcentis votis & salutationibus conferre. Non ergo discedimus ab humanitatis legibus, inuicem istâ formulâ *Aue Maria* salutantes; sed vanitatem earum corrigimus, & quod illi optant re ipsâ præstamus. Nisi fortè humaniorem eum existimas, qui tibi factus obuiàm, blando vultu verbisque compositis ingentem pecuniæ vim optabit, quàm eum qui bursam ipsâ illâ pecuniâ refertam obtulerit. Et sanè amor, qui omnes humanitatis leges figit, refigit, & solus excusare potest quidquid in eam peccatum, in pectore mancipiorum debet esse tantus, vt nihil pænè aliud quàm de laudibus Dominæ suæ cogitēt: vnde si obuiàm fiant ei, quem simili ardore incensum piè debent supponere, vtpote eidem secum Dominæ mancipatum, nihil illi gratius, nihil sibi suauius primo congressu pronuntiabunt, quàm hinc, *Aue Maria*, inde, *Gratiâ plena*, congressu suo, tamquam mutuâ collisione suscitantes amoris Mariani igniculos numquam exstinguendos. Quis reprehensione, & non potiùs omni laude dignam iudicabit illam amore accensam CHRISTI discipulam, quæ Dominum sublatum mœrens, vbi hortulanum videt, statim ex abrupto ad eum loquitur: *Domine, si tu sustulisti eum*. tamquam si omnes eumdem illum dilectum cognoscerent, ac de eo cogitarent, quem illa sublatum plorabat. Non ergo reprehendendi Sodales, si ejus Dominæ, cui ipsi actiones, verba, cogitationes, vitam vniuersam consecrauerint, laudes in omni congressu loquantur, existimantes, omnes eodem ferri in Dominam suam studio; neque vocem vllam ingratam cuiquam debere accidere, quæ laudem sonet illius, cuius ipsi gloriam non tantùm humanitatis legibus, sed etiam omnibus vitæ bonis censent præponendam. Non erubescant igitur mancipia hoc suum verbale symbolum: Dominam suam, quam corde amant, operibus imitantur, verbo profiteri non pudeat; sed potiùs hanc formulam faciant sibi familiarem; nec erubescant se inuicem cā

Varia salutandi formulæ.

Responsio ad obiectionem.

Humanitatis plena est ista salutatio.

amoris est indicium.

Ioan.20. v.15.

eâ salutare, cùm Regina MARGARETA etiam PHILIPPVM III. tantum Regem eâdem illâ salutare non erubuerit: cuius rei eum tulit fructum, quem suprà commemorauimus, vt vocem suam paralysi ablatam ad salutationem hanc Patris Rojas *Aue Maria* receperit; tempusque habuerit ea dicendi & faciendi, quæ Christiani homines in isto articulo & facere & dicere exoptant.

CAPVT XLII.

Regula decimaquinta.

SI quis in morbum inciderit, is R. P. Præsidem admonendum curabit: qui deinde dabit operam, vt ægrotus ab aliis eidem mancipatui addictis Sodalibus visitetur, subleueturque tam in spiritualibus quàm temporalibus necessitatibus, prout cuique secundùm status sui conditionem fraterna charitas suggeret, & singularis erga Virginem amor. Quòd si eò morbus ingrauescat, vt sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis muniendus videatur, aderunt dictâ horâ Sodales, præcipuè ij qui habitatione sunt viciniores, & Ven. Sacramentum prosequendo, ipsi honorem, Sodali obsequium præstabunt: si verò migrare è vitâ quempiam contigerit, defuncti corpus reliqui Sodales comitabuntur; pro animâ verò semel Missæ sacrificium offerri tota Sodalitas curabit: cui omnes interesse conabuntur.

Explicatio.

Amici sunt inter se Sodales.

Amicitiæ sinceritatem aduersis rebus probari, nemo ignorat. Supponit autem Regula, sinceram esse istam amicitiam, quam mancipia inter sese contrahunt, non temporalium bonorum cupiditate, sed communi in Virginem Deiparam amore: quæ cùm sit Mater pulchræ dilectionis, non potest esse sordidus auaritiæ amor quem illa colligauerit. Eapropter confidenter præscribit Sodalibus sinceræ amicitiæ præcepta, ne scilicet vel in aduersâ valetudine, vel in morte ipsâ se inuicem deserant; sed tum præcipuè ostendant, quanti faciant Dominam suam, cuius intuitu tam sincerè amant omnes eius famulos, vt, posthabitis dignitatis fortunarumque distinctionibus, inter suos numerent, quoscumque Domina eorum adlegerit in suam familiam; ac proinde iis Christianæ charitatis obsequia in morbo ac morte exhibeant. Quam Regulam nemo veluti nouum quoddam onus apprehendet, qui meminerit suauis CHRISTI iugi, quod omnibus asseclis suis imposuit; in quo sunt hæc ipsa misericordiæ opera, ægrotos inuisere, esurientes pascere, potum dare sitientibus, nudos vestire, & mortuos sepelire. Quæ si Regula hæc ad mancipia Deiparæ ex eiusdem amore conuertenda præcipiat, non aggrauat onus, sed duplicat meritum. Quod enim CHRISTO fiebat in quolibet Christiano, iam etiam fit CHRISTI Matri in eius mancipio; & quod Filius erat tamquam sibi factum præmiaturus, nunc etiam Mater vt sibi in mancipio exhibitum recompensabit. Ægros ergo, si qui fuerint ex mancipiis, præcipuè penuriâ rerum laborantes, inuisent, ibique Christianæ pietatis viscera explicabunt, verbo, consilio, re, & opibus opem ferentes afflicto; existimantesque hanc esse nobilissimam sibi Dominam demerendi oblatam occasionem, quam non permittent sine fructu sibi elabi.

Regula huius obseruantia duplicat meritum operis.

Solatium est ægro, si multi Sodales Ven. Sacramentum comitentur, quando ad eum defertur.

Vt autem comitentur Ven. Sacramentum, dum Sodalium quispiam vltimis Ecclesiæ præsidiis aduersus periculosa mortis luctamina est muniendus; facit in primis, ad præstandum ei precibus atque hoc ipso pietatis & charitatis actu auxilium aduersus postremos illos & dubios inferni conatus. Facit deinde ista frequentia ad ægri solatium, videntis se tot collegis suis stipari: quos cùm sciat apud MARIAM gratiosos, multa sperare potest à tam benignâ Dominâ tam potentibus precibus interpellatâ. Tertiò denique facit, tam Vener. Sacramenti quàm funeris prosecutio, vehementer ad laudem B. MARIÆ Virginis; in cuius honorem cedit, quòd eius causâ mancipia ipsius honorentur: estque iste honos Sodali

exhi-

exhibitus publica per vrbem exhortatio, quâ omnes inuitantur ad nomen dandum isti Sodalitati, in quâ tantam vigere cernunt charitatem. Ceterùm, quod additur de Sacro curando pro animâ defuncti, Consultorum erit curare, ne vmquam negligatur; quapropter R.P.Præsidem monere non desistent, donec mortuo cuiq; iusta fuerint soluta: fieriquecurabunt Sacrum hoc, si res patiatur, in Altari priuilegiato.

CAPVT XLIII.

Regula decimasexta.

VEN. Eucharistiæ Sacramento cùm alibi semper eum deferent honorem, quo par est talis Matris mancipia tantum Filium venerari; tum præcipuè in plateâ, si Sacerdoti id ad ægros deportanti obuij fiant, confestim è curru vel equo, si fortè ijs vehantur, desilient, flexisque in terram poplitibus, pio fidei, latriæ, contritionis, aut alio quopiam virtutis actu Redemptorem mundi isthic reuerà præsentem adorabunt; eumque, si quidem occupationes & valetudo permiserit, honoris causâ, ad eam vnde exierat Ecclesiam comitati, veluti domum deducent.

Explicatio.

Indolis & educationis vis. Indolis & educationis tanta vis est, vt, si alterutra cuipiam praua obtigerit, vix sperandum sit eum magna aliquando virtutis exempla editurum: quando autem parentum virtute temperaris naturæ elementis, & nutricum pædagogorumque curâ atque sociorum exemplo conformatis moribus quis potuit, antequam peruertatur, verum decus intueri; nihil mediocre aut vulgare de eo cogitandum est: agit enim semper, & tacitè animum exsuscitat ad laudem generosus sanguis; & apertè ad imitandum prouocant magistrorum sociorumque facta, nec animum sinunt quiescere donec altiora conetur, vt paria edat. Tantillum me explicationi Regulæ huius præfari suaserunt generosi Sodalitatis nostræ parentes, & illustris eius in Augustissimâ domo Austriacâ vel natiuitas vel educatio. Si enim antiquissima repetamus, parentes eius, vt suprà ostendimus, IESVS & MARIA, quibus nihil excogitari potest augustius: si media recordemur tempora, Marinum & VValterum de Birbach, vtrumq; sanguine, vtrumque sanctitate illustrem reperiemus; quamquam isti potiùs normam quamdam mancipatus, quàm formam Sodalitatis mancipiorum edidisse autumandi sunt. Si igitur propiora spectemus Sodalitatis incunabula, eam ab ipsis Austriacæ domus sideribus, PHILIPPO III. & MARGARETA, Regalis ipsius thori sociâ, prognatam; inter Regiam PHILIPPI IV. CAROLI & FERDINANDI societatem altam, auctam & educatam, ISABELLÆ & alterius MARGARETÆ, Infantarum Austriacarum, gremio susceptam videbimus. *Generosi Sodalitatis mancipiorum parentes.* Vnde mirum non est, si præcipuas Austriacorum virtutes æmuletur. neque inuidiam illi conflamus, sed conciliamus gloriam, quando ad talem eam deducimus originem: non enim hoc faciet, quo minùs alij, qui non sunt ex istâ domo, Reges etiam ipsi coronas & sceptra sua MARIÆ compedibus exornent, cùm iam etiam apud illos supra inuidiam sit virtus Austriaca proposita nationibus ad cultum, Regibus in exemplum. Certè ostendit Vladislaus ille, qui quòd nobilitate, fortitudine, pietate par esset Regum maximis, in Poloniæ Regem electus est, virtutum exempla, quæ vel à vilissimis quibusque petere laudatissimum est, ideò non esse negligenda, quòd illi ea dederunt, qui vel pares vel maiores sunt nobis dignitate. Ille enim, quod, viuo etiamnum illo Sigismundo parente, qui Poloniæ imperabat, Regibus autem omnibus imperandi leges vitâ suâ præscribebat, mihi coràm Bruxellis beatæ Virginis mancipatum commendanti receperat, se eius propagandi in Regno suo auctorem fore; non segniùs quàm promiserat executus, effecit, vt operâ Societatis IESV iam passim in Regno suo omnes Deiparæ mancipentur. Ita vt verè regia dici possit hæc mancipiorum Sodalitas, quæ vbique à Regibus vel insti-

tuatur vel propagetur. Sed longiùs nos à proposito deduxit tam pij Regis memoria; cui haud dubiè *erunt compedes* Deiparæ *in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ:* nam *vincula illius alligatura salutaris.*

Eccli. 6. v. 30.

Horum virtutes debent mancipia imitari.

Nunc ad institutum reuertamur, quo Sodalibus ab Austriacis ortis, præcipuam Austriacorum gloriam æmulandam proponimus, amorem & venerationem erga sacrosanctum Altaris Sacramentum; memores inde fluxisse tantam, quam hodie mundus obstupescit, coniunctam cum pietate potentiam. Commendat ergo Regula Sodalibus vbique cultum quemdam præ ceteris eximium erga hoc venerabile salutis nostræ pignus; rationemque insinuat, quòd nempe, mancipia cùm simus Matris, præcipuè nobis colendus sit herilis Filius; idque præsertim, quando publicè per plateas defertur. cuius venerationis modus additur, is scilicet ipse, quem Rudolphus Comes Habspurgensis exhibuit, cuius tam insignem est remunerationem consecutus. Rem, prout eam narrat Bzouius ex Lipsio in Monitis, referam, multis quidem narratam, sed hîc loco suo nullo modo reticendam. Venatum fortè, vt nobilitas solet, cum paucis in equo exiuerat. Pluuius dies erat, & viæ fractæ & sordentes: ecce occurrit Sacerdos, venerabilem & mysticam Hostiam, extremum solatium, ægro laturus: & occurrit pedes. Is aspectus pium pectus perculit; nec sine indignatiunculâ aliquâ equo desilijt: &, *Me vehi, te qui Seruatorem meum portas, pedibus incedere? indecorum, vel impium sit: conscende, & equum hunc cape.* Iussio, non preces erant: paruit ille, & iste capite reuelato humilis secutus est; ad ipsas ædes ægri deduxit; ab ijs eodem habitu reduxit. Iam domi & apud se Sacerdos erat. qui officio attonitus, & mente à Deo motâ, benè abeunti dixit, & simul Imperium ipsi posterisque prædixit. Istud pietatis studium multiplex in modicâ adhuc fortunâ, nec nisi Comes Habspurgensis Rudolphus prætulit; propter quod illi sequentem magnitudinem vaticinia & diuinæ voces adscripserunt.

CAPVT XLIV.

Regula decimaseptima.

MANCIPIIS B. MARIÆ Virginis proprium est consilio ceteris prodesse, veritates orthodoxas promouere, ac proinde ignorantes instruere in fidei veræ & Catholicæ mysterijs; illamque quam Ecclesiæ Romanæ, eiusque capiti œcumenico Pontifici Romano, Episcopis, ceterisque Ecclesiæ Prælatis debent obedientiam, seriò per occasionem inculcare.

Explicatio.

Quare proprium sit mancipijs procurare Superiorũ reuerentiam & obediẽtiam.

Quibusdam in mentem venit admirari, vnde ista oriatur mancipiorum proprietas, cùm potiùs Prælatorum esse videatur, docere & instruere ceteros; mancipiorum, subesse & imperata facere: quos ego vicissim miror, non constituere ex aliarum more B. MARIÆ Virginis familiam. Quis autem non cupiat domi suæ habere seruum frugi, qui ceteros officij sui commoneat, eos prudenter instruat, bonam in domo subordinationem procuret; vnde pax inter seruos, fidelitas in rebus gerendis, & amor erga dominum augeatur? nam plerumque videmus ista honestatis præcepta altiùs in animum descendere, si familiariter à conseruorum aliquo instillentur, quàm si magnificè à dominis proponantur. Proprium est ergo bonorum seruorum, quales omnia cupiunt esse B. MARIÆ Virginis mancipia, non tantùm operâ diligenti officium sibi impositum explere; sed & curam gerere, vt, datâ occasione, laborent eamdem ab alijs præstari fidelitatem & diligentiam, & maximè pacem atque concordiam omni studio procurari; quæ cùm maximè ex ordinatâ subiectione nascatur, ea nominatim Sodalibus inculcanda præscribitur. Vti enim hæreticis proprium est, omnes sanctæ subiectionis leges conuellere, magistratus plebi, laicis clerum, ima summis, sacra profanis miscere:

Hæreticorum est pacem & subordinationem conuellere.

re: ita è contrario famulis MARIÆ, quæ cunctas hæreses sola interemit, & serpentis, cuius omnes hæretici sunt mancipia, caput contriuit, contraria obtigit proprietas; vt reuerentiam clero, obedientiam præpositis, cultum & obseruantiam eminentioribus præstandam curent. Et quemadmodum illi circa fidem errantes, alios in errorem deducere conantur; ita horum studium est, orthodoxæ fidei veritates vbique inculcare, & sana consilia contra venenatum maligni serpentis per ora hæreticorum sibilum spargere. O vtinam hoc dandi bona consilia optimum consilium & præceptum, orthodoxas veritates, & germanam Christianorum subiectionem inculcandi, attenderetur ab ijs, qui tantâ copiâ, certè non nisi à spiritu nequam emissi, familias, congregationes, Religiones, Vrbes, Prouincias, Regna, Principes & Reges obeunt, ac paulatim susurris, detractionibus & calumnijs dissociant, fictis sermonibus produnt, instillatâ hæresi, Superiorum contemptu, &, quod omnium maximè deplorandum, atheismo peruertunt, ad chimæricam nescio quam rationem Status deducunt: quâ semel imbuti, attolluntur contra omne quod dicitur Deus, religionem, obedientiam, virtutem susq; deque habent: nihil vsquam sincerum, nihil sanctum, nihil fidum vel præstant vel exspectant: vbique lites & bella concitant, ne quis potens sit, quem ipsi timere debeant: gentium ruinam, suam securitatem faciunt: si quæ ceruices vspiam eminentiores, eas committunt, vt, mutuo collisu deiectis capitibus, soli ipsi emineant: astuti, scilicet tumultu, exteros misceri cupiunt, & aliena pericula sua volunt esse commoda; parum soliciti, an amici pereant, modò ipsorum perditione ipsi securiores sibi videantur. quorum proinde conuersatio & amicitia insidiosa est, arundinea, & filo fragilior. Vtinam consilium, inquam, Regulæ huius decimæseptimæ, pestes illæ ac odia Dei & hominum attenderent; profectò non tam periculosè populo demeretur nescio quibus susurris Prælatorum

Quidam hoc tempore occulti susurrones pacem turbant.

reuerentia; non tam perniciosè hæreses & atheismus serperent. Exspectent paulisper, quicumque conscij sibi sunt criminis istius pessimi; & faba, quam alijs cuderunt, Deo vindice in caput eorum recidet. malum enim consilium consultori pessimum, & noxa caput sequitur. Huic potentissimo satanicæ nequitiæ exercitui, eò perniciosiori, quò occultiori, tamquam murus pro domo Dei opponuntur per hanc Regulam MARIANA mancipia; vt eisdem illos expugnent machinis, & contra cuniculos cuniculos agant: numquam enim deerit, diuinâ bonitate humanam adiuuante industriam, aduersus mala remedium. Cumque pernicies hæc non tam publicè oppugnans insiliat, quàm occultè serpens inficiat; debent illis non tam opponi ij qui ex officio fidei & morum integritati inuigilant, quàm illi qui potentiùs, tamquam aliud agentes, rem Dominæ suæ hac in parte agere possunt; vt scilicet maneat familia eius benè ordinata, &, quod inde sequitur, pacifica, & inter pacem obsequiosa. Non ergo dat Regula hæc mancipijs aliquam supra conditionem suam potestatem; sed inculcat Christianam in loquendo prudentiam & libertatem, ne segniùs ipsi agant causam MARIÆ, quàm diabolica illa propudia causam agunt nequitiæ.

His mancipia opponuntur.

CAPVT XLIV.

Regula decimaoctaua.

PROPRIVM item est illis (quod etiam ex Oratione, quâ se Virgini deuouerunt, constat) omnem, quâ per Christianam modestiam & charitatem licet, à Deo eiusque Matre, à cultu Sanctorum, eorumque imaginibus iniuriam prohibere; omnesque non tantùm exemplo suo ad virtutem adducere, sed etiam, prout vsus erit, à peccatis retrahere.

Explicatio.

De hac mancipiorum proprietate nemo dubitat; cùm inter omnes constet, ideò gladium seruis concedi, ideò

eos dominum stipare, ideò in familiam admitti, vt domini honorem & vitam propugnent, corpus eius dum petitur, etiam obiectu laterum tegant: in hoc versatur ea officij pars, ex quâ præcipuam ipsi, si occasio fuerit, colligere possunt gloriam. A naturâ enim inditum videtur hominibus, vt tacitâ quadam cum reuerentiâ eiusmodi seruum suscipiant, quem audiunt amore fidelitatis ingenti aliquo pro domino suo periculo perfunctum, aut acriùs pro ipso depugnasse. Non contineo me, quin paginam breuem ex morum Magistro hîc adscribam, quâ ipse seruorum aliquot meminit gloriosè dominos suos defendentium. sic enim habet: Claudius Quadrigarius in duodeuicesimo Annalium tradidit, cùm obsideretur Adrumetum, & iam ad summam desperationem ventum esset, duos seruos ad hostem transfugisse, & operæ pretium fecisse. Deinde vrbe captâ, passim discurrente victore, illos per nota itinera ad domum in quâ seruierant præcucurrisse, & dominam suam ante se egisse: & quærentibus quænam esset, dominam, & quidem crudelissimam, ad supplicium ab ipsis duci professos esse: eductam deinde extra muros summâ curâ celasse, donec hostilis ira consideret. deinde vt satiatus miles ad Romanos mores citò redijt, illos quoque ad suos redisse, & dominam sibi ipsos dedisse. Manu misit vtrumque euestigio illa: nec indignata est ab his se vitam accepisse, in quos vitæ necisque potestatem habuisset. Potuit sibi hoc vel magis gratulari: aliter enim seruata, munus notæ & vulgaris clementiæ habuisset; sic seruata, nobilis fabula, & exemplum duraturum fuit. Nobile profectò seruorum par! quorum factum ita amplificat idem eloquentissimus Philosophus: In tantâ confusione captæ ciuitatis, cùm sibi quisque consuleret, omnes ab illâ præter transfugas fugerunt: at hi, vt ostenderent quo animo facta esset prior illa transitio, à victoribus ad captiuam transfugerunt; personam parricidarum ferentes. quod in illo beneficio maximum fuit, tanti iudicauerunt, ne domina occideretur, videri dominam occidisse. Non est, mihi crede, non est, dico, seruilis animi, egregium factum famâ sceleris emisse. Nondum abeo à tam egregio & scriptis sæculisque consecrato exemplo: quid serui dominæ fecerint, quid nobis faciendum proponant, expendo: primùm transfugarum, deinde parricidarum sustinent infamiam, ne dominæ vel corpus ludibrio vel vita periculo obijceretur; deinde spolia negligunt, capitis periculum adeunt, victi victorisque exercitus tela contemnunt, vt periculo eam eximant, sub quâ liberalem & clementem se meminerant seruijsse seruitutem. Et nos tam benignæ Dominæ serui, Heræ tam clementis mancipia, eius nomen & famam blasphemo dente arrodi, imagines sacrilegis manibus confringi, cultum proteruis vocibus aut gestibus irrideri patiemur? C. Vettius, pergit Seneca, Prætor Marsorum, ducebatur ad Romanum Imperatorem, seruus eius gladium militi ipsi, à quo trahebatur, eduxit, & primùm dominum occidit: deinde, *Tempus est*, inquit, *me & mihi consulere, iam dominum manumisi.* atque ita se vno ictu transiecit. Da mihi quemquam qui magnificentiùs dominum seruarit, ait ipse. Ego non factum, sed animos dominum infamiâ liberandi imitandos propono. Vis generosiorem & aptiorem Christianis moribus? Bello ciuili, proscriptum dominum seruus abscondit; & cùm annulos eius sibi aptasset, ac vestem induisset, speculatoribus occurrit: nihil se deprecari, quo minùs imperata peragerent, dixit; & deinde ceruicem porrexit. Quanti viri est, acclamat Seneca, pro domino eo tempore mori velle, quo erat rara fides dominum mori nolle? in publicâ crudelitate mitem inueniri, in publicâ perfidiâ fidelem? cùm præmia proditionis ingentia, præmium fidei, mortem concupiscere? Lubenter hæc ita amplificata commemoro: quòd tantus Ethnicorum erga dominos amor, tantusque zelus omnia ab ijs mala prohibendi, viuacissima sit mancipijs exhortatio, vt viros se præbeant, vbicumque

Par seruorum dominam seruantium.

Alius dominum occidit, vt ipsum liberaret infamiâ.

Alius mortis pro eo sese offert, & occiditur.

cumque honor & existimatio Dominæ suæ agitur, atque identidem hoc secum recogitent: Si tanti honoris est, hominem, à quo beneficium acceperis, vel quem tu ipse tibi aut nascendi conditio dominum fecerit, etiam cum vitæ periculo ab iniuriâ vindicare; quantæ demum erit gloriæ, pro gloriâ & honore summæ istius Reginæ ac cælorum Imperatricis arma gerere, illam defendere, hostes eius gladio spiritus iugulare? Iucundum erit hîc verba illa recordari, quibus *castrorum acies ordinata* Virgo dicitur; quia speciem illam visu pulcherrimam menti suggerunt, vt videamur exercitum ab armis virisque instructissimum latè victricia signa explicantem cernere: quem si ex MARIÆ virtutibus ita faciamus, vt vexillum sit super eam charitas, & fide duce omnis procedat ordine suo Theologicarum moraliumque virtutum turba, legionem habebimus, quæ cælum ad spectandum alliciat, terram verò stupore detineat. Verùm si à Dominâ transeamus ad eius familiam, seruorumque numerum, munia, ordinem inspiciamus, omnesque intueamur aduersus MARIANI nominis hostes armatos; rursum occurret aciei benè ordinatæ species, in quâ nemo qui sapit, recusabit nomen suum profiteri: & vexillum quidem erigitur Virgo, argento purior, liliisque candidior, circumcincta rutilanti solis auro, emicans è fundo, qui cælum imitetur colore cæruleo, cum hac epigraphe, quæ tessera est & symbolum istorum militum: *Vt non recedat laus tua de ore hominum.* Archistrategus huius exercitus est Dominus vniuersorum IESVS CHRISTVS; qui inter res omnes, quas extra se possidet, nullam defendit acriùs, nullam procurat ambitiosiùs quàm hanc Matris suæ gloriam, semper memor quàm illa diligenter virtutum suarum aciem explicuerit, quàm accuratè custodias vndique ordinauerit, vt non accederet ad illam vel macula, vel ruga, vnde aliquid in Filium redundaret dedecoris. Quantus sit iste Filii zelus, & quàm acriter sentiat violatam Matris suæ gloriam;

Exercitus ad defendendam gloriam Marianam.

Iudith 13. v. 25.

Quàm zelosè propugnet Matris gloriam CHRISTVS.

intelliget quisquis attentiùs S. Bernardi verba Serm. *Signum magnum* relegerit, vbi sic Dominam nostram alloquitur: *Quàm familiaris ei facta es, quàm proxima, imò quàm intima fieri meruisti: quantam inuenisti gratiam apud Deum! In te manet, & tu in eo: vestis eum, & vestiris ab eo: vestis eum substantiâ carnis, & vestit ille te gloriâ suæ maiestatis: vestis solem nube, & sole ipsa vestiris.* Vbi sanctus hic Virginis amator mysterium diligenter animaduertendum indicat, Filium scilicet Dei, vt Matri suæ pro veste mortalitatis, quâ illum induerat, gratus esset, eam induisse gloriâ: dederat nempe illa substantiam suam, sanguinemque corporis, quem habebat delicatissimum, & cuius erat zelosissima, vt inde Filio Dei humanitatis vestem conficeret; ita vt caro illa anteà Virginis, posteà Dei, propter infinitam illam diuinitatis excellentiam, & vnionem cum ipsâ admirabilem, iam melior, iam dignior, iam sanctior esset, quàm tum erat, quando manebat Virginis. Filius autem quid faceret, vt Matri non cederet gratitudine? id quod erat in diuinitate, vt sic loquamur, præstantissimum, id cuius Deus erat parcissimus, gloriam scilicet suam cum Virgine communicauit: & quemadmodùm Virgo ipsum circumdedit carne humanâ, ita eam vestiuit gloriâ diuinâ; hoc tamen, quod necesse erat, discrimine, vt gloria illa cum Virgine communicata, alia ab aliâ existeret, quæ in Deo incommunicabiliter permansit, ac proinde creata esset; sed ita creata, vt sub increatâ illâ nulla maior possit excogitari. Eat nunc aliquis, & cogitatione suâ penetret cor illud Virgineum, atque ibi amorem illum propemodum infinitum scrutetur, quo Virgo carnem Filii sui lactabat, nutriebat, fouebat; ibi zelum contempletur, quo omnia ab eâ incommoda, omnes aëris tempestatisque iniurias prohibebat, quo ipsa libentissimè frigora, calorem, famem & sitim patiebatur, ne ea pateretur Filius; denique ibi dolores illos percipiat, gladium illum dimetiatur, qui cor eius pertransibat, quando Filii sui

sui carnem tam indignis modis tractari, flagellis & scorpionibus dilacerari, clauis transfigi, in Crucem attolli videbat: quo zelo Amazon ista fortissima, nisi Dei voluntas obstitisset, conscripsisset exercitum, gentes & nationes armasset, vt Iudæorum nequitiæ orbis vires opponeret. Et numquid precibus eius factum, vt sol & luna, omniaque mundi sidera armarentur, templi velum scinderetur, sepulchra aperirentur, vt hac saltem ratione creatura testaretur, quantum ex istâ morte dolorem perciperet Mater Creatoris? Hæc vbi perceperit, tum facilis erit à Matre ad Filium ratiocinatio in hunc modum: Profectò vicit amore creatum Deus, Matrem Filius, MARIAM CHRISTVS: maiore ergo zelo hic vestem gloriæ, quam Matri dederat, conseruauit, quàm illa potuit humanitatem eius custodire; magisque CHRISTVM sentire necesse est, si quis MARIÆ gloriam violauerit, quàm hæc sentiebat carnem ipsius dilacerari. Ac proinde mirum non est, si ad arma prosiliat, si militem scribat, si aciem instruat aduersus eos qui ausi sunt os suum in cælum attollere, & gloriam eius imminuere, quam numquam Deus sibi videtur satis honorare. Archistrategum ergo se fecit IESVS MARIÆ Filius & Rex gloriæ eius exercitus, qui profitetur defensionem propagationemque nominis MARIANI. Nunc reliquas eius partes videamus. Qui varijs in partibus milites conscribunt, legionibusq; præficiuntur, ij sunt qui diuersas congregationes & Sodalitates instituerunt eorum, qui conspirantes in promotionem gloriæ & honoris B. MARIÆ Virginis sub aliquo signo, vel symbolo, vel Regulâ congregantur, & profitentur se particulari ratione consecratos eidem Virgini: tales fuerunt S. Anno Archiepiscopus Coloniensis, S. Dominicus, B. Simon Stock, alijque, quorum instituta & congregationes alibi laudauimus. Honor verò qui prælio commisso tribuitur præcipuus ijs, qui primi hostilem perfregerunt aciem, SS. Patribus debetur, qui ingenij sui acumine densissimas perruperunt ignorantiæ infidelitatisque caligines, ac cedere fecerunt luci quam vehebant veritatis; vt mundus agnosceret mirabilia quæ credimus de Virgine mysteria. Horum de numero fuêre SS. Augustinus, Gregorius Thaumaturgus, Andreas Cretensis, Methodius, Germanus Constantinopolitanus, Ildephonsus, Anselmus, Bernardus, Albertus, Bonauentura, Rupertus, Bernardinus, & tot alij, quorum toto hoc Opere nos sæpiùs ferro armauimus, & qui nomen suum immortalitati consecrarunt, quia nominis MARIANI fuerunt studiosi. His succedit equitatus MARIANI exercitus, qui ductoribus ijs constat, qui in defendendis eius priuilegijs & honoribus operam singularem nauarunt aduersus impressionem aliquam hæreticorum, vel aliorum quacumque occasione aduersantium: qualis Cyrillus Alexandrinus, qui ducentos secum trahebat zelosissimos Patres, vt Ephesi gloriosum Dei Matris aut Deiparæ titulum Virgini assereret; cuius prælium, quòd rei in[illegible]entiâ memorabile fuerit, & gloriosissimum exitu, videtur in exemplum aliorum recensendum. Quo studio populus Ephesius Dianam suam olim coluerit, licet aliunde non sciretur, satis constat ex Actis Apostolorum: quàm verò zelosè, versâ in religionem superstitione, deinde meliora edocti, Virginis MARIÆ gloriam propugnauerint, quæ commemoraturi sumus, docebunt. Indixerat nefarium Deiparæ bellum Constantinopolitanus Archiepiscopus Nestorius; eoque perniciosiùs decertabat in Virginis ciuitate Princeps, quò scelestiùs qui propugnare debuisset, ipsam imperij eius coronam, totiusque dignitatis originem impetebat, eam quippe Deiparæ titulo ac dignitate Matris Dei exauctorare conabatur. Quod animaduertens Summus Ecclesiæ Pontifex Cælestinus, generale aduersus hostem Concilium expediuit: cui Legati Apostolici auctoritate, quem dicebam, S. Cyrillum Alexandriæ Patriarcham præfecit. Deligitur prælio campus ciuitas Ephesina; in eaque felici omine ipsum

Partes reliqua exercitus.

Concilium Ephesinum, in quo assertum B. MARIAE Virgini titulus Deiparæ, seu Matris Dei.

ipsum Deiparæ, cuius honor agebatur, templum. Intrat summo manè designatam templi aream Cyrillus, ducens trecentorum Episcoporum agmen; ac deinde occlusis foribus hostem Nestorium aggreditur, eumque ita dexterè exarmat, ita acriter ferit, ita gloriosè debellat, vt hæreseos conuictum, dignitate suâ Ecclesiasticâ spoliatum, in insulam Oasim relegatum, iustitiæ diuinæ tradiderit puniendum. Quæ dum geruntur, concurrit ad templi fores tota Ephesina ciuitas, nullo dignitatis aut sexus discrimine; ibique ab ipso tempore matutino vsque ad noctem (tamdiu enim tenuit pro Virginis maternitate certamen) constantissimè opperiuntur, simul ostensuri zelum suum erga Virginem, simul terrorem hæreticis, animos orthodoxis multitudine suâ facturi. Finito certamine, vt templi valuæ panduntur, tanto studio quisque proxima occupare contendit, ac si salus ei simul cum victoriæ denuntiatione esset euentura. Tum imperiosè manu silentium petens Cyrillus progreditur, atque vbi exaudiri potuit, similem in modum profatur: Est, Ephesij, quod vobis Virginique hodie gratulemini, victus est hostis, MARIA triumphat, ac titulum istum, quem Saluatorem mundi gignendo iure obtinuit, retinuit hodie totius Ecclesiæ, cuius auctoritatem penes hos viros cernitis, suffragio; licet itaque vobis vt anteà inuocare, *Virgo Deipara, Mater Dei ora pro nobis*. Qui lætitiam, plausum, congratulationes, signa publicæ festiuitatis, quæ populus iste hoc nuntio accepto edidit, conaretur describere; ille nouas loquendi formulas, & inaudita eloquentiæ præcepta adferre deberet: ita morem & modum omnem vincebat exuberantis animi lætitia; ita quisque, tamquam suam in familiam delatum fuisset, Reginæ cæli suum gratulabatur imperium, quod, sublato Matris Dei honore, vacillabat; ita festiuis ignibus, conuiuijs & choreis Deiparæ laudes celebrabant; ita magnificè Prælatos istos, veluti tutelares quosdam genios, circumspiciebant; ita honorificè domum deducebant, prælucentibus vbique facibus; ita totos sese effundebant in gaudia; ita nihil prorsus multis posteà diebus audiebatur, quàm, Viuat Mater Dei, viuat Virgo Deipara; Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis: & similia epicharmata & epinicia.

Sed dum equitatum exercitui MARIANO damus, equitum more longiùs ab ipso exercitu abiuimus, iucundo gloriosæ turmæ prælio intenti; nec facilè, nisi per alium discursum, videmur redituri: incitor enim vehementer, vt non antè (inuictissimos dicâ an pientissimos Monarchas?) PHILIPPVM III. & IV. glorioso equitum MARIANORVM numero adscribam, quàm rationem reddidero, cur ita faciendum videatur. Quod dum breuiter expediuero, ad ordinandum reliquum exercitum reuertar.

CAPVT XLV.

Reges Hispaniæ PHILIPPVS III. *&* IV. *Duces equitatus* MARIANI *exercitus.*

LAVDABVNT alij quibuscumque voluerint encomijs Austriacam domum: cumque artes omnes sacras, profanas impenderint, mirabuntur, plus virtutem genti vnicæ contulisse ad res magnas cum laude gerendas, quàm scientia artibus omnibus communicauerit ad easdem ex merito deprædicandas. Ego, quò professionis meæ me ratio & priuatæ pietatis studium vocat, eò non inuitus sequor: vt nimirum ea magni in ipsis faciam, per quæ forent, licet omnia cetera deessent, etiam maximi. Huius generis virtutem Christianam existimo, in eâque nominatim pietatem, atque in ipsâ pietate peculiarem erga Reginam cælorum cultum ac reuerentiam; quam cùm Dominus meus PHILIPPVS III. præstiterit, ac rursus PHILIPPVS IV. heres paternæ pietatis præstet adeò singularem; non mancipijs tantùm, sed orbi Christiano facerem iniuriam, si MARIANI exercitus equitatum tam insignibus spoliarem capitibus: illius namque ductores eos esse dicebamus, qui in defendendis

Austriaci pietate erga Deiparam magni.

MARIÆ

MARIÆ priuilegijs operam singularem nauassent aduersus quoscumque eiusdem gloriæ oppugnatores. Age autem, fuitne priuilegium vllum acriùs oppugnatum, quàm Conceptio immaculata MARIÆ Virginis? aduersus quam, non tantùm hæreticorum factiones, sed ipsa Christianorum pietas coniurasse videbatur: ita vel studio vel prætextu promouendi gloriam Deiparæ, vndique inibatur prælium, paribus vbique viribus, ac dubiâ non vno sæculo nutante victoriâ. Nihil enim tot laboribus profectum erat, quàm vt liceret, ex Sixti IV. & Pij V. constitutionibus, in vtramque partem sentire, & ne liceret alterutram sententiarum censurâ aliquâ perstringere: donec re ad PHILIPPVM III. delatâ, ipse quò sese, eò etiam inclinauit victoriam. Operæ pretium fuerit, Monarcham istum, quem tot per suos à Turcis & Mauris reportatis victorijs triumphantem vidimus, in hoc prælio per se depugnantem ac gloriosissimè vincentem cernere: neque enim maiori studio vel ipse vel patres eius pro Regnis, quæ plurima acquisiuerunt, decertarunt, quàm hic pro Virginis gloriâ præliatus est. Primum anno 1614. certamen iniuit, mensis Iunij medio, quod ad anni eiusdem Septembrem durauit, quando, ductis ad deliberationem seu conferentiam præcipuis Regni Prælatis & Theologis, Præside Antonio Caietano, Capuano Archiepiscopo, ac Sedis Apostolicæ per Hispaniam Nuntio, viginti sessionibus, ne quid temerè aggrederetur, rem examinandam curauit: vnde non solùm consilium habuit, sed etiam eam reportauit victoriam; quòd iam tantorum virorum hanc obtineret sententiam, Regem, si pro definitione immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis apud Romanum Pontificem instaret, rem suscepturum, quæ & maiorum pietati conformis esset, & orbi Christiano testaretur singularem Regum Catholicorum erga Dei Matrem pietatem. Diceres, generosum equum arrectis auribus prælij signum exspectantem, classicum audiuisse: ita totis corporis animique viribus, omnibus Regni facultatibus, cunctisque orbis vtriusque diuitijs eò incubuit, vt Romæ, quod pium esse præscribebatur, obtineret. Sed nihil tum à Paulo V. Romano Pontifice abstulit, præter instaurationem constitutionis factæ à Sixto IV. & Pio V. cuius Bullam dedit 6. Iulij anni 1616. itaque tum adhuc quasi æquo certamine discessum est. Intereà temporis, crescentibus, vti bello flagrante solet, ex crebrâ vtriusque partis velitatione incommodis, nouum Rex pro Virginis gloriâ prælium adornauit. & quoniam in expugnando Pontificis animo cardo rei vertebatur, extraordinarium ei mittit cum nouis honoris significationibus Legatum; cui dat litteras ad suam Sanctitatem & ad singulos sacræ Inquisitionis præfectos Cardinales: quibus litteris instanter eos rogabat finem ponerent, absolutâ definitione immaculatæ Conceptionis, tantis difficultatibus, quæ indies non in Hispaniâ tantùm pænè intolerabiles, sed vbique terrarum etiam graues suboriebantur; ex disputandi vtramque in partem libertate: vtque fortiùs rogaret, in partes suas traxit Margaretam amitam suam, Archiepiscopos Toletanum & Hispalensem, cum vtriusque Capitulo, Episcopos Conchensem, Vallisoletanum & Osmensem, qui suas ad Pontificem in eamdem sententiam dederunt litteras, vti paulò pôst etiam fecit Serenissima Franciæ Regina PHILIPPI filia. quibus ipse, vtpote cui omnis mora longa videbatur, quæ Reginæ cælorum differret gloriam, rursum alias atque alias litteras superaddidit, ne quid esset in re tam vehementer expetitâ tergiuersationis. Quibus id tandem obtinuit ab eodem Paulo Pontifice, ne quis in concionibus, lectionibus, aut quibuscumque actibus publicis proponere aut docere posset contrariam immaculatæ Conceptioni opinionem. Candido lapillo notata fuit dies trigesima prima mensis Augusti anni 1617. quâ data fuit Romæ, tot sumptuum, tot precum, tantæ legationis finis, Bulla Apostolica, quam diximus, de immaculatâ Conceptione præscribens regulam.

PHILIPPVS III. deliberat, num agere expediat pro immaculatâ Conceptione:

vrget, vt negotium definiatur à Romano Pontifice:

iterùm instat fortiùs:

imponitur aduersarijs silentium Bullâ Apostolicâ.

qua summa lætitiâ in Hispaniâ accipitur.

gulam. Ire hîc iam per omnes eloquentiæ campos, vt vel rudi Mineruâ possit describi lætitia & plausus, quo Bulla ista per totam Hispaniam accepta fuit, esset frustrà in re, quæ fieri nequit, operam consumere; cùm nullam vmquam tantâ lætitiæ significatione celebrarit victoriam, nec ita solemniter consecrauerit suam in libertatem restitutionem. Nec breui temporis spatio definita est festiuitas; sed à sextâ Octobris die, quo Mantuam Carpetanorum Hispaniæ regiam perlatus est lætus nuntius, vsque ad octauam Decembris, quam Ecclesia immaculatæ Conceptionis mysterio consecrauit; totâ Hispaniâ nihil audiebatur in templis, quàm gratiarum actiones; nihil visebatur in vrbibus, quàm solemnes supplicantium ritu turmæ; nihil spectabatur in turribus & locis editioribus, quàm ignes gratulabundo lumine victoriam hanc Regi suo congratulantes; hanc in theatris personæ, in luctâ pugiles, in ludis Troianis nobiles repræsentabant: definitionem denique istam, quòd Hispaniæ Regi acceptam ferebant, singuli priuatim in domibus suis salutarem sibi Hispani fore instructis conuiuijs omnibusque priuatæ lætitiæ significationibus augurabantur. Parum est quod dixi, omnes Hispaniæ Vniuersitates, plurimi Canonicorum cœtus, collegia, Sodalitates quamplurimæ voto se obstrinxerunt, nihil vmquam contra immaculatam B. MARIÆ Virginis Conceptionem vel dicendi vel sentiendi; eorum verò qui priuatâ hoc pietate factitarunt, iniri non potuit numerus. Quam Rex hoc temporis puncto perceperit vel ostenderit lætitiam, non commemoro, quòd sciam eum liquidam nondum percepisse ex hac denuntiatione voluptatem. prolixas quidem egit, vt par erat, Summo Pontifici ac Cardinalibus gratias, quòd tantum concessissent; sed ita, vt qui maioris gratitudinis exposceret materiam, quique non destiturus videretur, antequam semel bona verba dixisset Pontifex, quæ ipsum planè votorum compotem efficerent. Igitur non segni lætitiâ factis acquiescens, piâ solertiâ

Rursum instantiùs petit negotij definitionem PHILIPPVS Rex.

facienda disponebat; rursùmque indefatigabili pietate nouam ad suam Sanctitatem legationem disponebat, eò maiori pompâ, magnificentiâ & auctoritate, quò eum acriùs negata superiori legationi pungebant; & quò magis non exigua illa quæ concessa erant faciebant eum de summâ rei benè sperare. Deligit ergo capita huic legationi, Episcopum Carthaginensem, & Ducem Albuquercium, Vice-Regem Barcinonensem, hosque instruit rursum suis ad Pontificem & Cardinales litteris: hisque adiungit litteras omnium Prælatorum, Dominorum, Capitulorum, Vniuersitatum, Collegiorum, & penè omnium Religiosorum totius Hispaniæ; vt sua Sanctitas intelligeret, qui esset sensus in Regno suo omnium penè orthodoxorum. Intereà dum Romæ munere suo funguntur Legati, maiora domi molitur Rex: iudicares eum cum ipsâ cælorum Reginâ amicum certamen suscepisse, vt tota sua per vtrumque orbem extensa potentia ei seruiendo, eam cogeret infinitis partibus potentiori beneuolentiâ rebus ac Regnis ipsius attendere. Mittit ergo vsque in Indias ad Iacobum de Guzman, Indiarum Patriarcham, litteras; vt sibi eius formæ ac regularum Sodalitatis immaculatæ Conceptionis copiam faceret, quam nuper auus suus Carolus Imperator Hispali instituerat: cupere enim se Madriti eamdem erigere in Sacello quod ædificauerat in Regio S. Claræ Monasterio, in quo se Margareta amita eius Deo consecrauerat. Dictum, factum. Obedit regijs postulatis Patriarcha; & Rex vnà cum filijs filiabusque regijs, omnes domestici Principes, omnes quos vocant Hispaniæ Magnates, Vice-Reges, Duces, Marchiones, Comites, alijque Domini insigni aliquo titulo eminentes, plurima deinde Collegia & Vniuersitates, centum octoginta Monasteria, denique supra viginti hominum millia, omnis ordinis, ætatis & sexus, sese Regiæ Sodalitati tradiderunt, ac voto se obstrinxerunt propugnandi vsque ad extremum vitæ spiritum piam de immaculatâ Conceptione,

Sodalitatem immaculatæ Conceptionis instituit.

ne, prout Ecclesia ipsis permittebat, sententiam. Numquid egregia hæc dignaque ductore suo videtur equitum turma, ad hoc à Regum potentissimo conscripta, vt honorem Reginæ cælorum propugnaret? Ad quam laudem Regulâ hac prouocantur Sodales, vt scilicet occupent aliquam exercitus, quem adornamus, partem, dicantque defendendæ gloriæ MARIANÆ sacramentum. Inter hosce rerum maiorum apparatus, vitâ functo Paulo Pontifice, Deus etiam (vt certò confidimus) ad Regni melioris possessionem euocauit PHILIPPVM Regem: moritur ergo vltimâ die Maij anno 1621. sed ita moritur, vt decebat fortem bellatorem in ipso certamine, infractâ in manibus palmâ, exspirare: quibus enim vocibus negligentiam suam incusabat, quòd rei tantæ perficiendæ, cui se totum dederat, plura non impendisset! quo affectu ad illam Romanæ Sedis definitionem anhelabat! quàm exuberante pietate se iter Romam pedibus facturum dicebat, si, restitutis sibi viribus, iudicaretur eâ ratione momentum aliquod huic rei additurus! Sed aliter visum supremæ vitæ nostræ Dominæ; quæ procul dubio equiti ac mancipio suo in cælis dedit, quam ei procurare satagebat in terris gloriam.

PHILIPPVS IV. obtinet Roma, vt silentium indicatur aduersarijs etiam in priuatis colloquijs.

Successit tanto parenti dignissimus filius, Tertio Quartus, mutato tantùm in nomine numero, ceterùm idem PHILIPPVS: qui non citiùs Regna paterna gubernanda suscepit, quàm sibi augendam pietatem existimauit: statim ergo Comitem Monteregium magnificâ legatione destinans ad Papam Gregorium XV. amplius etiam quàm parens obtinuit: nam anno 1622. 4. Maij Bullam dedit Gregorius, quâ vetat, etiam in priuatis colloquijs, proponere ac propugnare contrariam immaculatæ Virginis Conceptioni opinionem. Omen mihi certissimum benedictionum cælestium, quas hactenus largiter in caput eius depluit è cælo Virgo; & porrò indies maiores licet exspectare, quando videmus, ipsum Virginem colendi finem nullum facere: cùm certum sit eâ Dominam nostram esse generositate, quæ passura non sit vllâ se mortalium munificentiâ superari. Macte ergo virtute, Rex Inuictissime, auge numerum huius, cui ipse nomen dedisti, exercitus; neque Propugnatoris gloriæ MARIANÆ titulum dedignare, qui vltrò mancipij nomen suscepisti. & non sperare tantùm, sed etiam promittere ego certò audebo Regnis tuis eam, cui ita ex animo studes, felicitatem, orbi Christiano pacem, subditis tuis prosperitatem, & tibi, post felicem ac diuturnam Regni amplissimi administrationem, possessionem multò amplioris in cælo. Quæ vota vt rata sint, numquam ego desistam, quamdiu spiritus senilia hæc membra vegetabit, rogare communem Dominam Virginem MARIAM: cuius te gloriam, quòd tot eam Regnis tuis præfers, spero per plura etiam, quàm modò obtines, propagaturum.

Ordinatio reliqui exercitus MARIANI. Peditatus.

Iam redeo ad pertexendum MARIANI exercitus catalogum, vnde abduxerant egregia ista aliquot equitum stratagemata. Peditatus ergo locum obtinet innumera ista multitudo, quæ vel vlli Virginis Sodalitati nomen dedit, vel aliàs priuatis sermonibus conatur gloriam eius & cultum peragere. Qui classicum canunt, ac consequenter omnium manibus pugnant, quòd omnes ad pugnam animent, ij sunt Concionatores, qui auditores suos singulari quodam zelo excitant ad cultum & obsequium B. MARIÆ Virginis. S. Bonauentura quamdiu priuatus publicè locutus est, id fecerat adeò strenuè, vt nullam crebriùs versaret, nullam doctiùs explicaret, nullam ardentiùs inculcaret materiam; at vbi, ob publicum Generalatus Ordinis sui officium, ad populum dicere vetabatur, latiùs zelum istum suum explicandi modum inuenit: præscripsit enim omnibus Ordinis sui Concionatoribus, vt sæpiùs de beatæ Virginis cultu sermonem facerent; sibique persuaderent, non efficacius esse medium populum à vitijs abstrahendi, eique virtutes homine Christiano dignas inserendi, quò omnis spe-

Tubicines.

ctat concionandi labor. adeò qui priuatus concionator omnium auditorum suorum manibus Virginem colebat, iam publicâ in dignitate constitutus, omnium subditorum suorum vocibus eamdem deprædicabat. S. Bernardini Senensis, S. Bernardi, multorumque aliorum præconum verbi Dei, qui honorarunt istud ministeriorum omnium grauissimum atque dignissimum ministerium, scripta examinemus; & liquidò colligere poterimus, quàm crebrò vocis suæ tubâ cultum Virginis deprædicarint. Ignium tormentorumque bellicorum præfecti, S.Scripturæ sunt Interpretes, & Controuersiarum Scriptores, qui graues pondere auctoritatis SS.Patrum machinas, suscepto ingenij fomite, sancti Spiritus igne impellunt, atque in aduersariorum capita detorquent. Ingeniarij, quos vocant, ij sunt, qui nouis quotidie inuentionibus, magno animarum profectu, amplificant modos seruiendi B.MARIÆ Virgini,& exaltandi nomen eius sacratissimum:ad quam laudem titulo Sodalitatis suæ prouocantur mancipia, cùm Sodales sint dulcissimi nominis MARIÆ, vt illud indies studeant reddere gloriosius. Sed iam dudum animaduerti insignem velitum cohortem, ductore B.Philippo Tudertino, institutore Ordinis Seruitarum, siue Seruorum B. MARIÆ Virginis, qui cælitus accepto singulari atque perhonorifico titulo Apostoli B.MARIÆ Virginis, Italiam, Franciam, Germaniam, Saxoniam, Poloniam peruasit, vbique fungens legationis suæ ministerio, & omnes inflammans amore seruiendi Reginæ cælorum; ac nos iam tum docens,quodnam esset præcipuum mancipiorum Deiparæ munus, eius nempe propagare gloriam,& prohibere omnem quà possunt à nomine eius iniuriam. Hic est Archistratego IESV MARIÆ Filio exercitus, paratus semper ad tuendam gloriam Matris Dei: cui nomen dare qui recusat, Christiani hominis partes, nedum mancipij MARIANI officium, tueri nullâ ratione potest: nequit enim CHRISTI esse discipulus, qui Matris ipsius gloriam & honorem cordi non habet. Proinde hoc desiderat Regula à mancipijs, vt professione quadam particulari isti rei studeant, sensumque & dolorem ostendant, si quando occasio offeratur, vbi aliquid vel dicitur vel agitur, quod Dominæ suæ gloriæ aduersetur: hoc est, non tantùm requiritur ab ijs, vt inter hosce, quos iam ordine disposui milites, recenseantur, sed etiam vt, quamcumque in partem se tradiderint, insignes quasdam ac nomine suo dignas edant operas.

Tormentorum præfecti.

Ingeniarij.

Velites.

CAPVT XLVI.

Regula decimanona.

ANGELOS sese pacis vbique præbeant, amicitias redintegrando, discordias sopiendo, exstirpando rancores & odia, murmurationes sedando: denique eum conentur spirare virtutis odorem, qui exspectatur à tam bonâ radice, atque est, IESV & MARIÆ cordi insculpta nomina.

Explicatio.

Tertiùm iam ex vmbrâ in solem, ex domo in vineam Domini & Dominæ suæ emittimus Sodales, vt intelligant, se non ad otiandum Virgini mancipatos, nec vt omnem conuersationem tollant, generique humano renuntient, ac viuant in se tantùm conuersi; sed vt possint rationem reddere mancipatus, ac laboris sui quasdam habeant reliquias. Cùm enim boni natura sit, se communicare quamplurimis, Sodalesque eò meliores futuri sint, quò arctiùs fuerint Dominæ suæ,creaturarum omnium optimæ,coniuncti;familiaritatis, quam habebunt cum ipsâ, nullum certius edent argumentum, quàm si conentur latissimè bonitatis suæ fructum extendere. Nec est,quòd arbitrentur hoc viris in dignitate vel sæculari vel Ecclesiasticâ constitutis ita esse proprium, vt non sit omnibus commune; cùm viri boni officium sit, omnibus prodesse, & nulla maior sit dignitas, quàm in eum cooptari senatum, cui non ciuitatis aut prouinciæ vnius, sed

Bonum se diffundit ad alios.

Potest homo etiam priuatus alijs prodesse.

orbis terrarum proposita est salus. Et habet profectò, vbi se etiam in priuato lare explicet magnus animus, zelo animarum & gloriæ nominis MARIANI propagandæ incitatus: nec vt leonum animaliumque impetus caueis coërcetur, sic hominum, quorum sæpè maximæ in seductu actiones sunt, & magna vis est priuatæ virtutis, singulis & vniuersis ingenio, voce, consilio prodesse cupientis. *Nec enim*, aiebat Athenodorus, Stoicæ sectæ Philosophus, *is solus reipublicæ prodest, qui candidatus extrahit & tuetur reos, & de pace belloq; censet; sed qui iuuentutem exhortatur, qui in tantâ bonorum præceptorum inopiâ virtute instruit animos, qui ad pecuniam luxuriamq; cursu ruentes prensat ac retrahit, & si nihil aliud, certè moratur, in priuato publicum negotium agit. An ille plus præstat, qui inter peregrinos & ciues, aut vrbanus Prætor adeuntibus adsessoris verba pronuntiat, quàm qui docet quid sit iustitia, quid pietas, quid patientia, quid fortitudo, quid mortis contemptus, quid diuinorum intellectus, quàm gratuitum bonum sit bona conscientia?* Et noster morum magister, etiam Stoicus, pulcherrimè ostendit, nos vbique atque in omni officio ac statu mortalium rempublicam iuuare debere, & verò quamplurimum posse. *Periculosum*, inquit, *ingressu forum est? in domibus, in spectaculis, in conuiuijs, bonum contubernalem, amicum fidelem, temperantem conuiuam agat. Officia si ciuis amiserit, hominis exerceat. Ideò magno animo nos non vnius vrbis mœnibus clausimus, sed in totius orbis commercium emisimus, patriamq; nobis mundum professi sumus, vt liceret latiorem virtuti campum dare.* An maiori animo, non dico Christianus, sed Apostolus loqueretur? an perfectiora virtutis præcepta ipsis mancipijs Deiparæ præscriberet? Pergit verò non minùs eleganter quàm magnificè: *Præclusum tibi tribunal est, & rostris prohiberis, aut comitijs? respice post te, quantum latissimarum regionum pateat, quantum populorum. numquam tibi ita magna pars obstruetur, vt non maior relinquatur.*

Seneca lib. de Tranquill. animi cap. 3.

Iamque pressiùs ad obiectionem, quam initio tetigimus, multos Sodalium nullâ dignitate publicâ eminere, vnde videatur hæc alios iuuandi regula minùs ad illos pertinere: *Sed vide*, inquit, *ne totum istud vitium tuum sit: non vis enim nisi Consul, aut Prytanes, aut Ceryx, aut Sufes* (Magistratuum apud varias nationes sunt vocabula) *administrare rempublicam. Quid si militare nolis, nisi Imperator, aut Tribunus? etiamsi alij primam frontem tenebunt, te sors inter triarios posuit; inde voce, adhortatione, exemplo, animo milita. Præcisis quoque manibus ille in prælio inuenit quod partibus conferat, qui stat tantùm, & clamore iuuat. Tale quiddam facies, si à primâ te Reipublicæ parte fortuna submouerit; stes tamen, clamore iuues: si quis fauces oppresserit; stes tamen, & silentio iuues. Numquam inutilis est opera ciuis boni: auditu enim, visu, vultu, nutu, obstinatione tacitâ incessuq; ipso prodest. Vt salutaria quædam, citra gustum tactumq;, odore proficiunt: ita virtus vtilitatem etiam ex longinquo & latens fundit, siue exspatiatur & fruitur suo iure; siue precarios habet accessus, cogiturq; vela contrahere; siue otiosa mutaq; est, & angusto circumscripta, siue adaperta: in quocumque habitu est, prodest.* Tot ille verbis & elegantijs, imò tam solidis rationibus adhortatur vnumquemque nostrûm, vt priuati negotium publicum suscipiamus, arbitremurque virtutem nostram etiam ad alios diffundendam.

Nunc quid eâ in parte hæc Regula præscribat, videamus: *Angelos pacis*, inquit, *se vbique præbeant.* Primus Angelus pacis est, quo nato canebatur, *Pax hominibus bonæ voluntatis:* ipse enim Sapientia æterna cùm sit, nusquam pedem, quin eôdem inferat pacem. ostendit in suo in hunc mundum introitu, ostendit in exitu, ostendit denique in reditu suo post mortem: nam in natiuitate Angeli pacem denuntiant, sub mortem Herodes & Pilatus eam ineunt, post resurrectionem ipse eam sæpiùs discipulis apprecatur, dicens: *Pax vobis.* Quod B. Laurentio Iustiniano

Angelus primus pacis est Filius Dei. Lucæ 2. v. 14.

Ioan. 20. v. 21. & 26.

niano contigit, ad illustrationem huius rei, non caret admirabilitate: huic enim illa, de quâ agimus, æterna Sapientia apparens pacem impertiuit. Cùm enim ageret annum vndeuigesimum, qui ætatis flexus lubricus esse solet ac periculosus, apparuisse ei dicitur Dominus IESVS virginis specie, cuius splendor solis lucem facilè superaret, vultuque placidissimo hæc ei dixisse: *Cur adolescens cor tuum effundis, & pacem sectando te ipsum per multa spargis? quod quæris, penes me est. Ego, si me sponsam accipere decreueris, pacem hanc certissimè polliceor.* Ille & tantâ pulchritudine & tanto promisso delectatus, quæsiuit, quod ei nomen, quod genus esset. tum illa: *Ego sum Dei Sapientia, quæ ad homines reformandos humanam formam indui.* Quare, cùm Laurentius se eam libentissimè accipere respondisset, illa dato osculo læta & gaudens, vt videbatur, abscessit. Ipse autem non multò pòst in Monasterium ad oblatas nuptias se contulit. *Corona sapientiæ,* inquit Ecclesiasticus c. 1. v. 22. *timor Domini, replens pacem, & salutis fructum.* Vt indicet, omnes, ad quos illa diuerterit, pace & salute veluti coronâ circumuallandos, ne possit ad illos accedere discordia, rixa, & cetera quæ salutem sanitatemque destruere solent mala. Hunc ergo imitantur Angelum, qui se pacis auctores faciunt, fiuntque & ipsi Angeli pacis, imò titulo subli-miori, filij Dei: nam *beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Cuius ratio à priori est, quòd Deus sit ipsa prima, increata, summa & perfectissima pax & concordia: quare summè amat concordes, & concordiam ac pacem promouentes, vtpote sibi simillimos, imò vt opus proprium & perfectum. Nam & SS. Trinitas, puta Pater, Filius, & Spiritus sanctus, summè sunt concordes, non accidentaliter, sed essentialiter; quia vnam eamdemque numero ac indiuiduam habent essentiam, consequenter & mentem, ac voluntatem concordiamque. Quare, quod vnus, verbi gratiâ Pater, vult, id essentialiter vult Filius & Spiritus sanctus. Quocirca

Matth. 5. v. 9.

Pax essentialiter est inter personas SS. Trinitatis.

ipsa SS. Trinitas hanc sui concordiam cælis, elementis rebusque omnibus communicauit & impressit, adeò vt totius huius aspectabilis molis status consistat in concordiâ ac pace elementorum, licet discordium & contrarijs qualitatibus inter sese pugnantium. Quod optimè notauit S. Gregorius Nazianzenus Oratione 12. de Pace: *Mundus,* inquit, *celebre Dei elementum, quamdiu secum pacatus & tranquillus est, seq; naturæ suæ finibus coërcet, nec quidquam aduersus alterum insurgit; neque ex ijs beneuolentiæ vinculis, quibus ab artifice verbo rerum vniuersitas constricta est, excedit; mundus verè est, vt appellatur* (mundus enim Græcè κόσμος, id est ornatus) *& incomparabilis pulchritudo; at simul atque pacatus & quietus esse desiit, mundus quoque esse desinit.* Atque hic est cælorum concentus, in dissonanti tot orbium, motuum, stellarum consonantiâ & discordi concordiâ: quam admirans Baldad apud Iob cap. 25. v. 2. *Qui facit,* inquit, *concordiam in sublimibus suis.* & ipse Iob c. 38. v. 37. *Quis enarrabit,* inquit, *cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?* Hinc Deus suam Triadem cum Vnitate singulis rebus à se conditis participatione indidit: nam *omnia in mensurâ, & numero & pondere* disposuit, Sap. 11. v. 21. Concordia ergo & pax res cælestis & diuina sit oportet, vtpote à Deo intimè manans; ideoque filiorum Dei est, eam vbique promouere. Tot eam S.P.N. extollit laudibus Sermone 169. de Tempore, vt adhortationis loco esse possint. audienda verba eius pulcherrima, ne rem tantam promouere negligamus. *Concordia ergo fratrum,* inquit, *voluntas Dei est, iucunditas* CHRISTI, *perfectio sanctitatis, iustitiæ regula, materia doctrinæ, morum custodia, atque in rebus omnibus laudabilis disciplina. Pax suffragium precum & supplicationum, facilis atque impetrabilis; quia desideriorum omnium competens est plenitudo, sicut scriptum est in Apostolo. Pax conuentionis amabilem Deo facit in fratribus, quæ charitatis indicat testimonium. Pax ergo dilectionis mater*

hanc Deus elementis & sideribus communicauit.

Pacis encômia.

Fff 3 est,

est, concordiæ vinculum, ac puræ mentis indicium manifestum; quia sibi exigit de Deo quod velit, quidquid voluerit petit, & quidquid voluerit sumit. Pax præceptis regalibus conseruanda est, Domino CHRISTO *dicente: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, in pace vos dimitto, in pace vos dimisi, in pace vos inueniam: proficiscens voluit dare, quod desiderabat rediens in omnibus inuenire.* Et Visi-Gothi præcipuam victoriarum spem in concordiâ suorum ponebant: sic enim leges eorum sanciunt lib. 1. tit. 2. cap. 8. *Sicut modestiâ Principum temperantia est legum; ita concordia ciuium victoria est hostium: ex mansuetudine enim Principum oboritur dispositio legum, ex dispositione legum institutio morum, ex institutione morum concordia ciuium, ex concordiâ ciuium triumphus hostium; sicq; bonus Princeps interna regens, & externa conquirens, dum suam pacem possidet, & alienam litem abrumpit, celebratur & in ciuibus rector, & in hostibus victor.* Nemo autem fortiùs nos ad conciliandam pacem adhortatur quàm Isaias Propheta cap. 32. v. 17. *Et erit opus iustitiæ pax.* subindicans, ita proprium esse viro iusto conciliare pacem, vt aliud non videatur operari debere quàm pacem. Hinc pacis symbolum erat caduceus, siue virga (quæ indicium est rectitudinis & iustitiæ) quam circumplectentes serpentes inuicem exosculabantur; vt ostenderent, iusti opus esse, etiam peruersissimos ad pacem & concordiam reducere. quod etiam Psalmista non obscurè dicit Psalm. 71. v. 7. *Orietur in diebus eius iustitia, &,* ex iustitiâ nempe & iustis, *abundantia pacis.* Iam si velimus ex contrario formare argumentum, clarè patebit, hoc mancipiorum B. MARIÆ Virginis esse officium, vt tollant omne id quod paci vllatenus est inimicum: nam cùm discordia, etiam illa quæ paucos dissociat, diuellit, dissipat, vt inter se dimicent & confligant, infernalis sit & diabolica, vtpote manans à Lucifero, qui primus discordiam inter Angelos fecit in cælo; ideoque instar fulguris præcipitatus est in tartara; ex aduerso sequitur, eorum esse conciliare pacem, qui Dominæ isti famulantur, quæ serpenti ab omni æternitate fuit opposita, vt caput eius contereret, & consequenter istam perniciosam eius caudam prorsus exanimaret. Et Scriptura non tam vehementer abominaretur seminatorem discordiæ, tamquam scelerum omnium propudium, nisi hoc nos docere voluisset, eos, qui virtutum Reginæ sunt mancipati, præcipuè pacificos debere existere. emphaticè namque dicit Sapiens Prou. 6. v. 16. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur* (Syrus, *execratur*) *anima eius, oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.* Mirandum primâ fronte videtur, fal[so] testimonio & homicidio, ceterisque commemoratis sceleribus anteponi susurrationem, tamquam omnibus nequiorem: sed ratio manifesta facilè vincet admirationem, si considerauerimus, licet homicidium per se grauius sit susurratione, quòd hæc tollat amicitiam, illud vitam; ex adiunctis tamen & effectis, quorum susurratio est causa & occasio, hanc & homicidio & ceteris enarratis vitijs esse grauiorem, Deoque magis odibilem a[c] detestabilem, quemadmodum docet D. Thomas 2. 2. q. 73. art. 3. ad 1. & 2. Cuius rei nec difficilis nec vna est ratio. In primis enim susurratio fraternum to[ll]it amorem & charitatem; eamque quasi occidit & interimit inter fratres: grauius est autem adimere, & quasi occidere charitatem, quàm vitam naturalem per homicidium. charitas enim longè est vitâ præstantior. S. Gregorius 3. parte Pastor. admon. 24. audiendus: *Omnes, inquit, qui per discordiam separantur à viriditate dilectionis, arescunt: qui etsi boni operis fructus in suis actionibus proferunt, profectò nulli sunt, quia non ex vnitate charitatis oriuntur. Hinc ergo perpendant seminantes iurgia, quàm multipliciter peccant,*

Iustitiæ opus est facere pacem.

Seminatores discordiæ sunt abominabiles.

Susurro homicidâ peior.

tant, qui dum vnam nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas simul virtutes eradicant: in vno enim malo innumera peragunt; quia seminando discordiam, charitatem, quæ nimirum virtutum omnium mater est, extinguunt. Quia autem nihil pretiosius est Deo virtute dilectionis, nil est delectabilius diabolo extinctione charitatis. Quisquis ergo seminando iurgia dilectionem proximorum perimit, hosti Dei familiariùs seruit; quia quâ ille amissâ cecidit, hanc iste vulneratis cordibus subtrahens, eis iter ascensionis abscidit. Nec leuiter audiendus, qui tot nos rationibus adhortatur, vt, quod Regula iubet, nos Angelos pacis geramus: *In vno malo*, inquit, *innumera peragunt.* Contrà Sodales in vno bono innumera peragunt; quia conciliando pacem, charitatem, quæ nimirum virtutum omnium mater est, oriri faciunt in cordibus pacificatorum: deinde cùm nihil delectabilius diabolo extinctione dilectionis, nihil eidem erit aduersarium magis, quàm pacis & charitatis reconciliatio; ipsi autem ægrè facere, ac regnum ipsius destruere, voluptas debet esse eorum qui seriò sunt Reginæ cælorum mancipati. Sed dum ait, *Qui seminando discordias dilectionem proximorum perimit, hosti Dei familiariùs seruit*, mancipia alloqui videtur. Si est quasi symbolum familiarium seruorum hostis Dei seminando iurgia charitatem destruere; familiarium seruorum Matris Dei, siue mancipiorum B. MARIÆ Virginis, signum proprium erit, conciliando pacem, dilectionem propagare.

Pergo ad alteram rationem, quare susurrationem tanti faciat Scriptura; quia nimirum ex eâ sequuntur frequenter cædes, non vna, sed plures. Quot prælia inter Reges & Principes amicos, cum multorum millium strage, Regnorum & Rerumpublicarum euersione, suscitarunt susurrones, & etiamnum suscitant! Non opus est confirmatione eius rei nostri sæculi hominibus, nimiùm, heu! mali istius omnium fatalissimi feracis. Certè videtur mihi, si, quemadmodum quæque ligna vermem suum habent quo arroduntur, ita sæcula quæque sua habeant vitia quibus infestentur, hunc esse sæculi nostri dentatum vermem, à quo tot iam hominum myriades consumptæ; & nondum finis. Audiant S. P. N. Augustinum qui emissarios istos infernales spargunt per Principum aulas, Doctorum cathedras, nobilium congregationes, mercatorum collegia, per ipsa Cœnobitarum Monasteria, vt grauiùs noceant specie & libertate pietatis; idque eo tantùm fine, vt vbique spargant opiniones quasdam contrarias paci & concordiæ Principum Christianorum, vt tandem ipsi omnium ruinâ locupletentur: *Nemo, nemo*, inquit, *peritorum aut prudentium putet, quòd minus periculum sit in verbis linguâ mentiendo, quàm manibus sanguinem fundendo.* Si hoc verum, quid facient, quid seuero Iudici respondebunt, qui animum & vestem gerunt tot innocentium, qui quotidie mendacijs illorum pereunt, sanguine purpuratam? *Homicidiorum tria genera* (scribit Epistolâ 1. ad Iacobum fratrem Domini S. Clemens) *dicebat esse S. Petrus; & pœnam eorum parilem fore asserebat. Sicut enim homicidas interfectores fratrum, ita detractores quoque eorum, eosq; odientes, homicidas esse manifestabat.* Peiori nomine eos insignit S. Bernardus Sermone 3. in Cant. *Proditores sunt*, inquit; *quia in hoc Domini castrum inimicos eius introducere moliuntur, quales sunt vtique detractores Deo odibiles, qui discordias seminant, nutriunt scandala inter fratres.*

Susurrones hoc sæculo frequentes.

Tertia ratio, cur ita grauis susurratio, est, quòd ex eâ oriuntur tot alia peccata, vt odia, calumniæ, lites, rixæ, cædes, rapinæ, incendia, vastationes vrbium & Regnorum, & sexcenta alia scelera. Testes mihi erunt Germania, Italia, Burgundia, Francia, Lotharingia, Belgium: quas omnes vno anno ita miserè turbatas, vastatas, tot dictu & auditu horrendis sceleribus repletas esse, ambitioni quidem acceptum ferimus; sed eam instrumentum ad res tam nefarias moliendas præcipuum susurrationem assumpsisse videbimus: quæ nisi

Mala multa oriuntur ex susurratione.

nisi tam altè ferrum suum trisulcum in vulnera abdidisset, faciliora essent per Angelos pacis remedia. Audiat, audiat quisquis se conscium agnoscit scelerum tantorum, audiat sanctum Spiritum Eccli.28. v.15. de se prædicentem: *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes. Lingua tertia multos commouit, & dispersit illos de gente in gentem: ciuitates muratas diuitum destruxit, & domos magnatorum effodit: virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit.* Audiant etiam vocem & regulam Dominæ suæ, tot Reges & Principes, Virgini Deiparæ in hac Sodalitate mancipati, & Angelos pacis se præbeant, si quà possint cum eâ iura & Ecclesiæ Catholicæ profectus consistere; vt tot gentium vulneribus salutari ipsi linguâ medeantur, eructando verba pacis, quæ inflixit lingua pessima aliquorum, armata gladio ancipiti discordiarum.

per se destruit communitatem.

Quarta ratio, cur pessima sit susurratio; quia per se euertit ciuitatem, Rempublicam, Collegium, Monasterium, Ordinem: tollit enim vnionem ciuium, Religiosorum, domesticorum, &c. quâ ciuitas, Respublica, & omnis communitas coalescit. Denique de susurratione ait S. Thomas 2. 2. q.74. art.2. in corp. *Susurratio maius est peccatum quàm detractio, etiam quàm contumelia: quia amicus* (quem aufert susurro) *est melior quàm honor, & amari quàm honorari, vti 8. Ethic. cap. 8. Philosophus dicit.* & in resp. ad 3. *Hoc peccatum*, inquit, (susurrationis) *maximè contra Deum est; quia Deus dilectio est, vt dicitur 1. Joann. 4.* Et hoc est quod in Regulâ subiungitur, vt conentur spirare eum virtutis odorem, maximè charitatem, quæ exspectatur à IESV & MARIÆ cordi insculptis nominibus. IESVS enim simul Deus, charitas est; & MARIA, Dei Mater & Sponsa, ita semper charitate flagrauit, vt sæpiùs in Canticis vocetur charitas & dilectio.

CAPVT XLVII.

Regula vigesima.

MONITI istius memores, *Fili accedens ad seruitutem, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem*, tantumdem sibi dictum de B. MARIÆ Virginis mancipatu existiment; ac studeant in primis, vt serui boni, filiali Dei Deiparæque Virginis timore animum munire, atque in tentationibus eam adhibere cautelam, vt ijs primum in cor aditum intercludant; aut si quid nihil aduertentibus irrepserit, operam dent, vt statim in ipso semine elidant, ne hostis conualescat.

Eccli.2. v.1.

Explicatio.

Arma dat militi Christiano Apostolus.

Admiratione dignum est, Apostolum, pressum sollicitudine omnium Ecclesiarum, tam otiosè instruere militem Christianum armis non sæcularibus contra hostes visibiles: monet enim disertè, quòd *non* sit *nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum*, &c. Sed armis allegoricis & spiritualibus: *Induite vos*, inquit, *armaturam Dei.* deinde: *Induti loricam iustitiæ, & calceati pedes.* mox: *Sumentes scutum fidei, & galeam salutis, & gladium spiritus.* Sed longè magis admirandum, quod adiungit, bellandi tempus. Quorsum enim, arbitramini, tam accurata præparatio? quando vsui veniet tam multiplex armatura? an fortè, quando, ruptis fœderibus, ac pace desperatâ, feciales proijcient hastam fatalem, quam mox sequantur faces & incendia? an tum, quando collatis signis acies mutuam iuratæ ruinam feralem tubæ exspectabunt sonum? Non hoc dicit Apostolus, imò alia omnia dicit, non in belli tempus militem suum armat, sed in denuntiationem pacis. ait enim: *In præparationem Euangelij pacis.* Nisi Doctor esset Gentium qui loquitur, non rectè loqui arbitraremur qui ita doceret. Tum scilicet accuratiùs arma circumspicienda, tum diligentiùs armandum militem, quando

Ephes.6. v.12.

Ibid. v.11.

v.14.15.

v.16.17.

vt ijs vtatur tempore pacis cum Deo.

Ephes.6. v.15.

quando fit denuntiatio pacis; imò non aliàs facere armorum mentionem, quàm cùm fit publicatio concordiæ, res videtur prorsus absurda, & sententia hominis res temporibus neutiquam accommodantis. Verùm cùm miles sit multarum palmarum qui loquitur, & idem militum fortissimorum imperator, mysterium, non delirium, existimanda est sententiæ obscuritas. Quod enim tempus est pacis, nisi tempus iustificationis & gratiæ, tempus adoptionis & amicitiæ diuinæ? hæc enim vera pax, extra quam non est alia: hoc autem tempore armis opus esse dicit Apostolus, non aduersus Deum, contra quem nemo vmquam potuit præualere; sed aduersus *spiritualia nequitia in cælestibus*; cum quibus necessariò bellandum, si cum Deo pacisceris: necessariò enim sequuntur inuicem pax cum Deo, & bellum cruentum cum dæmonibus. *Bellum illud*, inquit S. Chrysostomus in hunc Apostoli locum, *aliud bellum, quod cum Deo erat, dissoluit.* Arma ergo sumenda tempore denuntiationis veræ pacis. Pax enim Dei non est qualis pax mundi, attestante Saluatore, & explicante Augustino: *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Nec tantùm alia pax Christi, alia pax mundi est, sed etiam contraria. *Qui pacem suscipit Saluatoris*, verba sunt S. Augustini, *inimicitiam contrahit mundi. Nisi enim discordauerit cum diabolo, pacem non habebit cum* CHRISTO. Et satis acutè notat Origenes verba Apostoli: *Iustificati pacem habeamus ad Deum. Non dixit, Pacem habeamus, & siluit; sed adiungit, Pacem habeamus ad Deum.* nam cum dæmone, carne & mundo nolebat vt haberemus. *Quia bellum*, idem Origenes ait, *contra diabolum, pacem patrat ad Deum; & tunc magis in pacem Dei venimus, quando aduersus diabolum persistimus.* Ideò Siracides monet: *Fili, accedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Quòd si hoc verum est de quocumque Dei seruitio; de isto, quod singulariter ei præstatur per Matris suæ mancipatum, quid dicemus? nam quò magis quispiam ad vnum contrariorum accedit, hoc magis ab altero recedat necesse est. Exempli gratiâ, quò albo fit similior, eò nigro dissimilior existet: eâdem ratione de dæmone & Deo ratiocinandum. Quò enim vni arctiori amicitiæ vinculo constringeris, eò longiùs ab altero per inimicitiam recedis: quò pacem magis sincerè cum Deo facis, eò capitalius diabolo bellum indicis. Tantumdem ergo sibi dictum existiment Virginis serui; vt nimirum accedentes ad tam sublimem Deo seruiendi rationem, præparent se ad tentationem: quod enim euadere non possunt, videndum vt quàm optimè ferant. præuidendo autem, & anteà sese armando, maxima vis tentationum retunditur. Plurimæ hîc ponendæ sunt aduersus tentationes armaturæ & præparationes: quarum prima, & non minima, est ipsa tentationum præuisio, ac persuasio eas Virgini mancipatis impendere. De sapiente ait Seneca lib. de Tranquill. animi cap. 11. *Quidquid enim fieri potest, quasi futurum prospiciendo, malorum omnium impetus molliet, qui ad præparatos exspectantesq; nihil adferunt noui; securis, & beata tantùm spectantibus, graues eueniunt. Morbus enim, captiuitas, ruina, ignis, nihil horum repentinum est. Sciebam in quàm tumultuosum me contubernium natura duxisset.* Et Socrates aiebat: *Sicut ij qui in tranquillo & sereno nauigant, parata etiam instrumenta habent quæ in tempestate sint vsui; sic qui in bonâ fortunâ sapiunt, contra aduersam auxilia expediunt.* Et eâdem imagine Seneca: *Magna pars hominum est, quæ nauigatura de tempestate non cogitat.* Sapere se illi putabant, si omnia mala, quorum ingens quotidie copia est, sic aspicerent, tamquam illis liberum ad se iter esset; quòd animum frigido illo tandem firmarent solatio: *Non miror aliquando ad me pericula accessisse, quæ circum me errauerunt.* Vel, Sciebam in domû me clausum, in quâ luctus, curæ, miseriæ cohabitarent. vel ex Comico,

> *Cuiuis potest accidere, quod cuiquam potest.*

Et sapienter quidem faciebant, quòd,

[Marginalia: *Est enim hoc tempus belli cum diabolo.* — Ibid. v. 12. — Ioan. 14. v. 27. — Super hunc locum Ioannis. — Eccli. 2. v. 1. — *Prima aduersus tentationes armatura est earum præmeditatio.*]

cùm meliora ipsis arma non suppeterent aduersus malorum impetus, ea non negligerent quæ erant ad manum: prudenter item à nauigaturis capiebant exemplum. Quod nos mancipijs altiùs iudicamus in medullas demittendum: dum scilicet in sereno & tranquillo nauigant, quod initio conuersionis, aut primæ in seruitium MARIÆ dedicationis plerumque fieri solet, Deo largiter consolationum rorem desuper infundente; tum esse tempus arma circumspiciendi, tum pericula meditanda, tum certamina discenda. Seriò enim se quis armat, dum petitur; & malè animus ad periculorum patientiam post pericula instruitur. Fateor tamen, si solidiora contra tentationes arma non suppeterent Christianis, quàm contra fortunæ acerbitatem adferebant isti sæculi sapientes; facilè tractatum istum omitterem, neque tanti Regulam hanc faciendam mancipijs iudicarem: sed cùm non tantùm æquo animo ferendam vim & crudelitatem hostium nostrorum dicamus, sed etiam prætereà docere possimus, quomodo gloriosè sint triumphandi; præcipuâ quadam attentione huc mentem & animum aduertere debent Sodales, vt sibi tempestiuè de armis prouideant ad rem tam gloriosam simul & necessariam.

Imbecilla tamen est hæc armatura, nisi melioribus fulciatur.

CAPVT XLVIII.

Quid sint tentationes, & cur eueniant initio seruitij diuini, aut mancipatus MARIANI.

DISTINCTIVS aliqua de tentationibus allaturis, primò videndum est, quid eo nomine intelligatur, vt deinde reliqua enucleare possimus. Dico ergo tentationis nomine posse intelligi afflictiones & tribulationes, quibus sæpiùs premuntur qui fideliùs Deo seruiunt: quales sunt paupertas, fames, morbus, infamia, æstus, frigus, ceteræque aduersitates & ærumnæ, siue à Deo, siue à dæmone, siue ab hostibus, siue ab amicis, siue à naturâ, siue aliunde immissæ. quæ omnia tentationis nomine appellantur, quòd tentent & explorent hominis virtutem, patientiam, & robur. Non nego tamen, magis propriè hoc nomen intelligi de externâ dæmonis, seu internâ concupiscentiæ tentatione, quæ homines ad peccatum tentat & sollicitat: quamquam nihil vetat, huc etiam tribulationem reuocare, quæ homines ad pusillanimitatem, iram, & impatientiam, aliaque peccata sollicitat. Sed curiosiùs quæri posset, cur eæ Deo Virginique accuratiùs seruire cupientibus sint exspectandæ. Cuius rei vti non vnus est fructus, ita multiplex est ratio. Et prima quidem iam Capite superiore tacta est. Qui enim se Dei seruituti tradit, recedit a seruitute diaboli; & longiùs recedit ab eâ qui se Virgini peculiari ratione mancipat: ille ergo indignatus se suo peculio & iure herili priuari, eum vt seruum fugitiuum & apostatam persequitur, tentatque, vt ad sua castra, ad suum ius & dominium reducat. Egressus Ægypto est Israël; colligit Pharao copias, vt eum in seruitutem retrahat. Abitum ex Labani domo molitur Iacob; non dissimulat socer, sed eum cum magnâ domesticorum manu persequitur. Et spiritus fugatus ab energumeno, septem nequiores se assumit, vt vi possessionem recipiat, vnde inuitus expulsus est. Persuadeat ergo sibi (quod insinuat Regula) Deiparæ seruus, se omnes dæmones, totumque infernum ad duellum prouocare; ac propptereà sibi arma præparanda existimet. Et de seruitio Dei plurimæ sunt Patrum sententiæ, quæ, præter quotidianam iustorum experientiam, etiam ipsos qui nondum tentantur, non sinunt dubitare. Origenes enim Homil. 9. in libr. Iudic. *Venisti*, inquit, *ad aquas baptismi; istud est certaminis & pugnæ spiritualis initium: hinc tibi aduersus diabolum nascitur pugnæ principium.* Et luculentiùs S. Gregorius in Iob cap. 3. ad illa verba, *Qui parati sunt suscitare Leuiathan: Omnes,* inquit, *qui ea quæ mundi sunt mente calcant, & quæ Dei sunt plenâ intentione desiderant; Leuiathan contra se suscitant: quia eius malitiam instigatione sua conuersationis inflammant.*

Omnia aduersa vocantur tentatio:

quid ea propriè.

Dæmon primùm conuersos, vt suos fugitiuos insequitur.

Dolet

Dolet contra se captum reniti; & mox zelo accenditur, mox ad certamen mouetur, mox ad tentationes innumeras contra rebellantem mentem se excitat. De mancipijs autem B. MARIÆ Virginis loqui diceres Rabanum, quando ait: *Quantò enim quis se à mundi errore auertere certat, & ad seruitutem Dei* (adde & Deiparæ) *coadunare festinat, tantò grauiora bella ac certamina ab hostibus tolerat. Quisquis enim accingi in diuino seruitio properat, quid aliud, quàm contra se antiqui aduersarij certamen parat? vt liber in certamine ictus suscipiat, qui quietus sub tyrannide in captiuitate seruiebat.* Et magis accuratè S. Isidorus lib. 3. de Summo bono cap. 5. *Quia diabolus in Sanctis intrinsecus non regnat, contra eos extrinsecus pugnat: & qui intrinsecus amisit dominium, exteriùs commouet bellum. Eos quippe,* ait S. Gregorius 14. Moral. cap. 12. *pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit. Et quomodo caro concupiscet aduersus spiritum, vbi non est spiritus? In bonis,* inquit S. Augustinus de Verbis Domini in Euang. secundùm Ioannem Sermone 43. *qui de spirituali profectu, virtutum studio & perfectione solliciti sunt, concupiscit caro aduersus spiritum:* nam *in malis,* qui ista non curant, *non habet contra quem concupiscere.* Hinc carnis contra spiritum luctam & rebellionem minimè sentiunt; quia spiritum non habent qui & reluctetur & resistat. *Ibi enim concupiscit aduersus spiritum vbi est spiritus.*

Passiones omnes simul in illos impetum faciunt, quia simul oppugnantur.

Altera ratio, cur bella initio exspectanda sint, præparandusque sit animus ad multas afflictiones, est, quòd cupiditates omnes agmine facto irruant in eum, qui omnes simul vult derelinquere; adeoque cum concupiscentijs innatis & longâ consuetudine adauctis planeque inolitis iugiter ei dimicandum est, qui mancipij MARIANI nomen cum honore desiderat sustinere: passiones enim dum mortificantur, acriùs insurgunt instar aspidis. S. Hieronymus Epist. 1. *Inde,* inquit, *me persequitur luxuria, inde auaritia conatur irrumpere, inde venter meus vult mihi Deus esse pro Christo; compellit libido, vt habitantem in me Spiritum sanctum fugem, vt templum eius violem.* Et Beda in Prouerb. ait: *Ante conuersionem præcedit turba peccatorum, post conuersionem sequitur turba tentationum: amor enim sæculi, contemptus est Dei; & vicissim amor Dei, contemptus est sæculi.* Notandum autem sæpè contingere, hominem sub ipsa conuersionis initia ijs pulsari tentationibus, quæ in ipso peccatorum tumultu molestiam nullam exhibuerunt; non quòd anteà radix eorum pessima non latebat in animo, sed quòd non sentiebatur. Tam præclarè hoc docet & similitudine illustrat S. Gregorius de Discret. gradu 16. vt nefas sit alijs verbis rem obscurare: *Carduus,* inquit, *si nascatur in viâ, itinerantium pedibus teritur, atque ipso vsu assiduè transeuntium eius superficies ne appareat confringitur: sed quamuis deforis spina pungentes non appareant, sub terrâ tamen radix occulta perdurat. Si autem eum transeuntium pedes conterere & calcare cessent; mox in superficiem surgendo progreditur, & per spinam progreditur in publicum quidquid in radice viuebat occultum. Sic in corde sæcularium sæpè occulta quædam tentationum radix non facilè apparet exurgere: quia velut in viâ actionum sita, cardui in morem, transeuntium teritur pede cogitationum, & per innumeras curas & solicitudines negotiorum, quasi multis itineribus premitur, ne videatur; remotâ autem curarum turbâ, quasi cessantibus qui carduum obruebant, de radice vitiorum pungit liberè spina tentationum.*

Insurgunt amici & inimici.

Tertia ab amicis atque inimicis petenda est ratio: hi enim, quòd virtuti inuideant; isti, quòd se deseri doleant, in virtutis studiosum & MARIÆ mancipium insurgunt. De amicis S. Augustinus Tract. 12. in Ioannem: *Quam lusionem,* inquit, *dicit Scriptura vidisse Saram, hanc persecutionem dicit Apostolus: plus ergo vos persequuntur, qui vos illudendo seducunt.* & multa deinceps in eamdem sententiam. De inimicis verò Paulus 2. Timoth. 3. v. 12. *Omnes,* inquit, *qui piè volunt viuere in* CHRISTO

Iesv, *persecutionem patientur.* Et Christus ipse Ioan. 15. v. 18. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Et Matth. 10. vers. 22. *Eritis odio omnibus* hominibus *propter nomen meum.*

Necessaria est tentatio ad probationem.

Quarta ratio est, lex & decretum æternum, quo Deus sanxit, vt sui fideliores serui, quasi virtutis pugiles & athletæ, aduersis probentur, exerceantur, corroborentur, illustrentur, perficiantur. Singula tractatum desiderent, si velimus ea pro dignitate explicare. Hic in genere dico, hoc vel ipso naturæ lumine attigisse eos, qui id securi sapientes vel erant, vel saltem dicebantur. Seneca de Prouidentiâ cap. 2. *Patrium,* ait, *habet Deus aduersus bonos viros animum, & illos fortiter amat: &, Operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, vt verum colligant robur.* & mox: *Miraris tu, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quàm optimos esse atque excellentissimos vult, fortunam illis, cum quâ exerceantur, assignat?* Quod rectè eum dixisse probat amussis & regula, ad quam ratio naturalis exigi debet, vt recta esse comprobetur reuelatio diuina, quâ illustratus legislator Hebræus, *Tentat,* inquit Deuter. 13. v. 3. *vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat, vtrùm diligatis eum an non, in toto corde & in totâ animâ vestrâ.* Et Regius Propheta Psal. 16. v. 3. *Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti.* & Psal. 63. v. 10. *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Et vt plura S. Scripturæ ac SS. Patrum loca prætermittam, in Vitis Patrum lib. 5. libello 8. num. 16. ait S. Syncletica: *Si ferrum es, per ignem tibi adhibitum amittes æruginem. Dic ergo: Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Si aurum es, per ignem probatior eris. Exulta ergo, quia similis factus es Paulo; memor istius: Transiuimus per ignem & aquam; residuum est quod sequitur, vt inducamur in refrigerium.* Et vide, an docta vanitas generosiotem vllam vocem à veteribus Philosophis expresserit, quàm per hanc feminam sancta generositas protulerit? *Hæc est,* inquit paulò inferiùs num. 17. *magna virtus, quando in infirmitate tolerantia fuerit, & gratiarum actio mittitur ad Deum. Si amittimus oculos, non feramus grauiter: extollentiæ enim instrumentum amisimus; sed interioribus oculis gloriam Domini speculemur. Surdi facti sumus? non contristemur, quia auditum vanum amisimus. Manus ex aliquâ passione debilitatæ sunt? sed interiores paratas habeamus aduersus inimici tentationes. Infirmitas totum nostrum corpus tenet? sed nostro interiori homini sanitas crescit.* Nec absimile vero est, etiam eò in hoc suo decreto respexisse Deum, ne scilicet vanâ gloriâ decipiantur recentes conuersi: persuaderent enim facile sibi, quòd arctiùs quàm ceteri sint Deo Virginique mancipati, neque iam velint cum mundi famulis vllum habere in peccatis commercium, se ad sanctitatis quamdam perfectionem peruenisse; nisi multis pulsati tentationibus, vitæ superioris, suæque infirmitatis admonerentur: quæ non sinit confidentiam, pronum istis hominibus malum, & materiam socordiæ & negligentiæ, suboriri.

remedium est contra vanam gloriam.

Tentatio & tribulatio facit seruos similes Domino.

Vltima denique ratio, cur exercitari oporteat tentationibus & tribulationibus Christi & Mariæ seruos, est, quòd, cùm vtriusque vita fuerit ærumnis doloribúsque refertissima, cupiant eos quasi milites crucis suæ tesserâ insignite. Nihil Apostolo, qui stigmata Domini in corpore suo portabat, in scriptis familiarius: nam 2. Corinth. 4. v. 10. 11. *Semper mortificationem* Iesv *in corpore nostro circumferentes, vt & vita* Iesv *manifestetur in carne nostrâ mortali.* Si tantumdem dicendum sit de Mariæ mancipijs, semper mortificationem Mariæ in corpore suo non circumferent, nisi semper doloris iste gladius, qui numquam ab animâ ipsius post primam denuntiationem recessit, hæreat eorum pectoribus; vt vita Mariæ tota doloribus amaritudinibúsque refertissima manifestetur in carne eorum mortali. Iterùm Apostolus Rom. 6. v. 5. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis*

ctionis erimus. & rurſum 2.Timoth.2. v.11.12. *Nam ſi ei commortui ſumus, & conuiuemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus.* Et CHRISTVS ipſe Ioan.17. v.24. *Pater,* inquit, *quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi.* Erat autem, cùm hoc diceret, in procinctu vt torrentem Cedron tranſiret, & initium daret iſtis vel cogitatu horribilibus tormentis, quæ deinde perpeſſus eſt. Et clariùs Lucæ 22. v.29. *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum.* Quomodo verò Pater ei diſpoſuerat, habes Lucæ 24. v.26. *Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.*

Vua & oliua premenda, vt dent ſuccum, ita etiam electi, vt proferant fructus vitæ æternæ.

Concludam hanc neceſſitatem tentationum initio ſeruitij Dei aut Deiparæ exſpectandarum præclarâ S.P.N. Auguſtini ſententiâ in Pſal.83. qui inſcribitur Pro torcularibus: *Vua,* inquit, *pendet in vitibus, & oliua in arboribus: his enim duobus pro fructibus ſolent torcularia præparari; & quamdiu pendent in frutetis ſuis, tamquam libero aëre perfruuntur; at nec vua vinum eſt, nec oliua oleum ante preſſuram. Sic ſunt & homines, quos prædeſtinauit Deus ante ſæcula conformes fieri imaginis vnigeniti Filij ſui, qui præcipuè in paſſione magnus botrus expreſſus eſt. Huiuſmodi ergo homines, antequam accedant ad ſeruitutem Dei, fruuntur in hoc ſæculo tamquam deliciosâ libertate, velut vuæ aut oliuæ pendentes. Sed quoniam dictum eſt, Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitiâ & timore, & præpara animam tuam ad tentationem; accedens quiſque ad ſeruitutem Dei, ad torcularia ſe veniſſe cognoſcat: contribulabitur, conteretur, comprimetur, non vt in hoc ſæculo pereat, ſed vt in apothecas Dei defluat.* Si ergo mancipia B. MARIÆ Virginis ſtent ſicut oliuæ fructiferæ in circuitu menſæ ipſius, perſuadeant ſibi, quòd oleum aliquando dare neceſſe ſit, atque idcircò æquo animo preſſuram admittant.

CAPVT XLIX.

De vtilitate tentationum & tribulationum.

IAM diximus, tentationum nomine non ſolùm nos intelligere externam dæmonis, vel internam concupiſcentiæ prouocationem ad peccatum, ſed etiam tribulationem quamcumque ſeu temporalem, ſeu corporalem, ſiue etiam ſpiritualem: quòd & hæ ad peccata impatientiæ, puſillanimitatis & deſperationis, & alia multa hominem pelliciant; & iſtas bona omnia, quæ ex aduerſitatibus eueniunt, comitentur, ſi quo par eſt modo recipiantur. De variâ ergo tentationum vtilitate acturi, promiſcuè vtraſque intelligemus. Cùm enim propter ſolam vtilitatem noſtram vel immittantur vel permittantur à Deo; ratio præcipua quare exſpectandæ ſint Virginis mancipatui deditis, eſt, quòd multipliciter illis expedit tentari. Quod adeò indubitatum eſt, vt fidei noſtræ magiſter ſanctus Spiritus per os Iacobi Apoſtoli dicat: *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis,* c.1. v.2. Sublime verbum abſconditum ab omnibus mundi ſapientibus; paradoxum quod neſciuit Ariſtoteles, non intellexit Plato, falſum cenſuit Anaxagoras, ſtultum Epicurus, & quò numquam rigida virtutis præcepta toruamque patientiam ſuam prouehere potuit conſtans Stoicorum ſchola: naturæ enim non eſt, eò conniti, vt gaudeat, & ſummè gaudeat homo in tribulationibus. Audio quidem Catonem quando cum arenis, ſerpentibus, fame & ſiti in Africâ luctabatur, magnificâ oratione ſemineces ſuos milites adhortantem:

Gaudendum in tentationibus.

——— *Serpens, ſitis, ardor, arenæ*
Dulcia virtuti: gaudet patientia duris.

Lucanus.

Sed contrà S.Cyprianum audio admonentem: *Apud Gentiles tam falſa eſt patientia, quàm ſapientia.* Eſto, gaudium aliqui in aduerſis ſimularint, vt patientiæ & conſtantiæ famam & fumum aucuparentur; Chriſtianorum propria hæc virtus eſt, aduerſa non patienter

Lib. de Patientiâ.

 tantùm

tantùm & libenter, sed etiam gaudenter sustinere. *Christianorum* (inquit S.Hieronymus in illud Ephes.5. *Gratias agentes semper pro omnibus) propria virtus est, etiam in his quæ aduersa putantur, gratias agere Creatori. Iuxta Apostolum hæc virtus est maxima, vt in ipsis periculis atque miserijs gratiæ Deo referantur, & semper dicamus: Benedictus Deus, minora me scio sustinere quàm mereor; hæc ad mea peccata parua sunt, nihil mihi dignum redditur. Hic animus Christiani est, hic crucem suam tollens sequitur Saluatorem, quem nec orbitas nec damna debilitant; quem, vt ait Flaccus, si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ.* Primus, qui hoc nos docuit gaudium in aduersis, fuit CHRISTVS; proindeque antesignanus est exercitus Christianorum, cui proprium est, non tantùm agere aut pati fortia, sed gaudenter & exultanter dura pati, & ea mollibus omnibus & deliciosis anteponere. *Baptismo*, inquit, *habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* Lucæ 12. v. 50. Primipilus fuit S.Petrus, qui Epistolâ 1. cap.4.v.13.ait: *Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine* CHRISTI, *beati eritis; quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus, super vos requiescit.* Dexterrimè vexillum gyrat signifer exercitus huius Paulus, dum ait: *Gloriamur in tribulationibus*, Rom.5. v.3.&: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro* CHRISTO, 2.Corinth.12. v.10. &: *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri* IESV CHRISTI, Galat.6.v.14. *Paulus*, inquit S.Chrysostomus Homil.1. in 2.ad Corinth. *cùm videret quasi niuis cumulos tentationes quotidie ingruentes, non aliter, quàm si in medio paradiso vixisset, ita gaudebat, gestiebatq́;.* Centuriones sunt Apostoli, qui *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine* IESV *contumeliam pati.* & nominatim S.Iacobus in cap.1.suæ Catholicæ, & S.Andreas in suo martyrio; de quo S.Bernardus Serm.de Trip.gen. bon. *Non modò patienter, sed & libenter, verùm & ardenter ad tormenta sicut ad ornamenta, ad pœnas sicut ad delicias B.Andreas properabat.* Agite, Sodales, date huic militiæ nomina, & præparate animum vestrum ad tentationem, omne gaudium existimantes tentationem, quia in eâ omne bonum: plus enim ex illâ solâ boni percipietis, quàm ex omnibus mundi opibus, honoribus & voluptatibus. Quæ vtilitas ad omnem vitæ perfectionis statum pertinet: siue enim quis incipiat, & etiamnum in exuendo vetere homine versetur; siue nonnihil profecerit, & iam induendo armaturam Dei & loricam iustitiæ occupetur; siue denique perfectior, non tam decurrat viam vnitiuam, quàm in eâ quiescat; vbique reperiet, nihil sibi vtilius esse quàm tentationem & tribulationem. Vt autem à viâ purgatiuâ incipiamus, dicit per Isaiam Prophetam Dominus cap.1. v.25. *Et excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum,* tribulationis scilicet igne; de quo Zachariæ 13. v.9. *Vram eos sicut vritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum.* Quod enim est ignis auro, lima ferro, scalprum lapidi, cauterium cancro, runcina ligno, lixiuium panno, ventilabrum tritico, sal carni, fornax pani, malleus contignationi, hoc iusto est tribulatio; tribula nempe Dei, quâ triticum tribulatur & trituratur. Tot comparationibus rei vnius nondum explicatur vtilitas. Paulò ergo fusiùs S.Augustinus de Tempore barbarico cap.3. *Si aurum es, quid times paleam, quid times ignem? simul quidem eritis in fornace, sed ignis paleas in cineres vertet, tibi sordes tollet. Si frumentum es, quid times tribulam? non apparebis qualis anteà eras in spicâ, nisi tribula conterendo à te separauerit paleas. Si oleum es, quid times pressuram præli? non declarabitur species tua, nisi etiam pondus lapidis à te separauerit amurcam.* Duo autem, vt facilè ex dictis colligitur, præstat homini tribulatio ad purgandam eius animam: aufert enim peccatum, & aufert concupiscentiam. Tentatio enim

Exercitus fortiter tentationes sustinentium.

Act.5. v.41.

Vtilitas tribulationis & tentationis in viâ purgatiuâ.

Tribulatio aufert peccatum & concupiscentiam.

enim vna, seu tribulatio, sæpè est cuneus ad expellendam aliam grauiorem, quæ à concupiscentiâ exoritur. Ita legimus in Vitis Patrum, adolescentem stimulo carnis valdè exagitatum, cùm frustrà remedia cetera tentasset, falsis criminationibus à socijs iussu Abbatis assiduè apperitum, eum excussisse: post aliquod enim tempus rogatus ab Abbate, an adhuc eâ tentatione pulsaretur, respondit: ***Viuere non licet, fornicari lubeat?*** Adeò perierat tribulatione omnis ista peccandi concupiscentia: auocat enim vehementer à terreno vitæ huius amore, ijsque omnibus quæ vitam hanc malè solent delectare, experimentalis malorum ipsius vitæ scientia. Cùm enim vita hæc non nisi via sit ad patriam, quam inquirimus, profundâ atque inscrutabili suâ prouidentiâ eam Deus pro electis suis spinis & difficultatibus oppleuit, curiosis iucundisque pæne omnibus spoliauit; ne veluti stolidi viatores, capti rerum in itinere occurrentium amœnitate, illis inhæreant, &, prout S. Augustinus dicit, ***stabulum ament pro domo suâ.*** Et Seneca, ad eamdem vtilitatem attentus, Lucilio scribit: ***Quantum possumus à lubrico recedamus; in sicco parum firmiter stamus.*** & Epist. 95. in fine: ***Quasi inter se contraria sunt, bona fortuna & mens bona: ita meliùs in malis sapimus; secunda rectum auferunt.*** Gerson verò tribulationes tempestatibus & procellis comparat; quæ cùm mare exagitant, omnes immunditias & per malaciam contractas sordes eijciunt, illudque mundum ac limpidum reddunt: ita mare animæ nostræ sordibus & imperfectionibus, quas contrahere solet tempore pacis ac tranquillitatis, per tentationum procellas dicit expurgari. Etiam ad hanc viam pertinere videtur illud tribulationis bonum, quòd ex eâ, tamquam ex semine quodam fecundo, pullulent noui CHRISTI ac Deiparæ famuli. Quemadmodum filij Israël, quò magis ab Ægyptijs opprimebantur, eò magis indies crescebant, & numero adaugebantur; idque Scriptura iterùm indicat, dicens: *Omnem palmitem qui*

Super Psal. 40.

De Instit. Theolog. pract. consider. art. 6.

Crescit per tribulationes numerus seruorum Dei.

Ioan. 15. v. 2.

fert fructum, purgabit eum (per tribulationis putationem) *vt fructum plus afferat.* & Thren. 1. v. 13. *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me: expandit rete pedibus meis.* quomodo erudiat, infrà dicemus. Huc facit, quòd tribulatio rete sit Dei, quo homines piscatur, & inuitos ad se trahit. Nónne id propagatio fidei Christianæ, quæ non nisi persecutione & sanguine facta est, liquidò docet, & experientia, quâ quisque sentit se intimo quodam pietatis sensu affici, si quando vel videt, vel audit aliquem constanter aduersa tolerasse? Denique huc pertinet illa Dei benignitas, quòd, cùm necesse sit iustos omni prorsus defectu etiam minimo expurgari, seueras Purgatorij flammas commutet in momentaneum quid tribulationis, quod hîc sustinetur. ***Aufer rubiginem,*** inquit Parœmiographus cap. 15. ***de argento, & egredietur vas purissimum;*** quod scilicet aptum erit statim inferri in mensam Domini, omnibus sordibus & inquinamentis expurgatum. Tot ergo sunt tribulationis, quæ viam purgatiuam spectent, vtilitates, propter quas vehementer sunt illæ omni forti CHRISTI athletæ expetendæ: verùm ad viam illuminatiuam proficientium spectant multò etiam plures.

Redimitur tribulationibus ignis purgatorij.

Datus est mihi stimulus carnis, inquit Apostolus 2. Corinth. 12. v. 7. & benè vocat tentationem stimulum. Sicut enim stimulo incitati equi, quantumuis generosi, animosiùs & velociùs progrediuntur; ita etiam homines virtutibus dediti stimulo tentationis excitantur, vt animosiùs pergant in virtute, ne succumbant & peceant: languet enim sine aduersatio virtus. Et notanda Christianis fortissima Catonis sententia, qui cùm de Carthagine, delendáne esset, in Senatu disputaretur, ipse rogatus sententiam: ***Væ Roma,*** inquit, ***si Carthago non steterit.*** Videbat enim, quòd, deletâ vrbe Imperij æmulâ, & sublatâ cote, ad quam Romana iuuentus semper virtutem suam exacuebat, Roma otio & luxu difflueret. quod & ipsi contigit, & plerisque nostrûm exspectandum esset, si, sopitâ omni tentatione, atque

Vtilitas tribulationis & tentationis in viâ illuminatiuâ.

ablatâ

ablatâ exercitatione aduersitatis, bonis circumflueremus. Præterquam enim, quòd tribulationes virtutibus, quæ in arduo consistunt, vberem præbeant materiam & exercitium suggerunt, etiam hominem multipliciter ad virtutis exercitationem disponunt: reddunt enim feruidum & exercitatum, reddunt excelsum & sæculo maiorem, reddunt eruditum & expertum, vt se & alios possit iuuare. Quæ singula tanti emenda essent, vt nullam aduersitatem deberemus subterfugere, cui tam ingens constitutum sit præmium. Teritur omnium ore, *Qui nescit orare, eat ad mare.* Sed non omnes ex eo tentationis vtilitatem eliciunt. Quemadmodum enim pericula maris totum hominis animum citant, vt omni affectu recurrat ad implorandum eius auxilium, à quo solo tunc potest opem sperare; ita tribulatio quæcumque omnes admonet animæ potentias, vt non perfunctoriè vires exerant contra hostem ingruentem: quem cùm animaduertit animus viribus suis repelli non posse, tum scilicet calidas Deo adhibet preces, tum Sanctorum opem implorat, tum ad Dominam suam Virginem MARIAM, in omnibus prælijs nostris Archistrategam, cum precibus & lacrymis accurrit. *Quando malignus ille,* dicit S. Chrysostomus lib. 1. de Prouidentiâ, *perterret nos atque perturbat, tunc frugi efficimur, tunc nosmetipsos agnoscimus, tunc omni ad Deum studio recurrimus.* & Tractat. de Pœnitentiâ: *Fortiores nos tentamenta faciunt, persuadentq́; familiarissimos Dei fieri: torporem enim excutiunt, & sanctum feruorem immittunt.* Quod exercitium quasi naturaliter sequitur, vt fiat quis magno animo, terrenis omnibus, in quibus tam parum opis atque præsidij reperit, excelsior; spesque suas omnes reponat in cælo, vnde despiciat hoc terræ punctum, omnesque in eo fortunæ flatus, fluctus & ludibria videat & rideat: iuxta illud Isaiæ 58. v. 14. *Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui.* Non ignorabant mundi sapientes, aduersa magnos animos vel reperire vel facere; arbitrabanturque cæcam suam deam hoc videre, quod, cùm bona in plebem spargeret, non plebeios ad rerum arduarum tolerantiam assumeret. Audi Senecam lib. de Prouidentiâ cap. 4. *Prospera,* inquit, *in plebem & vilia ingenia deueniunt; at calamitates terroresq́; mortalium sub iugum mittere, proprium magni viri est.* & c. 5. *Militares viri gloriantur vulneribus: calamitas virtutis occasio est. Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidijs. Præceptores plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Numquam virtutis molle documentum est. Verberat nos, & lacerat fortuna: patiamur; non est sæuitia, certamen est.* & rursum cap. 6. *Labor optimos citat, ignis aurum probat, miseria viros fortes.* Vide quàm altè ascendere debeat virtus. Ad Christianas aures accommodatiùs Gerson part. 2. Serm. de omnibus Sanctis: *Vt,* inquit, *arca Noë, quò magis abundarunt aquæ diluuij, tantò altiùs ferebatur: sic mansuetus animus, quò maiores erunt tribulationis aquæ, tantò erit excelsior. Surgit enim,* id est, sursum erigit se, *crescentibus vndis.* Sic tamen surgit, vt non suis nitatur viribus, quæ, iam experientiâ didicit, quàm sint fragiles; sed auxilio diuino, quod tentatio docet esse necessarium. Debebat in hac scholâ erudiri Apostolus, postquam in cælis arcana ista mysteria audiuerat, quæ non licet homini loqui: *Ne magnitudo,* inquit, *reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis,* &c. Adnata enim est naturæ nostræ fragilitati nescio quæ vanitas, quâ statim, miseriæ nostræ obliti, ambulamus in mirabilibus supra nos, & vento prosperitatis auferimur, lapsu testaturi, quàm malè imbecillitati nostræ credidimus. At si per tentationes doceamur, quàm leui aduersitatis flatu prosternimur, quàm facilè minimo frigidioris Aquilonis spiritu torpescimus, quàm paruâ tempestate consilij expertes prudentiæ clauum amittimus; contrahimus scilicet nimiùm tensos superbiæ sinus, ex periculo cauti, certiora prouidentiæ virtutisque diui-

næ

Tentatio causa est feruoris,

item magnanimitatis,

& diffidentiæ.

2. Cor. 12. v. 7.

næ præſidia circumſpicimus. Præclarè ad hunc diſcurſum S.Gregorius lib.2. Moral. cap.26. *Mirâ*, ait,*hoc nobiſcum diſpenſatione agitur,vt mens noſtra culpa nonnumquam pulſatione feriatur. Nam eſſe ſe magnarum virium homo crederet, ſi nullum vmquam earumdem virium defectum intra mentis arcana ſentiret. Sed cùm tentatione irruente quatitur,& quaſi vltrà, quàm ſufficit, fatigatur; ei contra hoſtis ſui inſidias munimen humilitatis oſtenditur;& vnde ſe pertimeſcit eneruiter cadere, inde accipit fortiter ſtare.* Vnde B.Laurentius Iuſtin.in Ligno vitæ Tract.de Patientiâ cap.4. *Sicut*, ait, *caro ſi ſale non aſpergitur, quamuis ſit magna & præcipua, corrumpitur: ita & anima, niſi tentationibus aſſiduè ſaliatur, continuò reſoluitur & relaxatur. Per ipſa namque tentamenta anima negligentiæ putredinem excutit, & in ſpiritus viuacitate conſeruatur. O quantos vidimus modicis tentationibus à magnis periculis protegi, & tentatione quadam timoris, & corporali quadam ineptitudine à peſte ſuperbiæ liberari; qui aliàs quaſi equi effrenes ſuis talentis ſuperbirent!* Si tantum poteſt parua corporis inhabilitas, quid non poterit in iuſti pectore animaduerſa inclinatio ad peccatum? quàm ille profundè ſeſe humiliabit, & quàm ardenter ad Deum ſuum refugiet? Et huic ſcenæ opportunè ſubſeruit prouida Dei noſtri bonitas: ſinit enim cacodæmonem immiſſis tentationibus nobis formidinem creare. Quemadmodum mater, dum filiolum vult ad ſeſe accurrere, alios ei terriculamenta obijcere iubet, vt ad maternum gremium illicò recurrat. *Vt prouoces ſicut aquila*, dicit Gerſon, *pullos ad volandum; vt mater filium ad horam relinquit, quò inſtantiùs ille clamet, accuratiùs quærat, arctiùs ſtringat, & illa viciſſim blandiatur ſuauiùs.*

De Myſticâ Theol. pract. conſider. art.6.

Dat tentatio experientiam ſe alioſq́; regendi:

Tertia diſpoſitio, quam in tentato dicebamus ab ipsâ tentatione progigni, eſt experientia & ars ſeſe alioſque in ſpiritualibus prælijs gubernandi. Ideò enim reliquias Chananæorum & Amorrhæorum reliquit Dominus in terrâ promiſsâ Iſraëlitis, *vt erudiret in eis Iſraëlem, vt poſteà diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi. Qui* autem *non eſt tentatus quid ſcit?* At *vir in multis expertus, cogitabit multa; qui non eſt expertus, pauca recognoſcit.* Facit ergo tentatio cautum, circumſpectum, vigilem, denique aptum rei ſpiritualis magiſtrum,& ducem: tempeſtates enim nauclerum, pericula & prælia Imperatorem, tentationes ſpiritualem athletam, athletarumque magiſtrum faciunt. Incredibile eſt enim, quàm periculosè animæ morbi tractentur ab ijs, qui nullam vmquam ſunt infirmitatem experti; cùm etiam chirurgus ille ſit optimus, qui ſæpiùs ipſe fuerit vulneratus. Refert apud Caſſianum,quid hac in parte contigerit apud antiquos eremi Patres, Abbas Moyſes: quam operæ pretium eſt hîc repetere hiſtoriam, ob inſignem quam docet magiſtros ſpirituales cautelam. Cùm, inquit, ad ſenem quemdam monachus alius iuuenis ſatis bonæ vitæ perrexiſſet, & carnalibus incentiuis ac fornicationis ſpiritu ſemetipſum inquietari ſimpliciter prodidiſſet, conſolationem credens laboribus ſuis oratione ſenis & remedia conceptis vulneribus reperturum; ille amariſſimis eum verbis excipiens, ita ſuis è contrario correptionibus aſperauit, vt eum ſummâ deſperatione deiectum mœſtumq́; admodum, ac letali triſtitiâ penitus obrutum, è ſuâ dimitteret cellâ. cumque ei tali mœrore depreſſo,nec iam de remedio paſſionis, ſed de expletione concupiſcentiæ conceptæ profundâ cogitatione tractanti Abbas Apollo, qui de nominatiſſimis loci illius Patribus erat, protinus occurriſſet; & vim laboris eius & oppugnationis vehementiam, quæ in corde eius tacitè voluebatur, è vultus & intuitus ipſius deiectione coniectans, cauſam tantæ perturbationis inquireret; atque ille molliter ſe compellanti ſeni ne reſponſum quidem vllum poſſet referre: magis ac magis ſentiens eum ſenex non inaniter cauſam tantæ triſtitiæ ſilentio velle contegere, quantam ne vultu quidem diſſimulare quiuiſſet; intentiùs ab eo cauſas occulti doloris

Iudic.3. v.1.2.

Eccli.34. v.9.10.

doloris cœpit inquirere. Quibus ille constrictus, pergere se ad vicum confitetur, vt, quia secundùm sententiam illius senis monachus esse non posset, nec refrenare stimulos carnis, & oppugnationis remedia consequi præualeret, vxorem duceret, ac relicto monasterio reuerteretur ad sæculum. Quem Apollo blandâ consolatione demulcens, seseque asserens ijsdem quotidie incentiuorum stimulis atque æstibus agitari, & idcircò non debere eum prorsus in desperationem concidere, nec mirari super impugnationis ardore, qui non tam laboris studio quàm misericordiâ Domini & gratiâ vinceretur; vnius tantùm diei super dilatione ruinæ dispositæ ab eodem poposcit inducias, & vt reuerteretur ad suam cellulam, deprecatur. Ad monasterium prædicti senis illicò totâ festinatione perrexit; cumque eidem proximasset, expansis manibus orationem cum lacrymis fundens, Conuerte, ait, Domine, qui occultarum virium & infirmitatis humanæ solus arbiter pius ac secretus es medicus, impugnationem illius iuuenis in senem istum, vt condescendere infirmitatibus laborantium, & compati fragilitati iuniorum vel in senectute doceatur. Cumque ille hanc precem cum gemitu conclusisset, cernit æthiopem tetrum contra illius cellulam stantem, atque aduersus eum ignita iacula dirigentem. quibus cùm fuisset ille protinus sauciatus, progressus è cellâ, & huc illucque velut amens & ebrius cursitans, atque egrediens & ingrediens, iam continere se in eâ non posset, eâdem viâ concitus pergere cœpit, quâ mœstus iuuenis ille discesserat. Quem Abbas Apollo velut amentem factum, ac quibusdam furijs agitari conspiciens; intellexit ignitum diaboli telum, quod viderat ab illo directum, in eius corde fuisse defixum, illamque in eo confusionem mentis ac perturbationem sensuum intolerandis æstibus operari. accedensque ad eum, Quò, inquit, properas? aut quænam te causæ, senilis atque insolitæ grauitatis oblitum, ita pueriliter inquietant, ac mobiliter cursitare compellunt? Cumque ille pro conscientiæ suæ reatu, ac turpi exagitatione confusus, crederet ardorem sui pectoris deprehensum, ac, retectis seni sui cordis arcanis, nullam responsionem percunctanti se reddere prorsus auderet: Reuertere, inquit, ad cellam, tandemque te intellige vel ignoratum hactenus à diabolo, vel despectum, nec in eorum numero reputatum, quibus ille quotidie confligere & colluctari profectibus eorum ac studijs instigatur; qui vnum eius in te directum iaculum post tantam annorum seriem, quam in hac professione triuisti, non dicam respuere, sed ne differre quidem vel vno die ac tolerare quiuisti. quo te sauciari Dominus idcircò permisit, vt saltem in senectâ disceres compati infirmitatibus alienis, & fragilitati condescendere iuniorum tuis exemplis atque experientiâ docereris: qui suscipiens iuuenem infestatione diabolicâ laborantem, non modò nullâ consolatione fouisti, sed etiam perniciosâ desperatione deiectum, inimici manibus tradidisti, quantum in te est, ab eo lugubriter deuorandum: quem sine dubio nequaquam attentasset tam vehementi conflictu, quo te vsque nunc est appetere dedignatus, nisi forte profectui eius inuidens inimicus, illam virtutem, quam animo eius inesse cernebat, anticipare suis ignitis iaculis festinasset; proculdubio iudicans fortiorem, cui tantâ vehementiâ confligere operæ pretium iudicauit. Disce itaque tuo malo laborantibus condolere, & periclitantes nequaquam perniciosâ desperatione deterrere, nec durissimis sermonibus asperare; sed potiùs leni blandâque consolatione refouere, & nostri Saluatoris exemplo arundinem quassatam non conterere, & linum fumigans non extinguere, illamque à Domino gratiam postulare, vt ipse quoque fiducialiter valeas opere ac veritate dicere: Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lapsus est verbo. Concludit ergo vir sanctus: Nullus posset insidias inimici sufferre, seu carnales æstus naturali quodammodò igne flagrantes vel

Isaiæ 42. v. 3. Matth. 12. v. 20.

vel extinguere, vel reprimere, nisi gratia Dei vel iuuaret fragilitatem nostram, vel protegeret, vel suâ misericordiâ communiret. & idcircò salutaris huius dispensationis ratione finitâ, communibus eum precibus imploremus, quò flagellum istud, quod vtilitatis gratiâ Dominus inferre dignatus est hactenus, iubeat temperari: ipse enim dolorem facit, & rursum medetur; percutit, & manus eius sanant; ipse humiliat, & exaltat; ipse occidit, & viuificat; deducit ad infernum, & reducit. His dictis, ad orandum se Apollo composuit; atque vt illo orante seni fuerat immissa, sic eodem deprecante (quæ Dei miseratio est) ab eo etiam ablata tentatio est. Itaque tam seni quàm iuueni eâdem operâ opem tulit, & rectè consuluit.

Ostendit homini quâ virtute sit præditus.

Alia vtilitas quæ ex tentatione prouenit homini viam illuminatiuam perambulanti, est, quòd eum doceat, an virtute solidâ sit præditus. Quænam arbor firmas radices egerit, ventorum rabies ostendit. Quis miles fortitudine verâ præstet, tempore prælij, vel quando manus est conferenda cum hoste, cernitur. Et serui Dei quâ præstent virtute, ipsi scire nequeunt quamdiu eos circumfluit cælestium consolationum dulcedo; sed quando, immissis tentationibus, cum diabolo, carne & mundo præliandum est. Malleorum ictu & lydio lapide metalli puritas exploratur. malleus & lydius lapis virtutis est tribulatio. Inijce metallum in ignem: dum in eo liquefactum ardet, nemo distinxerit, aurum argentúmve, an alia quædam sit metalli species; sed si igni extractum refrixerit, statim quid sit apparebit. Dum in feruore spiritualis dulcedinis liquescunt hominum corda, quid quisque sit internosci non potest: sed remoue ignem, veniat aduersitas, tribulatio & angustia; iam apparebit quid sit, quod tanto feruore rutilabat.

& ipsam virtutem animo inserit.

Sed parum esset, si tentatio tantùm ostenderet, an virtus sit in animo an non, si non etiam vim haberet eam, si desit, inserendi. quæ vna ex præcipuis eius est vtilitatibus. *Virtus*, inquit Apostolus, *in infirmitate perficitur.* Si quis

2. Cor. 12. v. 9.

enim veram conclusionem aliquam propugnandam susceperit, videmus, quomodo per oppositionem diuersorum argumentorum ille magis eam stabiliat, ad confirmationem eius plura argumenta conquirat; maneatque tandem notior & illustrior oppugnata veritas, quàm fuisset, si nemo ei contradixisset. Eâdem prorsus ratione fit in virtutis proposito, quod euellere tibi per tentationum oppositiones diabolus conatur: hoc enim diligentiùs rationes ceteraque subsidia conquiris ad illud confirmandum, quò acriùs oppugnatur. Non opus est ire per alias comparationes, docereque, arborem ventorum concussione firmari, incudem malleorum ictibus indurescere, ipsa mortalium corpora laborum & iniuriarum cæli patientiâ callum ducere; cùm, præter naturæ istam consuetudinem, in more positum sit Deo, eos qui viriliter sese in certamine aliquo contra tentationis impetum gesserunt, insuetatis quibusdam modis consolari, & contrariam tentationi virtutem supereminenter eis concedere. S. Benedictus, cùm vehementissimâ carnis tentatione compositus, cùm diu restitisset, nec aduersarius cederet, egregio facinore sese in spinas & vepres abijcit, vt dolore corporis extingueret ardorem libidinis; statimque est (teste Magno Gregorio) tantam castitatis perfectionem à Deo consecutus, vt nullam deinde sit vmquam carnis titillationem expertus. Et Doctor Angelicus, postquam titione isto glorioso sæculis omnibus commemorandam abactâ meretriculâ victoriam obtinuisset, an non ab ipsismet Angelis est zonâ castitatis succinctus? Nihil opus exemplis, cùm per Isaiam Dominus polliceatur: *Et erunt capientes eos qui se ceperant, & subijcient exactores suos.* Quibus verbis optimo sensu intelligere possumus eum qui fieri solet cum tentatione prouentum, quòd ea nimirum vitia quæ acriter nos oppugnarunt, eo ipso nobis subiecta sunt, quòd in prælio sint superata, secundùm legem, quam supponit Princeps Apostolorum tamquam infallibilem. *A quo enim*, ait, *quis*

Confirmat Deus hominem in eâ virtute, contra quam acriter oppugnatus generosè restitit.

Isaiæ 14. v. 2.

2. Petr. 2. v. 19.

quis superatus est, huius & seruus est. Iam, quid in viâ vnitiuâ prosit tentatio, videamus.

CAPVT L.

De vtilitate tentationis in viâ vnitiuâ.

IIS qui propiùs iam per virtutem ad Deum accesserunt, nihil solet esse iucundius quàm amare & amari; ideóque auidissimè ea solent expetere, quibus vel ipsi suum amorem testari possunt erga Deum, vel certè ex quibus Dei erga se amorem liquidiùs possunt intelligere. Cuius vtriusq; rei cùm tentationes & tribulationes argumentum sint certissimum, fit vt nihil expetant auidiùs, quàm multa in hac vitâ pati. Nam quòd amoris diuini erga nos indicium sit, si nobis occasionem præbeat multa patiendi; dubitare non sinunt præclara S. Francisci verba, quæ habentur in Speculo vitæ eius, in doctrinâ ipsius, cap. 12. *Annulus est*, inquit, *victa tentatio, quo Deus animam serui sui desponsat. Nemo enim seruum Dei se existimet, donec per tentationem & tribulationem transierit: illâ enim probatur virtus perfecta. Amplioris gratiæ signum est, nihil in seruo suo impunè relinquere quamdiu viuit in hoc mundo.* Cùm enim ex singulari dilectione coronam vitæ electis suis dare decreuerit bonitas infinita, non potest efficaciùs eam dilectionem illis manifestare, quàm si eos tribulationibus exerceat; cùm hæc vnica via sit perueniendi ad coronam. Ideò S. Iacobus disertè ait: *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Et S. Cyprianus libr. de Mortalitate: *Nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria: cùm fuerit in pugnæ congressione victoria, tunc dantur vincentibus & coronæ.* Altiùs ergo imprimendum est animo, amoris diuini atque prædestinationis æternæ certissimum argumentum esse, si quis crebris exerceatur tribulationibus. *Necesse est*, inquit S. Bernardus, *vt veniant tentationes. Quis enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit? aut quomodo certabunt, si desit qui impugnet?* Et S. Augustinus libr. de Pastor. *Si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.* Quamquam nihil clarius ipsâ Scripturâ, Tobiæ 12. v. 12. *Ego obtuli orationem tuam Domino; & quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.* Sciunt electi, quòd in ædificatione cælestis Ierusalem *malleus, & securis, & omne ferramentum non* auditur; ac proinde, dum se vident tunsionibus & pressuris expoliri & quadrari, confidunt se in ædificium istud destinatos: nam saxa quæ fundamentis iniicienda sunt, ac terrâ obruenda, dolari non debent. Ducant ergo impij in bonis dies suos, omnium dolorum expertes voluptatibus indulgeant; cùm sint nullâ ciuitatis honestâ in parte collocandi, sed abscondendi in inferno, nihil est opus accuratiùs expoliantur. Iusti autem, qui filij sunt, etiam heredes erunt; heredes quidem Dei, coheredes autem CHRISTI; si tamen compatiantur, vt & conglorificentur. Iste Dei erga nos amor tota erat Apostoli consolatio, & fortitudo quâ superabat tam multiplices tribulationes; eumdemque volebat fidelibus esse propositum ad Rom. 8. v. 37. De hoc enim agit, quando dicit: *In his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Certus enim sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, &c. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in* CHRISTO IESV *Domino nostro.* Vbi proponit fidelibus, vim & tribulationem omnem fortiter esse perferendam; ex eo quòd nihil in hoc mundo sit, quod mutabit Dei erga eos charitatem, quâ ipsos dilexit in Filio suo, si modò se fideles ei præbeant seruos, perferendo ea quæ ipse paterno amore eis euenire permittit.

Alterum tentationum & tribulationum bonum, quod eas non tantùm tolerabiles, sed etiam dulces, iucundas & expetibiles facit, est, quòd indicium sint amoris nostri erga Deum. Quis enim, videns CHRISTVM tanta pro se passum, eum imitari, ei similis fieri, ipsiusque amori amorem rependere non

Tentatio est diuini erga nos amoris signum,

& prædestinationis argumentum.

Iacob. 1. v. 12.

Serm. 64. in Cantic.

3. Reg. 6. v. 7.

Item amoris nostri erga Deum signum est, perferre constanter & libenter tentationes.

non desideret? quæ cùm præstentur, dura vel agendo vel patiendo, eò totus feratur impetus, vt per aduersorum tolerantiam amori nostro crucifixo assimilemur. Hoc est quod S.Paulo voces hasce exprimebat: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro* CHRISTO. & S.Andreæ: *O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, solicitè amata, sine intermissione quæsita!* &c. Sanctus verò Laurentius hac consideratione confortatus, tyranno dicebat: *Para equuleos, bestias, ignes, craticulas, & quidquid tormentorum excogitare potes; hæc omnia aueo, & ambio. Non est famelicus qui ita desiderat cibum, sicut ego tormenta tua: illa ergo expedi, & famem meam exsatia.*

2.Cor.12. v.10.

Consolationis diuinæ causa sunt tribulationes & tentationes.

Sequitur tertium tentationis bonum, plenum amoris dulcedine; quòd Deus eos qui sui causâ patiuntur, vicissim amplectatur, soletur, & fel passionis condiat melle diuinæ consolationis. Psaltes id senserat, ideoque canebat: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*, Psal. 93. v. 19. & Apostolus: *Sicut abundant passiones* CHRISTI *in nobis; ita & per* CHRISTVM *abundat consolatio nostra.* Quid miraris, S.Fulgentium nostrum in morbis, & eius imitatione Pium V. Pontificem in acribus calculi doloribus orauisse, *Domine, auge dolorem, auge & patientiam?* Quid stupes feminæ sanctissimæ virilem vocem, *Da, aut pati, aut mori*, quâ S.Theresia orabat, vitam suam non aliud esse quàm Deum amare, pro Deo laborare, & pro Deo pati? Cur pænè cum temeritatis horrore veneraris alterius animos, quæ dicebat se non desiderare breuem vitam & celerem mortem; ideò tantùm, quia in cælis nulla est passio? *Desidero ergo*, dicebat, *viuere diu, quia desidero diu pati amore Dei, non tantùm martyria, sed & morbos, calumnias, infortunia, & quæuis aduersa.* Quid tantum admiraris SS.Marcum & Marcellianum inter tormenta dicentes, *Numquam tam iucundè epulati sumus, quàm hæc libenter* CHRISTI *causâ perferimus?* Hæc ijs mira non sunt, qui norunt istam Apostoli mensuram: *Sicut abundant passiones* CHRISTI *in nobis; ita & per* CHRISTVM *abundat consolatio nostra.*

2.Cor.1. v.5.

Expetendæ tribulationes, sicut diuiti instructâ opiparè mensâ fames.

Scire cupis, quàm non sint formidandæ tentationes, passiones & tribulationes ijs qui Deum amant; considera, quàm non sit timenda fames aut sitis ijs, quibus abundat vnde eam exsatient: hi enim adeò non timent istas pauperum cruces, vt deambulando, venando, ludendo, alijsque exercitijs appetitum exacuant, insigniterque famere ac sitire desiderent; ideò quòd sciant tantò cibum potumque eos maiori affecturos voluptate, quò acriùs fuerit sitis & fames incitata. Eâdem prorsus ratione Sancti, quòd paratam sciant istam consolationem diuinam eâdem mensurâ, quâ fuerint ijs tentationes & tribulationes propinatæ; nihil æquè desiderant atque multa pro CHRISTO pati, vt multam accipere possint consolationem. Et quemadmodum quis opiparè instructæ mensæ accumbens dolet sibi edendo famem perire, conaturque eam condimentis reuocare, propter eam quam causat inter edendum voluptatem: ita ipsi dolent, sibi patiendo maiora patiendi auferri facultatem, deplorantque imbecillitatem & mortalitatem corpusculi sui, quòd non maioribus sufficiat laboribus; vnde fit vt neque maioribus ipsi consolationibus perfundantur.

Spes præmij cælestis tolerabiles facit tribulationes.

Et nondum locuti sumus de ingenti istâ spe, quæ, licet acerbissimæ forent sine vllâ præsenti consolatione tribulationes, persuaderet tamen eas animosè exhauriendas: non secùs atque sanitatis exspectatio ægro persuadet potionem medicam exsorbendam, licet nullâ titilletur inter bibendum suauitate. Ponderat eam momentis suis, qui eam re ipsâ delibauerat, Apostolus: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Aduerte antithesin, momentaneo opponitur æternum,

Rom.8. v.18.

2.Cor.4. v.17.

num, leui pondus; in præſenti, in ſublimitate; tribulationi non quies tantùm, ſed inſuper & gloria. Quis hæc iſtis non emerit? S. Auguſt. in Pſal. 93. Deum ait dicere: *Venale habeo. Quid, Domine? Regnum cælorum. Quo emitur? Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita.* Adde nunc ex Apoſtolo, paupertatem eſſe temporaneam, regnum æternum; dolorem eſſe præſenti in tempore & loco, gaudium eſſe in ſublimitate & perennitate; laborem & vilitatem eſſe leuem, quietem & gloriam grauiſſimam; mortem denique eſſe momentaneam, vitam duraturam in æternum. Quis non emat tam vili tam pretioſa? quem non conſoletur in tribulationibus iſta latens in illis atque occulta vis operatiua felicitatis æternæ? *Non dixit*, inquit S. Bernardus in Pſal. 90. Serm. 7. *Remunerabitur, ſed, Æternum gloriæ pondus operabitur in nobis. Latet gloria, fratres mei, abſcondita nobis eſt in tribulatione: in momentaneo hoc latet æternitas; in hoc leui pondus ſublime & ſupra modum.* Quaſi meſſis latet in ſemine; & quando hoc ſuam vim exſerit, tunc illam producit. Legendus eſt Sermo melliflui Doctoris primus de diuerſis; vbi & ſingula Apoſtoli verba explicat, & mirabiliter pectus hominis in tribulatione conſtituti confirmat. *Perge ergo*, inquit, *murmurare, & dicere, Longum eſt, graue eſt, non poſſum tam immania, tam diuturna portare: Apoſtolus momentaneum & leue perhibet eſſe quod tolerat. & certè necdum à Iudæis quinquies quadragenas vnâ minùs accepiſti; necdum plus omnibus laboraſti; poſtremò, necdum vſque ad ſanguinem reſtitiſti. Vide ergo, quàm non ſunt condignæ paſſiones ad gloriam.* Primò, quid in incertum dies & horas numeras? tranſit hora, tranſit & pœna; nec accedunt ſibi, ſed cedunt potiùs & ſuccedunt: non ſic gloria, non ſic remuneratio, non ſic merces ipſa laboris; neſcit viciſſitudinem, neſcit finem, manet tota ſimul, & manet in æternum. Secundò, guttatim pœna labitur, liquando ſumitur, per minutias tranſit: nam in remuneratione torrens eſt voluptatis, & fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, & flumen pacis. Tertiò, non nobis glorioſa veſtis, non glorioſa domus, ſed ipſa gloria promittitur: nam in veritate, iuſtorum exſpectatio non aliquod lætum, ſed ipſa lætitia eſt. Gaudent in cibis, gaudent in pompis, gaudent in diuitijs, gaudent & in vitijs homines; ſed luctus extrema occupat eiuſmodi gaudiorum. Nobis tantùm eſt fauus mellis; ſed puriſſimum & liquidiſſimum mel repoſuit Deus: ipſam planè lætitiam, vitam, gloriam, pacem, voluptatem, amœnitatem, felicitatem, iucunditatem & exultationem theſaurizauit nobis Dominus Deus noſter. tot verbis exprimere conatur gaudia iſta, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit. Et noſtrum eſſet, ad conſolationem tentatorum, hîc graphicè tanta quæ pugnando vincunt præmia deſcribere; vt poſtremum hoc conciperent tentationis bonum, quod in ſpe compenſationis conſiſtit, ſi quis eſſet modus ea pro dignitate attingendi. Suffecerit ergo Lectorem ad eum libellum remittere, qui de Animâ & ſpiritu conſcriptus, extat Tomo 3. Operum S. Auguſtini: qui cùm cap. 37. citet Boëtium S. Auguſtino poſteriorem, facit ſtylus & Trithemij auctoritas, vt potiùs Hugonis Victorini eſſe exiſtimem. Hic cap. 57. & ſequenti, quantum rei ſublimitas patitur, non ineptè depingit ea, de quibus agimus, gaudia cælorum. Ac primò quidem deſcribit mutuam Beatorum charitatem; & exinde mutuum gaudium, quo quiſque non ſuâ ſolius, ſed & ſingulorum aliorum beatitudine gaudebit; eritque beatus non ſemel, ſed centies millies. Secundò, delectationem, quam Beati percipient ex viſione Dei. Tertiò, ob oculos ponit pleniſſimam eorum pacem & ſuauitatem. Quartò, c. 64. exaggerat poſſeſſionem immenſi boni, quod eſt ipſe Deus. Quintò, adfert pulchritudinis, ſanitatis, ſapientiæ, melodiæ, honoris, diuitiarum, & omnium bonorum, quæ hîc vel guſtare vel concipere poſſumus, copiam & affluentiam. In cælo, inquit, eſt quid-

Quæ cælorum gaudia ſint tribulationibus emenda.

quid

quid amatis, quidquid desideratis. Si delectet pulchritudo, fulgebunt iusti sicut sol; si velocitas aut fortitudo, erunt similes Angelis Dei; si longa & salubris vita, ibi est sana æternitas, & æterna sanitas; si satietas, satiabuntur cùm apparuerit gloria Domini; si ebrietas, inebriabuntur ab vbertate domus Dei; si melodia, ibi Angeli sine fine concinunt Deo; si quælibet mundi voluptas, torrente Deitatis suæ potabit eos Dominus; si sapientia, omnes erunt docibiles Dei; si concordia, cibus erit illis voluntas Dei; si potestas, introibunt in potentias Domini, & omnipotentes erunt suæ voluntatis, vti Deus suæ: nam sicut poterit Deus quod volet per seipsum, ita poterunt illi quod volent per illum; si honor & diuitiæ, Deus seruos suos bonos & fideles supra multa constituet; si vera securitas, ita certi erunt numquam illud bonum sibi defuturum; sicut certi erunt nec se suâ sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis ablaturum. Quis non capiatur tantâ præmiorum amplitudine, opulentiâ & securitate? Sed ad magna præmia perueniri non potest, nisi per magnos labores; vnde & Paulus egregius prædicator dicebat: Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum.

Atque hæc nos attulisse sufficiat de multiplici bono, quod in omni vitæ & viæ spiritualis statu percipi potest ex tentationibus & tribulationibus. Ex quibus patet, eas esse theriacam præstantissimam confectam ex antiqui serpentis veneno, quæ sit contra omne genus morborum præsentissimum remedium, vt notat S.P. noster super illa Pauli, *Ne magnitudo reuelationum*, &c. *O antidotum*, inquit, *quasi quod de serpente conficitur, & propterea theriacum nuncupatur!* Ecce remedium in viâ vnitiuâ, contra vanam ex reuelationibus gloriam: in purgatiuâ dat Apostolus illi, qui vxorem patris sui habebat. dicit enim: *Iudicaui tradere huiusmodi* hominem *satanæ, in interitum carnis, vt spiritus saluus* fiat, 1. Corinth. 5. Tradebat enim satanæ, vt ægritudinibus corporis, vulneribus, aut plagis ipsum maceraret, & carnem carnisque vigorem attereret; vt locum interpretantur Theodoretus, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Anselmus; idque eo tantùm fine, vt anima seruaretur. Notatque more suo sensum litteralem planissimè attingens S. Chrysostomus Homil. 15. in 1. ad Corinth. quòd non dixit, Dare huiusmodi hominem satanæ, sed, Tradere tamquam pædagogo; qui scilicet castigando corpus & animam corrigeret. At si animæ spectatur correctio, quid in mentem venit Apostolo præpostero in speciem vti remedio? tradere videlicet hominem inimico suo capitalissimo, vt ab eo beneficiorum omnium maximum accipiat animæ conuersionem. An non expediebat eum tradere Prælato alicui Ecclesiastico sancto & prudenti; qui propter bonitatem vellet, & propter scientiam nouisset adhibere remedia apta ad vitæ emendationem, potiùs quàm dæmoni, qui propter malitiam vult miserum perdere, & propter astutiam mille inueniet perditionis modos? Mirificè ostendit hoc Apostoli consilium, quantum valeat aduersus peccati venenum tentationis antidotum. Quamuis enim propria dæmoni malitia, & singularis in genus nostrum inuidia eum non sinebat aliud quàm hominis interitum spectare; aliò tamen vergebat Dei & Pauli intentio permittentis & imprecantis tentationem; quâ scilicet homo potest benè aut malè vti, benè resistendo, malè consentiendo. Miratur autem potestatem hanc grandem, quam Deus dederat Apostolo, S. Ambrosius. *Magna potestas*, inquit, *magna gratia, quæ imperat diabolo vt se ipse destruat: se enim destruit, cùm hominem, quem tentando supplantare studet, ex infirmo fortiorem facit.* Sed minuit admirationem potestatis, auget tamen vtilitatem tentationis Origenes in ista Ieremiæ verba, *Quomodo confractus & contritus est malleus vniuersæ terræ? Dæmon*, inquit, *malleus est totius terræ,*

Tentatio est theriaca facta ex infernalis serpentis veneno.

pro viâ vnitiuâ,

pro purgatiuâ,

non malleator. Quis autem malleator & artifex, cuius in manu positum est istud instrumentum, nisi homo, qui dæmone eiusque tentationibus vtitur prout vult? Si malleo quis sibi velit fatalem ictum in caput suum impingere, potest; si eo velit aduersum cetera vitia vti, eaque tentatione veluti malleo contundere, etiam potest. Tradebat ergo hunc malleum Apostolus homini isti, quem tradebat diabolo, vt isto malleo luxuriam (de hac enim symbolicè locum Ieremiæ intelligit S. Augustinus Tract. de Honestate mulierum Tom. 9.) quæ eum conterebat, confringeret; atque ita, destructo peccato, ad virtutem euolaret.

pro illuminatiuâ.

Vt autem, quomodo quis in virtutis viâ per tentationes & tribulationes illuminetur, etiam Scripturæ probemus testimonio; non aliò conuertere nos debemus, quàm ad Prophetam, quem vti diabolus omnis malitiæ suæ fecerat scopum, ita Deus constituit virtutum omnium exemplum, & bonitatis suæ publicum argumentum. ille enim posteaquam diabolicæ nequitiæ patiendo fatigauisset industriam, pertransiissetque per omnes istas, quas in Scripturâ legimus, tentationum machinas; sic Deum agonothetam suum & remuneratorem liberalissimum alloquitur: *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.* Degustatâ mellis dulcedine, Ionathæ oculi aperiuntur in perniciem; exhaustâ verò tentationum amaritudine, Iobi lumina adaperta sunt in salutem. *Post tentationis probationem*, inquit S. Hieronymus in illa Iobi verba, *proximior factus diuinæ cognitioni, dicit se iam Deum videre, quem antè audiuisse se dicit.* Quantò autem certior est oculorum quàm aurium cognitio, tantò securiùs in virtute procedit, qui post tentationem est illuminatus, quàm is qui, quòd tentatus non est, nihil præterquam quod audit ab alijs, nouit. Cùm ergo tam multiplex adferat bonum tentatio ijs qui fortiter resistendo eam vincunt, tempus est vt eam superandi media recenseamus.

Iob 42. v. 5.

CAPVT LI.

Multiplicia suggeruntur aduersus tentationem remedia; ac primum humilitas ac diffidentia sui.

Vt securiùs Sodales ineant tam necessarium, tamque vtile & gloriosum aduersus tentationes prælium, duo illis Regula suppeditat; filialem erga Virginem timorem, & cautelam sub ipsis initijs adhibendam: quorum hoc dici posset omnium stratagematum compendium, illud omnium armorum rerumque ad pugnam necessariarum armamentarium. Nec aliter puto militem ad pugnam præparandum, quàm armis & præceptis: quæ duo fusiùs paulò sunt deducenda, vt hinc petere possint subsidia, si qui velint in prælio virtutem suam isti Archistrategæ probare; quæ singulari certamine cum hoste nostro congressa, caput eius conterendo, facilem nobis deinceps reliquit victoriam. Armamentarium dicebam timorem erga Virginem filialem: nam in eo quòd timor sit, reperietur primò, humilitas; secundò, diffidentia sui; tertiò, studiosa animi præparatio; quartò, modesta præceptorum & monitorum auscultatio; quintò, in perferendis tentationum molestijs longanimitas & patientia. Quòd autem filialis sit, hoc est, non abiectæ seruitutis mancipium, sed generosa charitatis soboles, continet primò, animi magnitudinem; secundò, fiduciam in Deo & Virgine; tertiò, liberum & frequentem ad eos recursum; quartò, integram sui in Dei voluntatem resignationem. Ex quibus nouem virtutibus, puto confici posse quæcumque vsui sunt vel ad propriam defensionem, vel ad hostium oppugnationem instrumenta. Præceptum autem, siue axioma illud bellicum, quod initijs resistendum docet, dicebamus omnium præcipiendorum compendium: quòd reliqua, quæ vel debilissimam partem muniendam, vel contraria tentationi remedia adhibenda, vel animum continuis actionibus disti-

Timor filialis omnia suppeditat arma.

Cautela sub initium omnibus æquiualet præceptis.

distinendum, vel si quæ similia traduntur, aut huc reuocari possunt, aut hoc vno adhibito, non omnino videntur necessaria. Ne quid tamen prætermisisse videamur, de singulis deinceps breuiter tractabimus, & hoc quidem Capite de humilitate & sui diffidentiâ: nam genuina ac primogenita boni timoris soboles est humilitas, cui nescio an non vnico partu gemella sit edita sui diffidentia: certè ita pariter se armant, auxiliaresque sibi præbent dexteras, vt vix possit hoste prostrato distingui, vtra plus virium pugnæ impenderit; ideoque eas tractatione non distinguimus, sed promiscuè de humilitate ac sui diffidentiâ tractabimus. Eam autem esse necessariam ad hostes superandos, diuinitus, teste S. Athanasio, edoctus est S. Antonius. Cùm enim videret mundum laqueis tentationum, quos tendebant dæmones, plenum, suspirans dicebat: Domine, quis omnes hos laqueos euadere poterit? Audiuit, *Humilitas*. Humilitas enim soluit omnem virtutem inimici; ideoque monet Siracides, vbi dat contra tentationes arma: *Deprime cor tuum*. & alibi magis signatè de sui diffidentiâ: *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus; ne fortè elidatur virtus tua per stultitiam*. Hoc est enim quod semper contingit iis, qui pugnaturi contra dæmonem, nimium viribus suis confidunt. Quam rem Apologo non ineleganti docet Cyrillus libro 2. Apol. moral. cap. 18. cui titulus, *Contra superbientes ex robore*. Superbus rhinoceros, inquit, maximo robore cornu sui inflatus, cùm vidisset coruum supra ripam quiescentem, præsumpsit eum vi mirâ cornu sui subuertere, vt se coram illo de gloriâ roboris ostentaret: cùm igitur hunc fulmineo ictu percussisset, petræ resistentis duritia ictum excipiens, acumen cornu fregit, & doloris pondere vnâ cum luxato corpore victum statim robur dedit. cui deinde è tantis doloribus decumbenti, coruus cum risu obiecit, dicens: Rhinoceros, frater mi, vbi est cornu prævalidum tuum? vbi robur stupendum? nimirum quia in vno posuisti totum, vno perdito, mox amisisti & totum. Nesciuisti paruam esse cuiusuis virtutem corporis, nisi maior simul adsit vis animi: tota namque (Iudic. 14.) illa mira vis Samsonis non ab ossibus tantùm, sed à spiritu erat in capillis; virtutis autem spiritus humilitas est: hæc enim basis & fundamentum roboris & virtutum. Vnde epimythium colligit. Crede igitur mihi, nihil superbâ validitate infirmius, nihil humili debilitate potentius in hoc sæculo inueniri. Ferrum enim quantò durius est, tantò citiùs frangitur: & vitrum tantò faciliùs rumpitur, quantò ampliùs induratur: verumtamen gutta mollissima saxum excauat, & teredo vermis tenerrimus lignum vastat; quin & spiritus fulmineus duriora destruit, molliora illæsa relinquit; arcus etiam quantò magis curuatur, tantò validiùs telum vibrat. Quot in fabulâ & affabulatione sententiæ, tot illustres humilitatis cum tentationibus certare parato commendationes. parum enim possunt vires nostri vel animi vel corporis, nisi maius adsit auxilium Dei & Virginis. Et omnis ista Sanctorum, qui victores ex hac arenâ discesserunt, admirabilis virtus, non propriis animabatur viribus, sed fundamento sustentata humilitatis, cælitùs accipiebat victoriam certaminis. Quod qui non agnoscunt, asino isti sunt similes, de quo cum leone pugnaturo antistrophum superiori narrat Apologum Æsopus. Cum asino, inquit, gallus aliquando pascebatur; leone autem aggresso asinum, gallus exclamauit, & leo (aiunt enim galli vocem timere) fugit: at asinus, ratus propter se fugere, aggressus est statim leonem: vt verò procul hunc persecutus est, quò non ampliùs galli perueniebat vox, conuersus leo deuorauit asinum. hic verò moriens clamabat: Me miserum & dementem! ex pugnacibus enim non natus parentibus, cuius gratiâ in aciem irrui? Non opus est accuratâ fabulæ ad præsentem materiam accommodatione, cùm pateat nobis, quantumcumque imbecillibus viribus præditis, & malè ad prælium eruditis, eum, qui circuit tamquam leo rugiens,

Humilitas ac sui diffidentia aduersus tentationes necessaria.

Eccli. 2. v. 2.

Eccli. 6. v. 2.

Apologus de coruo & rhinocerote.

Apologus de asino & leone.

quærens quem deuoret, non esse formidandum; si nos apud IESVM & MARIAM (quorum ille vocem & præsentiam exhorrescit) constituerimus, eorumque præsenti ope pugnemus: at si nostris fisi viribus longiùs ab eorum auxilio hostem insequamur, non meliori quàm asinus fato defungemur, & à leone isto infernali deuorabimur. Nam CHRISTVS ipse monet: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde; & inuenietis requiem animabus vestris*, Matth. 11. vers. 29. requies autem non potest esse, nisi deuictis aduersarijs; quos humilitate superandos docet, qui ei tranquillitatem & pacem promittit.

CAPVT LII.

De animi præparatione ad pugnam, tertio contra tentationes remedio.

TERTIA timoris filia, est studiosa animi ad pugnam ipsam præparatio. Quod indicat Ecclesiasticus cap. 2. v. 20. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua.* Æquè enim ex parte nostrâ solicitè omnia auxilia circumspicienda sunt, atque si nostris tantùm viribus essemus pugnaturi; & tandem ita Dei fidendum auxilio, tamquam si nihil admodum, vti reuerà accidit, ex nobis possemus. De fiduciâ in Deum suus posteà erit agendi locus; nunc de præparatione hoc dici cum Senecâ potest: *Serò animus ad periculorum patientiam post pericula instruitur.* Et magnam ille quidem præparationis partem in malorum periculorumque præmeditatione ponit: sic enim ipse de Stoicis suis loquitur in Consol. ad Heluiam: *Illi me iusserunt stare assiduè velut in præsidio positum, & omnes conatus fortunæ, & omnes impetus prospicere multò antè quàm incurrant: illis grauis est, quibus est repentina; facilè eam sustinet, qui semper exspectat: nam & hostium aduentus eos prosternit, quos inopinatè occupauit; at qui futuro se bello ante bellum parauerunt, compositi & aptati primum, qui tumultuosissimus est, actum facilè excipiunt.* Et rursum Epist. 107. ad Lucilium scribit: *Præparetur animus contra omnia; sciat se venisse vbi glaciat, vbi fulminat; sciat se venisse vbi*

Luctus & vltrices posuêre cubilia curæ,
Pallentesq; habitant morbi, tristisq; senectus.

In hoc contubernio vita degenda est. Effugere ista non potes, contemnere potes: contemnes autem, si sæpè cogitaueris, & futura præsumpseris. Nemo non fortiùs ad id cui se diu composuerat, accessit; & duris quoque, si præmeditata erant, obstitit. At contrà, imparatus etiam leuissima expauit: id agendum, ne quid nobis inopinatum sit. & quia omnia nouitate grauiora sunt, hæc cogitatio assidua præstabit, vt nulli sis malo tiro. Numquid diceres eum militem spiritualem ad bellum præparare, nisi scires eum non diuinâ charitate, sed sæculi vanitate ad philosophandum impelli? sed numquam me in bonâ re mali pudebit Auctoris; & Senecam Christianis non piget dare magistrum, Christianis digna moribus præcipientem. Præmeditandæ ergo primùm militi omnes difficultates, pericula, aduersarij vires & artes; quas Apostolus exaggerare videtur ad Ephes. 6. vt solicitius mentem ad pericula aduertamus: *Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus.* Singula verba hostis nostri peculiarem conditionem, potentiam, vim & robur significant; vt excitemur ad excubias & ad arma præparanda, quibus tanto hosti resistamus: & timoris etiam salutaris proprietas est, rem non imminuere; sed potiùs, si non arctam, saltem, quàm veritas patitur, maximè formidabilem proponere. Perinde ergo est atque si diceret: Non negligendus est aduersarius cum quo estis componendi: si enim natura ipsius quæritur, spiritus est; si species, est inuisibilis; si indoles, nequissimus est & malitiosissimus; si potestas, est mundi dominus; si ars & fraus, est princeps tenebrarum, per tenebras & insidias nos aggreditur; si locus, superior est, ex aëre & cælo in nos irruit. *Si tales*, inquit Chrysostomus

in

Præmeditanda tentationes & pericula.

Diaboli vires: Ephes. 6. v. 12.

in Morali Homil. 22. *Si incorporales principatus, si mundi domini, si spirituales nequitiæ aduersum nos sunt, quomodo, dic quæso, deliciaris? quomodo inermes vincere poterimus? ista quisque sibi ipsi singulis diebus dicat, quando per fastum occupatur, quando per concupiscentiam, quando mollem vitam inconsultò ac frustrà quærit; audiat Paulum dicentem: Non est nobis colluctatio aduersus carnem*,&c. Quamquam non tam velim timorem istum & solicitudinem præparandorum armorum ex diaboli viribus, quas posteà examinabimus, quàm ex consideratione propriæ infirmitatis oriri: nam, vt suprà citatus ait Chrysostomus, *conculcauimus diaboli potentiam, si peccata conculcauerimus.* & paulò inferius: *Si nos sæuierimus aduersus eum, ipse non erit nobis sæuus: si nos mansueti in eum fuerimus, tunc ipse sæuus erit.* ac si diceret: Non propter diaboli potentiam tantâ opus est armorum præparatione, & totâ illâ quâ Apostolus militem instruit panopliâ, sed propter infirmitatem propriam. Vide enim à capite ad talos ex Pauli præscripto armatum. Galea est spes salutis, siue (quod Græca dicunt περικεφαλαίαν σωτηρίου, galeam salutaris) spes in CHRISTVM. Thorax, est iustitia, id est, opera iusta & sancta. Balteus est veritas, id est, fidelitas, integritas, & castitas. Calcei & ocreæ sunt præparatio & alacritas ad viam Euangelij ineundam & propagandam. Dexterâ tenet gladium, id est, verbum Dei; sinistrâ scutum, scilicet fidem. Quid in eâ armaturâ inuenis, quod non magis faciat ad militis ornatum, quàm ad hostis destructionem? quem Deus non alio fine nobis dedisse videtur, quàm ad illudendum ei; & ad stimulum, vt esset cuius occasione nos ad arma circumspiceremus. ideoque finxit eum primâ fronte tam formidabilem, vt nos infirmitatem nostram cum tantâ, vt videtur, potentiâ componentes, diligentiùs arma pararemus: quibus simul atque benè instructi sumus, fugit hostis; atque vltrò cedit victoriam. Abbas Theodosius hoc ita sibi ostensum esse narrare solet: Priusquam, inquiebat, ad vitam solitariam transijssem, factus in extasi, aspexi virum quemdam, cuius species claritatem solis vinceret. Hic tenens manum meam: Veni, ait, quia pugnare & luctari te conuenit. & induxit me in theatrum plenum viris ex vnâ parte candido amictu, ex aliâ verò nigro vestitis. Cùm ergo iniecisset me in theatrum, aspicio virum miræ magnitudinis æthiopem, cuius caput turpissimum penetrabat nubes. Tunc ait ad me iuuenis ille, qui mihi apparuerat: *Cum hoc luctari te oportet.* Ego qui aspectu viri illius proceri territus eram, tremere ac pauere cœpi; orabamque iuuenem illum splendidum, qui me induxerat in theatrum, dicens: Quis hominum mortali conditione & infirmitate circumdatus cum hoc luctari posset? non ipsum vniuersum genus hominum, si in vnum confluat, huic resistere præualet. Ait autem ad me iuuenis ille præclarus: *Prorsus cum illo te luctari opus est: ingredere igitur cum omni alacritate & fiduciâ: mox enim vt tu illum adorsus fueris, ego adiutor ero, tibiq; victoriæ coronam reponam.* Vt ergo ad certamen sum ingressus, luctarique inuicem cœpimus, continuò præclarus ille iudex certaminis nostri adfuit, mihique coronam dedit. Atque plebs illa obscura, æthiopumque multitudo ingens eiulantes euanuerunt; pars verò reliqua candidatorum gratias illi & laudes referebant, qui me iuuerat, ac præclarâ victoriâ donauerat. Ita Sophronius in Prato spirit. cap. 66. Apparet ideò, bonum Abbatem cum tam formidabili hoste fuisse compositum, vt ad suam respiciens infirmitatem, humilitate, diffidentiâ sui, oratione, fiduciâ in Deum, generositate, ceterisque, de quibus agimus, contra tentationes armis se indueret: quibus sumptis, statim hostis fugatus est. Si verò nostris confisi viribus ea negligamus arma induere, tum ferociter insultat hostis nobis; & multò etiam est seuerior & crudelior quàm possit vllâ specie terribili describi. Quæ vis cùm totâ diligenti armorum præparatione sit exarmanda; eò incumbant

resistendo superantur.

Arma militis Christiani.

dæmonem vincunt simulatq; ei opponuntur.

Sodales, vt omni studio ea comparent, in ijs tractandis dextri sint & exercitati; quibus remedijs quæque vinci soleat tentatio nouerint; quid Sancti in paribus occasionibus fecerint, inquirant: vt, cùm omnia perfecerint, possint stare, possint vincere, possint triumphare.

CAPVT LIII.

Quartum remedium, modesta præceptorum & monitorum auscultatio.

POSTQVAM initio conuersionis ad Dominum, tentationes exspectandas esse admonuit Ecclesiasticus cap.2. ad remedia contra eas proponenda se accingit, datque nouem præstantissima, quæ breuissimè quinque aut sex versibus inuoluit hoc ordine. Primum est præseruatiuum: *Sta in timore, & prępara animam*, v.1. scilicet eam exspectare, & ad eam se præparare. Secundum, humiliare & deprimere cor suum, v.2. Tertium est patientia: *Sustine*; ait v.2. Quartum est, audire consilium sapientum, v.2. Quintum, non trepidare vel nutare, sed esse firmum & constantem: *Ne festines in tempore obductionis*, ait v.2. Sextum est, iungere se Deo, illique firmiter adhærere, v.3. Septimum est, resignare se in voluntatem Dei: *Omne*, ait v.4. *quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine.* Octauum est, firma in Deum fiducia: *Crede Deo*, ait v.6. *& recuperabit te; & dirige viam tuam, & spera in illum.* Nonum est, constans Dei timor & amor: *Serua timorem illius, & in illo veterasce*, ait v.6. Ita acutissimè notat in Capitis synopsi sæpiùs nobis laudatus princeps Interpretum Pater Cornelius à Lapide. Digessimus nos alio quidem ordine hæc tentationum remedia, prout vel à timore vel ab amore oriuntur, vel certè suggeruntur à pugnæ spiritualis axiomatibus; gauisus sum tamen, quando vidi ea quæ adhibemus, pænè cum ijs quæ magnus ille Sapientis discipulus suggesserat, coincidere. & quartum etiam nobis est, quod ordine quartum ipse dat: *Inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus*, v.2. quo suadetur tentato, vt minimè viribus suis confidat, sed auxiliares aduocet ad pugnam copias, consiliumque petat; ac sequatur tum Dei, quod scilicet dat per sacram Scripturam, per tacitas inspirationes, vel alios libros spirituales; tum vel maximè hominum, quos posuit in Ecclesiâ suâ duces certantibus, pædagogos & magistros dubitantibus, medicos ægrotantibus. Verbis autem explicari non facilè potest, quanti momenti quantique fructus hæc sit aduersus tentationes vel humilitas, vel prudentia, quâ sibi quis diffisus omnia aduersarij machinamenta, totamque tentationis seriem, aperit Confessario suo, aut alteri viro pio & prudenti; vt consilio ipsius adiutus, faciliùs hostem prosternat. Gloriosissimus omnium confessione inter sanctos Ecclesiæ Confessores crebris cum hoste tartareo conflictibus & victorijs, est S. Antonius; proindeque ipsius ante alios valere debet in præscribendis vincendi modis, tentationumque remedijs, auctoritas: ipse autem tanti faciebat hanc consilij auscultationem, vt dicere soleret, prout in Vitis Patrum p.2. §.104. narratur: *Si potest fieri, quot passus ambulat monachus, vel quot calices aquæ bibit in cellâ suâ, habet declarare senioribus, vt non deuietur in ipsis.* Et Ioannes Climacus lib.4. de Obedientiâ, testatur vidisse quodam in Monasterio, quod opinione sanctitatis celebrabatur, quamplurimos Religiosos, quibus pugillares è zonâ dependebant, ne qua eos effugeret cogitatio, quam deinde Archimandritæ non manifestarent. Quamuis autem nec tantum Regula Sodalibus præscribat, neque ab hominibus variè in Repub. aut familiâ curandâ distractis tam exacta postulari queat ad cogitationes suas omnes attentio, multò minùs communicatio cum Directore spirituali; id tamen omnes docentur, quod minimis in rebus tanti faciebant isti eremi Patres, in magnis tentationibus summi esse momenti, & verò necessarij remedij. idque non vnâ de causâ. Primam Cassianus suppeditat, quòd nimirum hac ratione omnem Confessarij aut spiritualis consiliarij scientiam, prudentiam

Nouem remedia Ecclesiastici contra tentationes.

Consilium audiendum tentatis.

S. Antonij eâ de re sententia.

Aliorum Religiosorum circa hoc consuetudo.

Cur tanti faciendum alienum in tentationibus consilium:

dentiam & experientiam tentatus faciat ſuam; itaque dæmonem fallacijs ac ſtratagematis fallere ac ſupplantare conantem eludat, dum non veluti inexpertus tyro, ſed veterani armis tectus conſilioque inſtructus congreditur. Neque eſt vlla compendioſior aut certior ad prudentiam diſcretionemque via, quàm ſi quis in ipſis pugnæ occaſionibus, veteranorum vſus conſilio, re ipsâ experiatur vincendo, quod ipſi multis vel ſuis vel aliorum didicerunt vulneribus. Altera dæmonem magis ſpectat ratio: ille enim vt naturâ eſt ſuperbiſſimus, ita ægerrimè fert fœdas ſuas ineptias, & penè infantiles adinuentiones protrahi in lucem; ac proptereà fugit indignabundus ab eo, qui eas ſtatuit ſimul atque ſuggeſtæ fuerint manifeſtare: quod is neceſſariò facere debet, qui cupit conſilio alieno iuuari; cùm nemo conſilium dare poſſit de re, quam ignorat. Curat ergo, quâ poteſt diligentiâ, veterator ille nequiſſimus, vt os tentatis obſtruat: & neſcio an non ideò ſæpè vel turpitudine vel ineptiâ aliquâ pudendâ tentationem miſceat, vt pudore eos à manifeſtatione ſui, ac conſequenter à conſilio petendo deterreat, callidè perſuadens pudorem, qui ineptæ tentationis auctorem manet, in ipſos tentatos redundaturum. Quaſi verò pudendum foret matronæ honeſtatis amantiſſimæ, quòd eam quis adulterino ſollicitaret alloquio, ipſaque ideò rem marito ſuo indicare non deberet, quòd facere eſſet turpiſſimum; quod ne fiat, indicare ipſi glorioſum eſt, impudico autem ſollicitatori maximè pudendum. fitque non rarò, quemadmodum adulterij propoſiti remedium certiſſimum eſt, detectio ſollicitationis facta marito, honoris coniugalis zelatori; ita machinationis diabolicæ deſtructio, fit manifeſtatio tentationis facta Confeſſario. Quod ita expreſſit Caſſianus: *Tamdiu ſuggeſtiones diaboli noxiæ dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde: illicò enim vt patefacta fuerit cogitatio maligna, marceſcit; & antequam diſcretionis iudicium proferatur, ſerpens teterrimus veluti è tenebroſo ac ſubterraneo ſpecu virtute confeſſionis pertractus ad lucem, ac traductus quodammodò ac dehoneſtatus abſcedit.* Tertia ratio, cur tantum proſit hæc conſilij alieni auſcultatio, Deum ſpectat: facit enim ipſe tanti humilitatem illam, quâ ſe alteri quis ſubmittit, ſeruatque illam eius ordinationem, quâ homines ab hominibus doceri, regi ac gubernari voluit, vt magnis cumulet beneficijs eos qui conſilium alienum non aſpernantur. Quidam ex Ægypti Patribus, vti in Vitis eorum narratur, dubij cuiuſdam reſolutionem ſexaginta hebdomadarum ieiunio crebrâque oratione cælitus erat impetrare conatus; cumque ſe hactenus ſpe fruſtrari animaduerteret; eâ ſuper re in eâdem eremo commorantem monachum conſulere ſtatuit. idque executioni mandaturus, cellâ egreditur: & ecce offendit in limine Angelum, qui dubium ei clarè reſoluit, addiditque, plus Deum iſtâ humilitate, quâ alterum conſulere ſtatuerat, fuiſſe permotum, vt hoc ei beneficij præſtaret, quàm crebris & ieiunijs & orationibus. Quis non ſperet eo adhibito remedio diſpellendas tentationum tenebras, quo vel cogitato videt allatam cælitus lucem, anteà negatam tot tantiſque pœnitentijs? *Inclina* ergo *aurem tuam* ad audienda non tantùm à Scripturis, libris ſpiritualibus, tacitis inſpirationibus, ſed etiam, & præcipuè ab hominibus, diuina conſilia; vt ſuſcipias verba intellectus, non ab ipſis, ſed à Deo, ipſorum miniſterio, & ſæpè etiam, antequam ijs vtaris, ſolummodò ob humiliationis propoſitum.

dæmonem confundit:

Deum efficaciter mouet ad ſuccurrendum.

CAPVT LIV.

Quintum remedium, patientia.

QVÆ hoc Capite copiæ auxiliares adueniunt, à reginâ ducuntur patientiâ; cuius arma ad hanc pugnam omnino ſunt neceſſaria. Quæ vt faciliùs agnoſcatur, néve hoſtiles copias pro amicis in caſtra admittamus, ſic à Tertulliano lib. de Patientiâ cap. 15. depingitur: *Vultus illi tranquillus & placidus; frons pura, nullâ mæroris aut iræ rugoſitate*

Patientiæ pictura:

tate contracta; remissa æquè in latum modum supercilia; oculis humilitate, non infelicitate deiectis; os taciturnitatis honore signatum; color qualis securis & innoxijs; motus frequens capitis in diabolum, & minax risus; amictus circa pectora candidus & corpori impressus, vt qui nec inflatur nec inquietatur: sedet in throno Spiritus eius mitissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis, apertus & simplex; quem tertiò vidit Elias. De hac Apostolus monet: *Patientia vobis necessaria est*, Hebr. 10. v. 36. ac si diceret: Si vndique ingentes coëgeritis copias, & virtutes omnes conuocaueritis, si vnam neglexeritis patientiam, in cassum laborauistis; nam sine huius armis hostem non vincetis. S. Chrysostomo enim teste in 2. ad Timoth. *impossibile est, vt qui malis bellum indixerit, pressuris careat; nefas est pugilem Dei vacare delicijs, non licet epulari luctantem: luctamen enim sunt præsentia omnia, certamen, bellum, pressura, angustia, stadium. aliud est quietis tempus, hoc ærumnis deputatum est atque sudoribus. Nullus vbi ad certamen se exuit, vnctusq. est, requiem quærit: si enim requiem quæris, cur te exuisti, cur libidinibus & naturæ bellum indixisti?* Cùm scias militiam esse vitam hominis Christiani, militi autem proprium agere & pati dura & aspera; quid, quæso, in mentem venit, huic militiæ nomen dare, si nolebas patientiam comitem & commilitonem assumere? Est verò commilito adeò strenuus, vt nusquam suam desiderari patiatur operam, sed omnibus virtutis actibus, omnibus prælijs & velitationibus interueniat, vt nihil absque hoc Theseo vel virtus Herculea efficere possit. Ostendit hoc breuiter Tertullianus suprà cap. 15. *Patientia*, inquir, *fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem instruit, pœnitentiam exspectat, exomologesin assignat: carnem regit, spiritum seruat, linguam frenat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat: pauperem consolatur, diuitem temperat: infirmum non extendit, valentem non consumit: fidelem delectat, Gentilem*

Necessitas eiusdem.

Mirabiles effectus patientiæ.

inuitat: seruum domino, dominum Deo commendat: feminam exornat, virum approbat: amatur in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene, & in omni sexu, in omni ætate formosa est. imò & in omni natione gloriosa est, sed in Christianis gloriosissima. Idem in Apologetico cap. 50. contra Gentes: *Licet nunc sarmentitios*, inquit, *& semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidij axis reuincti sarmentorum ambitu exurimur; hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus. Apud vos quoque, ô Gentes, Mutius dextram suam libens in ara reliquit. O sublimitas animi! Empedocles totum se Catanensium Aetneis incendijs donauit. O vigor mentis! Regulus, ne vnus pro multis hostibus viueret, toto corpore cruces patitur. O fortem virum & in captiuitate victorem! Anaxarchus, cùm in exitium ptisanæ pilo contunderetur, Tunde, tunde, aiebat, Anaxarchi follem: Anaxarchum enim non tundis. Attica meretrix carnifice iam fatigato, postremò linguam suam comestam in tyranni sæuientis faciem exspuit; vt exspueret & vocem, ne coniuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset. Zeno Eleates consultus à Dionysio, quidnam philosophia præstaret, cùm respondisset, Contemptum mortis; impassibilis flagellis tyranni obiectus, sententiam suam ad mortem vsque signabat.* Ingentia sunt hæc patientiæ exempla, quæ vel gloria, vel odium, vel philosophia docuit; quid nos Christiani, nos Virginis omnium patientissimæ serui non faciemus? nam hæc non aliò spectant, quàm vt nos supra vulgus extollentes, ad magna & fortia animum præparemus; nec ita facilè difficultatibus cedamus, quamuis aliquid tolerandum sit in hac militiâ, quamuis rosis & violis non incumbamus, quamuis non tantùm aduersarij hauriendus, sed proprius etiam sæpè fundendus sit cruor; præsertim cùm tot rationes sint, quæ possunt animum ad labores roborare: quarum hæc vnica nobis cum Gentilibus communis, quòd ferendo dulcescat ipse labor; reliquæ omnes, quantum solida inanibus, æterna perituris, terrenis cælestia præstant, tantum sunt supra spem

spem & præmia, quæ ipsi ex laboribus suis exspectabant, exaltatæ. De illâ autem, quæ etiam Gentiles poterat consolari, optimè Seneca, quo nemo solidiùs eorum videtur philosophiam attigisse. hic ita masculos suos in lib. de Prouident. cap. 4. prodit animos: *Verberat nos & lacerat fortuna? patiamur; non est sæuitia: certamen est. quò sæpius adierimus, fortiores erimus. Solidissima pars est corporis, quam frequens vsus agitauit. Præbendi fortunæ sumus, vt contra ipsam ab ipsâ duremur. Paulatim nos sibi pares faciat. contemptum periculorum assiduitas periclitandi dabit. Sic sunt nauticis corpora ferendo mari dura, agricolis manus tritæ, ad excutienda tela militares lacerti valent, agilia sunt membra cursoribus. Id in quoque solidissimum est, quod exercuit. Ad contemnendam malorum potentiam, animus patientiâ peruenit.* Nónne generosos Christianæ menti stimulos subdit hæc Gentilis Philosophi animositas? *Præbendi*, inquit, *fortunæ*, imò diabolo tentatori, *sumus, vt contra ipsum ab ipso duremur*, & ipse se nihil minùs agens aut cogitans destruat nos tentando. Iam quantæ consolationis est ad ferendos labores & molestias, quæ hisce certaminibus necessariò permiscentur; quòd citò in vsum, imò in voluptatem vertetur, quod initio molestum videtur? *Quid patientia*, inquit ipse, *in nobis efficere possit, scies, si aspexeris, quantum nationibus nudis & inopiâ fortioribus labor præstet. Omnes considera gentes, in quibus Romana pax desinit: perpetua illos hiems, triste cælum premit, malignè solum sterile sustentat, imbrem culmo aut fronde defendunt, super durata glacie stagna persultant, in alimentum feras captant. Miseri tibi videntur? nihil miserum est, quod in naturam consuetudo perduxit: paulatim enim voluptati sunt, quæ necessitate cœperunt.* & tandem: *Quid miraris bonos viros, vt confirmentur, concuti? Non est arbor solida nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsâ enim vexatione constringitur, & radices certiùs figit. Fragiles sunt quæ in apricâ valle creuerunt.* Tandemque dicta hoc concludit epiphonemate: *Pro ipsis ergo bonis viris est, vt esse interriti possint, multùm inter formidolosa versari, & æquo animo ferre quæ non sunt mala, nisi malè sustinenti.* Amplius etiam & meliùs melior Philosophus de ipsâ aduersitate pronuntiat; S. Gregorius inquam lib. 6. Epist. 191. ad Narsam sic ait: *Studium bonæ operationis ipsa aduersitas auget: sic semina messium gelu cooperta fertiliùs germinant; sic ignis flatu premitur, vt crescat.* Vbi hoc etiam plus aduersitati quàm Seneca tribuit, quòd eam ad omnium virtutum studium dicat esse incitamentum, cùm ille tantùm vellet eam promoueri quæ cum ipsâ habebat quamdam cognationem; qualem cursus habet cum agilitate, certamen militis ad armorum tractationem, & sic de ceteris: noster autem dicit, eam in genere virtutes omnes fouere & augere, prout nix & gelu omne genus frumentorum. Caussam huius rei altiorem, quàm Seneca poterat attingere, dat Hermas S. Pauli discipulus, lib. 2. Pastoral. mandato 5. nimirum quòd ira & impatientia obscuret & extinguat in nobis Spiritum sanctum; eumdem verò exsuscitet atque exhilaret æquanimitas & patientia. *Aequanimus*, inquit, *esto & patiens, & omnium operum nequissimorum dominaberis, & operaberis omnem iustitiam. Quòd si patiens fueris, Spiritus sanctus, qui habitat in te, mundus erit, & non obscurabitur ab aliquo nequissimo spiritu; sed gaudens dilatabitur & epulabitur in vase in quo habitat, & apparebit Domino hilaris in pace magnâ. Quòd si iracundia aliqua superuenerit, continuò Spiritus sanctus, qui in te est, angustiabitur, & quæret discedere: suffocatur enim aspectu nequissimo, & non habet locum apparendi Domino sicut vult; tribulatur enim ab iracundiâ. Vtrique ergo spiritus cùm pariter inhabitant, perniciosum est homini.* Deinde comparat impatientiam absinthio: quod si æquanimitatis & patientiæ melli superfundatur, totum amarum reddet & ingratum spiritui Dei dulcissimo. Vult ergo Deus, vt ingruente tentatione humiliemus nos sub potenti manu ipsius, dicamusque cum Pro-

Patiendo & perseuerando labor imminuitur.

Patientia omnes virtutes producit.

Psal. 72. v. 23. Prophetâ: *Vt iumentum factus sum apud te*, ad ferendas æquo & læto animo omnes istas molestias, eâ grauitate, numero ac diuturnitate, quâ visum fuerit suæ diuinæ Maiestati: quæ ipsa patientia ingens erit victoria, & maximus ex tentatione prouentus, imò pars magna sperandæ in hac vitâ beatitudinis; in quâ suauiùs conquiescet, quàm in vmbratili suâ apathiâ omnes veteres Philosophi. *Si corpus rectè dicimus beatum*, ait S.Chrysostomus Homil. 1. ad Pop. Antiochen. *quod potest absque sui offensione ferre frigus, & calores, & famem, & inopiam, & viæ difficultates, aliasq; ærumnas; quantò magis beatam oportet vocare animam, quæ viriliter & fortiter omnes omnium molestiarum incursus ferre potest, & cor suum per omnia nulli seruituti obnoxium seruare?* Nihil opus est ceteros patientiæ fructus hic commemorare, ne nimiùm excrescat tractatus: nec enim facilè eorum finem reperies, cùm S.Gregorius Papa dicat Hom. 35. in Euangel. *Verè radix omnium custosq; virtutum est patientia.* Hæc enim ceteras omnes menti inserit, insertásque custodit: si virtutum autem omnium radix & custos est, ergo donorum, priuilegiorum, prærogatiuarumque cælestium causa est & fons perpetuò fluens; ergo est præmiorum donatrix, triumphi adornatrix, & gloriæ conciliatrix; totque habet encomia quot virtutibus cunctis, quarum est causa, possunt attribui. Quæ omnia prætereo, quòd non exornandam patientiam, sed remedia tentationum, quarum patientia non est minimum, assignanda suscepirim. Obseruandum verò ante omnia, ijs maximè qui nondum ad patientiæ fastigium peruenerunt, ne quid ingruente tentatione ex ijs per impatientiam molestiarum immutent, quæ antè circa pietatis exercitia facienda coram Deo statuerunt: hoc enim esset turpiter diabolo terga vertere, &, quâ est calliditate & malitiâ, si tam inconstante & imprudente nos præditos videat ingenio, vel ideò ad tentandum redibit, vt nos pijs consuetudinibus nostris deijciat, tandemque destructo muro, & fortificationibus animæ nostræ per exercitiorum spiritualium intermissionem solo æquatis, nos inuadat spolierque nil opinantes.

Perducit hominem ad quamdam beatitudinem in hoc mundo.

Nihil circa proposita mutandum tempore tentationis.

CAPVT LV.

De remedijs tentationum, quæ à timore, quà filialis est, suppeditantur; ac in primis de animi magnitudine.

TIMOR Dei contrahit hominem, atque in sese colligit, per humilitatem, sui diffidentiam, solicitudinem & curam, patientiam denique, quâ resoluit omnes tentationum difficultates humiliter sustinere in pœnam & remissionem suorum peccatorum. Habet tamen idem, quòd filialis sit, & non à turpi seruitutis abiectione progenitus, miram vim eumdem explicandi generositate, fiduciâ in Deum, ceterisque, quas deinde adferemus, virtutibus, vt non timeat aut fugiat aduersarium suum, sed explicatâ quodammodò acie aggrediatur, ac totâ virtutum mole in ipsum incumbat. Ludere eum diceres, aut hostem eludere. Si enim diuinis sæuus in armis Martem acuat, iramque suscitet, & horrendùm fulminans in dæmonem insurgat, tantâ eum leuitate nunc dextrâ nunc sinistrâ ictus increpitans, totâ arenâ versabit, vt ridendum propinaturus sit spectatoribus suis Cælitibus hostem; qui tanto terrore totque machinis bellum denuntians, tam parum ostentet roboris aut magnanimitatis: si verò contrahat se, humilitate suâ inuolutus, non minùs ridiculè exhibebit aduersarium suum mediâ in pugnâ, dum iam iam imminet ictui, delusis viribus obstupescentem quòd non apparet quem feriat; tectus quippe vmbrâ humilitatis fugit oculos eius, qui non nisi sublimia intuetur. Satis iam de ijs, quæ eludere possunt hostem, diximus; restat, vt eâ quæ vincere solent, & simul totam Christianæ militiæ aciem explicemus. Ducit hanc optima armorum imperatrix, generosa animi magnitudo; quæ in ipsâ aciei fronte sese offert dæmoni adeò terribilem, vt neque conspectum

Timor filialis vel hostem eludit se contrahendo, vel eum vincit inuadendo.

Animi magnitudine vincitur diabolus, quoties petitur.

ſpectum eius poſſit diuriùs ſuſtinere. Dicit hoc S. Iacobus Apoſtolus cap. 4. v. 7. ſuæ Catholicæ: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Si quis Ducum aut militum (qui tot ad augendam fortitudinem adhibent exercitationes, tot ſeſe damnant ſuperſtitionibus, vt vel impenetrabiles, vel certo armorum generi inuulnerabiles exiſtant) eâ virtute aut qualitate occultâ eſſet prædius, vt, quoties ſe generoſo paſſu hoſtibus obuium dediſſet, actutum illi terga verterent; quantis eam virtutem omnes laudibus celebrarent, quantis eum Reges & Monarchæ in partes ſuas præmijs & promiſſis trahere conarentur? orbis profectò terrarum anguſtus eſſet hominis iſtius victorijs, qui quoſcumque petijſſet, vinceret. Hæc autem noſtra eſt cum diabolo pugnandi ratio, vt toties eum vincamus, quoties volumus; toties fugemus, quoties reſiſtimus. *Suadere* enim *diabolus*, dicit S. Auguſtinus Homil. 12. inter 50. *& ſollicitare poteſt, cogere omnino non poteſt: & ideò cùm per Dei adiutorium in tuâ poteſtate ſit, vtrùm conſentias diabolo, quare non magis Deo quàm ipſi obtemperare deliberas?* Sunt qui ei ſimilem proteruæ & procacis mulierculæ ingenio indolem eſſe dicant: iſta ſi virum nacta ſit imparem eâ maieſtate, quam ei natura ad imperandum ſexui infirmiori dedit, ac proinde timidè reſiſtat; quando officij ſui limites egreſſa rixari cum eo præſumpſerit, mirum quàm citò ad extremam perueniat audaciam, furentiſque leænæ adinſtar in virum inſurgat: at ſi eum videat animo atque intrepido vultu ſibi reſiſtere; illicò animos abijcit, & ſeſe ad modeſtiam componit. Eâdem proſus, dicunt, ratione diabolus ſi timidos & meticuloſos aggreſſus ſit; nullum eſt animal tam horrendum, tamque perniciosum naturâ, licet irâ ac partis aduerſæ victoriâ feritatem ſuam exaſperarit, quod non ſuperet crudelitate; ſi verò animosè quis ſe oppoſuerit, nihil eo eſt meticuloſius. Ideò S. Gregorius lib. 5. Moral. cap. 17. Olympiod. & alij in illud Iob 4. v. 11. *Tigris perijt, eò quòd non haberet prædam* (qui ex Septuaginta pro *tigris*, legunt *myrmicoleon*, hoc eſt, *formicaleo*) dicunt myrmicoleonta iſtum eſſe diabolum, qui timidis & fugacibus ſit leo, generoſis verò & aduerſo pectore congredi audentibus vix formica appareat. Proinde monet Theodorus Studita Epiſt. 68. *Timidus*, inquit, *eſt diabolus, reiyculus, imbellis, ideoq́; animoſitate quadam longè abigendus.* Alij eum cum cane comparant, qui tamdiu menſæ importunus aſſiſtit, quamdiu inde ei aliquid proijcitur; ſi verò baculo abigatur, fugit, nec temerè redit. Quis non ingentes ſumat in hac pugnâ animos, conſiderans tantam hoſtis ſui imbecillitatem, tantamque formidinem, vt mulieri, formicæ & cani à Patribus comparetur? Imò non multò maioris eum facit Sponſa in Canticis, quando ait: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Pete ab illâ, cur non vocet eum leonem ferociſſimum, qui rugitu ſuo terreat & viribus diſcerpat animas; prout eum vocabat Petrus Apoſtolus 1. Petr. 5. v. 8. *Tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Pete, quare non balænam, tigrdem, aut aliud formadibile animal eum nuncupauerit; quandoquidem neque vires ei deſunt quibus vincat animas, neque crudelitas quâ victas miſerum in modum dilaceret. Non eſt, non eſt, quòd ſpecie adeò terribili eum in imaginatione noſtrâ depingamus: licet enim aſpectum habeat primâ fronte maximè horrendum, nihil tamen in receſſu latet formidinis. Nyſſenus Gregorius reſtabitur: *Omnes*, inquit, *terreſtres poteſtates, aduerſus quas eſt colluctatio hominibus, principatus, & poteſtates, & rectores tenebrarum harum, & ſpiritus nequitiæ, ſunt paruæ vulpes, ſi noſtris conferantur viribus.* Satis magnificè aduerſarias nobis vires Apoſtolus exaggerat, primam ſpeciem deſcribens, quâ nihil ad terrorem formidabilius, vt nobis eum vincere tantò ſit glorioſius; ſed vires intus latentes S. Gregorius vulpeculæ, & vulpeculæ paruulæ, vix comparandas putat: quòd illa, quantumcumque imbecillis, aliquam, diabolus verò nullam inuitis nocendi virtutem habeat.

Diabolus proteruæ mulierculæ ſimilis.

eſt myrmicoleon.

canis. S. Chryſoſt. cõc. 5. de Lazaro.

vulpes. Cantic. 2. v. 15.

 beat.

beat. *Suadere* enim, S. Augustinus aiebat, *& sollicitare potest, cogere non potest*. Quòd autem multos etiam fortissimos superarit, non id fecit aperto Marte congressus; sed vulpinâ vafritie eos adortus ex insidijs: nam, vt S. Ambrosius lib. 1. de Cain & Abel cap. 5. ait, *oculos delectat, aures demulcet; sed mentem inquinat; multa mentitur, falsa adiungit, vera subducit; spondet pecuniam, aurum offert, sed aufert disciplinam.* Istæ sunt artes, quibus Adamum in paradiso, in solario suo Dauidem, Salomonem in ipso sapientiæ suæ throno debellauit. ideoque fortem armatum eum vocat CHRISTVS in Euangelio: fortem, quia talis apparet cedere volentibus; armatum, quia de capite ad calcem totus consutus est dolis. Ceterùm, *quam virtutem habere intelligendus est, qui solis praualere non resistentibus potest? nullam prorsus, nisi quam nos illi dederimus*. Ideò apud Isaiam cap. 51. v. 23. rogat, *Incuruare, vt transeamus. Notandum,* ait S. Hieronymus, *quòd non eam incuruauerint, nec vim fecerint, vt priùs erecta inclinaretur in terram, sed proprio arbitrio dereliquerint: suadere & sollicitare possunt, cogere non possunt. Dicunt ergo, Incuruare* (S. Gregorij Homil. 3. 1. in Euangel. verba sunt) *incuruare, vt transeamus: quia si ipsa se ad ima appetenda non deijcit, contra hanc illorum peruersitas nullatenus conualescit; & transire per eam nequeunt, quam contra se rigidam in supernâ intentione pertimescunt.* Sic etiam in Euangelio, CHRISTO Archistratego nostro non aliud proponit, quàm, *Mitte te deorsum*; conscius sibi, quòd, quamdiu ille se non demitteret, ipse cõtra eum nil præualeret.

fraude solâ armatus est.

August.

Matth. 4. v. 6.

Alterum, quod vehementer nobis animos dare in hoc certamine potest, sunt Psalmistæ verba, Psalm. 103. v. 26. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* Vbi indicat Propheta, non alio fine nos committi à Deo cum aduersario, quàm vt ei illudatur: vt scilicet nos haberemus vnde trophæa & triumphos adornaremus, eò gloriosiùs, quò ferocior apparet hostis. ideoque draconem appellat, belluarum nimirum viribus & minorum serpentium venenò obarmatum, & infinitis spolijs tumidum, atque semesis deuictorum corporum artubus incubantem; ligatum tamen, quique vltra definitum sibi spatium progredi non possit. *Alligatus est enim,* dicit Serm. 197. de Tẽpore S. Augustinus, *tamquam innexus canis catenis; & neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortiferâ securitate coniunxerit. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest nisi volentem. Ante aduentum* CHRISTI, dicit in eodem Sermone, *solutus erat diabolus; at postquam* CHRISTVS *in mundum venit, alligauit.* Formatus & ligatus est, vt liberè ac securè liceat ei illudere, modò intra sphæram, quam ei catenæ suæ circumscribunt, nos incautos non præcipitemus; id est, ad terrena, quibus ipse tamquam suo incubat sterquilinio, inordinatè appetenda nos non demittamus. Hoc enim est quod dicit, *Incuruare, vt transeamus.* id est, curuum in terris animum demitte, istam cælestium contemplationem desideriaque cælestia tantisper intermitte, dum terrenis nonnihil oblectetur, bonaque, quibus cingor, degustet ieiunus siderum perambulator animus: quod equidem sæpè ex necessitate faciendum est, semper ex voluptate faciat; & totis se mundi proluat delicijs, quas toties debet extremis labijs delibare. Contrà verò, vt non nisi naturæ discipulum huic nequitiæ doctori opponamus, clamat Seneca Epist. 41. *Quemadmodum radij solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt vnde mittuntur: sic animus magnus & sacer, & in hoc demissus, vt propiùs diuina nossemus, conuersetur quidem nobiscum, sed hæreat origini suæ. Angustus,* alibi dicit, *animus est, quem terrena delectant; ad illa abducendus est, quæ vbiq; æquè apparent*, id est, cælestia. Excitet nos hæc hostis nostri in vinculis detenti imbecillitas, vt magnis animis prælium ineamus, nòn timeamus hostem tam molliter præliantem, quàm ignauiter ad vilia pellicientem; gaudeamusque, ac gratias agamus Deo, si quando nos dignos iudicauerit, qui tam facili certamine

Diabolus nemini potest nocere, nisi volenti.

alligatus recubat in terrenis, tamquam in sterquilinio suo.

Isaiæ 51. v. 23.

Conf. ad Heluiam.

mine tam gloriosam consequamur victoriam, & dicamus: Deo autem gratias, qui dedit nobis hanc victoriam per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM.

CAPVT LVI.

Aliæ rationes, quæ nos ad animi magnitudinem debent excitare.

QVI odium dæmonis acerrimum, quo hominem prosequitur, non leuiter, sed causarum indagatore oculo intuitus fuerit; altiora quædam latere, quàm primâ fronte offerantur, suspicabitur. Quid enim hominum quispiam, imò quid humana, licet conspirauisset, natura tam malè de apostatâ isto angelo mereri potuisset, vt ipse tanto in eam odio fureret, si non aliunde incitaretur? Neque enim nos ipsi, quando totius æternitatis iaciebat aleam, consilio aut fraude nocuimus: nos non sumus, qui, postquam peccasset, fulminatricem in caput eius strinximus sententiam: nos non sumus, qui executoria arma sumpsimus, neq; in gloriosissimis S. Michaëlis castris militauimus: quid ergo ipsum tam impotenter in odium nostri impellit, vt vnica in miseriarum omnium barathrum præcipitato videatur esse felicitas, hominibus nocuisse? Vidi ego sæpissimè taurum ferro ac stimulo ab hominibus exagitatum, cùm furere cœpisset, totum irarum impetum in pilam seu laneam hominis imaginem frangere; cumque eam in partes ac frusta discerpsisset, tamquam si egregiè se de homine vindicasset, exultare; eamque, S. Basilio monitore, rem diabolo nobisque accommodans, ita mecum ratiocinabar: Hoc nimirum est, quod hominum nemo sine stupore considerare potest, hoc est, quod diabolum in nos ira vehementer exsuscitat: Dei, quem ipse odit, imaginem gerimus: cumque ipsum attingere non possit, in nos iram frangit, aliquam vltionis partem arbitratus eius, quem perdere non potest, imaginem destruxisse; & CHRISTI victoris sui ac capitis nostri cùm odio flagret implacabili, nequeatque ipsi nocumenti quidpiam adferre, in membra ipsius furit; id est, quia caput ferire nequit, corpus aggreditur. Vnde describitur draco paratus ad deuorandum fructum mulieris stellis duodecim coronatæ, & parturientis; sed cùm ille raptus esset ad Deum, & eius faucibus erutus, *abijt facere prælium cum reliquis de semine eius.* Hæc belli istius origo, quod nullâ æternitate reconciliabili odio dæmonas inter hominesque geritur; eademque non minimum esse debet hominibus, ad generosè & fortiter certamen suscipiendum, incitamentum. Nam si non salus tantùm nostra, sed etiam quæ nobis salute debet esse antiquior, maiestatis diuinæ gloria agitur; omnibus contendendum est viribus, vt animum erigamus: quandoquidem, vti diximus, solâ animositate tantam prohibere possumus à diuino nomine ignominiam, ne hostis ipsius de eo in imagine triumphasse dicatur.

Dæmon hominem persequitur, quia Dei gerunt imaginem.

Serm. 21. ex 28. de varijs argumentis.

quia sunt membra CHRISTI.

Apoc. 12. v. 17.

Certamus ergo pro Dei gloriâ.

Imò aliud quidpiam hîc latet, etiam ad animos erigendos fortius. Quid enim? an putamus Deum causam suam deserturum, si modò nos viri simus, talesque nos præbeamus, per quos ipse non inuitos possit triumphare? An non videmus etiam mortales, si quem causâ suâ periculis obiectum animaduerterint, generositatis suæ putare, patrocinium eius non deserere, sed non secùs pro cliente suo, quàm si ipsi periclitarentur, laborare; idque eò studiosiùs, quò lætiore animo vident eum pericula adire, in cuius auxilium ipsi prouolant? Vnde sequitur, non leuem Deo, tamquam suorum desertori, irrogare iniuriam, quisquis in hoc certamine non est animosissimus.

Non deseret Deus causam suam, pro quâ contra dæmonem certamus.

Adde non minorem ad audendum stimulum, quòd sub oculis Imperatoris ac remuneratoris nostri decertemus. Ostensum hoc est S. Antonio, qui acriter à dæmonibus tentatus & flagellatus, cùm post certamen vidisset IESVM: *Vbi*, inquit, *eras bone* IESV? *vbi eras? quare non à principio adfuisti, vt sanares vulnera mea?* & vox ad eum facta est, dicens: *Antoni, hic eram; sed exspectabam videre certamen tuum: nunc autem quia dimicando viriliter non cessisti sem-*

In conspectu Dei Imperatoris nostri pugnamus.

per auxiliabor tibi, & faciam te in omni orbe nominari. Vides, quàm non otiosus spectator sit Dominus: exspectat, vires suppeditat, vt post victoriam possit dare coronam. *Video* IESVM *stantem*, inquir Stephanus inter lapidum grandinem imbresque proprij cruoris. ac si diceret: Miramini animos, stupetis vires; quibus inter has mortis crudelissimæ angustias lætus, inter tot labores inuictus aduersarios patiendo debello; ecce video IESVM agonothetam meum, video Ducem & Imperatorem meum sese in pedes erigentem, vt accuratiùs certantem intueatur, vt promptiùs auxilia periclitanti suppeditet. Vnde sequitur alter animositatis fons, quem Apostolus resignat 1.Cor.10.v.13. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Tota ergo à voluntate nostrâ dependet victoria: nam *Deus*, quando imperat vt tentationibus resistamus, *impossibile non iubet; sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis.* Vt ex D. Augustino lib. de Naturâ & gratiâ cap.43. dicit Concilium Tridentinum sess.6. cap.11. *Magna profectò medijs in tentationibus consolationis est, ingens ad magnanimitatem stimulus, eum qui magnitudini, multitudini ac diuturnitati tentationum moderatur, eumdem esse cum eo, pro cuius gloriâ decertamus, & qui vtilitatis nostræ gloriæq; suæ est studiosissimus.* Medicum, mulionem, & figulum considera: quòd si illi de vase, iumento, ægrotoque curam gerunt; eamdem saltem Deum de figmento suo gerere confide, & iam optabis citiùs quàm timebis tentationum certamina. Quantâ medicus curâ ægro suo aloës, seu rhabarbari, aliorumque medicamentorum, quæ quantitate nocere possunt, vncias & scrupulos dimetitur, ne quid pro morbi dispositione & habitudine corporis nimium misceatur? & putabimus cælestem illum Archiatrum minore prouidentiâ seruis suis tentationum tribulationumque amaritudinem pro cuiusque viribus temperare? Et S. Ephræm Tractatu de Patientiâ dicit: *Si homines suis iumentis non plus oneris imponunt, quàm ferre queant; multò minùs hominibus plus tentationum imponet Deus, quàm ferre queant.* Rursum, si figulus vasa sua igne coquit eousque dum ritè excoquantur, nec antè ea eximit, ne minùs cocta aut minùs solida sint; nec rursum vlteriùs ea sinit in igne, ne adurantur, fiantque inutilia: multò magis idem faciet Deus, vt igne tentationum eousque nos coquat, dum percoquat & perficiat; vlteriùs verò tentatione aduri & consumi nos non sinet: quamuis enim aliquando nobis tardare videatur & moram facere, non est quòd ipse tempora opportuna auxilio & consolationi non seruet, sed, quòd nobis malorum molestia longos faciat dies. Quemadmodum ægroto morbi dolores noctem extendunt, ita vt videatur æquo diuriùs sol tardare; quamuis ordine suo meent tempora, & aurora quâ debet horâ lucem mundo reportet: eâdem prorsus ratione Deus, licet nobis segniùs properare videatur ad auxilium, semper tamen tempore isto adest, quod æterna eius prouidentia necessitatibus nostris attemperauit. quòd si tentationum fluctus sinat increscere, vt iam iam præsentem omnia minitentur interitum; ideò facit, vt fluminis impetus lætificet ciuitatem, tantoque posteà maior sit lætitia, quò propiùs abfuimus ab interitu: quia *Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit*, 1.Reg.2. v.6. Ecce piscem grandem qui Ionam degluriat; quid exspectas, nisi mortem & duplicem ab vndâ & belluâ interitum? *Animaduertendum est*, inquit S. Hieronymus, *quòd vbi putabatur interitus, ibi custodia fit & vita.* Idem nobiscum fit in tentationibus & tribulationibus, quas ita Dominus ad nostram vertit vtilitatem, vt non tantùm liberet, sed etiam exaltet nos *de portis mortis*, quemadmodum Psal.9. v.15. dicitur. Vbi enim probati per tentationem fideles fuerint, maioribus certè à Deo donis gratiæ locupletabuntur. *Quasi lapidis virtus probatio erit in illis*, ait Ecclesiasticus cap.6.v.22. id est, moraliter

Act.7. v.55.

Non finit nos tentari Deus supra vires.

Semper adest tempestiuè, licet videatur tardare.

raliter intelligendo, mortificatio, tentatio, tribulatio, morbus, calumnia, persecutio est lapis oneris & probationis: eius enim onere probatur patientia, humilitas & fortitudo cuiusque fidelis. Illam ergo, quasi onus humeris nostris à Deo impositum, hilariter capessamus, & generosè portemus; ita veræ sapientiæ decus, puta Dei gratiam, gloriam & coronam, quasi athletæ CHRISTI nanciscemur. Sic locum istum interpretatur Pater Cornelius. Et S. Augustinus in Psal. 86. ait: *Quadrati lapidis similis esse debet Christianus: in omni tribulatione non cadit, etsi impellitur: & si quà vertitur, numquam cadit: nam quadratum lapidem quacumque verteris, stat semper; stantem te sic inueniat omnis casus.* Et Ethici omnes, Plato, Aristoteles, Seneca, Plutarchus, vocant fortes & pios viros tetragonos, id est, quadratos. Sed animos ad labores & tentationes dat Philo lib. de Sacrif. Cain & Abel, quales habere solemus in fame ad comedendum; qui necessariò erunt ex auiditate magni. *Equidem*, inquit, *existimo laboris vbique eamdem vim esse: nam sicut à cibo tota vita pendet vnà cum suis actionibus, ita etiam à labore pendet quidquid in rebus bonum est. Ergo sicut qui vitam prorogare cupiunt, alimenta non negligunt; ita quotquot, quæ bona sunt, concupiscunt, laborum perpessionem magni faciunt. sicut enim cibus se habet ad vitam, sic illa ad honestatem.* Animaduerte autem, cibum non tantùm præsenti famis necessitati mederi, sed etiam corpus eiusque vires & robur augere; eodemque modo tentationes non necessarias tantùm esse, sed multùm etiam vtiles. Milonem quemdam aiunt fuisse Crotoniatam, qui vitulum quotidie ferendo ita viribus creuit, vt eumdem posteà bouem portaret. tantum valet robori cuiusque & viribus accommodata laboris assiduitas. Sic Deus nos cupit tentationibus exerceri & proficere, sic onus illud & lapidem viribus cuiusque admetitur, vt minus forti minus ponderosum, magis forti magis ponderosum imponat; & crescentibus exercitatione viribus, pondus etiam adaugeat, vt tandem mundus vniuersus obstupescat, vnde quis par sit ijs laboribus, qui minùs exercitatis videntur intolerabiles. Hoc est facere cum tentatione prouentum, hoc est quod animos dare nobis debet, vt eam fortiter suscipiamus, viriliterque in eâ decertemus.

Quadrati lapidis similes esse debent tentati.

Labores cibi adinstar sunt.

Restat vt pro fine pulcherrimum de tentationibus ex Cyrillo Apologum narremus, quo datur vltimum ad magnanimitatem incitamentum, quòd scilicet virtus hæc patiendo crescat & vegetetur; habet eum ipse lib. 1. Apolog. moral. cap. 21. cuius titulus, *Omnem aduersitatem vt vincas, patientia valet magnanimitas*. Apologus sic habet: *Frumenti granum proiectum in terram & mortuum, cùm iuxta siccum lapidem pullulasset, lilium ita fertur ei dixisse: Vnde tibi contrito & mortuo spiritus germinandi, cùm ego, quando conteror, eo ipso perdor? Cui granum respondit: Hoc mihi ex virtutis granditate contingit; quâ fit, vt passio mea sit mea actio; & dum morior, reuiuisco. Rerum enim virtute maximarum tunc magis intenditur valetudo* (valor, vis, & vigor) *cùm earum conteritur aut moritur corporea magnitudo: nimirum phœnix mortuus generat, & cinnamomum contritum plus inflammat; at verò res, in quibus virtus minùs prævalet, si teruntur, ex huiusmodi contritione confunduntur, & pretiositatem suam perdunt. Vt draconites lapis si teritur, virtus eius perditur; & magnes ferrum non attrahit, si teratur; sic infirmum membrum sine dolore tangi non patitur, & sanum cùm tangitur delectatur. Non attendisti, quòd virtuosus cùm aduersis conteritur, tunc magnanimior inuenitur? In calamitate siquidem maiorem sumit spiritum, & triumphans ratio tunc vehementiùs roboratur.* Rationem à priori assignat, camque exemplis Iob, Ioseph & Tobiæ confirmat, dicens: *In malis enim non vinci, virtutis est victoria. Nemo autem vincitur, nisi cui suum bonum eripitur. Totum autem bonum magnanimi in virtute eius consistit: ea namque sibi sufficiens est; quâ cùm excellat, ipsaq; gaudeat virtute saluâ, nulla eum*

Apologus.

foris denudat priuatio, nulla inhonestat confusio, nulla eum contristat sensus afflictio. Nonne (Iob 1.) *sanctus Iob virtute diues, rerum inopiâ temporalium minimè est depauperatus? Eâdem Ioseph excellens* (Genes. 39.) *haudquaquam est infamiâ dehonestatus? Eademq; gaudens Tobias* (Tob. 2.) *in tenebris cæcitatis haud fuit desolatus?* Denique ex hisce hoc Apologi epimythium, velut eius finem & fructum, colligit: *Quisquis vult, dicat aut faciat tibi iniuriam; tu tamen nihil patieris, si tantùm sit virtus magnanimitatis. Quinimò prudens magnanimus in aduersitatibus gloriatur* (2. Cor. 12. v. 9.) *quia in infirmitate virtus perficitur, atque venenum veneno contunditur. Asbestinum linum incendio expurgatur, & electum aurum in camino rutilat approbatum. In aduersitate igitur dumtaxat impatiens vincitur, & in eâ sapiens magnanimitate inuictus aut corrigitur, aut medicamine præseruatur, aut exanimis resuscitatur.*

CAPVT LVII.

Fiducia in Deum plurimùm valet ad tentationes superandas.

PROCESSIT imperatrix armorum generositas; sequitur fortitudine, gloriâ & auctoritate proxima fiducia & confidentia in Deo: quæ ita est proxima, vt pari cum illâ passu incedens pænè dubiam faciat intuentibus prærogatiuam dignitatis. Sunt qui generositati plura tribuant; sunt etiam qui dicant, ne quidem illam nisi à fiduciâ progigni ac sustentari: satis nobis est vtrique plurimum concedi, & vtramque plurimùm ad profligandos aduersarios valere, vt nos vtramque laudemus & in auxilium vocemus aduersus hostes nostros. Eam autem esse timoris, quem in Regulâ commendamus, comitem, vel ipse Sapiens docet Prouerb. 14. v. 26. *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filijs eius erit spes.* Hanc fiduciam & spem quasi peculium inquit esse timoris, haud dubiè filialis, quòd eam filijs suis tamquam hereditatem transscribat: neque meliorem hereditatem in hac vitâ dare poterat timor, quàm spem & fiduciam in Deo, quæ est eâ ratione beatitudo huius vitæ, quâ gloria est beatitudo alterius: nam tamdiu quàm non habemus rem, sola spes est quæ nos sustentat beatosque facit. Ideò Psalm. 2. v. 13. dicitur: *Beati omnes, qui confidunt in eo.* & Prouerb. 16. v. 20. *Qui sperat in Domino, beatus est.* Beatus inquit: præterquam enim quòd, vti diximus, hîc nobis spes est pro re quamdiu sumus in viâ, & quòd ducat spes ad gloriam, dicente Apostolo, *Spe salui facti sumus,* Rom. 8. v. 24. dat præterea ipsa hîc lætitiam gaudiumque menti perpetuum, simile isti quòd Beatis est de gloriâ in cælo: nititur enim spes hæc vitæ innocentiâ, vnde pleno gurgite redundat animi lætitia. Sunt enim hæ tres vitæ Christianæ Charites inuicem ita amplexæ, vt nequeant separari, *innocentia, lætitia,* & *spes*; sicut ex aduerso tres Furiæ sunt, *mala conscientia, tristitia,* & *desperatio.* De prioribus est illud S. Ioannis Apostoli Epist. 1. c. 3. v. 21. *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos* (ecce innocentiam) *fiduciam habemus ad Deum* (ecce spem) *& quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* ex votorum autem consecutione perpetua lætitia. Sed nimis diu à castris abesse sinimus bellatricem tam nobilem, ostendereque differimus, quid præcipuè spes & fiducia in acie valeat. Audiendus est Propheta missus ad Regem Iosaphat, quando Moabitarum multitudo eum exterruerat. *Nolite,* inquit, *timere, nec paueatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei. Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodò confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos.* Simul vires fiduciæ explicat, simul, quid nos facere oporteat, docet: *Nolite,* inquit, *timere.* id est, animos sumite. generositatem commendat, quam nos iam ante omnia necessariam diximus: *Nec paueatis hanc multitudinem.* id est, sperate in Domino, confidite ei, qui vnus est instar omnium. Quid autem causæ cur ei fidamus? *non enim est vestra pugna, sed Dei.* Ipsius gloria & honos agitur, vti suprà docuimus, multò magis in hoc tenta-

Fiducia in Deum est timoris comes:

est beatitudo huius vitæ.

2. Par. 20. v. 15. 17.

Causa Dei agitur in prælio:

tentationum certamine, quàm in omnibus Israëlitarum prælijs. Curæ ergo erit Domino pugna vestra, tamquam res sua; noli te diffidere. Cùm enim animus diffidit se posse ex angustiâ, quæ eum affligit, eluctari, desperatque eam posse vincere, quòd viribus suis videatur superior; statim vigorem & conatum sustinendi remittit, fitque eneruis & languidus: spes autem extendit, dilatat & roborat animum, proponendo ei non tantùm præmium, sed etiam certum Domini in prælio auxilium. In obsidione vrbis alicuius videmus clarissimè vtriusque naturam & vires: quamdiu ciues sperant se posse eam sustinere, & hostem depellere, fortiter resistunt; cùm verò de eo desperant, animis cadunt, cogitantque de deditione. Quid autem agerent, si scirent ab animositate suâ & fiduciâ pendere victoriam? certè nemo se dederet, nullus clypeo abiecto fugeret, si se putaret stando posse superare. Et de pugnâ nostrâ dicitur: *Tantummodò confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos.* Omnes ad seruitium suum vocauit Dominus, & consequenter omnes ad pugnam: quam ne quis detrectare possit ob imperitiam arma tractandi, non operosæ exercitationis dedit pugnandi rationem; sed, quod omnes scirent, imperat: *Tantummodò confidenter state.* non aliâ agilitate, non aliâ opus est petendi aduersarium ictumque declinandi scientiâ: *tantummodò confidenter state*, & Dominus pugnabit pro vobis. Tanta est bellatrix spes & fiducia, vt eâ pedem tantummodò conferente, diuinâ virtute consternentur aduersarij. habet enim arma diuinorum promissorum impenetrabili ære rigentia, si defendere sese debeat: habet tela infallibili prouidentiæ ipsius amentò vibranda, quando aduersarius est petendus. De defensiuis est illud Psal. 90. v. 4. vbi dicitur: *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis. Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno, à sagittâ volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.* De offensiuis aurem Eccli. 2. v. 11. *Respicite filij nationes hominum: & scitote quia nullus sperauit in Domino, & confusus est.* Visne fiduciâ hac certiorem hastam, quæ numquam frustretur conatus, cùm nullius, etiam imperitissimi, vmquam fuerit vibrata manu, quin ictum quo mittebatur pertulerit, nec vmquam rubore perfusum reliquerit vibratorem suum, tamquam imperitè misisset? Omnes recensendæ sunt sacræ Paginæ, omnis describenda Sanctorum historia, si hoc exemplis velimus comprobare: sed illustris est Mardochæi & Estheris de Amano, itemque Susannæ de senioribus victoria. Nam quis magis impenetrabilis videbatur Amano, superbiâ, diuitijs, gratiâ apud Regem, &, quod inde sequitur, auctoritate ac iurisdictione summâ armato? quis magis vulneribus obiectus, quàm externus & inuisus Iudæorum populus? Expedierat Aman omnes, quas ira, ambitio, randem insania & furor suppeditare solent machinas potenti superbiæ; eoque rem deduxerat, vt frequens latissimeque per Assueri Regna diuisus Dei populus, tamquam vnius ceruicis vir, sub gladij ictu trepidaret, vnicâ horâ iugulandus: pendebat vbique ferale edictum, cunctosque aduersarios Iudæorum ad prædam & vindictam exstimulabat. Quid hîc faceret populi Princeps Mardochæus? quid Esther Regina excogitaret? Iniquissimè comparata erat pugna, in singulos Iudæorum milleni hostium armabantur. Sed ne paueas multitudinem hanc: non est enim vestra pugna, sed Dei. Fiduciæ itaque armis induit se Mardochæus. Vide quàm certis. *Si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui, peribitis:* quia nempe turpiter fiduciæ stationem deserueris. Iisdem mox Esther obarmatur: *Non comedatis*, inquit, *& non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus; & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo, & tunc ingrediar ad Regem.* Quis autem prælij finis? *Suspensus est Aman in patibulo quod parauerat Mardochæo:* decem filij eius interfecti & suspensi sunt, & *septuaginta quinque millia*

Nobis tantùm standum per fiduciam, Deus pugnabit. 2. Paralip. 20. v. 17.

Aman superatur fiduciâ in Deum.

Esther 4. v. 14.

Ibid. v. 16.

Cap. 7. v. 10.

Cap. 9. v. 16.

millia aduersariorum cum eis: denique *omnibus prouincijs, oppidis ac locis*, in quibus *planctus ingens, ieiunium, vlulatus, & fletus* fuerat, *noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium; & luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumq. conuersa sunt*. fueruntque vbique dies epularum atque lætitiæ, quemadmodum fuerant ieiunij atque cilicij. Hæc vir vnus per feminam armatus confidentiâ potuit; videamus quid femina per puerum iisdem armis effecerit. Erat Susanna filia Helciæ pulchra nimis, & timens Deum. hoc primum est victoriæ fundamentum: nam pulchritudo periculum obtulit, timor genuit fiduciam, & illa triumphum. Exarserant enim duo senes, populi iudices, in concupiscentiam eius ambo amore vulnerati. Quid tum? statuunt in communi tempus, quando eam possent inuenire solam: inueniunt in pomario, obserato ostio: vim parant; vtrimque exoritur clamor; accurrit familia. Vidisses hic lilium candidissimum (hoc enim moribus erat, nomine significabat) multo rubore perfusum, & igne castissimo coloratum, quando ficto de crimine coram suis arguebatur. Sed non stetit hîc peruersissima senum nequitia. Alterâ die citant, accusant, testimonium proferunt. Quid multa? innocentia ipsa ab vniuersâ multitudine condemnatur, iamque ad mortem deducitur. O Susanna, quid hîc facies? quibus innocentiam tuam armis, à senioribus, ab vniuerso populo, à præsenti morte liberabis? non audiuisti antè Prophetam, *Tantummodò confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos?* Audiuerat Susanna eum intus loquentem, qui hoc Prophetæ dictauit. quid ergo? *Flens suspexit ad cælum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Ecce totum eius & sufficiens contra tot hostes armamentarium: ex quo vix vnum suauissimâ voce telum vibrauerat, cùm vidit auxilium Domini super se. *Deus æterne*, inquit, *qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt contra me; & ecce morior, cùm nihil horum fecerim, quæ isti malitiosè composuerunt aduersum me.* Quâ voce mouit Dominum, vt suscitaret spiritum sanctum Danielis, vt armaret Angelum gladio; quo seniores interficeret, vt denique sanguis innoxius saluaretur in die illâ, & gaudium esset Helciæ, vxori eius, Ioakim, & cognatis omnibus, de tam prompto atque admirabili Dei auxilio. Nónne hoc est quod cecinit Regius Propheta Psal. 90. v. 14? *Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.* Qui eò potest peruenire, vt fiduciam & spem pro scuto & gladio arripiat, non tantùm eripietur ex periculis, sed etiam glorificabitur in victorijs. *Sed quàm difficile est*, Philonis verba sunt, *soli Deo credere, renitente sensu & naturâ, ipsâ etiam ratione prauis opinionibus occupatâ!* Nimirum res mortales, quibus circumdati sumus, suadent nobis, vt credamus & fidamus gloriæ, potentiæ, amicis, sanitati, & corporis robori, nostræque in primis prudentiæ, ne certa incertis, præsentia futuris commutemus, néve, quod vetamur veteri prouerbio, spem pretio emamus. Has persuasiones penitus ex animo delere, nulli creaturæ fidere, sed in solo Deo omnes suas & spes & opes habere collocatas, ex eoque totâ mente animoque pendere, res est animi magni & cælestis, nec inescati captique rebus terrenis. Verùm licet hîc aliquid reperiatur difficultatis; quis illam non libenter subeat, considerans, quàm multiplex bonum consistat in eâ fiduciâ? Difficultatis aliquid est in armis portandis, quibus miles prædam, victoriam & gloriam debet acquirere? At si tam ignauus quis reperiretur, qui ne quidem id laboris vellet suscipere, licet ei de cetero certa promitteretur præda & gloria; an tu illum militis nomine dignum censeres, & non potiùs omnibus castris tamquam fucum ignauissimum submouendum? Eâdem ratione si aliquid ponderis sit in armis istis diuinis, quod tamen est leuissimum,

Cap. 4. v. 3. Cap. 8. v. 16. Cap. 9. v. 22.

Susanna per eamdem fiduciam liberatur.

2. Paralip. 20. v. 17.

Daniel. 13. v. 35.

Ibid. v. 42.

Lib. Quis rerum diuinarum sit heres.

Difficile est Deo prorsus fidere.

uissimum, cuius tandem ignauiæ erit, ne velle quidem tantillum, vt tutus sit, subire laboris, quod ad arma gerenda requiritur, præsertim cùm tam multiplex eorum sit vtilitas? Quam pulcherrimis explicat epithetis Ecclesiasticus cap. 34. v. 19. & 20. vbi dicit, quòd Dominus sit timorem & sui fiduciam habentibus *protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem.* Vbi noto, quòd *protector* Latinè dicitur, eo Græcè dici vocabulo, quod eam vim habeat, ac si Deus suos circumdet & protegat instar scuti, excipiens scilicet & infringens omnia tela, quæ à dæmone, carne & mundo in eos iaciuntur; ita vt priùs Deum tangere debeant, quàm ad ipsos peruenire possint: à Deo autem repelluntur vel eliduntur, vt ad ipsos neutiquam, vel non nisi refracta, elisa, infirma & languida perueniant. Eamdem inuenient in reliquis hisce epithetis suauitatem, qui ijs examinandis, tamquam boni milites tractandis armis suis, delectabuntur. Ego ad alia suppeditanda nunc propero.

Vtilitas fiduciæ.

CAPVT LVIII.

Magna armatura est Oratio.

SVNT ætatis nostræ Dædali, qui res ab arte necessitatis causâ inuentas, primùm ad maiorem commoditatem, deinde etiam ad voluptatem & admirationem ita variarunt, vt dubites, vsuine magis quàm luxui inseruiant. quas inter visendæ sunt quædam minorum armorum thecæ, quibus hæc ita affabre includuntur, vt cùm, verbi gratiâ, gladiolum extraxeris, huic stimulum, stimulo calamum scriptorium & atramentarium, hisce dentiscalpia, aliasque minutias inclusas reperias: diceres, non arma, sed armamentaria inclusa vaginæ fuisse. Talem, si paruis licet magna componere, prorsus armorum thecam qui timorem Domini esse affirmaret, posset ex discursu, quem hactenus proposuimus, & quem deinde formabimus, dicti sui rationem reddere. Sic enim ex humilitate sui diffidentia, inde magnanimitas, ex illâ fiducia in Deum, ex fiduciâ creberrimus ad eum recursus & frequentata oratio prosiliunt, vt sibi inuicem tamquam thecis quibusdam armorum inclusa fuisse videantur. Cùm autem iam magnanimitatis gladium & confidentiæ scutum extraxerimus, restat, vt orationis arcum & sagittam euoluamus. Sagitta namque, quò validiùs arcus per tensionem deorsùm trahitur, eò validiùs emittitur, altiusque penetrat nubes. emblema, cui possis epigraphen inscribere: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*, Eccli. 35. v. 21. Qui ergo humilitate, prout antè diximus, se in tribulatione demiserit, arcumque fortiter attraxerit, nullo aptiore potest vti remedio contra tribulationes, quàm si orationis sagittam emittat in cælum: nam *sagitta eius, quasi viri fortis interfectoris, non reuertetur vacua.* Et superiùs pergit Ecclesiasticus: *Et donec propinquet, non consolabitur*; vel, vt Romana Græca, *non reuocabitur; & non discedet, donec Altissimus aspiciat.* An non hæc est *sagitta Ionathæ*, quæ *numquam redijt retrorsum?* Aduerte, quàm certum tentationis remedium sit oratio humiliati: nubes penetrat, &, prout superiora vertit Tigurina, *non conquiescit, nec desistit, donec peruenerit ad Altissimum, qui agat curam eius, iustè iudicet, iudiciumque exerceat.* Pulchra prosopopœia. Orationi persona affingitur, quæ in terris vim passa, & dolore saucia fugit, scanditque nubes, easque peruadit; nec cessat, donec ad solium Dei Iudicis penetret, ibique iustas suas querelas explicet, & iniuriarum suarum vindictam impetret: sicut vidua illa per satellites omnes penetrauit ad Traianum Imperatorem, petens iustam vindictam, dicensque: *Aut fac iustitiam, aut depone purpuram.* Ex aduerso, oratio hominis gaudio exultantis, seque in prosperitate exaltantis, dicitur ad nubes accedere, sed eas non peruadere; quasi exspectet Angelum aliquem, qui eam sursum perferat, & Deo repræsentet; veluti quæ

Timor Domini mirabilis armorum theca.

Oratio similis arcui & sagittæ.

Ierem. 50. v. 9.

Eccli. 35. v. 21.

2. Reg. 1. v. 22.

moram pati possit, quamque non admodum referat statim expediri. non quòd non audiatur à Deo, sed quòd non statim suum sortiatur effectum. Sed oratio humilis, qui in tribulatione suam coram Deo effundit animam, illicò præteruolat nubes, illicò coram Deo admittitur; quia Deus est amator & curator afflictorum, &, vt multum refert eis statim opem ferre, ita sine morâ eos exaudit, liberat, protegit & vindicat. Ita ferè locum suprà allatum explicat & illustrat Pater Cornelius: quo, credo, volente, Commentaria eius doctissima in Scripturam, quæ, instar cæli & auræ, iuris est communis, sine plagij flagitio aliquando rebus nostris accommodamus. Pergo. Vidit Apocal.5.v.8. S. Ioannes Angelum offerre Deo *phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Quis autem neget ideò phialas istas plenas esse odoramentis, quòd orationes instar aromatum, quò magis tribulationis igne ardent, eò suauiorem spargant odorem? Symbolicè de oratione hominis in tentationis afflictione deprecantis dicas istud Cantic.3.v.6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Sed paulatim orationis suauitate à proposito deducimur, quod ostendendum præscribit, quàm magna sit armatura oratio; vti S. Ioannes Chrysostomus Homil.41. ad pop. eam appellat. Ex Regum bellis facilè ad spiritualia nostra prælia exempla transferemus. Dicit autem de Dauid Siracides cap.47. v.6. *Nam inuocauit Dominum omnipotentem, & dedit in dexterâ eius tollere hominem fortem in bello*, id est, carneam istam turrim: sic enim Goliathum idem appellat S. Chrysostomus. Vbi audis duelli istius gloriosissimum exitum tribui viribus orationis, quâ magis quàm fundâ suâ diuinus ille athleta armabatur. Cùm S. VVenceslaus Bohemiæ Rex, à Radislao Duce Curmiensi Bohemiam inuadente prouocatus ad duellum, illud acceptasset, vt bellum duello, & populi totius periculum suâ dimicatione redimeret; Deo suppliciter inuocato, equum conscendit. vidit autem mox aduersarius ei diuinitus ab Angelo hastam porrigi, & se ab eodem hac voce moneri, *Noli ferire:* quâ territus, ex equo desilijt, & ad pedes Sancti procidit, veniam petens: quem ad parcendum, quàm ad vlciscendum paratiorem inuenit. Ita habet Vita S. VVenceslai. Bellator insignis erat Iosue, sed non tam armis quàm his omnibus præstantiore oratione valuit. Idem Siracides testatur: *Inuocauit Altißimum potentem in oppugnando inimicos vndique; & audiuit illum magnus & sanctus Deus, in saxis grandinis virtutis valdè fortis*, quæ misit aduersus eos de cælo, & quibus *mortui sunt multò plures quàm quos gladio percusserant filij Israël.* Idem euenit Theodosio Imperatori contra Eugenium tyrannum decertanti. vnde Claudianus in eius Panegyrico:

O nimiùm dilecte Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claßica venti.

Vbi hærent Dauides nostri & Iosue, Theodosij & VVenceslai spirituales? an non habent magnifica hæc Dei auxilia satis virium, vt eos excitent ad eadem speranda tali in prælio, vbi certiùs ille opem suam est pollicitus, & ex cuius victoriâ maior in Deum redundat gloria? vt propterea dicat, *Cum ipso sum in tribulatione*, Psal.90.v.15. Ac si diceret: Tanti momenti, imò tantæ gloriæ est prælium, in quo iustus cum tribulatione vel tentatione componitur, vt numquam illud sinam iniri sine meâ præsentiâ, si ritè fuerim ad hoc inuocatus, hominesque per orationem viam quodammodò strauerint, per quam possim, non imminutâ maiestate, ad auxilium eorum descendere. Est enim oratio legitima quædam legatio ad Deum; quam nobilissimi mentis nostræ satrapæ, selectissimi inquam affectus, obeunt ad impetrandum ab eo copias auxiliares. quâ auditâ, illicò Deus modò Sanctorum aliquem, modò Angelorum cohortem præmittit, qui salutares periclitantibus adhibeant manus: semper autem ipse sequitur potentiâ suâ, vel hostes debellans, vel athletæ suo

Dauid oratione superat Goliath.

VVenceslaus in duello per orationem victor.

Iosue arma oratio.

Eccli.46. v.6.

Iosue 10. v.11.

Adest Deus semper in tribulationibus, quando inuocatur.

Oratio est legatio ad Deum pro copijs auxiliaribus.

ſuo vires ſuppeditans; vt tantò glorioſiùs vincat, quò diutiùs pugnauerit. Ideò Abbas Moyſes in Vitis Patrum lib.6. libello 4.n.6. rogatus, *Quid faciet homo in omni tentatione venienti ſuper ſe?* reſpondit: *Flere debet in conſpectu bonitatis Dei, vt adiuuet eum; & requieſcet velociter, ſi rogat in ſcientiâ: ſcriptum eſt enim, Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Abbas verò Ioannes lib.3. nu.208.& 209. ait: *Sicut homo videns feras aſcendit in arborem, vt euadat; ita & homo videns tentationes irruentes, confugiat per orationem ad Dominum, & ſaluabitur. Et ſicut aqua extinguit ignem; ſic quandocumque cogitatio turpis ſuccenſa fuerit ab inimico, tunc aquam orationis effundat, & extinguat illam.* Ludebant in eo variè varijs comparationibus ſancti iſti Eremicolæ, rem ſibi quotidianam, præcipuamque belli ſui machinam tot exornantes encomijs. Abbas Hyperichius lib.5. libello 7.n.20. *Hymni*, inquit, *ſpirituales ſint in ore tuo, & meditatio aſsidua ſubleuet pondus tentationum ſuperuenientium tibi: ſic enim viator ſarcinâ oneris prægrauatus, flando & reſpirando oneris & viæ paulatim laborem imminuit.* Adeò vt vix laboris remedium, vix vllum bellicum inſtrumentum reperiri poſſit, quod exercitatiſſimi iſti milites & belli duces ex oratione mirâ dexteritate non conficerent; vt nos docerent, quantum ſit in eâ aduerſus tentationes præſidij.

CAPVT LIX.

Reſignatio in diuinâ voluntate, omnium remediorum contra tentationem maximum.

HACTENVS, quâ ratione itinerando ad terminum, laborando ad præmium, currendo ad brauium, pugnando ad victoriam perueniatur, oſtendimus: iam aliam prorſus inibimus viam, docebimuſque, quomodo manendo iter facere, otiando laborare, ſedendo currere, & quieſcendo pugnare poſſimus; vt ſine moleſtiâ, ſine ſudore, ſine laſſitudine, ſine periculis id aſſequamur, quod anteà per iſta quæſiuimus. Hactenus pugnam ad vincendum adhibuimus, nunc victoriam ipſam dabimus in pugnæ remedium: ſparſimus per varia bellandi præcepta vincendi modum, nunc per vnicum præceptum bellandi laborem excludemus. Quodnam autem illud tam glorioſum victoriæ compendium? quiſnam iſte labor expers laboris? quiſnam ille ſine motu curſus? quænam iſta quieta itineratio? Præmunienda maioribus miraculis ad rem tam paradoxam via. Vidit rubum Moyſes ardentem, & non combuſtum. Canticum audiuimus puerorum in ſuccenſâ fornace illæſorum. Hiſtoriæ produnt, Olympi verticem omnibus tempeſtatibus inacceſſum, & inter perpetuam rerum ſublunarium varietatem immotum. Per hæc ad id, quod promiſimus, iter eſt. Volumus enim hominem in medijs tentationum tempeſtatibus inconcuſſum; volumus inter concupiſcentiæ flammas incombuſtum; volumus inter incendia Babylonicæ fornacis non tantùm animo & corpore illæſum, ſed etiam gaudentem, & Deo ſuo iubilantem. Quòd ſi hæc incomprehenſibilia videantur, ſciamus hanc eſſe pacem, quam ſuis optabat Apoſtolus: *Pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras, in* CHRISTO IESV. Pacem optat omnem humanum ſenſum excedentem, qualis illa iuſtorum eſt, qui eò ſublimitatis peruenerunt, vt non contriſtet eos quidquid acciderit. Nequit enim ſe ſolo intellectus noſter capere, quodnam illud ſit admirabile ac ſupernaturale Dei donum, quo animus humanus inter omnes vitæ huius tempeſtates immotus & inconcuſſus permaneat; & non tantùm non contriſtetur aduerſis, ſed etiam gaudeat. Eſt autem hæc virtus ita mirabiliter animum fortificans & pacificans, *conformatio noſtræ cum diuinâ voluntate.* De quâ priùs, quid vetus Philoſophia cenſuerit, videndum eſt, quàm Theologiæ noſtræ adyta referemus. Seneca lib. de Prouident. 5. cap. pro omnibus inducit De-

Phil.4.v.7. *Pax ſuperans omnem ſenſum, eſt reſignatio.*

 metrium

Etiam Ethnicus nota resignatio.

metrium loquentem: *Boni viri*, inquit, *laborant, impendunt, & impenduntur, & volentes quidem; non trahuntur à fortunâ, sequuntur illam, & aequant gradus; si scissent, antecessissent. Hanc quoque animosam Demetrij fortissimi viri vocem audisse me memini: Hoc vnum, inquit, Dij immortales, de vobis queri possum, quòd non antè mihi voluntatem vestram notam fecistis: prior enim ad ista venissem, ad quæ nunc vocatus adsum.* Deinde ad particularia generosam hanc voluntatem deducit: *Vultis liberos sumere? illos vobis sustuli. vultis aliquam partem corporis? sumite. Non magnam rem promitto; citò totum relinquam. Vultis spiritum? quidni? nullam moram faciam, quo minùs recipiatis quod dedistis: à volente feretis, quidquid petieritis. Quid ergo est? maluissem offerre quàm tradere. Quid opus fuit auferre? accipere potuistis: sed ne nunc quidem auferetis, quia nihil eripitur nisi retinenti. Nihil cogor, nihil patior inuitus; nec seruio Deo, sed assentio.* Magna verba, dignaque quæ magis ex animo, meliori Deo, à melioribus dicantur Philosophis. Sed vmbra fuit ista Philosophia nostræ lucis; & vmbra quæ subiude non ineptè virtutes nostras refertet: muta enim cæcam illam fortunam in oculum prouidentiæ sempiternæ rebus omnibus inuigilantem; muta deos in immortalem ac omnia scientem Deum, reliqua fas erit non Christiano tantùm, sed Religiosi non vulgaris perfectionis ore proloqui, qui in eo collocet virtutum summam, vt suam cum diuinâ voluntate conformet, eius nutus ita accuratè obseruet, vt statim præuolet ipse quò Deus intenderit; dicat, *Non seruio Deo* seruitute aliquâ timore cogendâ, *sed assentio*, meam cum ipsius nutu voluntatem coniungo; amore etiam præcurro libenter, antequam imperetur facturus, si tantùm præscirem imperandum. Stupendum sanè est eò Ethnicos peruenisse, cùm vix amplius à Christiano possit sperari: Sed ego istos magnificentiùs locutos esse puto, quàm fecerint; Christianos autem plus etiam facere posse, quàm illi dixerint: carebant enim ipsi tot incitamentis, quæ nobis suppetunt ad coniungendam nostram cum diuinâ voluntate; carebant tot in aduersis gaudendi occasionibus, quibus nos circumfluimus: in quas oculos intendens patientissimus mortalium, in sterquilinio suo exultabundus dicebat Deo: *Mirabiliter me crucias*. Nescio, an affectum Patriarchæ, quem istis verbis indicat, verbis vllis explicare potero; tentabo tamen. Est quidam vlcerum tactus, qui corpus nostrum cum dolore quodam delectat: quo sensu dum inter dolorem & gaudium suspensus animus afficitur, inexplicabili quadam ratione hoc ex illo intenditur, adeò vt exoptet nociturас manus, & cruciatu illo iam verè delectetur, nolitque abesse dolorem, ne simul titillatione istâ frustretur: eàdem ego ratione Patriarcham istum imaginor inter fœdam corporis sui scabiem, attactu diuinæ manus ita fuisse delectatum, vt admiratus se mala sua iam diligere & exoptare, constitutusque inter ista doloris gaudijque confinia exclamauerit: *Mirabiliter me crucias. Mirabiliter*, quia inter summos quos humana natura perferre potest dolores, prodigium est summa reperiri gaudia. *Crucias*, inquit, & lætor; labore exerces, & non fatigor: cum hoste ferocissimo me componis, cædor, vulneror; & non vincor: rapior à diuitijs ad inopiam, à filiorum coronâ ad orbitatem, à felicitate ad miseriam, à domo denique in sterquilinium; & tamen in diuinâ voluntate tuâ suauissimè quiesco, omnis expers defatigationis. Magni emerit vanus Imperator puluinum, in quo mirabile ipsi videbatur, hominem plurimis obæratum nominibus somnum capere potuisse: ego certè istum, in quo Iobi animus inter tot corporis cruciatus ita suauiter quiescebat, omni pretio iudico inæstimabilem: erat autem non alius quàm conformatio eius cum diuinâ voluntate, hisce verbis satis descripta: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.* Quo etiam versu indicat duo solidissima istius resignationis fundamenta: primum est, nihil hic contingere sine decreto supremæ

Iob 10. v. 16.

Quomodo Iob affectus fuerit gaudio inter tantas miserias.

Iob 1. v. 21.

Meditatio diuinæ prouidentiæ prima ad resignationem via.

mæ voluntatis: alterum, quòd non possimus Deum vllâ nobiliore ratione benedicere, quàm si nos isti volentes accommodemus. Primo sic suam solidabant constantiam antiqui Sapientes: *Fata nos ducunt; & quantum cuique restet, prima nascentium hora disposuit. Causa pendet ex causâ, priuata ac publica longus ordo rerum trahit. Ideò fortiter omne ferendum est: quia non, vt putamus, incidunt cuncta, sed veniunt. Olim constitutum est, quid gaudeas, quid fleas: & quamuis magnâ videatur varietate singulorum vita distingui, summa in vnum venit. Accepimus peritura, perituri. Quid ita indignamur? quid querimur? ad hoc parati sumus. Vtatur, vt vult, suis natura corporibus; nos læti ad omnia & fortes cogitemus, nihil perire de nostro.* Sic omnium nomine seuerè, vt solet, seueram à nobis exigens ad omnia fortuita mentem Romanus Sapiens: sed quantò accommodatiùs ad captum sensúmque nostrum is, qui vt homines diuina doceret, diuinitatem ipsam humanitate nostrâ vestiuit? *Nónne duo passeres*, inquit, *asse væneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?* quantò suauiùs Patrem nostrum nominat, cuius prouidentiâ regimur, cuius voluntati obtemperamus, quàm ille fati legem rigidam, duram, ferream? quantò prudentiùs à passerculis, id est à rebus vilissimis (quarum tamen curam gerit paterna Dei prouidentia) nos in spem erigit certam, quòd accuratam rerum nostrarum curam geret? quantò, inquam, prudentiùs quàm Seneca, qui cùm nihil nisi rotas, secures & mortes acerbissimas crepet, ad fati & naturæ rigidas leges, id est ad ipsius desperationis nos ablegat fores; vt istis vim omnem doloris illidamus, ipséque tandem nobis acclamet, Gaude, quòd pereas? Meliora profectò, meliora à Christi scholâ adferimus, Sodales. Stat quidem manetque sententia: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt*, Ecclesiastici 11. v. 14. Sed etiam illud fixum sit menti, Deum Patrem esse, & Patrem nostrum, quo nemo potest benignior aut melior excogitari. *Ad omnia*, inquit Tertullianus lib. 2. contra Marcion. cap. 14. *tibi occurrat Deus, idem percutiens, sed & sanans; mortificans, sed & viuificans; humilians, sed & sublimans; condens mala, sed & pacem faciens.* Addo: Ad omnia tibi occurrat Pater Deus, percutiens & sanans, &c. & cum voluptate cogitabis, quòd in Deo sit peruigil illa & perpes cura, quâ res omnes inspicit, adit, cognoscit, & cognitas immotâ quadam & ignotâ nobis serie dirigit ac gubernat. quam nos prouidentiam vocamus: semper enim hoc erit nobis in omnibus consolationi, cùm non sit *malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit*; omnia nobis à Patre isto immissa & admensa esse, prout iudicat ex eo, qui Patrem decet, affectu conuenire. Hisce tum securè licet immobilem decretorum ipsius adnectere ordinem, non vt tamquam contumax equus hîc frenum mordeas, & nusquam te commoueas, nisi quò obtorto collo inuitus sine vllâ eligendi libertate traheris; sed, cùm scias te voluntati supremæ non posse resistere, vt volenter patiaris quod ille immiserit, maximo tuo merito & bono. quod equidem inuitus patieris, si tu liberè elegeris, potiùs inuitus trahi, quàm lætus sequi.

Senec. de Prouident. cap. 5.

Matth. 10. v. 29.

Amos 3. v. 6.

Vnde sequitur alterum ad hanc resignationem incitamentum; quod cùm fuerit prorsus ignotum Philosophis, mirum non est, eos non nisi frigida aduersitatum solatia attulisse: quòd nimirum hac ratione amoris quamdam perfectissimam societatem inire possimus cum æterno illo Numine, decretis ipsius voluntariè obtemperando, nostramque voluntatem ad eius beneplacita accommodando. nam *eadem velle, & eadem nolle*, teste S. Hieronymo, *ea demum firma amicitia est.* Plus quidem ad hanc conglutinandam amicitiam requiri, quàm quæ natura per se homini concessit, non nego; sed cùm certum sit, ea Christianis affatim à Deo suppeditari, non est opus earum hîc mentionem fieri: sufficit, constare nobis, quòd hac conformitate voluntatis nostræ cum diuinâ, non solùm peruenire possimus

Amor Dei hac resignatione acquiritur & exercetur.

Epist. ad Demetriadem. & Cicero de Amicitiâ

ad summam sanctitatem, sed etiam Dei charitatem, quòd hæc in eâ formaliter & essentialiter consistat; ideoque dicebamus quietem & victoriam hac resignatione contineri. Si itaque hanc contra ipsas tentationes adhibeamus, iam eas ante pugnam vicerimus, iam in ipsis earum molestijs suauissimè quiescemus, iam gaudebimus ita nos exerceri, quemadmodum nos perficiendos ab ipsâ æternitate optimus Pater noster disposuetat. Si iam vellemus resignationem hanc verbis exornare, bona quæ in eâ sita enumerare, & suggerere ad eam perueniendi remedia, opus esset non exiguo de eâ solâ materiâ volumine. quare hæc inpræsentiarum ideò omitto, quòd sufficiat ad rem nostram, hoc tentationum omnium præstantissimum assignasse remedium: quod si reliquis, quas ad vim earum infringendam assignauimus, virtutibus innitatur, faciet in ipsis tribulationibus & tentationibus gaudium nostrum plenum, quod nemo tollet à nobis; dicemúsque tandem: *In omnibus requiem quæsiui, & in hereditate Domini morabor.* Imò in omnibus requiem inueni, in lætis & tristibus, in prosperis & aduersis, in paupertate & diuitijs, in vitâ & morte: & cùm eam inuenerim in omnibus, gaudeo tamen in hereditate Domini mei IESV CHRISTI, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* hoc est, in tribulationibus & tentationibus, in paupertate & ærumnâ, in molestijs & difficultatibus morari; vt ipsi tantò sim similior, qui per omnia fecit voluntatem Patris sui qui in cælis est; & qui me ita dilexit, vt hæc ipsa pro me gaudens sustineret, quæ ego lubentissimè pro ipso perpetior.

Eccli 24. v.11.

Hebr.12. v.2.

CAPVT LX.

Axiomata militaria pro pugnâ spirituali.

TOT armis tyronem nostrum contra aduersariorum impetum muniuimus, quot virtutes ex timore filiali, tamquam ex armamentario instructissimo, deprompsimus: reliquum est, vt eumdem præceptis quibusdam, seu axiomatibus militaribus instruamus; vt sciat, vbi, & quando, & quomodo arma viresque suas maximè impendere conueniat. Præcipuum axiomatum omnium in Regulâ dedimus, principijs nimirum tentationum diligenter attendendum, hostemque elidendum in semine, ne crescat. quod vnicum esse potest instar omnium: nam si hoc quà par est ratione obseruetur, nihil opus erit reliquis, quòd vel isto etiam contineantur; vel certè hoc adhibito superuacanea sint, cùm eorum adhibendorum tempus per hoc solum præcidatur. Axioma autem hoc ex naturalis luminis principijs deductum, experientiâ comprobatum, in omnibus practicis scientiis receptum, in medicinâ vulgatissimum, ab omnibus vitæ Christianæ præceptoribus, vbi tentationum fit mentio, tamquam proprio in loco inculcatur. Nam lumine naturæ certum est, rem debilem & imbecillam faciliùs superari posse, quàm si eadem robur viresque collegerit. Iam experientiâ rerum naturalium constat, quòd omnes res principia sua magno gradu transeat, paulatimque augmentum viresque sumat ac roboretur. Semina quantillæ sunt reculæ, & quàm tenera quæ primùm protrudunt germina; sine modò, & videbis plantulam, quam vix attingere possis quin lædas, in arborem excrescere, quam viribus nullis queas conuellere. Aspice Rhenum, aspice Euphraten, omnes denique inclytos amnes, quid sunt, si illos illic, vnde effluunt, æstimes? quidquid est, quo timentur, quo nominantur, in processu parauerunt. Tolle radicem, nemora non surgent, nec tanti montes vestientur. Aspice hominum quosdam viribus indomitos, quantilli fuerint & quàm imbecilles, quando primùm in lucem editi per colla nutricum reptabant. Denique rebus in omnibus principia sua semper sequens magnitudo obruit; cunctisque vires & robur ita paulatim accrescunt, vt vix pro iisdem agnoscamus, quæ olim tenerrima vidimus in ortu, & quotum iam robur obstupescimus.

Principijs obsistendum.

A tenuibus principijs res magnæ oriuntur.

mus. Hinc prudenter scientiæ omnes receperunt, initiis cuiusque præcipuam adhibendam curam. Medicis autem præ ceteris decantatum est:

Ouid. 2. de Remedijs amor.

Principijs obsta, serò medicina paratur,
Cùm mala per longas inualuere moras.

à quibus facilè ad virtutum præcepta traductum est: tam enim in animæ morbis persanandis hæc laborant, quàm medicina est in curandis membrorum ægritudinibus occupata. Et sanè si vspiam valet, in tentationibus proprium habet locum: ideò in Canticis tam solicitè monet vel sponsus, vel sponsa, vel ad augendam curam vterque: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Crescere eas nolunt, ne posteà damnum quod inferant sit maius, & difficilior, postquam vires sumpserint, earum extirpatio. Ad nostram materiam Dominæ nostræ ista vox est: Mens seruorum meorum, quibus ego me benignitate Matrem, amore Sponsam exhibeo, mihi ipsisque communis est vinea, in quâ mutuis indulgemus deliciis; & iam exorto gratiæ particularis lumine, id profecimus, vt flores emiserit sanctorum desideriorum & bonorum propositorum, & initia exhibeat fructuum ac bonorum operum. Ne igitur floribus hisce ac fructibus destituamur, ac tota deuastetur vinea, date operam, vt dolosissimæ malarum cogitationum vulpeculæ minimè excrescant: quæ cùm productas deprædantur vuas, illasque perturbant, quæ à piis animabus fiunt, actiones bonas; tantum in hac tempestiuâ diligentiâ situm videtur Prophetæ Regio, vt beatitudinis ac felicitatis quamdam speciem in eâ sitam esse arbitretur, atque sub aliâ allegoriâ dicat: *Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos* suos *ad petram.* Quod explicat S. Hieronymus: *Nolo finas cogitationem crescere: nihil in te Babylonicum, nihil confusionis adolescat: dum paruus est hostis, interfice: nequitia, ne zizania crescat, elidatur in semine.* Vtrobique (ne hoc transeamus) indicatur triplex, eius, quod præscribitur, efficiendi modus. Nam vulpeculæ ne deuastent vineam, vel alligantur vinculis, ne per eam excurrere possint, vel allisione occiduntur, vel, quando alio pacto haberi nequeunt, igne ad illarum foueas apposito comburuntur. Et Dauid primùm dicit: *Beatus, qui tenebit,* hoc est, capiet & vinciet; qui est primus modus. deinde, *Et allidet ad petram,* secundus. Adiungit autem ex aliâ parabolâ S. Hieronymus, *Zizania,* quæ optimè adustione eliditur, vt habeamus etiam tertium. Vincies autem cogitationes prauas primùm exorientes, si efficaci voluntatis imperio imaginationem constrinxeris: allides ad petram, si eas alijs bonis spectantibus ad vitam passionemque CHRISTI, qui petra est, cogitationibus expuleris: per exustionem verò tum capiuntur, cùm menti ad reliquas machinas immotæ infernalium incendiorum meditatio adhibetur, vt saltem timore pœnarum à peccando abstineat. Quòd si horum negligentes, crescere sinamus tentationem, præterquàm quòd periculum sit, ne morsu aliquo peccati letifero vitem tuam planè interimat; hæc etiam non parui pendenda est vastatio, quòd tot vineam tuam inquietabunt transcursionibus, tam copiosâ eam generatione adimplebunt, vt nullum fructibus producendis vel otium habitura sit, vel spatium inuentura. Plerumque enim contingere videmus, prauam aliquam cogitationem tempore adultam, tantum in humanâ mente habere virium, vt neque contemplationi, neque lectioni, neque orationi vllum det otium, neque spatium vlli rei bonæ exercendæ. Cuius nos Apuleius periculi, quamuis nequissimus auctor, tamen sapientissimè aduertit: *Flamma saui,* inquit, *amoris parua quidem primo vapore, sed fomento consuetudinis exæstuans, totos comburit homines.* hoc est, ita eos absumit, ita cogitationes, occupationes, & tandem affectiones omnes ad se trahit, vt nihil iam agere possit, nulliusque sit bonæ frugis: cui si totum se affectioni tradiderit, iam miserrimè non tentatur ampliùs, sed perit. Si verò aliquando virum se præbere, ac forti animo eam repellere desiderat; cur non statim initio hoc facit, antequam crescat,

Cant. 2. v. 15.

Capienda vulpes paruula.

Psal. 136. v. 9.

Triplex modus tentationes superandi.

Cogitatio mala totam occupat mentem, si non eliditur.

crescat, ac maiore posteà fiat animi dolore? In parentibus Moysis exemplum habemus, quod non ineptè rei huic illustrandæ seruiet: ipsi enim natum sibi infantulum contra Regis edictum absconderunt tribus mensibus: quibus elapsis, cùm vix posset vlteriùs tegi, eâ quam sacræ Paginæ narrant ratione puerum aquis ac misericordiæ diuinæ exposuerunt. Quo in facto cùm necessariò boni parentes acerbissimum sentirent dolorem, eos Philo Iudæus hac ratione facit inuicem colloquentes: *Debueramus recèns natum exponere, per tres menses aluimus, nobis maiorem tristitiam parantes, & puero acerbiorem cruciatum.* ac si dicerent: Quandoquidem huc tandem veniendum erat, vt puer exponeretur, & charissima viscera nostra crudelissimè auellerentur à nobis; nulli vsui fuit hæc trium mensium mora, nisi vt nobis augeretur tristitia & dolor, quando ægriùs abstrahitur, quod tamdiu continuato semperque aucto affectu fuit agglutinatum. Idem in prole mentis nostræ spuriâ, quam tolli iustitiæ Rex vetuit, euenire solet; vt scilicet tantò ægriùs posteà abijciatur, quantò diutiùs in eâ hæserit, paulatimque crescendo, amorem quemdam sui nobis ingenerarit. De Theotimo quodam narrat S. Ambrosius, ita eum perditè rei cuipiam, cui assueuerat, adhæsisse, vt, cùm eam Medici cum seuerâ cæcitatis, si eam repeteret, denuntiatione vetuissent; ipse victus corroboratâ iam consuetudine, sciens volens, quam inde capiebat voluptatem, perpetuâ cæcitate emerit, ingeminans: *Vale amicum lumen.* Tantas paulatim vires sumit quæcumque demum tentatio, nisi tempestiuè sub ipsis vincatur initijs. Quot indies, prô dolor! reperiuntur Theotimi, qui scientes & videntes internum illud gratiæ lumen, quo eorum collustratur anima, deperdendum, nisi isti aut isti tentationi resistant, quòd nimiùm iam diu ipsi inhæserint, viresque eam sumere permiserint, victi exclamant, Vale amicum lumen, vale gratia, ac turpissimæ seruiunt tentationi: cui si tempestiuè aduigilassent, gloriosissime potuissent imperare.

Tentationes si initio non reijciuntur, posteà ægriùs superantur.

Alterum à militiâ petitum axioma hoc habet cum priore commune, quòd non tantùm tentationum principijs resistendum, sed etiam ante ipsas aduigilandum docet. præcipit enim: *Debilissima anima nostra partis maximam adhibendam esse diligentiam.* Vbi obseruanda aduersarij nostri vafrities est, tum etiam naturæ nostræ imbecillitas: nam, vt notat S. Bonauentura 5. p. Breuiloquij, non aliter nobiscum agit dæmon, quàm Dux aliquis cum ciuitate vel arce, quam oppugnare & expugnare gestit. Ante omnia enim quàm accuratissimè inquirit & explorat, quænam parte eius mutus minùs sit aut naturâ aut arte munitus. quod vbi notauit, omnem tormentorum & machinarum suarum vim huc conuertit, huc milites omnes conniti iubet; tametsi plurimi ipsorum hac incursione certissimum vitæ sint periculum adituri: hac namque parte disiectâ, aditu iam dato, facilè locum occupabit. Pari modo diabolus, quâ anima nostra parte debilissima sit, sedulò explorat, vt per hanc nos expugnet atque debellet. Nostrum proinde est, cauere id præuertere, & accuratè nos contra aduersarium nostrum communire; præuidere, inquam, & attentè notare quæ animæ nostræ pars sit debilissima, quæ à virtutum armaturâ præ alijs minùs instructa, nimirum illa, quæ vel ab indole & naturali inclinatione, vel passione quadam inordinatâ, vel prauâ consuetudine, prauo denique habitu fortiùs impellitur. atque ideò de eâ communiendâ magis nobis laborandum, ac diligentiùs prouidendum. Hoc diaboli ingenium sic exprimit S. Bernardus de Interiori domo c. 47. *Diabolus quando decipere quempiam tentat; priùs naturam vniuscuiusque intendit, & inde se applicat, vnde aptum hominem ad peccandum aspicit. blandis & lenibus mentibus luxuriam, aut vanam gloriam proponit; asperis verò mentibus iram, superbiam vel crudelitatem.* Sanctus verò Gregorius similitudinem, quâ id exprimat, ab aucupibus petit. Vt enim hi ante omnia scire laborant erga quod escæ

Hostis debilissimam animæ nostræ partem oppugnat.

ideò illa est diligentiùs propugnanda.

escæ genus aues, quas captare volunt, maximè afficiantur, vt sic eas faciliùs in casses pertrahant: sic primaria aduersariorum nostrorum cura & studium est, nosse quibus nos rebus maximè afficiamur ac delectemur, vt per eas nos irretiant, atque in animam nostram se insinuent. *Sed spiritualis homo*, inquit S. Bernardus suprà, *qui omnia iudicat, eius astutias non ignorat.* hoc est, contra vulpem hanc vulpinatur, & astutum capit in astutiâ suâ, ob illam ipsius indolem diligentiùs rebus suis aduigilans, ac dispiciens quibus passionibus maximè laboret ex ijs, quas, quòd nobis violenter dominentur, & quò nolumus inuitos impellant, prædominantes vocant; vt opportuna ijs remedia adhibeat etiam antequam tentetur: & aduersarius, visâ præuiâ diligentiâ, vel de victoriâ desperet, proindeque tentatione supersedeat; vel, si aggrediatur, dentem figat in solido, itaque irritâ tentatione non vulneret, sed coronet præparatum.

Contrarijs contraria vincuntur.

Tertium spiritualis militiæ præceptum etiam à medicinâ venit, quæ contrarijs contraria curanda præscribit. Non ideò postremus est inter vitæ religiosæ, id est Christianæ perfectionis, magistros S. Ignatius de Loyola, quia fere post omnes venit; sed ausim dicere, eum ex maioribus nostris omnibus medullam hausisse, cui deinde proprium colorem & saporem addiderit; ita scitè & sanctè, vt, qui omnibus vsus est, singulos superasse videatur. Is autem, auctore Alphonso Rodericio, 3. p. Constitutionum suarum cap. 1. §. 13. vnde in earum Summarium reg. 14. translatum est præceptum hoc, explicitè tradit his verbis: *Anteuertere oportet tentationes, adhibitis earum contrarijs: vt, cùm quis animaduertitur ad superbiam esse propensus, exerceri is debet in rebus abiectioribus, quæ ad humiliandum ipsum vtiles futuræ videantur; & sic de alijs animæ propensionibus.* Vbi ante omnia noto, etiam ipsum velle præceptum hoc, primo ex ijs quæ nos proposuimus contineri, ac solùm modum rationemque certam addere, quo modo nimirum tentationum initijs debeamus resistere, cùm doceat etiam anteuertendas esse tentationes. *Excludendæ sunt* (dicit de occupationibus Seneca, nos meliùs, de tentationibus:) *Si semel intrauerint, in locum suum alias substituent. Principijs earum obstemus: meliùs non incipient, quàm desinent.* Modus autem hic est optimus, vt contraria adhibeamus, atque illis mentem occupemus virtutibus, quæ vitijs istis aut passionibus opponuntur, quas ex superiori præcepto animaduertimus in nobis prædominari. Habet autem hoc omnis virtus, vt actibus eius, si frequententur, animus non assuescat tantùm, sed etiam delectetur; vnde nascetur horror & auersio à vitio contrario, quo feruor tentationis tamquam aspersâ frigidâ vehementer temperabitur. Generat præterea habitum quemdam benè operandi, qui tollit difficultatem, communem virtutum omnium remeliginem. Iam verò cùm per cogitationes prauas incipiat tentatio, & intellectus noster molæ sit simillimus, quæ semper id molat atque comminuat quod sibi imponitur; certum est nihil melius esse ad excludendas cogitationes prauas, quàm mentem implere sanctis de virtute contrariâ contemplationibus: quæ, præter vim istam quam habent suâ præsentiâ formaliter excludendi alias inutiles & noxias, etiam afficiunt, actuant & habituant, vti iam diximus, animum. Disertè traditur hoc præceptum in B. Ægidij Vitâ, qui fuit è D. Francisci familiâ. Vbi refertur, non ita diu post Patriarchæ istius Seraphici transitum ab huius vitæ humilitate ad sublimem, quam amiserat superbus apostata angelus, cælorum gloriam; conuenisse in vnum Fratres quosdam instituti ipsius asseclas, ibique de remedijs contra importunitates tentationis luxuriæ quæsiuisse. Erat, qui se sibi vitij deformitatem proponere dicebat, quòd nimirum abominandum faciat hominem, non solùm Deo, sed ipsis etiam hominibus. Erat, qui totam spem collocandam censeret in Virgine Deiparâ: *Proinde*, aiebat, *eam in æstu tentationis infimis precibus interpello;*

Epist. 72.

Conferentia de superandis tentationibus.

pello; neque cesso à precibus, donec hostis cesset à tentatione. At Fr. Iuniperus: *Ego,* inquit, *cùm procul venientem hostem prospicio, portas animi bonis desiderijs & cogitationibus occludo, & intus sublatâ voce exclamo: Procul, procul, occupatus est diuersorij locus.* In quam mox sententiam concessit Ægidius, dicens: *Ego quoque mihi Iuniperi arma assumo.* Quæ duplici ex capite videbat commendatione omni maiora: primùm, quod istâ ratione hosti aditum omnem prohiberet. *Diabolus namque*, vt ait in caput Eccli. 9. S. Hieronymus, *serpens lubricus est: cuius capiti, id est primæ suggestioni, si non resistatur, non est dubitandum quin in penetrale cordis nostri furtim illabatur.* Deinde verò, quòd contrariâ virtute redderet mentem occupatam, cogitatione nimirum & contemplatione rerum cælestium, contra impurarum rerum imagines.

Iam reliqua, quæ passim suggeruntur præcepta de otij & occasionum fugâ, de attentâ nouissimorum contemplatione, de frequenti Sacramentorum Pœnitentiæ & sacrosanctæ Eucharistiæ vsurpatione, aliaque id genus, tum breuitatis causâ, tum vel maximè ideò omitto, quòd possint ad ea quæ iam dedimus, vel arma vel præcepta reuocari: ista enim particularia sunt exercitia, quæ ex generalibus istis quæ attulimus fluunt aut deducuntur. Quare huic de tentatione tractatui finem imponam, cùm breuiter vltimum & proprium mancipijs remedium, B. MARIÆ Virginis inuocationem proposuero.

CAPVT LXI.

Inuocatio B. MARIAE *Virginis, optimum contra tentationes remedium.*

VLTIMVM remediorum, quod simul esse potest instar omnium, tandem Regula veluti Sodalibus proprium adducit; vt nimirum spem suam præcipuam collocent in auxilio istius Dominæ, cuius se per pium hunc mancipatum familiæ tradiderunt: cui excitandæ fiduciæ breuiter perstringitur generosa Dominæ nostræ indoles, quæ gaudeat & pascatur victorijs: reuocantur item in memoriam triumphi isti gloriosissimi, quos tam admirabiliter vel per se ipsa congressa cum aduersario, vel Filium suum pugnæ committens; retulit de potestatibus tenebrarum. quos cùm, pro tenuitate nostrâ attingentes (quod propter eorum magnitudinem necesse erat) narrando obscurauerimus, non iterabimus hîc pium crimen, contenti monuisse, vel solam eorum recordationem præstantissimum esse telum in hostes nostros, quòd ijs toto vultu spargat cruorem, cogatque inter tenebras illas rubescere exprobratione veteris ignauiæ, quâ feminæ herbam porrexerint. Sæpissimè hoc telo vsos fuisse veteres eremi incolas, eorum produnt Historiæ; quod hoc vt plurimùm contorquebant amento: *Discede infelix, inanes sunt vires tuæ, qui à muliere deuictus es.* Verus enim Abimelech est hostis noster: cuius figuram gerebat ille, qui lapide molari ex turri demisso à feminâ, caput obtritus clamabat ad armigerum suum: *Percute me, ne fortè dicatur quòd à feminâ interfectus sim.* Sed mitto superbiam ignominiamque diaboli, mitto gloriosos Dominæ nostræ triumphos; id quæro, quantum in eius misericordiâ spei, quantum in ope præsidij ponere debeant mancipia. Sic Nouitios alloquitur Thomas, nō Aquinas ille ob doctrinæ subtilitatem Angelicus, sed Kempensis, in ipsâ pietatis simplicitate diuinus: *Dilectio* S. MARIÆ *expellit omnem æstum carnalis concupiscentiæ, & donat refrigerium castimoniæ. Dilectio* S. MARIÆ *facit mundum contemnere, &* CHRISTO *humiliter seruire. Dilectio* S. MARIÆ *ab omni malâ societate conseruat, & piæ conuersationis puritatem informat. Dilige ergo* S. MARIAM, *& percipies spiritualem gratiam: inuoca* MARIAM, *& obtinebis victoriam.* An clariùs dicere poterat, S. MARIÆ Virginis amorem & inuocationem esse panopliam istam contra aduersarios nostros, quam iam dudum quærimus? Ait enim de ipsâ Sapiens: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata*

Recordatione victoriæ Marianæ vincitur diabolus.

Iudic. 9. v. 54.

Serm. 24. ad Nouitios.

Amor B. MARIAE *Virginis panoplia.*

Cant. 4. v. 4.

ficata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium. Vbi typto obiter, ad solatium peccatorum, turrim etiam vocati nomen Domini (*Turris fortissima, nomen Domini;*) sed maxime eam præparatam esse iustis ad gloriam. sequitur enim: *Ad ipsam currit iustus, & exaltabitur.* Virginis autem MARIÆ collum est turris Dauid, id est peccatoris & sanguinarij; vt nemo desperet ad hanc turrim confugere, quæ omnibus posita est in asylum, vt à persecutione hostium suorum in eam respiciant, ac mox conuersi armis vndique ex tuti hac dependentibus eos debellent. *Myrrha electa*, quæ dat suauitatem odoris, alibi dicitur; vt intelligamus, ipsam nos conseruare à peccati corruptione, & pestifero tentationis, quem draco infernalis eructat, anhelitu. *Aedificauit sicut vnicornium sanctificium suum in terrâ*, dicit Propheta. hoc est, vt explicat Agellius: *Aedificauit sicut cornu vnicornis templum suum in terrâ.* Ex Plinij autem opinione factum est, vt quidam huic animali epigraphen dederint, *Venena pello*; alij autem constituerint ceterorum animalium in emblemate ducem, cum lemmate, *Hoc duce tuti.* Dicit enim iste curiosus rerum naturalium indagator, miram cornu istius animalis inesse vim contra omne genus veneni: nam si fontem, vel cuiuscumque aquæ fluentum veneno infectum ipsum cornu tetigerit, illicò pellit venenum, securaque reddit animalia inde potatura: imò vel mensæ adhibitum, in quam veneno infecti cibi inferantur, mutatione coloris manifestè insidias detegit, & liberat periculo discumbentes. Iam Propheta dicebat, Deum templum suum, quod vtique est Virgo MARIA, ædificasse sicut cornu vnicornis; cuius frontispicio inscribere possis, *Venena pello:* vel, vt Metaphrastes Serm. de B. Virgine in terminis habet, *Omnia mortifera damnationis venena depello.* nemo enim ad eam accedit, qui non sit tutus ab venenatis hostis illius iaculis, qui intendit *arcum rem amaram*, & venenatam, *vt sagittet in obscuro rectos corde.* Contra obscuritatem & tenebras

Prou. 18. v. 10.

Eccli. 24. v. 20.

Psal. 77. v. 69. *Monoceroti similis Virgo venena pellit.*

Psal. 63. v. 4. Psal. 10. v. 3.

turris est *Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis.* Hebraicè est, *lethal pioth*, hoc est, ad doctrinas vel ad disciplinas; constituta nimirum tamquam pharos, cum certissimo disciplinæ & doctrinæ lumine, vt videant quò eant qui ad eam confugiunt. Contra venenum verò templum est ædificatum sicut cornu vnicornis, vt omnia mortiferæ damnationis venena depellat; nec depellat solùm, sed etiam in auctoris caput retorqueat. Dicit enim de eâ Sponsus: *Statura tua assimilata est palma.* quod Rupertus dicit, *tota victoria est.* Numquam anceps nutat victoria, quando Virgo pugnat; nec vmquam belli euentum varium expertus est is, qui ad illam confugiens cum illâ pugnat: *tota* enim *palma, tota victoria est.* Crescitque palma, & victoria ipsius augetur quotidie, quando per nos bellando rursus eum vincit, quem semel ipsa contriuit. Vnde rursus ingentis nobis occasio fiduciæ, quam ex humanâ colligere licet prudentiâ. Nam Rex Theodoricus, postquam gloriosè Gallias sibi subiecerat, eas commendans Senatori cuidam Romano, hac inter ceteras ratione sapienter vtitur, prout narrat Cassiodorus lib. Variar. cap. 16. *Chara est Principi gloria; & necesse est de illis ampliùs esse solicitum, vnde sibi triumphorum venisse sentit augmentum.* Si enim hæc ratio quidquam valet, probat eos singulariter Virgini Deiparæ curæ esse, qui ad eam confugientes, ac per eam vincentes, eius augent victorias ac triumphos. Imò curæ est Filio Matris hac in parte gloria, qui pro eo quòd fuit ab ipsâ indutus armis, quibus gloriosos istos retulit triumphos, quibus nobis parta est salus; vult eam sæpè per nos vincere, vt possit sæpiùs triumphare. S. Gertrudis satis est nobis locuples curæ istius testis, quæ lib. 3. Reuel. cap. 1. de seipsâ narrat, quòd CHRISTVS illi per visum oblatus, eam de imminenti graui quadam tribulatione commonefecerat: quâ denuntiatione mens eius quasi pondere quodam oppressa fuit diffidentiæ; sed consolatus est eam qui aderat Dominus, eique in magistram & matrem dedit Reginam

Cant. 4. v. 4.

Cant. 7. v. 7. *Fiducia in Virginem ex victorijs eius perpetuis.*

D. Virgo datur S. Gertrudi in protectricem ab omni tentatione.

cæli, quæ simul est Mater misericordiæ; addiditque: si quando posthac cordis quadam anxietate premeretur, aut aliâ quacumque impeteretur aduersitate, continuò ad hanc suam Matrem recurreret, seque inter brachia eius pio affectu conijceret, fore vt numquam inde sine consolatione & nouis in spiritu viribus exsurgeret. Id quod se expertam ipsa testatur, præsertim in quadam desolatione, quâ se oppressam fuisse dicit circa S. Bartholomæi festiuitatem: quâ ita affligebatur, vt mari fœdissimâ tempestate agitato mens eius similis videretur; in quo nihil præter atram noctem videatur, nihil gustetur nisi salsi vndarum vortices. Hîc illa memor, cuinam commendata esset Magistræ, ad maris stellam refugit: quæ ipso die sabbatino, tempore quo solemnis illa Antiphona decantaretur, ita lucida apparuit, vt statim, dispulsis tenebris, mens sibi & pristinæ redderetur lætitiæ. Rursum, vt lib. 2. cap. 7. narratur, cùm aliàs & corpore vehementer & magis animo ægra decumberet, sic vt aquæ tristitiæ ascenderent ad os, & pænè mergeretur fluctibus; querelas non aliò quàm ad Matrem hanc suam conuertit. quæ mox illi apparens, dixit: *Hoc scias, filia, quemadmodum nullo vmquam corporis vel animi labore exercitata fuisti, qui superaret istum, ex quo me nunc inclamasti; ita nullam vmquam fuisse in te dispositionem ad recipienda singularia, quæ tibi Filius meus præparauit munera, maiorem istâ quàm nunc tibi comparasti.* Facillimum esset, discurrendo per omnia aduersitatum tentationumque genera, quæ corporibus vel animis solent accidere, in singulis ostendere, quàm promptum multis Virgo attulerit auxilium, si necessarium foret ista commemorare ijs, qui iam totos se Virgini tradiderunt in mancipia, & qui non aliunde exspectant aut sperant auxilium aut præsidium, quàm à manibus ipsius. quod cùm certum sit semperque paratum, magis videtur Sodales felicitatis suæ memores reddere, quàm officij admonere hæc Regula. Perinde enim est ac si diceret: Meminerint se, quia obsequijs B. MARIÆ Virginis singulariter sunt mancipati, in ea vnâ habere omnia ista præsidia & arma, quæ per tot præcepta ceteris traduntur Christianis: proinde nihil illis aliud faciendum est, quantumcumque terribilis ingruat hostis, quàm ad hanc turrim confugere, hanc gloriosam Dominam terribilem vt castrorum aciem benè ordinatam omnibus eius viribus opponere. Quod factitasse legimus Antonium de Paduâ, qui in omnibus tentationibus hunc recitabat Hymnum: *O gloriosa Domina*, &c. Tam enim gloriosa tamque absoluta fuit ea, quam Virgo de potestatibus infernalibus reportauit, victoria, vt numquam contra eam contritum semel caput leuare sint ausæ; tantusque ijs exinde mansit timor, vt vel solum nomen Virginis dulcissimum non secùs reformident, atque canis baculi vmbram, quo semel fuit insigniter dedolatus. S. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha id affirmat Oratione in zonam Deiparæ: *Tu nequissimi hostis contra seruos tuos inuasiones solâ tui nominis inuocatione sanctissimâ repellens, tutos atque incolumes seruas.* Et Gertrudis lib. Reuel. cap. 9. itemque lib. 6. cap. 21. dicit: *Quamuis auis prædatricis adinstar diabolus animam Christianam celeri volatu insequens, iam iam prædæ immineat, ac vngues fatales exerat, vt miseram dilaceret; si tantùm mentio fiat Virginis* MARIÆ, *cogitur prædam deserere.* Guilielmus Parisiensis in ista verba, *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, amica mea*, eius est opinionis, quòd magis diaboli expauescant solius MARIÆ Virginis robur, quàm virtutem omnium Angelorum. Quę res magnam virium eius creabit æstimationem apud eos, qui prælij istius recordabuntur, quo præliabatur Michaël cum dracone ita fortiter, vt is, qui gratiæ & animæ donis longè ipsum excelluerat, de primis cæli sedibus præcipitaretur ad barathrum inferorum. Consentit cap. 3. Speculi S. Bonauenturæ: qui post S. Bernardum ait: *Non sic timent hostes visibiles castrorum aciem copiosam, sicut aereæ potestates* MARIÆ *vocabulum, patrocinium,*

Inuocatio B. MARIÆ Virginis instar omnium remediorum contra tentationes.

Magis Virgo sola diabolis terribilis, quam omnes simul Angeli.

nium, & exemplum: fluunt & pereunt sicut cera à facie ignis, vbicumque inueniunt crebram huius nominis recordationem, sollicitam imitationem. Si solam nominis inuocationem ita timeat draco iste infernalis, licet Virginem imaginari in medio suorum, sicut erat serpens iste æneus in medio Israëlitarum; cuius vel solo aspectu à serpentium morsu tuti & incolumes reddebantur. Inflet itaque buccam suam infernalis ista progenies, caput exerat, linguamque trisulcam exacuat; oculos suffusos igni & sanguine crudeliter voluat, sibilet, minetur; se libret per aëra, spiris ingentibus miseros liget; ac morsu etiam, si velis, artus depascatur; tantùm opus oculum vocemque ad hoc salutis signum attollere, statimque diffugiet hostis, prædamque semianimem relinquet, eidem misericordiæ Matri persanandam.

Instar serpentis Mosaici est Virgo Deipara inter tentationes.

CAPVT LXII.

Regula vigesimaprima.

PASSIONIBVS suis inordinatis, ac linguæ præsertim, conentur frenum validum inijcere; eamque non solùm ab omni iuramento, blasphemiâ aut turpiloquio abstinere, sed etiam ab omni eo sermone, qui aut veritati, aut famæ proximi aduersatur, cohibere: potiùs, vti decet sanctos Deiparæ seruos, assuescant candidè, sincerè, piè & amanter cum omnibus agere.

Explicatio.

Tam vasta hîc offertur rerum silua, vt faciliùs sit initium eius quàm exitum inuenire: nam si de passionum mortificatione, de linguæ indomiti mali custodiâ, de vitijs eius singulis in particulari, tandem de bono eius vsu disputare occepero; erunt omnia vel imperfecta è manibus proijcienda, & tangenda potiùs quàm explicanda: vel si ijs pro rei cuiusque exigentiâ inhærere voluero, erunt pænè omnia Philosophiæ Christianæ præcepta huc reuocanda. quæ vtinam accuratè ab ipsis principijs pertractata ab aliquo, cum antiquâ Philosophiâ conferrentur! non vt hæc contemneretur magistra insignis virtutum omnium, ad quas potest naturæ lumen hominem perducere; sed vt ostenderetur, quantum illa rationis lumini addiderit, quantæque suauitatis sit, modò philosophari, quando de animæ immortalitate, de bonorum præmiis, de pœnis malorum, de Dei circa res inferiores prouidentiâ; & vero eius erga mortales amore (quorum incertitudo arida reddebat præcepta antiquæ istius morum informatricis) iam fidei lumine certiùs constat, quàm res vlla potest scientificâ argumentatione demonstrari. O quantum CHRISTI Sanguis, quantum suauissima Dei Genitricis indoles; quantum familiaritas ista nostra cum Cælitibus aspergeret suauitatis rigidis istis, sed optimis Ethicorum legibus! quàm fortiter ad constantiam, quàm constanter ad mortis contemptum liceret adhortari, quando Deum pro nobis dolores mortis vincentem, & omni eam terrore exarmantem, quis inciperet ostendere! O si doctus aliquis calamus, qui spiritu imbueretur ex alto, hanc sibi spartam exornandam assumeret, vt iam possemus verè Christianum aliquem Philosophum laudare qui Romanè loqueretur, & omnes Philosophiæ partes (non sterilis istius, &, pænè dixeram, iam inutilis, quam speculatiuam vocant; in cuius singulis partibus, imò in singulis quæ fingi possunt quæstionibus, plures iam errores inueniuntur (piget enim sententias nominare subtiles istas insanias) quàm olim circa summum bonum fuisse ridet S. Augustinus) qui omnes, inquam, Philosophiæ moralis partes ita complecteretur, vt clarè & dilucidè à fundamentis vitam Christianam deduceret! O vtile opus, & dignum studio Christianorum, qui iam, nescio quomodo, varijs asceticis libellis hinc inde describendis, sine ordine, sine stylo variè occupantur. Non reprehendo factum, quod ex parte sum æmulatus, sed meliora & vtiliora scribendi viam monstro. Nec etiam nihil in hoc negotio à SS. Patribus, Ambrosio, Augustino,

Multa hic forent ex morali Philosophiâ dicenda.

Hanc fides reddit multò illustriorem.

Votum vt aliquis doctus eam pertractet.

gustino, ceteris, actum est; sed illis hæretici refutandi, Ecclesiæ dogmata stabilienda, populi pro concionibus exhortandi, Ecclesiæ regendæ, tot alia incumbebant, vt neque styli Latini præsertim tam accuratam rationem, neque totius istius operis moliendi tempus habuerint. Viam hîc rursus quamdam ostenderunt, Boëtius in Consolatione, & nuper vir doctissimus Iustus Lipsius, alijque; sed in partibus singulis hæserunt: & vtinam simile alterutri horum ingenium & iudicium, similisque eruditio rem, quam nescio an satis, prout concipio, possim indicare, susciperet! O quis ille, qui ad hanc famam audebit aspirare! Sed ad rem nostram redeo. Multa dico præcepta vitæ Christianæ nobis hîc forent delibanda, si, quâ par est ratione, de mortificatione passionum, id est, de ordinariâ Philosophiæ occupatione, vellemus tractare: sed cùm hîc locus non sit ea quo iam diximus modo attingendi, per tritam iam aliis orbitam incedemus, conabimurque quædam de mortificatione passionum, de linguæ vitiis, maximè de mendacio & detractione, adferre. quæ, vti spero, nec lectu erunt iniucunda, nec inutilia ijs, qui non contenti legisse, de iis in praxim redigendis seriò cogitabunt. Incipio de mortificatione.

CAPVT LXIII.

De Mortificatione.

FVNDAMENTVM, vnde tota de mortificatione doctrina desumenda est, posuit Apostolus ad Rom.7. nominatim v.22.& 23. vbi ait: *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Vt bellum istud non cum otio tantùm, sed etiam cum fructu spectemus; non est diutiùs cum magno hæreticorum exercitu depugnandum, qui verba hæc quisque in suum, omnes in malum sensum detorquent. Errant enim Manichæi, qui duplicem comminiscuntur in homine animam; alteram bonam, à quâ virtutes; alteram malam, à quâ vitia procederent: credo, vt microcosmum maiori mundo suo accommodarent; de quo eamdem insaniebant insaniam, fingentes Deum malum malorum auctorem, & bonum, à quo bona omnia prouenirent: sed tam mundus hic simplex duos habere poterat deos, quàm in sensu ipsorum homo vnus duos homines, vnum interiorem, exterioremque alterum, qui essent diuersarum operationum principium. Errat etiam Illyricus, ex iis Lutheri asseclis qui rigidam magistri sui disciplinam profitentur; qui, posito crassissimo errore in principiis (quo peccatum non accidens, sed formam & substantiam quamdam tetram ac horridam fingit, qualem vulgò diabolum imaginamur) necessariò multos superstruere debet errores: putat ergo exteriorem hominem esse peccatum originale, quod instar formæ substantialis animam afficiat. Caluinus autem delirat, quando, sublato è rerum naturâ superiore homine, hoc est, ratione & libero arbitrio, dicit interiorem hominem esse mentem consentientem legi Dei; exteriorem verò, eamdem mentem quatenus concupiscit mala: ponitque pugnam istam ita in eadem animæ portione ac facultate, vt inferat, hominem iustum simpliciter tam esse peccatorem quàm iustum. Sed, vt dixi, his omissis, fundamentum istius militiæ, quæ homini perpetua super terram, excutiamus. *Condelector*, inquit Apostolus, *legi Dei secundùm interiorem hominem*; indicans clarissimè huic esse hominem exteriorem oppositum, quem mox vocat legem membrorum, & legem peccati; alibi verò hominem animalem veterem, quem scilicet à veteri Adamo, quasi per traducem, accepimus: aliquando membra vel carnem vocat synecdochicῶs, vel metonymicῶs; quòd scilicet maximè vim suam ostendat in carne, membris & appetitu sensitiuo. Interiorem verò idem Apostolus iam nouum vocat, iam renouatum, scilicet à CHRISTO; nunc autem spiritualem, nunc mentem. Est autem hic homo interior mens, vt rectè Caietanus;

Errores hæreticorum circa interiorem & exteriorem hominem.

Quid homo interior.

tanus; vel aptiùs, ipse homo gratiâ, charitate & spiritu Dei imbutus, & viuens. huius anima est gratia & charitas; huius lex est lex diuina eiusque dictamen: vt, Esto castus, sobrius, humilis, obediens; Deum time, & ama. huius vitalis operatio est Deum amare, obedire. Exterior, siue vetus homo, est concupiscentia seu vitiositas, omnibus animæ potentiis, ipsique etiam menti ac voluntati insidens. Est enim, vt docet Venerabilis Beda, & ex illo tota Theologorum schola, per peccatum homo spoliatus gratuitis, & vulneratus in naturalibus: neque enim solùm priuatus primigeniâ iustitiâ & gratiâ, aliisque donis supernaturalibus quæ receperat; sed fuit in primis intellectus ad res diuinas capiendas obscuratus, fuit liberum arbitrium debilitatum, voluntas ad bonum exequendum reddita infirmior, appetitus verò ad malum patrandum validus & effrenis, memoria vaga & distracta, imaginatio tam inquieta & mobilis, vt, quantumcumque diuinis eam affigamus, etiam non sentientibus nobis se furtim subducat, foras prosiliat, per mundum quaquauersum diuagetur, nec consistere valeat; sensus prætereà sunt curiosi, caro immunda, spurca, & in malum prona. Est ergo, vt breuiter dicamus, homo exterior mens, aut potiùs homo omnibus suis potentijs vitiatus & corruptus, ad proprium amorem propensus, propriæ voluntatis explendæ cupidus, & ad satisfaciendum appetitibus suis, ac passionibus desiderijsque suis, tametsi rationi Deoque directè aduersantibus, morem gerendum inclinatus: huius lex est vitiosa inclinatio, vel aliquod dictamen concupiscibile Dei legi contrarium: verbi gratiâ, Inebria te, fornicare, teipsum extolle, &c. huius actio vitalis est concupiscere vinum, opes, delicias, amicas. Constat ergo, quòd concupiscentia & homo exterior sit in animâ, voluntate & mente; sed quâ parte naturaliter agunt & in obiecta sua feruntur motu naturali. virtus verò & homo interior est in eadem animâ, voluntate & mente; sed quâ parte ratione & libertate vtitur, & suis

quid exterior.

Vulnera accepta per peccatum primorum parentum.

actibus, ipsique concupiscentiæ dominatur, maximè cùm gratiâ Dei pollet. Qui hæc considerauerit, manuductore opus non habebit, vt cognoscat quid in se agatur semper, & quid ipse sine intermissione agere debeat: videbit enim quæ castra castris in seipso stent opposita, & quam in partem debeat ipse inclinare. nam ex duplici isto, quem descripsimus, homine consurgit intestinum illud bellum, propter quod militiam vocat hominis vitam fortissimus athleta Iobus, qui cum totius inferni congressus potentiâ, non potuit superari. Sunt enim inimici capitalissimi duo isti, quos iam descripsimus, homines; bellumque gerunt nullis ante mortem conditionibus componendum. quo in bello nihil magis stupendum, quàm nos tam segniter in hominis interioris, qui pro salute nostrâ decertat, auxilium properare, nec odio maiori erga hostem accendi. Nam si vel inertissimo ita denunciares: Amice, videas quid agas, ac rebus tuis consulas in tempore: quidam etenim ex domesticis, quem tu mensæ ac consilijs adhibes tuis, quem foues in sinu quotidie, quem denique ad delicias vsque diligis, capiti tuo struit insidias; ac tanto, quod mihi constat, flagrat odio tui, vt benè impensam iudicet vitam suam, si eâ possit emere mortem tuam; imò cruces atque exitia crudelissima nihil moratur, modò ijs sit pretium, te perdidisse: an non ille timore concuteretur? an non mentem ad præsens periculum aduerteret, semperque formidaret, ne fortè iam iam hostis ille feralem sicam iugulo ipsius immergeret? quam si contingeret indicio eum aliquo deprehendere, ac hostem istum ingratissimum, ac proditorum quorquot vspiam sunt nequissimum, cognoscere, quo; Deus bone! odio in eum exardesceret, quo studio vindictam exposceret! Et constat nobis, hostem eiusmodi esse exteriorem hominem, seu, vt anteà diximus; carnem nostram cum concupiscentijs suis: vescitur enim, bibit, ac dormit nobiscum, & tenerrimo à nobis amore diligitur, ac in delicijs habetur: intereà temporis ex tot inimicis

Quanto nos odio hostem domesticum persequeremur,

tanto debemus in hominem exteriorem armari.

cis nostris nemo est, qui vel peiùs nos oderit, vel nocuerit perniciosiùs. numquam enim fuit anima nostra nisi vel ab illâ, vel per illam vulnerata; cùm interim exploratum sit, numquàm fore vt nos salute nostrâ excidamus, quin ipsam maneant sempiterna incendia. I nunc, & mirare, tam impensè à Seruatore nostro eius inimici odium commendari, vt disertè neget discipulis suis asscribendum qui non fuerit sui ipsius abnegatione inauguratus: quandoquidem nemo est, quem experientia iam non docuerit, quàm pertinaciter ipse sibi infestus in propriam perniciem conspirauerit, quoties damnationi æternæ sese addixerit, quoties Creatorem sibi reddendo iratum vniuersam in sese creaturam armauerit, quot spiritualibus se bonis spoliauerit, quoties denique salutem suam æternam in extremum discrimen adduxerit. *Exsurgat*, inquit zelo accensus S. Bernardus, *exsurgat Deus, cadat armatus ille, cadat, & conteratur inimicus homo, contemptor Dei, amator sui, amicus mundi, seruus diaboli. Quid tibi videtur? Certè si sentis mecum, dices: Reus est mortis, crucifigatur, crucifigatur.* Non potuit non ardentissimum in sanctis viris ea considerantibus exoriri odium, quo carnem suam prosequerentur, conarenturque laboribus ac pœnitentijs exscindere aut mortificare passiones istas, per quas maximè illa sæuiret. Antesignanus fuit in pugnâ hac Apostolus, inclamans: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*, 1. ad Cor. 9. v. 26. Et Palladius de monacho refert, qui gloriæ vanitate ac superbiâ sentiebat subinde animum intumescere: cumque animaduerteret ex carnis petulantiâ malum oriri, eam ingenti terræ cumulo onerauit, quem sportâ sublatum in humeros continuo labore de alio in alium locum transportabat. rogatusque, cur verò ita se fatigaret; *Vexo*, inquit, *vexantem me, & vltionem de hoste meo sumo.* Et S. Dorotheus rogatus ab ijs, qui miserabantur vicem carnis ipsius grauissimis pœnitentiis atque afflictionibus rigidissimè exagitatæ, quid ita corpus suum attereret & enecaret; *Quia illud*, inquit, *occidit me.* Et S. Augustinus lib. de Salutar. monitis cap. 35. admonet: *Ne præbeamus vires illicitas carni & corpori nostro, ne committat bellum aduersus spiritum nostrum.* Ita dixerunt, ita fecerunt Sancti, vt nos liquidò docerent, maximam vitæ nostræ sanctitatem & præcipuam sanctitatis gloriam consistere in eo, vt generosè de hoste nostro, id est, de nobismetipsis atque de passionibus animæ nostræ inordinatis, triumphemus: contrà verò nihil in vitâ homini contingere posse aut vilius aut miserabilius, quàm si passionibus suis, hoc est, hostibus suis crudelissimis, tradatur hîc supra omnia mundi tormenta excruciandus, æternisque deinde addicendus supplicijs. Proinde nullâ re magis solet clementissimus Dominus, quando longanimitatem eius peccando, vt sic dicam, consumpserunt, extremam iram suam erga mortales ostendere, quàm eos tradendo in manus hostium istorum crudelissimorum, passionum dico & concupiscentiarum; à quibus tamquam immanissimis tyrannis ac carnificibus excrucientur. Ipsemet per Psalmistam testatur Psal. 80. v. 12. *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi.* hoc est peccatum. audi pœnam grauissimam v. 13. *Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Miseros, quos ita dimisit Deus in desideria cordis sui: quò enim ibunt raptati equo indomito, cæco, fero, furioso, nisi præcipites in flammam, fossam, saxa, perniciem & exitium? nam, *qui dominari nescit cupiditatibus*, inquit S. Ambrosius lib. 3. de Virginib. *is quasi equus raptatur indomitus, voluitur, obteritur, laniatur, affligitur*, & in extremam agitur miseriam. Exprimit illam Ecclesiasticus cap. 18. v. 30. admonens: *Post concupiscentias tuas* & appetitus *non eas, & à voluntate tuâ auertere.* Ratio dehortatoria est v. 31. *Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium* (Græcè est ἐπίχαρμα, hoc est, risum & sibilum) *inimicis tuis.* Quid autem potest excogitari ad miseriam amplius, quàm hominem

Sanctorum in ipsum odium.

Maxima peccatorum pœna, tradi concupiscentiys.

minem libertati ac gloriæ, imò felicitati natum, captiuum trahi, ridendumque ac cruciandum tradi inimicis suis vilissimis ac crudelissimis? Apostolus in exemplum eorum qui ita traditi fuerunt, dat sæculi sapientes: *Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis: propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis.* non quod Deus quemquam ad malum incitet, aut in peccatum prolabi faciat: ipse *enim intentator malorum est*, Iacobi 1. v. 13. Sed cùm illi tentarentur à concupiscentiâ suâ, permisit vt prauæ cupiditates, quas animo conceperant, foras prorumperent, & illas ipsas dæmone incentore & cooperatore exequerentur; imò non dando gratiæ abundantiam, quâ facilè possent ijs resistere, tradidit eos suis desiderijs & appetitui sensitiuo: cuius naturalis inclinatio est ad bona sensibilia, quæ contraria sunt rationi & legi Dei; cui obediendo, vilissimus in conspectu Dei, Angelorum & ipsorummet dæmonum, fit homo. De eo enim Psal. 57. v. 9. dicitur: *Sicut cera quæ fluit, auferetur.* Quod S. Augustinus & alij accipiunt de concupiscentijs hominem tabefacientibus, ac in nihilum quodammodò, aut in rem contemptissimam conuertentibus. Chaldæus vertit locum istum Psalmistæ, *Sicut limax tabefactus, qui consumitur in itinere suo.* Vide quem ad statum deducatur nobile illud animal, quod recto vultu, ratione & prudentiâ donatum est, vt dominari in cetera posset, vt omnium vilissimæ terræque suæ maximè affixæ bestiolæ reddatur simillimum. Dicitur enim limax, Festo & Varrone auctoribus, à limo cui semper adhæret; quemadmodum carnalis adhæret concupiscentijs suis terrestribus. Deinde testæ suæ ac domui, quam vbique secum asportat, limax affigitur, in eâque capitur. & Aristoteles de eo lib. 5. Hist. animal. cap. 32. *Limax*, inquit, *detractâ testâ hebetescit.* Eadem ratione carnalis homo domui fundisque suis affigitur, eorum pondere semper animum habet grauatum; ijs detractis hebetescit, ac in desperationem agitur; denique in ijs à diabolo capitur ac morti æternæ addicitur. Tertiò, viscoso squalore limax tenet ea quæ tangit; ita nescio quo visco concupiscentia hominem terrenis rebus affigit, nec sinit caput in altum, hoc est, mentem in cælum, attollere. Limaces denique carent oculis, Plinio teste lib. 9. cap. 32. *In eodem genere*, ait, *cochleæ aquatiles terrestresque, exerentes se domicilio, binaque ceu cornua prætendentes contrahentesque, oculis carent*; itaque corniculis prætentant iter: ita concupiscentia hominem excæcat, eique duo pro oculis dat quasi cornua, quibus nihil capit nisi quod tangit & carnalem adfert delectationem; malitiam verò & damna eius, scilicet perniciem & gehennam ob eam sibi imminentem, non videt; itaque cæcus & reptans per terram à porcis & perdicibus instar limacium deuoratur. ait enim Aristoteles lib. 9. Hist. animal. cap. 37. *Vbi sit limax, neque sus est, neque perdix: omnes enim limaces ab his eduntur.* Posterior pars de metaphoricis nostris limacibus est verissima, quòd omnes ab immundis Erebi suibus & auidis Orci perdicibus deuorentur: sed quia ratione vtuntur porci isti & perdices, ideoque saginari sinunt limaces nostros, vt posteà delicatiùs ijs vescantur; fit sæpè, vt ibi etiam sint, vbi porci & perdices infernales reperiuntur. Hisce considerationibus excitatus Siracides, tam obnixè rogat diuinam maiestatem, Eccli. 23. v. 4. & 6. *Domine Pater, & Deus vitæ meæ, aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, & animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me.* Ex Senecâ discere licet, à quanto malo petat liberari prudens Ecclesiasticus; ipse Epist. 39. sic ait: *Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam voluptates suæ sunt? quorum impotentiæ atque insanæ libidini ob hoc vnum possis ignoscere, quòd quæ fecère, patiuntur.* & postea: *Seruiunt itaque voluptatibus, non fruuntur; & mala sua, quod malorum vltimum est,*

Rom. 1. v. 21.

Ibid. v. 24.

Homo deditus concupiscentijs limaci similis.

est, amant. Tunc autem consummata est infelicitas, vbi turpia non solùm delectant, sed etiam placent; & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerunt vitia, mores sunt. Sed satis prudenti rerum æstimatori de concupiscentiæ passionumque tyrannide, miseroque eorum statu est dictum, qui ijs à Deo relinquuntur excruciandi: nunc pauca de eâ, quam hîc Regula præscribit, earum mortificatione dicamus.

CAPVT LXIV.

Mortificationem esse profectus spiritualis signum, & viam ad perfectionem; non autem perfectionem ipsam.

Facilis est ex superiore Capite illatio illius rei, quam hîc suscipimus pertractandam: nam si tantum mali adferunt pullulantes in animis nostris passiones indomitæ, certum est, quòd ea virtus, quæ illas exscindat, nobis prorsus sit necessaria, quodque maximus virtutum progressus in mortificatione consistat; id attestante S. Hieronymo: *Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.* Agro solet vulgò animus noster comparari, quòd cultura vtriusque plurimum habeat similitudinis. Illud autem in agrorum culturâ est certissimum, si segnem adhibeas operam, nec carduos, lolium, tribulos euellas, fore vt vel nullâ ratione, vel certè auarè sementi respondeant; quantò autem diligentiùs eis te putandis sarriendisq; impenderis, tantò vberiorem fructum daturos. Eâdem ratione, si noxias cupiditatum fibras euellas, luxuriantes passionum ramusculos putes, plurimùm in virtute proficies: si contrà, mortificatione neglectâ passionibus indulgeas, siluescet nempe ager tuus, nec vllus exspectandus est fructus. Hæc erat tota antiquorum Philosophia, *Sustine, & abstine:* siue, passiones tuas irascibiles reprime, aduersa æquo animo tolerando; concupiscibiles autem retine, à bonis delectabilibus te ipsum abstinendo. Nec malam insistebant ad summa virtutum

Agri & animi comparatio.

viam, si lumen illud, quod nobis abundè suppeditatur, illis affulsisset; quo vidissent non constitutum in eâ passionum repressione summum bonum, sed hanc viam esse ad illud. Nec enim hîc docemus, id quod Euangelicâ, hoc est omnium sapientissimâ, loquendi formulâ, hominis perfectionem vocamus, in passionum mortificatione consistere; sed eam necessariam esse contendimus, vt quæ impedimenta remoueat, quibus sublatis vltrò feratur animus noster, succollante eum diuinâ gratiâ, ad Dei amorem, quo bono suo & perfectioni summæ coniungitur. Operæpretium est videre, quàm rectè de hac re pronuntiauerit Romanus Sapiens: *O quàm contempta res est homo,* exclamat in Præf. ad Quæst. naturales, *nisi supra humana se erexerit!* Perge porrò; à tam generoso mentis impulsu egregia exspectamus documenta: *Quamdiu cum affectibus colluctamur, quid magnifici facimus? etiamsi superiores sumus, portenta vincimus. Quid est, cur suspiciamus nosmetipsos, quia dissimiles deterrimis sumus? non video quare sibi placeat, qui robustior est inualetudinario. Multùm interest inter vires & bonam valetudinem. Effugisti vitia animi: non est tibi frons ficta, nec in alienam voluntatem sermo compositus; nec cor inuolutum, nec auaritia, quæ quidquid omnibus abstulit, sibi negat; nec luxuria pecuniam turpiter amittens, quam turpiùs reparet; nec ambitio, quæ te ad dignitatem, nisi per indigna non ducet. Nihil adhuc consecutus es.* Nónne spatiosum virtuti dedit campum, qui eam per tot monstrorum victoriam vix incepisse pronuntiat? Discant interim breuiter Christiani ab Ethnico, quibus vitijs debellandis debeant incumbere, quorum ipse turpitudinem quasi in transitu acerrimè perstringit. Deinde pergit: *Multa effugisti, te nondum. Virtus enim, quam affectamus, magnifica est: non quia per se beatum est malo caruisse, sed quia animum laxat, ac præparat ad cognitionem cælestium; dignumq; efficit, qui in consortium Dei veniat. Tunc consummatum habet plenumq; bonum sortis humanæ, cùm, calcato omni malo, petit altum,*

Perfectio non consistit in mortificatione, sed per illam acquiritur.

altum, & in interiorem naturæ ſinum venit. Poterátne à Chriſtiano calamo quid exſpectari ſublimius? Poterat: licet enim diuina ſint omnia quæ protulit, & moribus noſtris aptiſſima, illud diuiniſſimum tamen omnium, quò S. Auguſtini calamus nos euehet, non vidit: *Ponderibus ſuis*, inquit iſte, *aguntur omnia, & loca ſua petunt; leuia ſurſum, & grauia deorſum: pondus meũ amor meus; eo feror, quocumq; feror.* Ad rerum cæleſtium contemplationem atque cognitionem, ſe vitijs expurgatum admitti aiebat Seneca; Auguſtinus verò ad Dei amorem, ſe gratiâ inſtructum vltrò ferri. *Niſi ad hæc* (cæleſtia contemplanda) *admitterer,* inquit Seneca, *non fuerat operæpretium naſci. Quid enim erat, cur in numero viuentium me poſitum eſſe gauderem? An vt cibos & potiones percolarem? vt hoc corpus cauſarium ac fluidum periturumq;, niſi ſubinde impleatur, farcirem, & viuerem agri miniſter? vt mortem timerem, cui omnes naſcimur? Detrahe hoc inæſtimabile bonum, non eſt vita tanti vt ſudem, vt æſtuem.* At neruoſiùs de amore inquit Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. cap. 1. *Feciſti nos, Domine, ad te; & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Ad hanc autem quietem, quæ in amore diuino conſiſtit, via eſt mortificatio paſſionum, vt idem Doctor ait in explicatione verborum Pſal. 41. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* dicit enim: *Ceruus ſerpentes necat: & poſt ſerpentium interemptionem maiore ſiti inardeſcit; peremptis ſerpentibus acriùs ad fontes currit.* & applicat: *Serpentes vitia tua ſunt. Conſume ſerpentes iniquitatis, tunc ampliùs deſiderabis fontem veritatis.* hoc eſt: Quo paſſu tu per mortificationem à paſſionibus tuis indomitis abieris, eodem ſuccedet diuinus amor, teque à terrenis ad cæleſtia eleuabit; dicit enim lib. 83. Quæſtionum, q. 36. *Nutrimentum charitatis, imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas.* Mirum ergo non eſt, ſanctos Patres tot laudes certatim congeſſiſſe in hanc mortificationem paſſionum malè ordinatarum. Sanctus enim Cyprianus dicit, quòd ſentinam vitiorum exhauriat, ac frenet carnis petulantiam, motus rationi rebelles domans. At S. Baſilius eam dicit pacem in domo conſeruare, rationi ſuam auctoritatem conciliando, & ſupprimendo arrogantiam partium animæ ſeditioſarum. S. Chryſoſtomus altiùs reſpiciens, mortificationem ait omnibus animam impedimentis euoluere, vt libera poſſit ad æternarum rerum contemplationem euolare. Etiam ſatisfactoriam eſſe notat S. Bernardus, proindeque eam præterita peccata abolere, ac mereri auxilia gratiæ ad reſiſtendum imminentibus. S. Auguſtinus eam coronæ noſtræ immortalitatis exornandæ impendit; S. Hieronymus Deo irato nobis placando, quò preces noſtras benigniùs exaudiat; inimicis noſtris exarmandis S. Athanaſius. Sanctus denique Gregorius hanc eſſe virtutem ait, quæ decimas vitæ noſtræ ac tributa pendat diuinæ Maieſtati. ideoque nos ei inter exercitia, quibus tributa penduntur Virgini à Sodalibus, ſuum etiam locum aſſignauimus: ad quem referri poterunt, quæ iam breuiter de eius praxi referemus.

Lib. 13. Confeſſ. cap. 9.

Mortificationis effectus varij.

CAPVT LXV.

De praxi Mortificationis.

De ſancto Patre noſtro Auguſtino, inſigni profectò teſtimonio Voluſianus Epiſt. 2. ad Auguſt. dicit: *Vtcumq; abſque detrimento cultus diuini in alijs Sacerdotibus toleratur inſcitia; at cùm ad Antiſtitem Auguſtinum venitur, legi deeſt quidquid ab eo contigerit ignorari.* Quod prædicendum fuit, quia ſæpiùs non tantùm in rebus ſublimibus illis, ſed etiam in vitæ præceptis ipſius teſtimonio ac doctrinâ vtimur. Si enim veriſſimum eſt quod Martinus V. Serm. de Tranſlatione S. Monicæ affirmauit; *Quidquid ſimul omnes Apoſtoli plantauerunt, quidquid Apollo, atque alij Apoſtolorum ſectatores rigauerunt, hic coronauit*; neceſſe fuit eum per omnia vitæ præcepta doctiſſimè fuiſſe verſatum. In eo autem quod mortificationem ſpectat, in primis fuit accuratus: nam illud Euangeliſtæ Matthæi exponens, *A die-*

bus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud; ita ait: *Duo sunt abstinentiæ & crucis genera, vnum corporale, aliud spirituale.* Vnum est quo corpus affligitur, multos in vsus necessarium; & vulgò dicitur pœnitentia exterior; atque ad hanc pertinent disciplinæ, ieiunia, cilicia, lecti durities, victus tenuis & vilis, vestis asperior, & alia sexcenta hominum sanctissimorum inuenta, quibus odium illud suum explent, quod conceperunt contra corpus, omnium malarum passionum hospitium & nutrimentum. Alterum genus est pretiosius & sublimius, scilicet regere motus animi, litigare quotidie contra vitia sua & malas inclinationes, increpare se quadam censurâ austeritatis & virtutis, propriam voluntatem impugnare, iudicium suum frangere, iram refrenare, impatientiam cohibere; gulam, linguam, oculos, cęterosque sensus moderari. *Hæc, inquit, qui facit, perrupto carnis muro violenter ad cælorum regna conscendit.* Infinitæ prolixitatis foret, repetere ex historijs de singulis mortificationum generibus exempla, ostendereque, quanto vel zelo vel fructu alij ieiunia, alij vigilias, alij disciplinas, alij alias corporis afflictiones in honorem Deiparæ Virginis susceperint, vt eius intercessione tum alia, tum vel maximè sui impetrarent victoriam. satis enim hæc ex ijs quæ toto hoc volumine sparsimus, possunt discere qui voluerint eorum esse imitatores; & noua quotidie suggeret, qui inuenit & excogitauit omnia, ingeniosus amor. De interiore autem, seu, vt S. P. noster eam vocat, de spirituali mortificatione, quò latior patet sese exercendi campus, eò magis coarctandi sunt scribendi limites; vnam tamen satis nouam amoris inuentionem, de quâ etiamnum dubitabatur, plúsne habeat efficaciæ an suauitatis, non possum omittere: studium scilicet ac praxim colligendi quotidie, vt minimum, vnum aliquem interioris mortificationis florem, eâ intentione, vt sertum inde seu fasciculum conficiamus, Virgini Deiparæ in mortis articulo offerendum; vt fauorem ipsius eo tempore ita necessarium impetremus, atque ipsa eodem oblato munusculo propitium nobis reddat Filium tum, cùm sese accingit, vt de factis nostris vitáque vniuersâ rigidum instituat iudicium. Vt autem vigilantior huic rei adhibeatur cura, parandus exiguus in hunc vsum libellus, cui hic inscribatur titulus, *Fasciculus florum, quem toto vitæ meæ tempore collegi, vt eum in mortis articulo Dominæ offeram, cuius totâ vitâ humillimum fui mancipium.* Deinde paulò inferiùs scribetur, die mensis anno Domini ætatis meæ &c. Ponitur deinde virtus seu mortificationis species: verbi gratiâ, iram coërcui, gulam refrenaui, oculos custodiui, &c. poneturque toties signum sanctæ Crucis, quoties virtutis illius actus fuerit exercitus. Si autem eo die occasiones omnes neglexerimus, nec quidquam habeamus quod fasciculo apponamus; quam Arithmetici notam *zero* vocant adscribemus. Mirabiturque, quicumque rem hanc Virgini gratissimam exercere voluerit, quantum stimulum datura sit ad diligenter mortificationi propositæ incumbendum nausea illa, & sanctus quidam pudor, qui oborietur, si sæpiùs animaduertat, se nihil vesperè habere quod fasciculo augendo adijciat. Poterunt mancipia pijssimum ac suauissimum hoc exercitium adhibere loco tributi quotidiani, quod ab ipsis est Virgini pendendum: nam hoc est vigilare ad fores eius quotidie, & officiosâ perfungi, quam clientes patronis suis manè dicebant, salutatione: est hoc exercitium ingentis meriti, quandoquidem curam ostendit continuam Virgini placendi. Ego existimo non facilè quid aptius mancipijs B. MARIÆ Virginis reperiendum ad efficaciter mortem felicem ab eâ impetrandam, quàm hoc continuum in eius honorem mortificationis exercitium: quo mens semper excitatur nouis stimulis ad ei seruiendum, & exercitatior fit in pugnâ istâ, ex quâ gaudet ipsa seruos suos redire quàm gloriosissimos. Certè deberet Sodales ipse dignissimus titulus, quo manci-

Duplex genus mortificationis, corporale, & spirituale.

Praxis pulcherrima mortificationis in honorem B. MARIÆ Virginis.

Titulus mancipij stimulus est ad mortificationem.

mancipia B. Virginis se esse gloriantur, excitare ad hoc mortificationis studium, ne hanc sibi ac Dominæ suæ inurant infamiæ notam; quòd semel in tam diuinam admissi familiam; se ad carnis meretriculæ vilissimæ mancipatum abiiciant. *Maior sum, & ad maiora genitus*, dicebat Romanus Sapiens Epist. 65. *quàm vt mancipium sim mei corporis*. An non maior es, & ad maiora vocatus, ô Christiane? an non maior es, & maiori dignitate præcellens, ô mancipium MARIÆ, quàm vt mancipium fias tui corporis, rei omnium quas terra tulit vilissimæ, vt mancipium fias passionum tuarum, & per eas subiiciaris diabolo, cui ipsæ promptissimè famulantur? nónne ad regiam te dignitatem exaltauit nobilissimus Virginis mancipatus, constitutum nempe vnius famulum, & factum omnium dominum? Et quid? etiam in hac ordinatissimâ Reginæ cæli & terræ familiâ inueniemus quod deplorat Ecclesiastes cap. 10. v. 7. *Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram quasi seruos*; imò repentes per terram quasi bestias: nam *qui secundùm carnis appetentiam viuit, caro est*; *qui secundùm præcepta Dei, spiritus*, ait S. Ambrosius in illa Psalmistæ; *Adhæsit pauimento anima mea.* Vbi describit miseram hominis rationalis in bestiam metamorphosim, cuius ipsam animam per terram instar vermis vilissimi, vel, vt suprà dicebamus, instar spurcissimi limacis contingit prorepere. Notandum obiter quod de se Galenus prodit lib. de Curandis animi morbis: Visum ait à se puero hominem, qui cum magnâ festinatione ianuam aperire conaretur; hic exspectatione suâ frustratus (quantò enim plus conabatur, tantò magis clauim intricabat, minusque proficiebat) ita exarsit, vt ex irâ versus in rabiem, clauem dentibus commorderet, & fores calcibus impeteret: mox execrandas in cælum euomeret blasphemias, ac ore furibundo spumam eiectaret, & tantâ rabie insaniret, vt sedibus suis oculi excutiendi viderentur. quo viso, tantum se dicit contra iram odium concepisse, vt nemo eum posteà conspexerit iratum. Quòd si accuratâ consideratione expenderent Sodales indignum eorum habitum, qui passionibus suis seruiunt, quibus debebant imperare; sic eos commoueret rei indignitas, vt omnem mortificationi operam adhiberent; ne vmquam in conspectu Dominæ suæ vlli passionum subiecti comparerent. Sed de mortificatione passionum in genere pro instituto dictum est; ad linguæ temperantiam, quò nos ducit Regula, accedamus.

Turpitudo hominis passionibus dediti nos adhortari deberet ad mortificationem.

In Psal. 118.

CAPVT LXVI.

De linguæ moderamine.

BREVIORES in materiâ hac de passionibus subiugandis, & domando exteriore homine, qui ex multis belluis est compositus, ideò fuimus, quòd frenum omnium suppeditet S. Iacobus Apostolus, dum ait cap. 3. Epist. v. 2. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir: potest etiam freno circumducere totum corpus*. tamquam si diceret: Quisquis eò peruenerit, vt habeat linguam in manu suâ, is ita perfectus est, vt regat omnes passiones animi inordinatas, quæ metonymicè per corpus significantur; perinde ac generosus sessor freno regit equum, cui nouit egregiè moderari. Atque hæc breuiter est ratio, cur Regula dicat passionibus quidem omnibus, sed præsertim linguæ, frenum esse inijciendum: quia ipsa frenata verti debet in frenum, quo ceteræ regantur, quibus scatemus intus homines, belluæ. Sed illam frenare, hoc opus, hic labor est; neque, eodem testante Apostolo, hominum quisquam id poterit. Ait Poëta de reditu ab inferis:

Difficile est linguam frenare.

> —— *Pauci quos æquus amauit*
> *Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,*
> *Dîs geniti potuêre.* ——

Ego de linguæ moderamine dico: Pauci, nec nisi vel Deo genitus, vel quæ genuit Deum vna Virgo, eam moderari potuit; & hæc quidem Filij sui, ille verò propriâ virtute. adeò vt cognationis diuinæ signum non sit, solaris currus habenas regere (quod stultè fabulantur

Poëtæ, pænè cum mundi exitio Phaëthontem affectasse) sed linguæ suæ perfectè moderari, & isti cupiditatum omnium freno frenum inijcere: quandoquidem sola Mater ac Filius Dei hoc ita perfectè potuit, vt nusquam hæreret, nusquam cespitaret, ac ne in minimo quidem hallucinaretur. Mancipijs proinde totique familiæ ipsius proprium est in hac arte herili sese exercere, &, vt fit, ab eius perfectione Heræ gratiam aucupari. Generosos spiritus conatur Iacobus Apostolus ipsâ rei difficultate excitare ad suscipiendam rem tam arduam, simul & necessariam; cùm liberum non sit nobis corporis nostri currum ascendere, sed à naturâ ipsâ impositi, cum debeamus per vitæ huius inuia & auia periculoso linguæ temone circumagere. Exile membrum est lingua pro mole corporis: sed eadem est freni ad equum, temonis ad currum, claui ad nauem comparatio; & tamen hæc illis teguntur, & ad gubernantis flectuntur arbitrium, adeoque quantitatis minima est in hoc negotio habenda ratio. Hoc magis considerandum venit, quòd frenum hoc, de quo agimus, adeò sit rebelle, vt maioris artis sit illud domare, quàm eo domito corpus passionesque omnes, licet ferocissimas, in gyrum rationis cogere; cùm nullum sit animal tam ferum aut tam indomitum, quod non superet linguæ ferocia. Non alio teste est opus quàm mox citato Iacobo Apostolo; qui ita coloribus suis monstrum hoc, quod omnibus domandum est, depingit, vt horrore salutari concutiat quemcumque aduertentem, quòd animali tam indomito sit impositus, vt eo salutis suæ iter conficiat: *Lingua*, inquit, *modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis, quàm magnam siluam incendit! & lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis.* Totum audiamus, vt sub vno aspectu habeamus integrum tam sancti viri & Spiritus sancti iudicium: *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehennâ. Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à naturâ humanâ: linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero.* Quid videtur? Vnúmne ex omnibus productum, an omnia in vnum conflata monstrum, an verò omnium monstrorum Proteus quidam describitur? nam in frenum, temonem & clauum vertitur, in ignem accenditur, in sepiam omnia commaculantem funditur, in leonem excandescit, in volucrem erigitur, serpit in draconem, commutatur in furiam, in venenum spargitur, colligitur denique in omnium malorum vniuersitatem. Nullum est in omni historiâ; historiam dico? nullum est in omnibus Poëtarum commentis tam tetrum, tam horrendum, tam crudele monstrum, quod non superet hæc à D. Iacobo descripta linguæ malitia. Quàm friget præ hac ista Poëtæ descriptio, ex quâ tamen omnia in monstrum nostrum conueniunt!

Lingua freno, temoni & clauo similis.

Iacob. 3. v. 5.

Lingua Proteus.

Furia & lingua comparatio.

Virgilius Æneid. 7. v. 324.

> *Luctificam Alecto dirarum ab sede sororum*
> *Infernisq; ciet tenebris: cui tristia bella,*
> *Iræq; insidiæq; & crimina noxia cordi.*
> *Odit & ipse pater Pluton, odere sorores*
> *Tartareæ monstrum: tot sese vertit in ora;*
> *Tam sæua facies, tot pullulat atra colubris.*

An linguam, an Furiam describit? Nolo Poëtæ hîc agere interpretem, cùm possim Apostoli: libet tamen quamdam aduertere illius cum hoc concordantiam. Ab infernis tenebris ille accitam ait Furiam, hic inflammatam à gehennâ linguam. Furiæ *tristia bella, iræq; insidiæq; & crimina noxia cordi*; at lingua *vniuersitas iniquitatis. Odit & ipse pater Pluton, odere sorores tartareæ monstrum*; & *lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ*; non tantùm odio patri suo corpori & sororibus membris, sed etiam nocumento & exitio. *Tot sese vertit in ora* Alecto. de linguâ infrà Apostolus: *Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio.* Pergit Virgilius de Furiâ: *Tam sæua facies, tot pullulat*

Iacob. 3. v. 10.

pullulat atra colubris. addit de linguâ Iacobus: *Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à naturâ humanâ: linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero,*&c. Quis non exhorrescat, dum videt tali se monstro domando esse genitum, auditque salutis suæ currum, quem debet ad cælestia capitolia dirigere, trahi à malo tam inquieto, tamque indomito? Non tamen vt nos exanimet, hæc dicit Apostolus; sed vt curam animosque exsuscitet, ne tantis periculis indormiamus, & culpâ nostrâ in exitium trahamur ab istâ belluâ: quam licet viribus humanis domare non possimus, poterimus tamen diuinâ ope sic frenare, vt neque letali nos plagâ conuulneret, neque errore exitiali à salutis semitâ deducat. Fuerunt iam qui flexus eius periculosos, hoc est, linguæ vitia, quasi apposito signo indicauerunt, Alphabeta de vitijs linguæ conscribentes, Salmeron, Paz, Drexelius, alij, ostendentes, quomodo ex linguâ oriatur adulatio, blasphemia, calumnia, detractio, excusatio in peccatis, gloriatio, hæresis, hypocrisis, irrisio, lamentatio, mendacium, nugæ, otiosa verba, periurium, querimonia, rixa, susurratio, secreti reuelatio, scandalum, taciturnitas noxia, vituperatio, zelus amarus, & sexcenta prætereà vitia: nullum enim est quod ab hac vel non oriatur, vel foueatur, vel defendatur. *Lena est & conciliatrix peccatorum lingua*, S.Basilio in Psalm.33. Quapropter eadem non persequemur; cùm etiam exstet Ioannis Pelecij liber, qui inscribitur *Vniuersitas iniquitatis*; & iam viderimus Domini Antonij à Burgundiâ acumine plenissima Emblemata de optimâ & pessimâ linguâ, quibus iucundè & doctè malitiam eius persequitur. Sed quandoquidem Regula, cum B. MARIÆ Virginis mancipijs agens, supponit illiberaliora ista linguæ vitia, qualia sunt iuramenta, & blasphemia, turpiloquium, ab iis longè abesse; duo maximè cauenda proponit, mendacium & detractionem; de iis breuiter egisse nobis sufficiet, contentis in genere cum Regulâ monuisse, validum frenum linguæ iniiciendum esse; vt deinde possimus passiones omnes prauasque cupiditates refrenare.

Ibid. v.7.

Multi de linguâ scripserunt.

CAPVT LXVII.

De Mendacio.

VILE & seruile peccatum esse mendacium, tum communi omnium consensu noscitur, tum Philosophi testimonio in Ethicis confirmatur; proindeque omni libero homine indignissimum, & ab omni liberali cōgregatione longissimè proscribendum: quas inter cùm liberalem seruitutem profiteatur, ea quæ mancipiorum B. MARIÆ Virginis vt titulo gaudet, ita officio studiosè fungitur, nulla debet ab infamiâ hac esse remotior. *Opprobrium* enim *nequam in homine mendacium*, inquit Siracides Eccli. 20. v.26. Quapropter breuiter ab hoc Sodales meos dehortaturus, ab ordine, quem S.P.N. Augustinus præscripsit, non discedam: hic enim geminos de mendacio conscripsit libros; qui soli sufficiant ad omne mendacium penitus ex orbe eliminandum, etiamsi diuina silerent Oracula. quorum primo vitij pessimi indolem producit, eique laruam, quâ non tantùm veritatem, sed se etiam obtegere solet, detrahit; altero ea adfert, quæ inducant homines vt studiosiùs illud caueant: ita & nos, vt & mendacium noscatur, quid sit & quotuplex, vt caueatur; quàm fœdum sit, & quibus suppliciis sæpissimè punitum, indagabimus. Quid sit, nemo clariùs aut breuiùs S.Chrysostomo definiuit Homil.19. in Epistolam ad Hebræos, vbi ait: *Ne alia quidem dicamus, alia sentiamus; hoc est enim mendacium.* Secundùm significationem quam ipsi vsus dedit, vt mentiendi actum significet: nam si originem & etymon spectes, à mendâ, non autem à mentior, formatum, errorem potiùs, quàm peruersam contra mentem locutionem denotat: sic mendosum librum, qui erroribus scatet, ab eadem origine vocamus. Et Nigidius apertè distinguit mentiri,

Illiberale vitium est mendacium.

Quid sit mendacium.

Distinguũtur, mentiri, & mendacium dicere.

mentiri, & mendacium dicere: *Vir bonus*, inquit, *præstare debet ne mentiatur*; *prudens, ne mendacium dicat*. Qui enim mendacium dicit, fallitur; qui mentitur, conscius ipse veritatis, alios fallere conatur. prius ignorantiæ, posterius nequitiæ est, non simpliciter rectæ rationi repugnantis: nam & sermone abutitur, & proximum decipit, & violat societatem amicitiamq; humanam. Nam lingua data est homini, vt mentis conceptus ac decreta cordis per eam alijs manifestet, quod ipsa natura mirâ linguæ structurâ indicasse videtur: si namque Plinio credimus, venarum altera eam cerebro, altera cordi adnectit, manifestè docens, lubricum membrum istud ita ab intellectu, cui in capite sedes, regendum esse, vt loquela eius cum corde consentiat; cuius defectu sequitur proximi deceptio. Si enim aliud corde abditum, aliud linguâ promptum geras, quantum in te est, fallis proximum tuum; quamuis aliunde subinde oriatur, vt ille nullam in fraudem inducatur: quod tamen neque à peccato neque à pœnâ excusat mentientem.

Lingua structura vetat mentiri.

Mentiens conatur decipere proximum, quamuis ille non semper decipiatur.

Quod clarè videre est in historiâ non ineleganti, quam Martinus del Rio narrat Disqu. mag. lib. 4. cap. 2. q. 6. sect. 1. his verbis: Duo recentiores scriptores Germani commemorant fuisse in Misniâ rusticum quemdam, hunc domum retulisse pecuniam vesicæ suis inclusam, & scamno imposuisse: cumque aliò abijsset, sus domestica, vt vorax & multiuorum est animal, in vesicam incidit, & vt vidit, deuorauit. Rusticus rediens, quam non inueniebat, ab vxore deposcit. Negat mulier vidisse se. Quid agat? Adit stolidus vetulam propè degentem, quam pro veratrice habebat. Iubet muliercula virum in limine domus resistere, nec à lineâ, quam cretâ notarat, latum abire culmum. mox ingressa cubiculum, dæmonem sciscitatur de fure his verbis, arcam introspiciens: Quidam N. pecuniam suam domum reuersus tali amisit die; quem ais furatum? Respondit veterator ex arcâ (nouo suo tripode) Sus comedit domestica; tu tamen dicito, coniugem eius; vt cum Sacerdote amasio eam abliguriret, clàm sustulisse. Respondet illa rustico, quod à dæmone (patre mendacij) iussa, tacet de sue. Sed rusticus cuncta sciebat: nam nihil veritus anile interdictum, pedetentim ac leniter eam fuerat subsecutus, & ante ostium cubiculi substiterat, vt quid malefica moliretur, accuratè per rimam obseruaret. Reuersus domum, vxori & amicis cuncta narrat: ex eorum consilio suem mactat, crumenâ potitur. Defert triueneficam vt calumniatricem & dæmonis partiariam. Magistratus portentum flammis expiauit. Hæc ille. Vbi apparet, licet non semper deceptio sequatur, eam tamen à mendace intendi, proximumque, quantum est ex parte ipsius, decipi; quemadmodum etiam amicitia ex parte ipsius violatur: præterquam enim quòd facit alteri, quod sibi fieri non desideraret; in genere tollit omnem, quam amicitia ligat, vitæ societatem. Diuiditur autem hoc vitij genus passim in mendacium officiosum, iocosum, & perniciosum. Officiosum nemini damnum, sed vel alteri vel ipsi mentienti vtilitatem aliquam adfert. Iocosum nec prodest, nec nocet, sed animi tantùm gratiâ profertur. Perniciosum aliquando cum vtilitate vnius, aliquando sine omni commodo damnum infert proximo suo. Priora duo delictorum venialium grauitatem non excedunt; tertium pro noxæ grauitate pessimis annumerari potest. Fit autem propter vtilitatem, quam sæpè annexam habet prima species; vt curiosiùs disputari soleat, an omne prorsus mendacium sit vitiosum, siue, num possit vmquam aliquis cum virtute mentiri. In vtramque partem disputari id solet; & vtrique sunt sui auctores. Inter omnes autem, quod sciam, est Plato antiquissimus mendacij patronus, qui lib. 3. de Repub. ita habet: *Mendacio, licet re malâ, vtendum tamen est quandoq. tamquam helleboro & medicamine: ergo & Principes vrbium, & si quibus alijs hoc conceditur, oportet aliquando mentiri, vel contra hostes, vel pro patriâ & ciuibus. Ab alijs verò, qui mendacio* vti

Diuisio mendacij.

An vmquam licitum mentiri.

vti nesciunt, auferendum est omne mendacium. Asseclas erroris habuit Origenem lib.4. contra Celsum, Clementem lib.7. Stromatum; Cassianum, qui collat.17. cap.8. videtur assentiri Abbati Iosepho, quem inducit dicentem: *Mendacio vtendum tamquam helleboro, quod sumitur imminente aliquo exitiali morbo.* Rupertus censet obstetricum Ægyptiarum mendacium fuisse licitum; tum quia ex charitate processit, tum quia Deus illud remuneratus est, ædificando eis domos. Sententiæ huic etiam suffragatur Beda in 1.Reg.21. Sanctus verò Chrysostomus Homil.53. in Genes. & S.Hieronymus in cap.2. ad Galatas excusari possunt, quòd mendacij nomine etiam simulationem & dissimulationem comprehendunt. Sed duo habeo quæ hisce auctoritatibus opponam; Ecclesiam, & qui Ecclesiæ adinstar est, S.Augustinum, quem Abbas Tuitiensis meritò appellat *vocem legis Christianæ, & organum Catholicæ fidei.* Hunc audiemus primùm, vt deinde promptiùs obediamus definitioni Ecclesiæ, quæ plerumque ex illo solet verba mutuare. Sic autem sententiam suam pronuntiat, & simul aduersariorum argumenta refutat in Enchirid. cap.22. *Nec ideò vllum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim & furando aliquando alicui prodesse, si pauper, cui palàm datur, sentit commodum; & diues, cui clàm tollitur, non sentit incommodum: nec ideò tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus & adulterando prodesse, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura; & si vixerit pænitendo purganda: nec ideò peccatum negabitur adulterium. Si autem meritò nobis placet castitas; quid, quæso, offendit veritas, vt propter alienam vtilitatem illa non violetur adulterando, & violetur ista mentiendo? Non ideò mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnumquam pro salute quorumdam mentimur.* Et libr. Contra mendacium cap.7. docens, ne quidem vt hæretici conuertantur esse mentiendum, eadem

In Epistolà nuncupat. in Euang. Ioannis.

vtitur comparatione: *Nam si propterea iusta sunt mendacia, quia hoc animo fiunt, vt occulti hæretici detegantur; poterunt isto modo, si eodem animo fiant, casta esse adulteria.* & infrà eodem cap. *Quis est, qui dicat, Vt habeamus quod demus pauperibus, faciamus furta diuitibus, aut testimonia falsa vendamus?* Insistebat nimirum certissimis S.Scripturæ testimoniis; quam nemo meliùs intellexit; nemo clariùs explicuit: nam Eccli.7.v.14. disertè ait Siracides: *Noli velle mentiri omne mendacium.* & Sapiens Prou.30.v.8. *Vanitatem & verba mendacia longè fac à te.* & Paulus denique ad Coloss.3.v.9. *Nolite mentiri inuicem.* Idem omnium SS.Patrum probari posset testimonio, si non sufficeret determinatio Ecclesiæ, quam Innocentius III. cap. *Super eo*, de vsurâ, pronuntiauit. vbi dicit, *diuini præcepti verbo constanter vetari, ne quis etiam pro alterius vitâ seruandâ mentiatur.* Hoc iam sufficit quibus scribimus Christianis; hoc verbo cessat disputatio, hac auditâ voce omnis conticescit in contrarium argumentatio, nobisque instructo per lumen fidei intellectu, conuertendus labor est ad commouendum affectum, vt studiosè caueatur; quod semper est malum, ac consequenter semper noxium.

CAPVT LXVIII.

De fœditate mendacij.

QVOD de virtute solent prædicare Philosophi, eam, si oculis humanis cerneretur, tales concitaturam in hominibus motus animorum; vt omnes illam sequerentur; eam colerent; felicitatemque in eo collocarent, si possent famulis ipsius annumerari; hoc mihi de mendacio contrario in sensu licet affirmare. Nam si hoc vel ad exiguum temporis spatium ab hominibus, qui tam confertâ illud turbâ sequuntur, conspiceretur; continuò omnes ab eo fugerent, damnantes stoliditatem suam, quòd rei tam fœdæ tam vili seruituti adhæserint. Nam si specie humanâ visendum se offerret, prodiret, nescio an

Mendacij descriptio.

dicam femina personata, an persona feminæ fucata coloribus: anus certè strigosa, macilenta, exsucca, exsanguis, vento tantummodò instar chamæleontis pasta, imò pellucida tota atque diaphana, nisi dum appositæ fallaciæ cuiusdam tenebris perspicaces sistuntur oculi. Neque plus in partibus singulis quàm toto in corpore habet gratiæ aut venustatis: nam facies stibio cæterísque formam mentientibus picta venenis, frequenti tactu ita deformata est, vt non tantùm prodatur artificium, sed etiam leprâ aut turpi scabie videatur aspersa. aures perforatæ, ac frons seruilibus inscripta est notis; lingua nimiâ garrulitate balbutiens, & vox stridula; labium item propendens ac semper tremulum, æquè audientes atque intuentes fatigat: iam oculi ad lucis aspectum nictantes; caputque ac manus ad omnem sonum tremulæ; vter vento parturientis adinstar distentus; pedes vtramque in partem claudicantes, & catenis impediti, dubium plúsne deformitatis ostentent, an vilitatis. Quis monstro tam tetro, tam vili, sciens volensque seruiat? imò, quis vllum cum eo velit habere commercium? Neque est, quòd putes deformitatem natalium illustrari splendoribus: nam si patrem eius quæsieris, diabolus est; si matrem, vel superbia est, vel inuidia, vel infernalium Furiarum alia, prout illi omnium nequitiarum parenti libido suaserit vlli earum commisceri: nullum enim scelus est, à quo non facillimè mendacium concipiatur. adeò vt S. Augustinus asseuerauerit omne peccatum mendacium esse. adeò omnibus similis est hæc infaustissima tot matrum soboles. Sed ne temerè id sic descripsisse, aut per mendacium mendacio colorem aliquem appinxisse videar, singula repeto, & explico. Nam quòd dubitare me aiebam, femináne esset personata, an verò intus persona ipsa extrinsecus feminæ circumdata coloribus, in eo etiamnum hæreo: ita enim vana in ipso sunt omnia, vt exteriora contemplatus, nihilque in ijs inueniens solidi, facilè mihi persuadeam hac falsitate eius substantiam obnubi; at si interiora specto, tam rursus ea sunt inania, vt aliquid iis circumdatum putem soliditatis, quod saltem oculos intuentium possit sistere veritatis imagine. Sed, vt vt est de hac veritate, quæ nulla est in mendacio, certò anilem præ se fert speciem, vel, quòd in ipso mundi exordio productum ab eo qui *homicida erat ab initio, & in veritate non stetit:* & qui *cùm loquitur, mendacium ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius:* vel quòd studio tot rugis & plicis sit inuolutum, vt videatur sese ipso se velle abscondere; vel denique, quòd ex macie pellis in rugas laxata sit. Hebraicè namque *cachas*, id est tenuitas, macies, macilentia vocatur, quòd nihil omnino habeat substantiæ; proindeque dicebamus anum esse strigosam, exsuccam, & exsanguem: solo enim vento pascitur, Scripturâ testante: *Qui nititur mendacijs, hic pascit ventos.* Quod interpretor, pascitur siue nutritur vento. hac in significatione verbo est vsus Naso lib. 2. Fast.

Pascit ouis pratum, verbenas improba carpsit.

Et Scriptura iterùm Oseæ 12. vers. 1. *Ephraim pascit ventum.* Vbi de Israële ponente spes suas in Assyriis & Ægyptiis, sed fallaces, eò quòd per ipsos à manu Nabuchodonosor Chaldæi non fuerit liberatus, dicit, quòd ventum pascat, hoc est, se spe inani lactet & alat: vnde non plus auxilij habet quàm nutrimenti ex esu ventorum. Est ergo mendacium vento abundè pastum, vnde ventrem habet instar vasis turgidum; reliqua autem membra macie flaccida & exsucca, atque instar chamæleontis à rebus quibuscumque applicitis colorem mutuantia. ideò enim animal istud, quantum ad colorem, ita aiunt esse varium, quòd solo vento nutriatur: vnde cùm succo careat, ferè pellucet, coloremque sumit à re proximâ cui adiacet, vt mendacium à materiâ de quâ formatur. imò pellucidum totum est, ventoque ac aëri quo pascitur, id est, vanitati suæ, simile; statimque totum peruidetur, ac patescit vanitas, nisi cùm appositis fallaciæ cuiusdam tenebris,

nebris,

Parentes mendacij.

Tom. 8. in Psal. 139. circa med.

Expositio proprietatum mendacij.

Mendacium anus est.

Ioan. 8. v. 44.

vento pascitur: Prou. 10. v. 4.

nebris, quod diu esse non potest, oculus impeditur. Seneca testatur Epist. 8. *Qui decipiunt, nihil habent solidi: tenue est mendacium, si diligenter inspexeris.* Et eleganter Petrarcha lib. 2. de Vitâ solitar. *Simulata*, inquit, *illicò patescunt, fucus sudore diluitur, & argutum etiam mendacium vero cedit, coramq́ presiùs intuente diaphanum est.* Additque elegantem etiam ad rem comparationem: *Nemo*, ait, *sub aquâ diu viuit, erumpat necesse est, ac frontem, quam celabat, apertat, vt ventis ac molli aurâ pascatur. Tam contra mendacij naturam est, non citò cognosci, quàm contra vrinatoris est, non citò ex profundo emergere, vt aurâ calesti vescatur.* Alius alio diutiùs mergitur, prout vrinandi artem meliùs callet; sed omnes tandem emergunt: ita mendaciorum aliud alio diutiùs latet, prout simulandi artem meliùs edoctus est auctor eius; sed omnia tandem patent, trahunturque in publicum, totaque pellucent. Nec alio opus est indice, ipsa se prodit dissimulatio. Petrarcha iam dixit: *Fucus sudore diluitur.* Vnde pudenda eius species, tamquam si facies scabie aut leprâ conspersa sit. Quid autem partes singulas commemoro, cùm & aures perforatæ & facies seruilem in modum inscripta, & pedes etiamnum annulis sint inclusi? est enim, vti iam diximus, seruile vitium, nihil liberale in se continens. & si captiuum non esset, suosque captiuaret, non diceret Ioannis 8. v. 32. Seruator: *Veritas liberabit vos*; cùm opus non sit liberis redemptore. Binas alias monstri huius absurditates notat vnicâ sententiâ Sapiens Prouerb. 12. v. 19. *Labium*, inquit, *veritatis firmum erit in perpetuum: qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacij.* Vnde sic concludo: Si veritatis labium firmum, mendacij erit tremulum, ex eo quòd plus, quàm ratio veritasque requirunt, propendeat. quæ autem inde sequatur gratia oris, satis intelligitur; maximè cum illam lingua ex garrulitate balbutiens & vox stridula venustent. Quamquam sunt qui dubitent, an non locustæ in morem strepat: de quibus Plinius: *Vox locustarum prosicisci ab occipitio videtur.* Eo loco in commissurâ scapularum habere quasi dentes existimantur, eosque inter se terendo stridorem edere: ita, inquiunt, mendacium oratio obscura, semper à tergo latens, numquam prominens in aperto, stridores edit inamœnos velut locusta: aliud enim dicunt, aliud cogitant mendaces. Ne tamen inuidiosè traducere videar mendacium, cùm voce, quâ maximè constat, sibi magnopere placeat, breuiter id dicam, quod omnibus est notissimum, atque à Drexelio notatur, dum ait: Vt hi sorices (de mendacibus agit) suis capiantur indicijs, hæc ferè signa sunt mentientium, hærere, balbutire, obscurè loqui, titubare, colorem ducere, vultu sibi non constare, anxiè dicta comere & polire, crebris exaggerationibus vti, ipsâ subinde trepidatione aut inconstantiâ dicendi se prodere, longis ac variis verborum ambagibus dicenda inuoluere, plurima miscere, ac sermonis tumultu confundere: atque illa est eloquentia, quâ ita vehementer sibi placet garrula mendacitas. Alterum quod ibi indicat Sapiens mendacij vitium, ex interpretatione est Rabbi Salomonis, qui sic exponit: *Labium verax solida basi nititur, atque ad æternitatem durabit; testis fallax verò temporis momento breuiq́ durabit, nec vllum progressum faciet, cùm, vt aiunt, mendacia pedibus trunca sint.* Quid monstri hic narrat Magister, mancum, mutilum, claudum, imò pedibus truncum: & tamen nescio quâ velocitate sæpè latum per domos, vrbes, ac totas momento temporis adimplens regiones; tanta peruadens spatia non pedum vestigio, sed linguarum remigio. Itaque vespertilionis adinstar carneis succinctum alis, iisdem sic habet implicitos pedes, vt iis nullum in bonum possit progressum facere, nec palàm die ambulare; sed ominosas linguarum concutiens alas, in falsitatis suæ nocte volat, donec in veritatem incurrat: quæ illud non tantùm detegit, sed, quemadmodum sal limaces, ita radio lucis suæ prorsus dissoluit. Indicat hoc S. Cyprianus lib. 1. Epistolâ 3. *Hæc est*

seruum & captiuum est.

labio tremulum,

instar locustæ à tergo stridet. Lib. 11. Nat. hist. cap. 29. in fine.

Signa & indicia mentientis.

vera dementia, non cogitare, nec scire, quòd mendacia non diu fallunt, noctem tamdiu esse quamdiu illucescat dies; clarificato autem die & sole oborto, luci tenebras & caliginem cedere, & quæ grassabantur per noctem latrocinia cessare. A multis, vt vides, obscœnis animalibus, & ab ipsis latronibus, vt huic Sancto placet, naturam trahit hoc monstrorum omnium turpissimum. Sed etiamnum pedes eius lubet intueri, quibus truncum dicebat Rabbi Salomon, in quantum ad progressum in bonum; nos ijs præditum, sed qui alis linguarum sint illigati, iam diximus. Sunt verò, qui illud pede altero truncatum, altero vtcumque claudicando incedere confirment; atque ita sententiæ suæ conciliant fidem: Cùm lingua duabus connixa venis, quibus ex Plinij sententiâ cerebro & cordi nectitur, prolem in lucem edit; prodit firmissimis æqualibusque incedens vestigiis pulcherrima veritas: at quando abortiendo, cordis venâ cessante, leuiter quæ in mentem & buccam veniunt effutit, turpissimo abortu fœdissimam emittit prolem, altero truncatam pede ac ridiculè claudicantem. Vis ingentem cernere istiusmodi monstrorum turbam? aulam adi: circa magnifica hæc limina solent clauda mendicabula congregari variis fraudibus intenta; sed minimè fallunt, qui fraudem profitentur: tu purpuratorum sequere vestigia, vt inuenias, de quâ agimus, mendaciorum claudicantium turbam. Audi. Pes vnus, verba; venustatem, honores, opes, amorum beneuolentiam loquuntur: alter verò, cor & res ipsa; odia, liuores, æmulationes, fraudes. sunt qui verbis extollunt, factis præcipites agunt; sunt ore locupletes, pecuniâ inopes; sunt qui fauorem spondent, & corde aduersantur. Vide quàm insulsè, quàm inæquali passu, quàm clauda hæc incedant mendacia; vt mirum sit, comptulos istos posse tam inconcinnâ prole delectari: sed nimirum ij sunt mores, vt, quemadmodum qui exoticam nescio quam vestiendi rationem adinuenit, ornatissimus; ita qui pluribus benè consutis mendaciis dictionem vestit, comissimus habeatur: fallere nempe, mentiri, peierare sæculum vocatur, &, vt loquuntur, temporis huius *modus*. Sed satis de mendacij turpitudine, si additum fuerit, illud in se fœdissimum non secùs ac maculam à vestis splendore, ita ab hominis, in quo reperitur, dignitate intendere turpitudinem. Macula enim, verbi gratiâ, olei, siue in villosa ac vilia rustici gausapa, siue in holosericam Senatoris togam inciderit, eadem est macula; quanto tamen fœdiùs in hac quàm in illis apparet, imò quantò plus in hac damni facit quàm in istis? Eâdem ratione de mendacio licet argumentari: quamuis enim æquè sit falsum quod ab hoc & illo dicitur, multùm tamen interest ad mendacij ignominiam quis dicat. quò enim quis est maior, eò minùs eum decet mentiri. *Non decet Principem labium mentiens*, inquit Sapiens Prou. 17. v. 7. decet enim maiestatem eius veritas, fidelitas & veracitas: læsæ ergo maiestatis suæ fit reus, quando mentitur. Deinde cùm populus & Respublica nitatur verbo Principis, tota nutabit, si illud sit fallax & instabile; ideoque, teste Curopalatâ de Officio Palat. Græcorum Imperatores in inauguratione solemniter iurabant, se remotâ fallaciâ dicturos veritatem: quòd agnoscerent veritatem & sinceritatem Principis rem esse, in quâ maximè consisteret quies & salus Reipublicæ. Ideò S. Thomas Opusc. de Principum eruditione, multis probat Principi amandam esse veritatem, itemque abominandum mendacium vt venenum. Et Thucydides lib. 4. benè affirmat: *Iis qui in dignitate sunt turpius est fraude inhonestâ circumuenire ac lædere, quàm vi apertâ.* Et sanè cùm Principum instructores id solicitè inculcare soleant, ne morum vilitate se abiectionibus exæquent; præcipua eorum cura esse deberet, ne per hoc vitium se seruis & scurris assimilent: nam mendacium vitium est seruorum, vt ait Aristoteles. Quòd Reges, Status & Respublicas ita dedecet; multò magis id cauendum Regibus sacrorum & rei diuinæ, quòd primæ veritati eò sint propiti-

Cur pede truncum dicatur mendacium.

Quò maior est qui mentitur, eò turpius mendacium.

dedecet in primis Reges & Principes

magis tamen Sacerdotes.

propinquiores, quò cœtibus mortalium exempti ad altiorem ascenderunt gradum dignitatis. quod intelligentes Romani, ne quidem iuramento putabant à Sacerdote exquirendam veritatem: ipsi namque veritatem à seruis extorquebant per tormenta, à ciue iuramento, à Sacerdote solo verbo; existimantes tam sacrosancta esse debere verba à Sacerdote prolata, vt iuramenti religione nihil ipsis addi posset venerationis vel auctoritatis. Quam verborum fidem CHRISTVS ab omnibus requisiuit Christianis, Matth. 5. v. 34. dicens: *Ego autem dico vobis, non iurare omnino, &c. Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.* In quæ verba scribens Chromatius Episcopus Aquileiensis, quem S. Hieronymus vocat æui sui doctissimum & sanctissimum, ait CHRISTVM vetuisse fidelibus iuramentum; quia ipsorum verba ita *semper debent esse vera, ita fidelissima, vt pro iuramento habeantur.* ac subdit: *Iuramenti causa, quia omnis qui iurat, ad hoc iurat, vt quod verum est loquatur; & ideò Dominus inter iuramentum & loquelam nostram nullam voluit esse distantiam: quia sicut in iuramento nullam conuenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium,* &c. Quæ Chromatij verba (malè in priscis codicibus Iuris Canonici legitur Chrysostomi) translata sunt in Ius Canonicum, & habentur 22. q. 5. cap. 12. iuramenti. Vbi rectè Glossa notat, *τὸ Dominus inter iuramentum & loquelam nostram nullam voluit esse distantiam,* limitandum esse ad generalitatem præcepti: quòd, sicuti Deus vetuit omne periurium, sic & vetuit omne mendacium; ne quis putaret extra periurium licitum esse mentiri, vti explicat Chromatius; alioquin in grauitate sceleris magna est distantia: multò enim grauiùs peccat periurus peierando, quàm mendax mentiendo. Concludit Chromatius: *Sic à Deo, qui verax est & mentiri nescit, quidquid dicitur pro iuramento perhibetur; quia verum est omne quod loquitur.* Ex quibus sic non irrationabiliter concludi potest: Si tanta hominis Christiani debet esse fidelitas nominisque sui veneratio, vt omne dictum suum tamquam iuramentum vereretur; quia loquendo auctoritatem nominis sui exponit, & per illud tacitè quodammodò ac interpretatiuè iurat; quid dicendum erit de Sacerdote, cuius labia custodire debent veritatem, & cuius verba audire solent & debent ceteri tamquam legis interpretationem; adeoque tam digni ac tremendi muneris auctoritatem loquendo exponit? quàm, inquam, ipsi aduigilandum, ne tantam dignitatem sacerdotij mentiendo ludibrio exponat, profanetque sacerdotium suum seruili isto crimine? Narrat Zonaras Tom. 2. quòd Aspar Leonem Imperatorem, quia promissis non steterat, veste prehensum obiurgauerit, dicens, quòd nefas esset purpurâ amictum mentiri. Hæc libera erat, sed merita Imperatoris reprehensio. Sacerdotis festiuam, & acumine suo ad docendum instructam item reprehensionem narrat in Phaëthonte Ieremias Drexelius litterâ M. in hæc verba: Iter vnà fecerunt vir Religiosus & profanus; ille habitu quidem tacet, sed profanâ linguâ solutissimus, subitò profanum compellans: En, en, inquit, volantem illic asinum. Suspexit alter præproperis & nimiùm credulis oculis. Ille irridens largiter: Et, ô te, inquit, non asinum, sed auiculam simplicissimam, qui credas tantæ molis quadrupedem volare posse! at profanus indignè ferens hominem sacrum tantæ vanitatis esse, & ridere, qui flere debuisset: Et, quæso, inquit, ignoscat mihi genius tuus, me tuis verbis deceptum suspexisse, non est quòd mireris; multò faciliùs credebam asinum volare posse, quàm Religiosum mentiri. Benè ipse risum rependebat, optimè vanitatem corrigebat, quæ vbique turpis est; sed in Regum & Sacerdotum ore turpissima.

Reprehensio lepida mendacij in Sacerdote.

CAPVT LXIX.

Quomodo punitum mendacium.

SI quid à pessimis sæculi moribus liceat boni discere, nihil certius constabir

Ex nobilium lege & praxi colligitur, mendaciũ quālibet morte dignum.

ſtabit orbis totius teſtimonio, quàm acerbiſſimis ſupplicijs etiam minimum mendacium vindicari debere. Si hoc, non dico impium aut crudele, ſed paradoxum cuipiam videatur; is ſtultitiæ condemnet nobiliſſimum generis humani Senatum, quòd decreta ipſe ſua, quæ tot annorum millibus propoſuit, & rigidiſſimè coëgit obſeruari, neque intelligat, neque ſciat quid ijs contineatur; cùm tot iam ſæculis decretum ſit ab ijs, qui legum mundanarum latores ſunt & vindices, ne quod minimum etiam mendacium non morte diriſſimâ puniatur. Nam dic, amabò, ſi vſpiam Reſpublica ſit, quæ legem talem habeat, accuratiſſimeque obſeruet, vt liceat cuilibet indictâ causâ quemlibet occidere; qui crimen, quod eâ lege nominatur, alteri nihil refert, veréne an falsò obiecerit; an non dices, eâdem lege decerni, aut ſaltem ex eâ legitimè concludi, crimen illud, cuius exprobratio tam ſeuerè coërcetur, nullis ſatis dignis ſupplicijs poſſe vindicari, ſi contigerit quempiam ipſius admiſſi in iudicio conuinci? Nemo tam eſt ſenſus communis expers, qui ita non cenſeat de Reipublicæ alicuius legibus. Iam verò magnam mundi Rempublicam intueamur, cuius omnes volumus membra eſſe, cuius decreta veneramur, cuius leges accuratiſſimè ſtudemus obſeruare. Quis autem in eâ Senatus? an non ille (vt vulgò loquimur) flos generis noſtri & cremor humani ſanguinis, quem nobilitatem vocamus? Qui legiſlatores? an non purpurati aulæ Proceres, quorum ex nutu pendemus, quorum loquendi veſtiendique modos tam ſtudiosè ſectamur; quorum mores leges ſunt, ad quas videmus orbem vniuerſum ſe conformare? Quam autem illi obſeruant, quam alijs ſequendam proponunt de mendacio legem, audite omnes qui ſequimini vanitatem & quæritis mendacium: Nos mortalium nobiles ac aulæ Proceres, quâ ſolemus trutinâ rerum pondera examinantes, decernimus, vt ſi quis abiecti adeò viliſque animi fuerit, vt mendacij exprobrationem verbo ſolemni *mentiris* prolatam patiatur, aut exprobratorem vel momentum temporis in vitâ hac commorari ſinat; tamquam infamis atque omni liberali conſortio indignus habeatur. Lata lex eſt; & heu, quàm diligenter obſeruata! tot enim iam tragœdias vnicâ iſtâ voculâ excitatas vidimus, vt prudentiores iam dudum pudeat generis humani, aut certè pigeat eius quod vocatur nobilitas: quâ voce quidam excellentiam præ ceteris profeſſi, in eo ſolummodò gloriari videntur, quòd periculoſiùs & crudeliùs quàm reliqui inſaniant. Sed legem, an iuſta ſit, mox examinabimus; nunc, quodnam ex eâ formandum iudicium, videamus. Quid enim? mendacij exprobrationem ferro vindicandam cenſet: cuiuſnam, iocoſi, officioſi, an damnoſi? non diſtinguit; omnem intelligit. Imò ſi ex legum longâ obſeruatione earum interpretatio non imprudenter colligitur, cùm de iocoſis officioſiſque plerumque practicetur (nam de lanâ caprinâ leuiculis iſtis vt plurimum eſt ſermo) ex vſu talis ſenſus legis educi poteſt. Si quis vel iocoſi aut officioſi mendacij exprobrationem ſuſtinuerit, &c. Deus bone! quænam hæc ſeueritas? aut quodnam illud tam fœdum tamque atrox ſcelus, quod verbo alteri impactum tam tetrâ eum aſpergit ignominiæ notâ, vt non poſſit niſi ſanguine exprobratoris elui, non niſi morte expiari? Profectò, ſi quid in lege iſtâ ſit rationis, ratio ipſa dictat omnibus ſupplicijs digniſſimum eſſe vel leue mendacium; cuius tam ſeuerè permittitur indictâ causâ cuilibet priuato homini pro arbitrio ſuo vindicta. Sic ex lege ſuâ argumentari deberent egregij noſtri legiſlatores, qui ridendo conſpuunt ſeipſos mendacijs; & ſi quis maculam oſtendat, eum ferro necandum putant: gloriantur, ſi cuius candori & ſimplicitati mendacijs illuſerint; ad vindictam recurrunt, ſi quis hoc eos feciſſe verbo *mentiris* indicauerit. Bis ſtulti, quòd verbum iſtud, non rem, imò nec ipſam rei indicationem, ſi alijs verbis fiat, vindicandam putent. quot enim videmus gratiam ab ipſiſmet ineuntes, qui eis fraudes mendaciaque ſua ingerunt?

Lex de exprobratione mendacij.

quàm ea ſtulta lex.

runt? quòd ſcilicet æmulum per mendacia euerterint, quòd ſimplicitati iuſti alicuius egregiè illuſerint, imò, quòd vix verum loqui ampliùs nouerint, ſimiliaq́ue ridentes & ſibi plaudentes audiunt. Si quis autem verbo iſto *mentiris*, breuiore orationis compendio vtatur; hîc ſcilicet ferrum & ignis, hîc cædes & mortes, hîc familiarium interneciones exiliant neceſſe eſt. Quàm fœdum mendacium ſit, neque, an ſibi obijciatur, ſed, quibus verbis aut quâ loquendi formulâ exprobrêtur, curant. Scilicet hæc iudicia filiorum hominum, mendacium in ſtaterâ ſuâ, ſiue dum parcunt, ſiue dum puniunt, pariter iniquorum. Mendacio enim, quod ſemper malum eſt, parcunt; mendacij exprobrationi, quæ ſæpiùs ne quidem crimen vllum eſt, tam acerbam ſtatuunt punitionem. Contrà facit, cuius eſt iudicium & veritas, qui, omiſſis vanitatum formulis, ſeueras ſtatuit mendacio pœnas; quarum horrore poterunt ij ſe à mendacijs reuocare, quos non ſatis auocauit ipſa vitij fœditas, quam ſuperiore Capite deſcripſimus.

Mendacij pœna, frequens lapſus, & peccati eiuſdem continuatio.

Prima pœnarum eſt, quæ peccatorum ſolet in hoc mundo eſſe grauiſſima, peccati ipſius continuatio, & lapſus frequens de vno in aliud: quæ pœna alijs quidem peccatis ita connectitur, vt iuſto Dei iudicio homini peccanti vel crebriores fortioreſq́ue tentationes ſuperuenire permittantur, vel gratia ad facilè reſiſtendum ſubtrahatur; vel denique, quòd peccandi habitus creſcant, qui pondere quodam conſuetudinis ad peccandum inclinent. Mendacio verò hæc pœna ita eſt propria, vt licet ex iſtis iam commemoratis (vnde vbertim affluit) non manaret fontibus; ex ipſo tamen mendacio, tamquam ex causâ naturali & neceſſariâ, abundè ſcaturiret.

Vnius arboris ſilua ſimile eſt mēdacium.

De arbore quadam Indicâ produnt, quòd vna cùm ſit, crebriùs ramos in terram demittat, ac nouas radices agens iterùm exurgat, atque iterùm ac crebriùs terræ immiſſa, tandem vaſtiſſimam vnius arboris efficiat ſiluam, ſeq́ue ſui multiplicatione aduerſus ventos ac tempeſtates omnes defendat. Ipſa ſtirpe fertiliſſimâ ſilueſcentis mendacij imago: quod cùm mancum ſit, vt ſuprà diximus, & adeò tenue, vt venti adinſtar euaneſcat, opus habet adminiculo, vt ſubſiſtere poſſit: quod cùm à veritate accipere non poſſit, cui impoſſibile eſt omne cum mendacijs commercium; à falſitate ac ſeipſo petat, hoc eſt, nouis mendacia augeat defendatq́ue mendacijs, neceſſe eſt.

Vnde mendacia ſemper nectantur mendacijs.

Vide, quæſo, improbum mentientium laborem. Dixit quis mendacium, ne primum vacillet, ſubſtituit alterum; ne hoc ruat, addit tertium; ne tertium concidat, confingit quartum; vt & quarto ſuus ſtet color, quintum comminiſcitur; ne quinti fraus deprehendatur, ſextum quàm fucatiſſimum excogitat: ita in ſiluam, quam dixi, itur ingentem & horridam, ita mendacijs mendacia cohæreſcunt, ita ſcelus ſceleri nectitur. Vento ideò comparatur, vt ſuprà diximus, à Scripturâ mendacium: nam ſicut ex vno vento plures generantur, ijq́ue contrarij; ſic ex vno mendacio plura naſcuntur, eaq́ue ſibi inuicem contraria ac colluctantia.

Vento eſt ſimile mendacium.

Tolerandum aliquâ id fortaſſe ratione foret, ſi eo in gradu conſiſteretur, ac non peccata peccando increſcerent, neque ex mendacio in alias peccatorum iretur ſpecies. Facillimus enim à mendacio ad periuria, hinc ad maiora ſcelera eſt tranſitus. Nimis lamentabile dedit Princeps Apoſtolorum Chriſtianis omnibus exemplum, quàm vt dubitare poſſint, ad quàm miſera præcipitia hominem deducat mendacium. Vix enim negauerat ſe hominem nouiſſe, cuius erat diſcipulus, ſtatim addidit periurium; hoc anathematizando, ac ſeipſum diris deuouendo adauxit: neque ſtetiſſet ibi, niſi reſpiciens Dominus vultu amabili ſtitiſſet impetum ruentis ac miſerè pereuntis Apoſtoli. Ipſe Tullius monet lib. 3. Offic. *Qui ſemel à veritate deflexerit, hic non maiore religione ad periurium, quàm ad mendacium perduci ſolet.*

Alia præterea pecca. ta ex mendacio.

Minus eſt quod ſequitur damnum ex mendacio emergens, quòd ſit temporale; ſed neſcio an non, quemadmodum prius, inter ſpiritualia, ita ſit hoc inter temporalia grauiſſimum:

Sæpiùs mentienti deinde non creditur.

uissimum: id enim lucratur mentiendo homo, vt posteà etiam vera dicenti non credatur. Ideò Siracides cap. 20. v. 26. *Opprobrium*, inquit, *nequam in homine mendacium.* non satis expresserat nominando infamiam, maculam, opprobrium, nisi adderet *nequam opprobrium*, nequam esse mendacium; peioris scilicet naturæ quàm cetera omnia opprobria, quòd hominem ab ipsâ ablegat societate humanâ. Probrosum est homini adulterium: potest quis tamen, si vxorem vel non habeat, vel, quam habet, aut cura sua, aut potiùs ipsius pudicitia in tuto collocarit, cum adulterâ agere, cetera virum probum inuenies. Cum homine ebrioso contrahere & consultare etiam quis potest, quando est sobrius. Superbum vincit, & vsibus communibus accommodat cum ipso agentis humilitas. Auarum per lucri occasiones societati humanæ facies deseruire. At homo mendax omni ex parte infamis est, nulla ei vspiam vel debetur vel præstatur fides: nequissimo signatus est opprobrio, quòd iam sit indignus societate humanâ; quæ fide, quam inuicem præstant homines, tamquam vinculo quodam colligatur. Confirmat dictum suum & nostram explicationem Siracides, grauiore in mendaces fulmine: *Potior*, inquit v. 27. *fur, quàm assiduitas viri mendacis.* Scimus autem quot furcis & crucibus fures è vitâ expellamus, tamquam noxia Reipublicæ membra & indigna societate humanâ: peior autem est mendax; quia multa sunt quæ tutò cum fure possis transigere: determinato enim ad opes & propriam vtilitatem vitio, in ceteris fidem sanctè colet, nisi (quod plerumque fit) mendacitatem necessariò in furti auxilium assumpserit, eamq; generato mentiendi habitu & consuetudine ad res omnes transtulerit. Considera iam, quàm acerbum sit homini vllam partem sanitatis habenti, nusquam fidem, nusquam hominem inuenire, qui more humano velit cum ipso agere: quàm hoc triste est inter notissimos exilium, ab omnibus non solùm tamquam ignotum, sed tamquam omni notitiâ indignum tractari? *Suauis est*, ait Sapiens Prouerb. 20. v. 17. *homini panis mendacij; & posteà implebitur os eius calculo.* Suauis audientibus, quia garrulitate quadam & sæpè dicendi facundiâ tamquam melle aspersus: suauis loquenti, quia dum inaudita, dum mirum in modum aucta, dum ingeniosè conficta narrantur, cùm in tegendis mendacijs industria ostenditur; stupent, rident, gaudent auditores: quia eorum voluptate loquens veluti pane suauissimo vescitur; sed posteà impletur os calculo, tam audientium quàm narrantis mendacia. Illi enim animaduertentes se deceptos esse, mensque pastos vanitatibus, obdurant scilicet animum, nec vllâ dignantur fide garrientem: ipse verò mendax, videns iam fidem suam concidisse, frigidosque ad friuola sua credendum auditores, loco suauitatis, quam solet ex eorum credulitate percipere, quasi arenâ siccâ os habet oppletum, ac insipidam in posterum agit vitam; qualis esset istius, qui non nisi malignâ arenâ vesceretur. Illustriori hoc nusquam habebis confirmatum historiâ, eâ quam narrat in Aulâ sanctâ Theodosij Matthæus Raderus cap. 16. & Iustus Lipsius in Monitis politicis lib. 1. cap. 5. mon. 1. vbi & eum quem dixi, & alios videbis officiosi ac leuis mendacij sanè tragicos effectus. Cùm Theodosius iunior Imperator die tribus Regibus sacro ad templum cum solemni comitatu progrederetur, homo peregrinus ac tenuis fortunæ pomum Phrygium insusitatæ magnitudinis donum obtulit. Imperator cum Proceribus pomi generosi molem admiratus, pauperi centum quinquaginta aureos pro dono reposuit, & pomum Eudociæ Augustæ coniugi misit: accepit illa, & nihil sequius cogitans, idem mox Paulino misit, facundo & erudito viro; qui propter excellentem cùm eruditionem, tum virtutem, Eudociæ charus fuerat. Paulinus tunc à pedibus æger, & ignorans pomum ab Augusto ad Augustam missum, iterùm illud Imperatori, vt rarum ac regium munus, simul obsequij sui signum offerri curat. Theodosius mira-

Ineptus est societati humanæ mendax.

Furi mendax postponitur.

Mirabilis ex mendacio vnico tragœdia.

ri

ri & primùm ambigere, mox agnoscere, sed factum in deterius referre ac pessimè suspicari; atque ita properè ad vxorem veniens, malum, quod clàm seruari iusserat, ab eâ repetit, anteà donatum. Eudocia facti totius ignara, iuueniliter, &, vt putat, officiosè mentitur, se illud iam comedisse: verebatur scilicet, ne, si Paulinum nominaret, Imperator alia suspicaretur. Sed iterùm interrogata, seriò diceret, an pomum comedisset; illa denuò affirmat, atque adeò iurat. Theodosius grauissimè offensus, & coniugem mendacij arguens, pomum proferri iubet; nec satis de amore occulto & improbo suspicatus, Paulinum imperat occidi: Eudociam abdicat & relegat: nam suspicionem anteà conceptam valdè auxerat mendacium. En florentissimi coniugij illætabile dissidium, en innocentissimi viri lamentabile homicidium, à mendacio profectum; quòd Imperatrici semel iterumque mentitæ, quantumcumque posteà veritatem assereret, negaretque quidquam sibi prætereà cum Paulino rei esse, non crederetur. quàm durus in ore ipsius calculus, de imperio in exilium descendere; & prætereà viro optimo mortem mendacij sui causâ allatam debere concoquere! O Eudocia, ô Imperatrix Augusta, quantò fecisses rectiùs, si quod res erat sincerè fassa, veritatem mendacio non celasses! Tibi certè coniugis tui amorem, Paulino seruasses vitam. Proditur ergo hac etiam historiâ illud mendacij ingenium, quòd plurimarum sit iniuriarum causa, quæ proximo inferuntur. Epænetus, teste Plutarcho in Lacon. hoc dicere solitus: *Mendaces* nimirum *omnium scelerum atque iniuriarum causam esse.* Quod facilè patebit, si per omnia iniuriarum genera mentem versaueris: nullam enim inuenies, cui mendacium non permisceatur. Sed hoc præteriens, venio ad insignes pœnas à Deo in hoc mundo irrogatas mendacibus; vnde liceat æternas suspicari, quæ posteà manent perniciosè mentientes: has grauissimis in Scripturâ sententijs habemus propositas, quas deinde audiemus. Est sanè quòd ambæ tinniant aures legentium vel audientium, quàm seuerè Deus puniuerit aliquando etiam officiosa mendacia. Historiam habet Petrus de Natal. lib. 3. Catal. Sanctorum, cap. 36. quæ omnibus incutere possit terrorem, qui non prorsus obsurduerunt ad cæli minas, aut obbrutuerunt ad verbera supernæ vindictæ. Iulianus & Iulius egregij fratres B. Theodosium pientissimum Imperatorem adierunt rogaturi facultatem, vti sibi liceret idolorum fana vbicumque ea reperirent deiicere, & religiosa CHRISTO templa eorum in locum exædificare. Imperator plus etiam quàm petebant concessit: addidit enim, vt omnes ipsis ad rem tam piam promouendam obedirent, atque etiam adiuuarent, constituto in recusantes capitis supplicio. Hoc instructi Imperatoris mandato, multa multis in locis templa exstruebant. Contigit autem eos in loco quodam, qui Gaudianum dicebatur, ædificare: cumque omnes, qui illac iter habebant, eos adiuuarent, fuerunt qui currum agentes, ne occuparentur à Sanctis, inter sese hanc commenti sunt fabulam: Vnus è nobis, inquiunt, in plaustro supinus iaceat pannis obuolutus, ac mortuum se quàm dexterrimè simulet; vt leui hac fraude fastidiosum laborem temporisque iacturam redimamus. Dictum, factum. Qui ad simulandum videbatur paratissimus, componitur, atque oculis clausis, vtque dictum erat, obuolutus, fingit se iam fatis concessisse. In hac scenâ ad locum, in quo Iulius & Iulianus ædificabant, accedunt; & Sancti quâ omnes compellabant suauitate, Filioli, inquiunt, parumper subsistite, & nos in hoc opere iuuate. At, illi mortuum se vehere dictitabant, ac proinde non posse subsistere. Quibus iterùm, sed paulò seueriùs fratres: Quid ita mentimini, filioli mei? At illi, Non, inquiunt, mentimur, domini mei, sed, vti sese res habet, ita loquimur. Cui S. Iulianus: Ergo vt loquimini, ita sese res habeat, & secundùm veritatem vestri dicti ita vobis res contingat. nec vltrà eos moratur. Illi stimulatis bobus progrediuntur; & vt à

Morte punitur mendacium.

conſpectu Sanctorum ſatis ſe diſtare arbitrabantur, ad ſimulatorem ſuum accurrunt; &, Heus tu, inquiunt, euigila, quando hoc iam ſucceſſit, ſatis diu mortuus fuiſti, boues ſtimula. Ille nihilo magis quàm antè perſeuerat immobilis. Socij verò; Quid, inquiunt, an deliras? iam peracta eſt fabula, tu iſtud ſimulationis ſiparium remoue, & te nobis viuentibus viuum oſtende. Et ſimul integumenta reijciunt. At, ecce iuſtam Dei vindictam, ſocium non ſimulatè mortuum reperiunt; ac tempus quod ædificando Dei templo dare per nequiſſimam ſimulationem recuſauerant, coguntur inter veriſſimas lacrymas parando ſocij ſepulchro impendere. Geminum ferè huic narrat factum Nicephorus lib. 12. Hiſtor. Eccl. cap. 46. quod ita vertit Ieremias Drexelius: Mendiculi duo, tam à centonibus quàm à conſutis mendaciis diuites, Epiphanium Antiſtitem tranſiturum in viâ obſeruarunt, & vt ſtipem caperent largiorem, illorum alter officioſè ſe mortuum finxit; cumque Epiphanius tranſiret, alter non ſine fictis lacrymis querebatur, ob extremam inopiam nihil eorum quæ ſepeliendo ſocio deberentur ſuppetere. Epiphanius vultu ſerio, Deus, inquit, ſit illi propitius. atque vnà pecuniam dans flenti; Tu, inquit, funus hoc cura, hic tuus ſocius non ſurget amplius. Abeas modò, cogitabat viuus: nec enim tuâ præſentiâ egemus ad pecuniam ex æquo diuidendam. Abijt Epiphanius: iamque nemine præſente, alter circumſpiciens curioſè, pede ſocium icit, monuitque ſecurus ſurgeret. neque vox, neque ſenſus. Alter iterùm alloqui, atque etiam laudare quòd mortuum tam doctè ex viuo repræſentaret. Necdum alter reſpondere. Tandem iſte; Heus tu mortue, inquit, tandem ſurge: aut nec obolum impetrabis è datâ pecuniâ. & ſimul cadauer vtrâque manu concuſſit, tamquam riſum diu repreſſum excitaturus. Sed necdum vox vlla, aut vllus ſenſus. Ita res nata è ioco, patuitque miſerum verè mortuum eſſe. Mox alter actutùm Præſulem currendo inſequi; & vbi ad illum peruenit, hic magis quàm anteà & ſeriò lamentari, mendacium fateri, fraudem ex inopiâ confictam, ſed hanc culpam non ampliùs vmquam repetendam; miſereretur porrò mortui, iuberetque precibus reuiuiſcere. At Epiphanius necdum mendacio reconciliatus; Tu verò, inquit, ſepeli ſocium: Deus ſententiam non mutat. Ite nunc garruli & faceti; omnibus, & maximè ſanctioribus, imponite, vt habeatis de quo in circulis riſum concitetis, inſignia commemorando facinora: quomodo nimirum huic aut illi priſci, vt vocatis, ſæculi homini impoſueritis, qui ex animo ſuo alios diiudicans, credulas præbuit aſſeuerantibus aures. Intereà tamen in duo hæc exempla identidem oculos conijcire, ne obliuiſcamini, ſeuerum eſſe in cælis Iudicem primamque Veritatem, quæ grauiſſimè aliquando leuia etiam mendacia caſtiget. Sed ne fortè, quia fidem ipſi non merentur, fidem etiam hiſce Eccleſiaſticis hiſtorijs omnem abrogent; Spiritum ſanctum, credo, ſibi ſimilem non facient mendacem. Examinent Acta Apoſtolorum, ac de Ananiâ & Sapphirâ ipſi ferant iudicium, grauiter aut cum proximi damno eos mentitos eſſe non conuincent: poterant enim ſua retinere, nemo eos cogebat in alienum ærarium facultates omnes inferre; & tamen interrogante Apoſtolorum Principe, num tanti agrum ſuum vendidiſſent, quanti allatum pretium eſſet, ad voculas haſce, *Etiam tanti*, ambo nece repentinâ tamquam fulmine tacti corruerunt. Conſonant hæc facta dictis Scripturæ frequentiſſimis, quibus oſtendit, Deum vehementer mendacium auerſari. *Abominatio*, inquit Sapiens Prouerb. 12. v. 22. *eſt Domino labia mendacia; qui autem fideliter agunt, placent ei.* ac rurſus: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Denique, vt praxi aliquâ Sodales inſtruamus, quâ poſſint lubricitatem linguæ ad omnia mala, ſed maximè ad mentiendum procliuem ſiſtere, eam cogitent in mundi hac vaſtâ Republicâ vigere conſuetudinem, quæ, Suidâ atteſtante, in Tenedo inſulâ fuit obſeruata; vt pone iudicem cum

Alia ſimilis hiſtoria.

Ananias & Sapphira morte mulctantur propter mendacium.

Act. 5. v. 8.

Pſal. 5. v. 7.

cum securi staret carnifex, in hoc paratus, vt si quis falsi testimonij, falsæ accusationis, aut cuiuscumque tandem mendacij conuictus fuisset, protinus securi feriretur; hinc in prouerbium abiit, *Tenedia securis*. Nam in conspectu Iudicis nostri perpetuò stamus, & vigilat apud eum securis; quæ nulli mendacio parcet; & si non ex tempore feriat, tarditatem supplicij posteà grauitate compensabit: nam *vniuersæ viæ* eius *misericordia & veritas*, & iudicium in eos, qui spretâ misericordiâ eius & veritate adhærent mendacio.

Psal. 24. v. 10.

CAPVT LXX.

De detractione.

Perniciosissima inter linguæ vitia detractio.

QVÆ ex sancto Iacobo suprà attulimus de linguæ malitiâ; ea omnia de vnico eius vitio, quod detractionem dicimus, ita speciatim intelliguntur; vt quidquid mali vbique spargit, hîc colligat; & si conferantur, quæ vbique infert damna, voluisse per cetera vitia ludere, per detractionem autem nocere; alibi batuere, hîc versis armis pugnare dices: adeò vires suas hîc omnes exercet, & supra omnem malitiam furit illud commune orbis incendium; lerna vitiorum, omnis nequitiæ instrumentum, & malorum omnium compendium. Ecclesiasticum audire oportet in detractores seuerissimè fulminantem: *Lingua tertia*, inquit (sic enim linguam detrahentem appellat; vel quòd tertium absentem lædat, vel quòd vno ictu tres vulneret aut occidat) *multos commouit, & dispersit illos de gente in gentem; ciuitates muratas diuitum destruxit, & domos magnatorum effodit.* Dicerésne de exiguo carnis frustulo, an de balistis & catapultis, de nouis quibusdam instrumentis aut tormentis bellicis mentionem fieri? Imò si perlegamus, acies Regnaque integra armata esse dixeris, de quibus tanta affirmentur. *Virtutes*, inquit, *populorum concidit, & gentes fortes dissoluit. Lingua tertia mulieres viratas* (Græcè ἀνδρείας, viriles, viragines) *eiecit, & priuauit illas laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem; nec habebit amicum, in quo requiescat.* Deinde vim eius & plagæ acerbitatem pulcherrimis illustrat comparationibus, & mirum in modum exaggerat: *Flagelli plaga liuorem facit; plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.* Clariora sunt hæc quàm vt explicatione egeant, grauiora quàm vt verbis nostris debeant exaggerari. *Beatus*, exclamat tandem, *qui tectus est à linguâ nequam, qui in iracundiam illius non transiuit, & qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius non est ligatus: iugum enim illius, iugum ferreum est; & vinculum illius, vinculum æreum est. Ferreum*, notat dici S. Hieronymus, vel quisquis est auctor Comment. in S. Marcum c. 4. *quod durum & forte desideramus intelligi, aut quod vehementem angustiam vel afflictionem affert.* Et S. Augustin. lib. 5. Locutionum: *Ferrum*, ait, *significat duram tribulationem*; vt Psalm. 104. v. 18. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius.* & Ierem. 28. v. 13. *Iugum ferreum posui super collum cunctarum gentium.* Tandem ad vltimum malitiæ ipsius gradum peruenit Siracides, dicens: *Mors illius, mors nequissima; & vtilis potiùs infernus, quàm illa.* Quid mirum, si dicamus vix vllum deterioris generis animal esse, cuius nomine detractorem aut detractionem non compellemus; cùm post flagelli, gladij, mortis comparationem, ipsis gehennæ incendiis peiorem detractionem esse Scriptura asseueret? Quod Martinus del Rio explicans Adagio 197. digress. 2. loco 81. Sensus, inquit, est, quasi dicat: Lingua nequam deteriora vulnera infligit cruciatibus inferorum, & sibi ipsi insuper exitio est maiori. Ratio est, Primò, quia linguæ vulnera coniuncta sunt peccato, quo nihil deterius, nihil exitialius; cruciatus autem inferorum ipsi vacant culpâ; & sunt ministeria iustitiæ diuinæ. Sic ferè Lyranus. Secundò, quia cruciatus inferni solùm lædit patientem: lingua mala necat tres, audientem, dicentem, & sæpè eum cui maledicit: item, lingua necat animam,

Eccli. 28. v. 16. & 17.

Ibid. v. 18. 19. & 20.

Ibid. v. 21. & 22.

Ibid. v. 23. & 24.

Detractio peior inferno.

Ibid. v. 25.

Cur vulnera linguæ peiora inferni cruciatibus.

mam, flamma inferni tantùm cruciat. Tertiò, vt scribit Carensis, infernus non nocet nisi malis; lingua nequam etiam immeritos & iustos sauciat. Quartò, sicut in Republicâ carceres & supplicia vtilia sunt ad coërcendum improbos, & ad defendendos probos; sic in hominum vniuersali hoc mundo, ad idem conducit gehenna: quare vtilior est quàm lingua nequam, quæ ad summum patientiæ occasionem, &, vt se alij cautiùs gerant, præstat: Hactenus del Rio. I nunc, & veta nos canes, ericios, scarabeos, hirudines, porcos, leones, hyænas, serpentes, & si quod aliud est nocentius animal, appellare detractores, vt nequitiam eorum (quam, vt malorum omnium vniuersitatem ostendat Ecclesiasticus, inferno deteriorem affirmat) per partes possimus explicare. Canes, inquam, sunt, & quidem anthropophagi. Vis ipsos cernere aperto ventre certatim viscera dilaniantes? Sapiens in eos digitum intendit, quando Prou.26.v.22. ait: *Verba susurronis quasi simplicia, ipsa perueniunt ad intima ventris.* Vis ossa rodentes? iam diximus: *Plaga autem linguæ comminuet ossa.* Vis carnem vorantes cernere? Iobum intuere: *Quare*, inquit, *persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* Et apertè S.Gregorius lib.14. Moral. cap. 14. affirmat: *Qui alienæ vitæ detractione pascuntur, alienis proculdubiò carnibus saturantur.* Vis canes istos oculis & naribus omnia perscrutantes, auribus arrectis omnibus attendentes? tantùm aduertendum, quàm curiosè detractores isti in omnium vitas, actiones, imò intentiones inquirant, vt aliquod inueniant fami suæ plusquam caninæ pabulum. Vis deniq; rabie percitos videre in dominum irruentes, nequidquam clamantem,

Actæon ego sum, dominum cognoscite vestrum?

Ezechiel ostendit: *Patres*, inquit, *comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos.* Proptium canis rabiosi signum est, quando passim obuios notos ignotósque mordet. Eò plerique detractores perueniunt maledicendi consuetudine, vt nullâ distinctione omnium carnibus vescantur, ac tam facilè dentem figant in dominos, parentes, propinquos; quàm in quoslibet alios. Vbi enim quid vel audiuerunt, vel subodorati sunt (*Sagitta infixa femori canis, sic verbum in corde stulti*, inquit Siracides cap.19.vers.12.) tam sunt festini, vt illud eiiciant, vt ne quidem tempus sibi dent considerandi, patrémne an propinquorum aliquem sint læsuri: sed instar canis, qui, quòd acuti sit tactus & biliosus, illicò sagittam excutit; ita ipsi verbum conceptum excutiunt, securi, in amicúmne an inimicum sit illud mittendum. Ericium marinum alij dicunt detractorem: pinnis enim acutissimis vndique obarmatus est hic pisciculus, neque aliis pedibus graditur quàm iisdem ipsis aculeis; hincque omnibus piscibus terrori est atque formidini: nusquam enim accedere possunt, quin pungantur. Tu verò detractorem adi. quid audies? Hic ebrietati, ille luxuriæ est deditus; iste breui temporis spatio patrimonium decoxit, isti semper alea in manibus, huic Mars in ore; cùm hic non plus fortitudinis habeat quàm iste fidelitatis. atque eâ ratione se reddit omnibus terribilem: verentur enim omnes, ne in istos impingant aculeos. nam *terribilis est in ciuitate suâ homo linguosus: & temerarius in verbo suo odibilis erit*, Eccli.c.9. v.25. *Omnes*, inquit S.Chrysostomus, *auersantur maledicum, vt eum qui lutum redoleat; vt hirudinem quæ sanguine, vt scarabeum qui stercore, alienis malis aluntur. Quantumcumque enim alios maledictis conspergant, numquam illos tam reddent turpes, quin ipsimet magis sint abominabiles.* Pulchro hoc explicat apologo Cyrillus lib.2. Apolog.moral. cap.vltimo, cui titulus, *Contra infamatores: Columba*, inquit, *pennali bysso, seu rutilantiâ Veneris operta, per totum sparsis sursum pennis, gemmantibus oculis, incessu graui, pede simplici, alisq́; collectis adaquatum ibat; sed cùm cœnosum lutum intus latitans aridæ faciem mentiretur, in ipsum impegit: cuius spurcitiâ mox respersa, nitidum corpusculum defœdauit.*

Detractores sunt canes.

Iob 19. v.22.

Ezech.5. v.10.

Ericij marini.

In Psal.49. paulò ante finem.

Tunc

Tunc lutum huius rei euentu risum extollens, quippe gaudens quòd malè fecisset; Quomodo, inquit, fœdata est pulchritudo tanta? At illa respondit: Nimirum quia in te impegi. quidnam es tu? Cui illud: Cœnum & lutum. Mox columba subiunxit: Certè verum est; quia si cœnum non fuisses, nequaquam à te maculam contraxissem: attamen nitor meus in substantiâ meâ existens, à me non recessit; fœtor autem tuus in te manet. quod enim fœdum nunc apparet in colore meo, id substantialiter est in tuo; quamobrem derisisti teipsum, ac contaminatu tuo me fœdando, me clarissimam ostendisti. Deinde aliis parabolis, canis, aspidis, spinæ & piscis, id confirmat. *Canis namque lacerans, noxius est ex dentibus; & os aspidis inficit, ipsum priùs venenositate infectum: spina pungit, quoniam habet aculeum: & piscis denigrans mare, suum in se euomit nigrum. Sic omnis nocentia priùs in suo auctore existit. Quid plura? Ego certè pergens ad lauacrum, emundabor; tu verò semper maculatum eris, quia lutum esse dignosceris: nam fœda detractio est quæ ab innocentiâ raditur; sed eius infectio numquam ab infamiâ detractionis purgatur. Quibus dictis, ad lauacrum perrexit.* Vide quot habeas ex Chrysostomo & Cyrillo, quæ in detractorem conueniant, bestias, scarabeum, hirudinem, canem, aspidem, sepiam. Adiungo, porcos esse meros detractores. Mitte spurcum hoc animal in hortum, quem flores amœnissimi suaui odore permulceant: quid putas? an curiosis naribus hauriet odorem, aut fixis oculis varietatem stupebit colorum, nullo penicillo imitandam? Nihil horum, sed innatâ sibi vilitate sicubi delicias suas fimum reperiat, peruestigabit, atque in eo volutabitur. Ipsa detractorum indoles, qui cùm possint tot è proximorum exemplo virtutum, doctrinæ, sapientiæ flores decerpere, iis neglectis, nihil præter vitiorum fimum inquirunt; & sicubi repererint, linguâ & dentibus mandunt, obuiisque omnibus porcinâ immanitate proponunt. Sed non solùm turpe atque obscœnum, verùm etiam sæuum ac crudele animal est detractor.

porci.

Hebraicè lingua dicitur *lascon*; quod videtur diminutiuum à *lais*, id est, *leo:* ita illorum credo idiomate formatum, quemadmodum ab *is*, quod virum significat, dicunt *iscon*, id est viruncululus, pro *pupillâ oculi*, quia in eâ masculus apparet; quòd scilicet leonis rabies tam perfectè appareat in linguâ, quàm viri facies in oculis. Nam sicut leo, sæuus & fortissimus animalium, eorumque rex, ad nullius pauet occursum; ita lingua, detractoris maximè, sæuissima ac fortissima, omniumque domina, neminem veretur aut reueretur. Rursum, sicut leo latet in speluncâ, ex eâque in prædam à se visam improuisus insilit; ita lingua latet in ore quasi in insidiis, ex eoque obuios quosque & ignaros inuadit. Et notandum in linguâ sacrâ mysterium, quòd *lascon*, id est lingua, & *nascal*, id est *detraxit, deiecit*, iisdem scribantur litteris, tantùm per metathesin variatis; & *lais*, quod leonem signat, formetur à *lus*, quod est, *subegit:* vt intelligamus, tam procliuem esse linguam ad omnia per detractionem deiicienda, quàm est leo ad omnia subigenda. Etiam Theocritus ad hanc comparationem allusit; qui interrogatus, quænam essent immanissimæ feræ; respondit, In montibus & siluis leones & vrsi, in vrbibus verò fœneratores & detractores. Verùm leo esset, si cum ferociâ seruaret animos & generositatem leoninam; qui nouit prostratis parcere, & nescit in sepultorum sæuire cadauera. Hyæna est detractor, quę facie lupo non absimilis, tam appetens est carnis humanæ, vt tumulos etiam effodiat, & cadauera in cibum sibi exhumet. & tanta est detrahentibus libido carnis humanæ, vt sæpè sepultorum producant agmina, quos conuiuis suis propinent irridendos, deuorandosque proponant. Denique serpentem esse dicit Ecclesiastes detractorem, cap. 10. v. 11. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Audi nunc supra hæc omnia insurgentem S. Bernardum, aliàs dulcissimum: *Numquid non vipera est lingua ista? ferocissima planè, nimirum quæ tam letaliter tres inficiat flatu vno.*

leones.

hyana.

serpentes.

Serm. de triplici custodiâ.

Ppp 3 *Num-*

Numquid non lancea est ista lingua? profectò & acutissima, quæ tres penetrat ictu vno. Lingua, inquit Psaltes, *eorum gladius acutus.* Gladius equidem anceps, imò triceps, est lingua detractoris. Nec verò eiusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis: fodit enim hæc quoque CHRISTI corpus, & membrum de membro: nec iam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit: etiam clauis ferreis, quos sanctissimis manibus illis & pedibus consummatio Iudaicæ iniquitatis infixit: nisi enim huius, quod iam pungitur & transfoditur, corporis sui vitam illius vitæ corporis prætulisset, numquam illud pro isto mortis, iniuriæ, crucis ignominiæ tradidisset. Et dicimus, Leuis res sermo; tenera, mollis, & exigua caro lingua hominis: quis sapiens magni pendat? Leuis quidem res sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat; leuiter transit, sed grauiter vrit; leuiter penetrat animum, sed non leuiter exit; profertur leuiter, sed non leuiter reuocatur; facilè volat, atque ideò facilè violat charitatem. Vilis res musca moriens, sed exterminat oleum suauitatis. Tenerum membrum lingua, attamen vix teneri potest; substantiâ quidem infirmum atque exiguum, sed vsu magnum & validum inuenitur; modicum membrum est, sed, nisi caueas, magnum malum. Quæ ideò tam fusè retuli suauissimi Doctoris verba, quòd extollant supra omnia hactenus dicta detractionis crudelitatem: vt mirum non sit, etiam Ethnicos Principes in eos seuerissimè animaduertisse: nam derractores ac delatores falsos flagellis & fustibus cædi, & in exilium pelli, Vespasianus imperauit; viuos etiam exuri Augustus mandauit; neruis cædi Mauritius Imperator iussit; capitali pœnâ affici M. Antouinus Pius voluit. Vides quàm verum sit illud Prouerb. 24. v. 9. *Abominatio hominum detractor.* Sed multò etiam ipsis est miserabilius, quòd *detractores Deo odibiles.* Sed age, quibus modis odium id sibi concitent, id est, quot detrahendi sint modi, quidve sit ipsa detractio, videamus.

Psal. 56. v. 5.

Pœna constituta ab Ethnicis in detractores.

Rom. 1. v. 30.

CAPVT LXXI.

Quid sit detractio; & detrahendi varij modi.

REM ex nomine & opere notissimam, sed nimis amatam hominibus, exagitandam potiùs quàm describendam ratus, præter vulgarem ordinem, ab ipsius fœditate ac crudelitate potiùs quàm à definitione exordiebar: nam omnibus nota est Angelici Doctoris 2. 2. q. 73. art. 1. definitio: *Detractio, est denigratio alienæ famæ per verba occulta.* Nam si aperte & in os quis lædatur, hoc contumelia est. Detractionis autem naturam vocabulum ipsum, quamuis priscis Romanis, qui virtutibus tam accuratè non studebant, in eâ significatione minùs vsurpatum, satis exprimit. Similem enim proponit rei imaginem, ac si quispiam de agilioribus Mercurij discipulis noctu suspenso gradu pone viatorem incedens, ei pallium nihil sentienti detrahat; quo postmodum spoliatum se quidem sentit, furem autem ne suspicione quidem assequi potest. Geminum enim est prorsus quod ij faciunt, qui linguâ petulanti à tergo proximum insequuntur, eique nihil tale suspicanti bonæ famæ detrahunt palliolum: quo se nudatum quidem, quando eius esset vsus, animaduertit; quando autem, vel quomodo perdiderit, ignorat. Iam si quis mortale genus posset contra astutias lauernionum istiusmodi satis obarmare; operæ pretium foret etiam prolixa volumina de modis praxibusque eorum conscribere; nec vlla magis in pretio esset disciplina militaris, quàm illa, quæ doceret hostes istos occultos ac infestissimos superare. Verùm ea tot malis nostris addita est miseria, vt, cùm vitam possimus quaquâ ratione à vi & insidijs defendere; famam, quæ vitâ ipsâ cuique debet esse charior, nullâ ratione valeamus à linguæ latrocinijs tutam seruare. *inflammat* enim illa perpetuò *rotam*

Definitio detractionis.

Inevitabilis detractio.

Iacob. 3. v. 6.

rotam natiuitatis nostræ; *rotam*, inquam, *natiuitatis*, hoc est vitam nostram, quæ rota est torquens ac discrucians, atque adeò ipsum tormentum rotæ & perpetua rotatio laborum, morborum, dolorum, anxietatum, perturbationum, curarum, timorum, cupiditatum, miseriarum, & malorum omnium, quæ nos continuè, sed variè, rotant, lacerant, discerpunt, excerebrant, perinde ac tormentum rotæ. de quo Tertullianus in Apolog. cap. 50. *Quia ad stipitem dimidij axis reuincti, sarmentorum ambitu exurimur.* Huic, inquam, rotæ affixi miseri mortales, non magis possumus ignem linguæ (nam *& lingua ignis est*, Iacob. 3. v. 6.) quàm ij qui rotæ erant illigati poterant sarmentorum flammam euadere. En miserum statum nostrum: rotæ affixi sumus vitæ nostræ, in quâ tot passionibus, tot molestijs, tot perturbationibus rotamur, agitamur, frangimur, exossamur, exuertebramur. huic autem rotæ, ô crudelitatem inauditam! tamquam si non satis esset in ipsâ supplicij, flammas & ignem suum subijcit lingua. cuius euadendi spes nulla, cùm ipsius rotæ & vitæ nostræ cursu perpetuo per eam agamur, donec nos vita deficiat, eâ etiam sæpè post vitam exurendi. Accipe hoc supplicij genus, vt viuaciùs linguæ crudelitas appareat, ex Iosepho lib. de Machabæis. ait enim: *Vt erat affixus rotæ, igni in catastâ obijcitur; atque ita tendentibus corpus radijs, & contrahentibus flammis, & costis deinde patentibus, laterum vitalia rumpuntur.* O maximorum malorum malum maximum detractio! quàm miserè homines excrucias, & quàm ineuitabiles subijcis rotæ vitæ nostræ flammas! nam quid contra linguarum incendium adhibebis? si fugis, sequitur: nec opus est ipsi interiecta spatia emetiri: agit in distans, quamuis ad multa leucarum millia. Taces? silentium tuum vertit in audaciam, & liberiùs poscit ab auditoribus fidem; tamquam si dicta sua approbata sint annuente silentio. Loqueris & diluis obiecta? insurgit illa peruicaciòr; & ne vacillent priora, noua confingit, quibus famam denigret obloquentis.

similis rotæ supplicio.

Nec hîc est quòd dicas: Benè viuendo exarmaueris omnem detractorum rabiem, & linguæ flagella euaseris. habet enim hanc cum inferno, cuius flammis accensa, communem conditionem lingua detractoria, quòd hæc maximè sit bonis inimica; sæuiatque semper in sui dissimiles. Non est ergo; quòd ideò multas detractionis distinguamus species, vt doceamus; quomodo quis possit ineuitabile eius telum euadere: sed cùm malum sit tale, quod non tantùm omnes appetat eos inuadendo, sed etiam neminem liberum sinat, quin noxias ei communicet vires, quibus alios subinde lædat; idque faciat adeò subtiliter, vt vix aliquando ipse qui nocet aduertat noxias à se vires exiuisse, antequam cernat ante pedes suos terna cadauera, primò, animæ suæ, quam grauissimè sauciauit; secundò, audientis; tertiò, eius in quem perniciosam linguæ sagittam per tempora auditoris sui transegit; necessarium erit breuiter octo detractionis species recitare: vt, quod in cuiusque est manu, aspirante particulari è cælo gratiâ, caueamus telum eius, quod est ex tribus perniciosissimum, quo solet ipsum detrahentem configere. Fit ergo detractio, Primò, falsa proximo crimina affingendo; atque ita duplici animam detrahentis sauciat vulnere, mendacij & detractionis. Secundò, vera quidem narrando crimina, sed quæ erant occulta; atque hic est lapis offensionis ordinarius, dum vulgò sibi persuadent homines, modò vera narrauerint, fieri non posse vt tacenda protulerint: Quid enim, inquiunt, an veritatem loqui peccatum sit? an quæ vidimus, quæ audiuimus, & sensibus nostris vsurpauimus, non liceat eloqui? quasi verò non possis famam proximi tui vera dicendo eripere. Quid si occultum sit crimen, quod tu profers? quis tibi in famam ipsius concessit dominium, quam eâ prolatione imminutum is, aut fortè etiam ablatum? Non omnis qui conscientiam coram Deo læsit, continuò etiam famam coram hominibus perdidit. Aut proba, quòd simul atque peccantem videris quempiam, statim

Octo detrahendi modi.

statim possis in bona atque fortunas ipsius inuolare; aut ostende, cur magis ius ad famam, quàm ad fortunas quis peccando amittat. Tertius per detractionem peccandi modus est, dum vera quidem narrantur, sed iis falsa adduntur, vt colorem ducant, gratioraque ac quodammodò exornatiora ad auditores perueniant. Nec vitia tantùm aliorum, sed ipsas etiam virtutes suam facit materiam detractio: quas dum sinistrè interpretatur, aut animum culpat intentionemque diiudicat, dicens, non bonâ mente, sed vel lucri vel honoris studio virtutum obiri exercitia, quartum constituit detrahendi modum. Quintum verò quis credat? etiam laudando exercet, sed ita frigidè, vt grauissimæ vituperationis instar sit ipsa laudatio. Huc reuoca eos, qui voces spargunt malignas, qui aliorum nomine quædam nocitura referunt, addentes: ***Ita aiunt, is est de ipso sermo: Non omne quod nitet aurum censeas: Vnde ista nouitia sanctitas? certè hac ijs, qui ipsum optimè norunt, nondum innotuit.*** & similia, quæ apud homines ad deteriora credenda procliues perniciosè mussitantur. Sextus etiam subtilior est detrahendi modus, qui solo fit gestu; dum quis laudatur ab aliis inuertendo terque quaterque manum, quo significetur nihil in eo, de quo sermo est, esse stabile aut solidum, sed vento eum omni rotari: alij frontem ducunt, alij capite abnuunt; tacito denique gestu ita multa loquuntur, vt laudem omnem imminuant, aut in grauissimas etiam suspiciones conuertant: quando pronum ista videntibus existimare, gesticulatorem arcana quædam cognoscere vitia, quibus facile sit omnes laudes istas tamquam nigro carbone inducere. Septimò, etiam nudo silentio detrahitur de famâ proximi, quando de eo vel interrogatur quispiam, aut ille accusatur, & tu eum potes ac tenêris loquendo defendere. Octauò denique, quod pauci aduertunt, is detrahit de proximi sui famâ, qui coram aliis de admissis criminibus reprehensus, ea præfractè negat, atque ita in reprehensorem suum mendacij deriuat infamiam: quamuis enim fortè coram aliis fateri non debeat quæ obiiciuntur; potest tamen molliori viâ iis contradicere, vel simili ratione dici quidem ea, non item probari; multa falsò affirmari, non omnibus adhibendam fidem, & similia. quæ rigidâ istâ negatione multò sunt tolerabiliora. Omnibus hisce detractionis diuersis generibus subiungenda est ex Doctore mellifluo non noua detrahendi species, sed diabolica quædam ars detrahentium, seu artificium peruersæ huius Rhetoricæ: quò enim altiùs infigant nocitura spicula, lento fictionis ea contorquent amento, & hypocriseos inficiunt veneno. quos sic describit Bernardus Sermone 24. in Cant. postquam præclarè fuit vitium hoc insectatus: *Alij autem quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum grauitate ac tarditate, vultu mæsto, demissis superciliys, & voce plangenti egredi maledictionem; & quidem tantò persuasibiliorem, quantò creditur ab his qui audiunt corde inuito, & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri. Doleo (inquit) vehementer pro eo, quòd diligo eum satis, & numquam potui de hac re corrigere eum. Et alius: Mihi quidem, ait, benè compertum fuerat de illo istud, sed per me numquam innotuisset; at quoniam per alterum patefacta est res, negare non possum, dolens dico, reuerà ita est. & addit: Grande damnum; nam aliàs quidem in pluribus valet, ceterùm in hac parte (vt verum fateamur) excusari minimè potest.*

Eloquentia detrahentium.

Ad commemoratos hosce detrahendi modos poterit se quisque examinare; reperietque sine dubio, se non rarò aliquo horum offendisse. Nam quod Ægyptijs erat plaga exterior, vt essent ciniphes tam in hominibus quàm in iumentis, etiamnum orbis vniuersi est miseria; vt ciniphes, animalcula parua, sed inquieta & acriter pungentia, hoc est, symbolicè, sermones detractorij, sint tam in hominibus qui conantur ex rationis præscripto conuersationem suam supra brutorum vitam extollere,

Sermo detractorius ciniphibus comparatur.

extollere, quàm in iumentis, id est hominibus omnem humanam dignitatem vitiorum obscœnitate deturpantibus: nam in omni ordine, sexu, ætate, statu, inter opulentos & egenos, dominos ac seruos, hoc detractionis malum grassatur. imò Suidas ait: *Hic bonorum virorum morbus est, aliquid de quopiam probri loco commemorare, quod laudandum est.*

Commendamus ergo hîc impensè Sodalibus, vti quotidie, dum vesperè ex alterius Regulæ præscripto in totius diei dicta & facta inquirunt, breuiter, quos assignauimus, detrahendi modos percurrant; vt tandem hac diligentiâ ponant custodiam ori suo, ne tam crebrò, neque tam grauiter peccent in re, quæ facillimè potest ad mortalis delicti grauitatem accedere: & quæ habet difficilem remissionem, propter obligationem restitutionis; quæ non minùs in famæ furto, quàm in bonorum rapinâ requiritur. Et vibret sæpiùs in auribus piorum Sodalium hæc Matris æquè ac Filij vox: *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* Cùm enim charitas sit vinculum & signum distinctiuum MARIANÆ familiæ, non potest illa tolerare inimicos charitatis; qui sunt præcipuè detractores. Nam *omnis qui detrahit*, inquit S. Bernardus in Cant. Serm. citato, *primùm quidem seipsum prodit vacuum charitate: deinde, quid aliud detrahendo intendit, nisi, vt is cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipsis, apud quos detrahit? Ferit ergo charitatem in omnibus qui se audiunt, lingua maledica: &, quantum in se est, necat funditus, & extinguit: non solùm autem, sed & in absentibus vniuersis, ad quos volans verbum, fortè per eos qui præsentes sunt, peruenire contigerit.* & paulò inferiùs: *Vnus est qui loquitur, & vnum tantùm verbum profert; & tamen illud vnum verbum vno in momento multitudinis audientium dum aures inficit, animas interficit*, &c. Iam verò dispiciant, quàm durum ipsis futurum sit, odio esse Dominæ suæ; cuius fauorem vitæ præferunt, & omnibus vitæ delicijs. non opus est verbo alio apud eos, qui Dominæ suæ amorem magni faciunt, vt omni studio caueant vitium tanti periculi, nocumenti maioris, ac difficillimæ curationis; ac studeant, quod Regula dicit, candidè, sincerè, piè ac amanter cum omnibus agere, prout decet eius seruos, quæ fuit candoris & charitatis speculum dum vixit, & quæ neminem vmquam verbo offendit.

Psal. 100. v. 5.

CAPVT LXXII.

Regula vigesimasecunda.

ET, vt semel dicam, in omnibus actionibus ita se gerant, quemadmodum decet homines verè Christianos, obsequiis B. MARIÆ Virginis singulariter mancipatos: quapropter omnia opera, quibus ex naturâ Dei gloriam spectare tenentur, etiam eò dirigent, vt Dominæ suæ accrescat honor & gloria: nam mancipij proprium est, omnia ad domini vel dominæ suæ vtilitatem facere.

Explicatio.

Vltima est hæc Regularum; ac proinde ceterarum omnium quasi quædam peroratio; ac propterea enumerationem seu ἀνακεφαλαίωσιν habet, succinctam quidem illam ac breuem, ea tamen continentem, quæ totius rei sunt fundamentum, & quæ potissimùm debent esse Sodalium animis commendata: duo videlicet nomina vel titulos, quibus se debent ad omnem Regularum obseruantiam & morum honestatem excitare, Christiani videlicet, & mancipij MARIANI. Magnum vtrumque nomen, & magnam obligationem significans. Quid enim? Christianus es? Audi B. Hugonem Lincolniensem Episcopum: *Exigit*, inquit, *vis & veritas beati nominis huius, vt indesinenter teneatur charitas in corde, veritas in ore, castitas in corpore non fallaciter Christiani.* Repetitur ergo & commendatur hoc nomine, quidquid de charitate, veritate & castitate præscripsimus. Iterùm dico: Christianus es? Apostolum audi: *Induimini*

Ad quid obliget nomen Christiani.

Rom. 13. v. 14.

Dominum IESVM CHRISTVM. hoc est: Induite & ornate vos CHRISTI virtutibus; maximè vt externâ vitâ & passione, quasi veste, agnoscant omnes vos esse seruos CHRISTI. CHRISTVM *induit*, ait D.Thomas, *qui* CHRISTVM *imitatur: quia sicut homo continetur vestimento, & sub eius colore videtur; ita in eo qui* CHRISTVM *imitatur, solus* CHRISTVS, *eiusq́ indumenti color*, id est sanctitas, *apparet*. Vnde & Chrysostomus; *Induere*, ait, CHRISTVM, *est vndique in nobis per sanctimoniam & mansuetudinem* CHRISTVM *conspicuum esse. Homo enim indutus, id esse videtur quod indutus est; appareat itaq́ in nobis* CHRISTVS. Christianus ergo quasi viua imago, viua forma, viuus habitus CHRISTI sit oportet, imò sit alter quasi CHRISTVS; vt in eius vitâ, gestu, habitu & moribus, omnes se CHRISTVM videre putent. Sanè quot sunt Christiani, tot deberent esse & Christi. Iam cogita, qualis & quanta fuerit in singulis dictis & factis CHRISTI modestia, temperantia, circumspectio, charitas, patientia, gratia: quanta morum suauitas, grauitas & decor: hæc indue, hæc moribus exprime; & CHRISTVM indues, CHRISTVM exprimes, CHRISTVS aut certè verè Christianus eris. Nihil est enim Christianismus, nisi professio sanctitatis, studium virtutis, & imitatio vitæ CHRISTI. De quo Paulus ait: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra*, 1.Thessal.4. v.3. & v.7. *Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem*. Et S. Antonius apud S.Athanasium; *Nihil eorum*, inquit, *curæ sit Christianis, quæ secum auferre non possunt*. Illud potiùs debemus expetere, quod nos ducat ad cælum, sapientiam scilicet, castitatem, iustitiam, virtutem, peruigilem pauperum curam, fidem in CHRISTVM, robustum animum iræ victorem.

Ad quid obliget nomen Mancipij Mariani.

Vide quanta solo hoc nomine Christiani oriatur in nobis obligatio: at si ei iungamus, Christianos nos esse, non quoslibet, sed obsequio B. MARIÆ Virgini peculiariter mancipatos, tam multiplex rursus arctaque oritur obligatio induendi castissimæ sanctissimæque Virginis insignia, ac moribus exprimendi in sanctitate ipsâ castimoniæ virginitatisque nitorem; vt omnium exhortationum loco esse debeat cuilibet seruo prudenti, *Mancipium sum* B. MARIÆ *Virginis*, vt sese ad omnem honestatem componat, coneturque virtutem Deiparæ Virginis, quâ licet perfectione, æmulari. An non meminimus mulieris istius fortis, Prouerb.30. cuius omnes domestici vestiti duplicibus? Vti non est qui dubitet, quin hæc mulier verissimum sit Deiparæ symbolum; ita omnes intelligunt, vestes istas duplices esse geminum quod habemus ad imitationem propositum exemplum, CHRISTVM & MARIAM. Vti enim Apostolus dicit; *Induimini Dominum* IESVM CHRISTVM; ita Doctor Seraphicus in Psalt. hortatur: MARIAM *induite, quotquot diligitis eam; hæc fulgeat in moribus, splendeat in actionibus*. Et Isaias 51. v.2. hortatur: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos*. Vt nos memores essemus, non tantùm CHRISTVM, sed etiam MARIAM propositam esse ad imitandum, atque vtriusque nos debere insignibus conuestiri; vt eorum agnoscamur domestici & mancipia. atque hæc est prima Regulæ pars.

Rom.13. v.14.

Altera, si obseruetur, omnibus actionibus nostris singularem præstabit vtilitatem & suauitatem: supponit autem in primis illud Apostoli ad Roman.14. v.8. *Siue enim viuimus, Domino viuimus; siue morimur, Domino morimur*. hoc est, totum quod sumus, quod agimus, quod viuimus, quod patimur, quod morimur, ad eius sit obsequium & gloriam, cuius serui sumus. Ideò S.Bernardus monet Serm.13.in Cantic. *Fratres, nemo vestrûm velit laudari in vitâ istâ: quia quidquid hîc fauoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tu enim putride puluis, vnde gloria tibi?* Vnde omnis gloria iure naturæ Deo debetur, cuius nos sumus naturâ serui. Iam verò monet Regula, cùm etiam, suppositâ MARIÆ electione, iure naturæ eius simus serui & mancipia,

pia, vt memores simus, post Deum, ipsi actionibus nostris omnibus conciliare honorem & gloriam. Omnes enim mancipiorum actiones cedere debent in commodum & lucrum dominorum: Dominæ autem nostræ, cui beatitudo summa, qui est status ex omni bonorum collectione perfectus, iam acquisita est; pluraque in eo ipso statu bona possidet, quàm nos possimus imaginando assequi; cùm nullâ ratione possimus vtilitatis aut lucri aliquid offerre, soliciti esse debemus, vt, quod solum possumus, gloriam eius accidentalem, hoc est, nominis eius celebritatem, cultum ipsius & obsequium, in omnibus, maximè verò in nobis amplificemus. quod fiet, si singulas actiones nostras eius honori & gloriæ consecremus: quod, vti dicebam, incredibile ipsis adferet meritorum augmentum; & præterea condiet eas mirâ quadam amoris suauitate; quando vix vnquam possumus Dominæ nostræ recordari, quin ipsa, vti suauissima est, semper aspergat aliquid dulcedinis, quo condiat huius vitæ labores, & mortem sæpè ipsam reddat iucundissimam.

M. FR. BARTHOLOMÆI DE LOS RIOS

DE HIERARCHIA MARIANA

LIBER QVINTVS.

PROOEMIVM.

QVOD ingenua prorsus & liberalis sit ea seruitus, quam seruiunt Mancipia nominis B. MARIÆ Virginis, non contenti erunt ij, qui eam profitebuntur, legibus & constitutionibus Sodalitatis, quas iam dedimus; sed, vt ignis est amor, qui numquam dicit, Sufficit, semper ab eo impellentur, vt, postquam Regulas omnes obseruauerint, dispiciant, an nulla sint supererogationis opera, quibus possint sibi rursum Dominam suam demereri. Quapropter hîc nouẽ propono pietatis exercitia, quò se referre poterunt, vt per ista satisfaciant desideriis liberalissimis Reginæ & Dominæ suæ obsequendi. Quæ ad vsum poterunt in nouem festa B. MARIÆ Virginis præcipua diuidere, vt singulis eorum in vno aliquo se exerceant: vel si quando nouenam festi alicuius instituere suaserit pietas, opportuna erit diebus singulis vnius exercitij electio; vt ita insignem aliquem impetrent à Dominâ suâ fauorem, vel periculum aliquod aut malum à se suisve auertant. Denique, qui perpetuò volet stare in obsequio, habebit in iis quod horis, quod diebus, quod septimanis, quod mensibus singulis exhibeat; vt habeat vitam vniuersam cultu Deiparæ occupatam. Si quis verò in hæc inciderit, cui nondum sunt compedes MARIÆ in protectionem fortitudinis & bases virtutis, neque torques illius in stolam gloriæ; poterit hisce exercitationibus mouere cor pientissimæ Dominæ, vt eum in familiam suam admittat, impetretque à Deo spiritum seduli fidelisque mancipij.

CAPVT I.

EXERCITIVM PRIMVM.

Orationes iaculatoriæ, loco tributi horarij, Dominæ nostræ Virgini MARIAE *persoluendæ.*

PRIMVM Exercitium consistit in eo, vt cum pio catenularum osculo (si locus eam cærimoniam admittat) mente ad Dominam eleuatâ, vna ex sequentibus Orationibus, vt vocant, iaculatorijs pium Virgini seruiendi desiderium innouetur.

O Domina, quia ego seruus tuus, & mancipium Dominationis tuæ.

O Domine IESV, *ego seruus tuus, ego mancipium tuum, ac mancipium* MARIÆ *Matris tuæ.*

Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus

manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominam nostram, donec misereatur nostri.

Vel qui iis magis delectantur, quibus, Ecclesiâ docente, semel piè assueuerunt, ita dicent: *S. MARIA, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus & mancipijs tuis, nunc & in horâ mortis nostræ. Amen.*

CAPVT II.

EXERCITIVM SECVNDVM.

Sertum stellatum, mancipijs quotidie pendendum.

CVM longiorem hoc Exercitium requirat discursum, poterit is, qui tantùm breuiter praxim spectat, eam in fine huius Capitis videre: vbi habet coronæ, seu serti stellati recitandi rationem breuibus comprehensam.

De coronâ duodecim stellarum.

Orationi, quâ primùm sese in mancipia B. MARIÆ Virgini dicant & consecrant Sodales, duodecim illa B. MARIÆ Virginis priuilegia innexuimus, quæ inter innumerabilem eorum turbam maximè eminere videntur; quòd ea creberrimè velimus mancipiis versari ob oculos, vt sæpiùs propositum & feruorem renouent, vsque ad mortem tali Dominæ ac Heræ seruiendi, quam tot beneficijs & tantâ supra creaturas omnes excellentiâ vident sublimatam. Vt autem ea sic Orationi coniungerem, suasit auctoritas & ratio, vtraque irrefragabilis: auctoritas quidem Serenissimæ Margaretæ Austriacæ, quæ istud datis ex Hispaniâ in Belgium litteris efflagitauit. Rem, vt gesta est, breuiter exponam; tum quòd gratum futurum existimem intelligere, vnde hæc pietatis exercitatio mancipiis reddita fuerit familiaris; tum quòd commendationis non parum ipsi addet tam illustris personæ exemplum & cohortatio. Serenissima Hispaniarum Infans ISABELLA CLARA EVGENIA à mariti obitu Belgium auctoritate regebat, pietate sustentabat: illa, vti palatum habebat sic à Spiritu sancto attemperatum, vt caperetur omnis sapore pietatis; præ quàm solet, mirabiles supernæ dulcedinis fructus perceperat ex Sodalitatis mancipiorum B. MARIÆ Virginis in Belgio institutione, concessâ, vti alibi narrauimus, ad id miraculosâ B. MARIÆ Virginis de Bono successu Imagine: & mirum in modum gauisa, tantam maiestatis suæ altitudinem sub miti Deiparæ iugo inflexisse, ac regias suas manus catenis mancipatus eius induisse, non continuit apud se exuberantis lætitiam spiritus, sed cognatæ suæ, Imperatoris Maximiliani filiæ, Serenissimæ Margaretæ Austriacæ; Ordinis Discalceatarum S. Francisci in Conuentu Imperiali Madriti in Hispaniâ Religiosæ, per litteras eam institutionem indicauit, atque Orationem, quam huic Sodalitati conceperam, transscripsit: vt & illa, cui ingenium esse cereum nouerat ad omnem formam sanctitatis, gustaret de vino deuotionis, quod mancipiis suis propinar illa, quæ tam anxiè in nuptiis erat pro externis solicita, dicens: *Vinum non habent.* Dictum; factum. Quàm solicitè hæc misit, tam auidè illa hausit: diceres duas esse spirituales deliciarum cælestium sanguisugas, dicentes: *Adfer, adfer.* Tam insatiabili desiderio ambæ hæ Principes inhiabant occasionibus promouendi quâ poterant exercitia solidæ pietatis. Primùm ergò, rogat me per litteras Serenissima Margareta, vti sibi rationem aliquam exercendi hanc mancipatus erga B. MARIAM Virginem deuotionem perscribam; tum, vti istud pietatis exercitium coniungam cum eâ Coronâ, quam vocant duodecim stellarum, de quâ in præsentiarum est sermo. dumque ego aliis tum occupationibus distentus, ea quæ ad mancipatus rationem spectant tardarem colligere; iteratis litteris à Serenissimâ Isabellâ Infantâ rogar, vti, imperio & auctoritate suâ interpositâ, mander mihi, ne diutiùs differam ardentissima eius vota; atque quàm primùm doceam, quid porrò ei faciendum, vt possit esse perfectum Deiparæ mancipium. ac rursum, ne obliuisceretur alteram istam, de duodecim Virginis priui-

Cur hoc sertum iunctum sit Orationi Sodalitatis.

Ioan. 2. v. 3.

Prou. 30. v. 15.

legiis, pietatis exercitationem seruituti huic innectere. Excitabit, vti spero, tantarum Principum exemplum mortalium multos, vti æmulentur charismata eorum meliora; & huic mancipatui assici incipient, si persuaserint sibi, eum ab ipsis supra Regna & diademata fuisse adamatum. Vnicum ergo citabo epistolium, fidem orbi faciens, mancipatum hunc earum fuisse delicias, quæ cùm potuissent omnibus mundi voluptatibus perfrui, illas præ hisce contempserunt: Margareta in monasterio inter Religiosas angelicam vitam ducendo, Isabella inter medias negotiosissimæ gubernationis difficultates Religiosam disciplinam & sanctitatem æmulando. Scripsit hoc mihi, de Serenissimæ Isabellæ mandato, Maria de Montmorency 27. Ianuarij anno 1627.

Epistola Illustrissimæ Dominæ Mariæ de Montmorency.

MI Pater, quòd hæsce scribam Reuerendæ Paternitati vestræ, mandatum fuit suæ Celsitudinis, vti facerem, mitteremq́ per eas caput aliquod epistolæ cuiusdam Serenissimæ Infantæ Margaretæ ad ipsam suam Celsitudinem in hæc verba conscriptæ:

Plurimum mihi consolationis attulit vexillum & Oratio Mancipatus illius Sodalitatis, quam in aulâ vestrâ instituit Fr. Bartholomæus de los Rios ad honorem Deiparæ Virginis, eiusq́ sanctissimi nominis MARIÆ: *vtinam simul accepissem libellum de origine istius Mancipatus Hispanicè, quem audio ibi ex manuscriptis eius Hispanicis Gallico idiomate impressum. Cùm enim nequeam ego iam maiora* B. MARIÆ *Virgini præstare obsequia, vnicè desidero, similia pietatis erga Dominam meam exercitia fouere: beneficium itaque à vestrâ Celsitudine ego acceptura sum, si commendare, atque etiam, si opus fuerit, mandare dignetur Fr. Bartholomæo de los Rios ea quæ subijcio capita:*

Primùm, imprimi curet Hispanico idiomate, vti iam dicebam, originem, Regulas, & Constitutiones istius Mancipatus, tum orationes & exercitia Mancipiorum, quid suis temporibus orent, quid faciant.

Deinde, Orationem Sodalitatis istius, cui initium, Aue Maria Mater Dei, &c. *quam hisce inclusam mitto, ita coniungat cum paruâ Coronâ duodecim stellarum, quam etiam cum hisce impressam mitto; vt vnica, si fieri possit, ex vtraque confletur oratio; vt simul vtraque hac pietatis exercitatio commendetur. id quod hîc gratissimum accidet* B. MARIÆ *Virginis mancipijs, quorum ego pietatem fouere magnoperè desidero. Quâ in re sua Celsitudo me non parum adiuuerit, si hac Patri de los Rios dignata fuerit imperare.*

Hactenus verba epistolæ Serenissimæ Infantæ Margaretæ ad suam Celsitudinem; quibus adiungo Coronam paruam, quam mittit impressam, vt eam Reuerenda Paternitas vestra ex desiderio ipsius Orationi mancipiorum adiungat. Addere me iussit sua Celsitudo, scire se mandatis opus non esse apud vestram Paternitatem, vbi agitur B. MARIÆ *Virginis honos & obsequium; sed commendare se, vti breui huic cognata sua voto satisfaciat. Deus Paternitatem vestram seruet incolumem.*

Maria de Montmorency.

Præter imperiosas istas Principum tantarum preces, ratio maximè efflagitare visa est, vt hoc Exercitium paulò fusiùs mancipiis proponerem. Primò, quia tota mancipatus nostri seruitus in eâ sublimitate fundatur, quâ B. MARIA Virgo Domina nostra à Sanctissimâ Trinitate super omnes creaturas est eleuata. pro quâ exaltatione muneris nostri est, Sanctissimis indiuiduæ Trinitatis personis sigillatim gratias agere: nostrum enim fuit beneficium, tantis à Deo augeri donis cælestibus MARIAM, cui nos tam insigni libertate seruiremus. Prætereà, cum salutis nostræ cardo in eo vertatur, vt dignè & constanter fungamur erga Virginem mancipij fidelis munere; attentiùs consideranda sunt eius priuilegia & prærogatiuæ, vt in animo quotidie augeatur erga ipsam amor & reuerentia, duo fidelis seruitij incitamenta & solatia. Solent ergo viri religiosi & cultus B. MARIÆ Virginis studiosi, reuocare præcipua eius priuilegia ad duodecim capita, atque ex ijs conficere

Ratio, cur hoc sertum sit propriū mancipijs.

conficere piam exercitationem, quam vocant Coronam duodecim stellarum; ex eo quòd Apocalyp. 12. legant, *Et signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* quamquam in assignandis istis priuilegiis nonnihil varient, cùm ea quisque adferat, quæ vel excellentissima sibi videntur, vel quibus ipse præ ceteris afficitur; fit autem, quemadmodum in cibis corporalibus, ita etiam in spiritualibus deliciis, vt aliis alia sapiant. S. Bernardus, qui melle suo condire solet omnia spiritualia fercula, ita duodecim ista priuilegia proponit in Sermone, quem super ipsis hisce verbis Apocalypseos conscripsit, vt diuidat ea in quatuor prærogatiuas cæli, quatuor carnis, & totidem cordis, vt eas contemplanti patebit: *Primò*, inquit, *singularis fulgor refulget in* MARIÆ *generatione; secundò, in Angelicâ salutatione; tertiò, in sancti Spiritus superuentione; quartò, in Filij Dei inenarrabili conceptione; quintò, quòd virginitatis sit primiceria; sextò, quòd sine corruptione fecunda; septimò, quòd sine grauamine grauida; octauò, quòd sine dolore puerpera: nona stella est, mansuetudo pudoris; decima, deuotio humilitatis; vndecima, magnanimitas credulitatis; duodecima, martyrium cordis.* Sunt qui referant ad quatuor virtutes cardinales, in quarum singulis diua Virgo tripliciter excelluerit: ita vt *Temperantia* eius laudibus suppeditet, primò, pudicitiam carnis; secundò, modestiam sermonis; tertiò, cordis humilitatem: *Prudentia*, primò, quòd siluit turbata; secundò, quòd intellexit audita; tertiò, quòd respondit ad proposita: *Iustitia*, primò, quòd morem gessit duris corde in suâ desponsatione, in Filij circumcisione, in legali purificatione; secundò, quòd compassionem erubescentibus ministris exhibuit, vino in nuptiis deficiente; tertiò, quòd communionem Sanctis exhibuit, cum mulieribus & discipulis perseuerans in oratione: *Fortitudo* denique, primò, magnanimitatem dedit, quâ virginitatis propositum assumpsit; secundò, assumptum tenuit; tertiò, rei tam immensæ fidem habuit. Sed hæc diuisio cùm fiat in quatuor ternarios, requireret aliam coronæ distinctionem, quàm quæ iam recepta est; vt nimirum post quemque ternarium Oratio Dominica repeteretur. Commodior visa est, vsúque iam magis recepta, ac miraculis, vt mox videbimus, comprobata ista coronæ forma, quæ, ter repetitâ Oratione Dominicâ, singulis earum quatuor subiunctis Salutationibus Angelicis, absoluitur: quem modum ita describit ad 12. Apocalyps. caput P. Cornelius à Lapide, vir qui ita Scripturarum mysteria scrutari & explicare solet, vt sapientiæ, id est sapidæ illius scientiæ, quæ mores instruit & gustum pietatis auget, nusquam obliuiscatur: accipe ergo serti huius descriptionem, prout eam ipse nobilissimis istis Commentarijs inseruit. Ex hoc loco (cap. 12. Apocal. *Et in capite eius corona stellarum duodecim*) viri religiosi & cultus B. MARIÆ Virginis studiosi conficiunt coronam, siue Rosarium duodecim stellarum, illudque hoc modo recitant. In honorem SS. Trinitatis legunt interpolatè ter Orationem Dominicam, puta ter *Pater noster*; ac in honorem duodecim stellarum, id est duodecim illustrium virtutum B. Virginis, legunt totidem *Aue Maria*, ad singula petentes eius opem, vt illam in eâ virtute imitari, in eâque crescere, seque perficere possint. Primum ergo *Pater noster* recitant in honorem Dei Patris, petentes ab eo hyperduliam & insignem reuerentiam erga B. Virginem, vtpote Filij eius Matrem purissimam, virtutibus & gratijs omnibus cumulatissimam, ac Reginam Angelorum ac hominum; deinde legunt quatuor *Aue Maria*, in honorem quatuor virtutum, quæ Deum concernunt, quibus excelluit beata Virgo. Prima est *Fides*, quâ credidit se Virginem fore simulque Dei Matrem; ac sub cruce firma ac stabilis in fide diuinitatis, redemptionis ac resurrectionis CHRISTI, permansit. Secunda est *Spes*, quâ se in conceptione, partu, fugâ in Ægyptum, passione & morte CHRISTI, aliisque summis angustijs

Apoc. 12. v. 1.

Primus modus legendi sertum stellarum, seu coronam minorem.

Secundus modus recitandi sertum stellarum, seu coronam minorem duodecim Aue Maria.

Tertius modus recitandi sertum stellarum, seu coronam minorem duodecim Aue Maria.

gustijs pressa, totam diuinæ prouidentiæ resignauit, & commisit. Tertia est *Charitas*; primò, pura, & ab omni proprio commodo aliena; secundò, feruens, laboriosa, & numquam cessans; tertiò, fortis & constans iuxta crucem; quartò, liberalis, seque totam cum Filio suo nobis communicans. Quarta est *Religio* erga Deum & CHRISTVM, ei seruiendo, vestiendo, lactando, &c. eius verba in corde suo conseruando, seruando circumcisionem; purificationem, aliasque legis & templi cærimonias. Deinde recitant secundum *Pater noster* ad Filium, qui est spes nostra, postulantes donum spei; vt in omnibus necessitatibus magnâ fiduciâ ad beatam Virginem, quæ est Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra, recurramus: mox recitant quatuor *Aue Maria*, in honorem quatuor virtutum B.Virginis, quibus perfecta erat erga seipsam. Prima est *Humilitas*, quâ primò salutata ab Angelo, & electa Dei mater, se eius ancillam vocauit; secundò, visitauit Elisabeth, eique seruiuit; tertiò, mysterium incarnationis celauit, & laudata laudem in Deum retulit, dicens, *Magnificat anima mea Dominum*; quartò, seruiuit B.Iosepho; & vltimo loco tum in domo tum inter Apostolos sedit, ideoque in Actis Apostolorum vltimo loco nominatur. Secunda est *Virginitas*, quâ primò, prima omnium virginitatem Deo vouit; secundò, maximo eam zelo custodiuit, dicens: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* tertiò, domi manebat, ideoque vocatur hortus conclusus, & porta clausa; quartò, impuras aliorum cogitationes solo aspectu pellebar, vti S.Ambrosius de Virginibus & alij graues auctores testantur. Porrò conceptus & partus CHRISTI virginitatem B.Virginis non violauit, sed sacrauit, fecitque, vt, inaudito à sæculis prodigio, ipsa simul esset virgo & mater, adeoque mater Dei. Audi B. Chrysologum Serm.148. *Quæ ibi verecundiæ læsio, vbi init Deitas cum amicâ sibi semper integritate consortium, vbi est interpres Angelus, fides pronuba, desponsatio castitas, donatio virtus, iudex conscientia, causa Deus, conceptus integritas, virginitas partus, virgo mater?* Tertia est *fortitudo*, quæ eluxit in morte CHRISTI, in quâ stabat iuxta crucem, secundò, in iniurijs Iudæorum tolerandis, tertiò, in seruiendo Filio, omnibusque Christianis adiuuandis. Quarta est *Paupertas:* quæ tanta fuit, vt non esset ei locus in diuersorio; sed in stabulum secedere sit coacta, ibique parere CHRISTVM orbis Dominum. Denique, tertium *Pater noster* recitant in honorem Spiritus sancti, postulantes ab eo gratum animum erga B.Virginem, cui vt Matri Redemptoris, vt mediatrici nostræ apud Deum, vt Matri amantissimæ, omnia nostra debemus; deinde legunt quatuor *Aue Maria*, ruminantes quatuor eximias virtutes B.Virginis erga proximum. Prima est *Charitas fraterna*, quâ iuuit Elisabeth, & sponsos in nuptijs Canæ Galilææ cùm vinum non haberent, ac impensè desiderat adiuuatque omnium hominum salutem. Secunda est *Obedientia*, quâ & Augusto Cæsari Ethnico in pendendo censu, & legi Moysis in purificatione, & Iosepho sponso obediuit; ac curauit, vt Filij sui præceptis alij obedirent, vt cùm in nuptijs ministris dixit: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Tertia est *Misericordia*, quâ viscera misericordiæ cuilibet in qualibet afflictione eam inuocanti effundit; æquè ac Filium suum in redemptionem nostram in cruce, ac in cibum in Eucharistiâ nobis misericorditer ac liberaliter elargita est. Quarta est *Modestia:* quæ tanta fuit, vt S. Dionysius Epist. ad S.Paulum (quam recitat Christophorus à Castro in Historiâ Deiparæ cap.19.) scribat se eam pro Deâ habiturum fuisse, nisi fides eum aliter docuisset: hinc in sermone erat parca, verba eius singula erant præmedirata, pia, pudica, humilia, plena misericordiæ, charitatis & laudis Dei, vt cùm, concepto Dei Verbo, ac salutata ab Elisabeth mater Dei, respondit: *Magnificat anima mea Dominum.* Optima est superiùs allata huius coronæ expositio, & multiplicem continet B.MARIÆ laudem, & multi-

Lucæ 1. v.47.

Ibid. v.34.

Ioan. 2. v.5.

Quartus modus recitandi ferrum stellarum, seu coronam minorem duodecim Aue Maria.

multiplicemque suppeditat meditationi piæ materiam: quæ vt tantò sit vberior, ex P. Antonio Spinello, cuius magna laus est in laudibus B. MARIÆ Virginis, adferam aliam priuilegiorum duodecim enumerationem; ita vt præcipua simul vitæ eius mysteria complectatur. Primum, *prædestinatio*, quâ in Matrem Dei ab æterno fuit singulariter electa, ac deinde Patribus promissa, figuris ac prophetijs mundo manifestata, ac desiderata. Secundum, *conceptio immaculata*, quâ ab originali labe fuit seruata. Tertium, *magna gratiæ plenitudo* in Conceptione illi tributa, cum auxiliis specialibus in totâ suâ vitâ; ita vt fomitem exstinctum semper habuerit, nullumque peccatum, ne veniale quidem, ex speciali Dei priuilegio, vmquam commiserit. Quartum, *Virginis natiuitas & præsentatio in templo*, quando trimula se Deo consecrauit hoc actu exteriori: nam si de interiori loquamur, iam inde ab exordio suæ conceptionis, quando ei vsus rationis est acceleratus, se totam Deo dicauit. Quintum, *annuntiatio ab Angelo*, quando in eam superuenit Spiritus sanctus, de quo Filium Dei ex suis purissimis sanguinibus concepit, factaque est vera Dei Mater, ac deinde visitauit Elisabeth. Sextum, *partus eius virgineus*, quo CHRISTVM sine dolore peperit, eumque lactauit, educauit, & in templo præsentauit, ac duodennem quæsiuit, & inuenit in templo, ac perpetuò eum est comitata. Septimum, *virginitas perpetua*, ante partum, in partu, & post partum: atque ipsa virginum fuit primiceria. Octauum, *martyrium cordis*, quando doloris gladius in Filij passione, cui morienti fortiter astitit, ipsius animam pertransiuit. Nonum, *gaudia Virginis* in CHRISTI resurrectione, ascensione, & aduentu Spiritus sancti. Decimum, *admirabilis Virginis in cælum assumptio*; vbi non tantùm in animâ, sed etiam in corpore, gloriosa residet super omnes Angelorum & Sanctorum choros incomparabiliter exaltata. Vndecimum, *Regina est Angelorum* & Sanctorum, ac omnium Domina. Duodecimum, *Aduocata est nostra*, Mater misericordiæ, & Mater cunctorum viuentium.

CAPVT III.

Alij modi recitandi eamdem coronam.

RVRSVS alia est distributio priuilegiorum & prærogatiuarum B. MARIÆ Virginis, ex quâ ter duodecim stellas quidam concinnant, duodecim excellentiæ seu dignitatis, duodecim potentiæ, duodecim bonitatis. sic vt inter excellentiæ stellas recenseant ea naturæ, gratiæ & gloriæ dona, quæ Virginem ita concernunt, vt sint ei propria, sine vllo respectu ad creaturas alias: inter potentiæ verò prærogatiuas ea ponant, quæ faciunt ad declarandam auctoritatem, quam ei concessit Deus in totam suam Ecclesiam, mirabiliaque ista quæ Virgo operata est ad eius conseruationem & propagationem: at bonitatem partiuntur in eos effectus, quos præcipuè experti sunt experiunturque quotidie famuli B. Virginis, qui cultui ipsius singulariter addicuntur. ad quos nulli ius prætendere possunt propinquius, quàm ij, qui licet æquè ac alij vocentur à Matre benignissimâ ad filiorum dignitatem & gloriam; tamen, vt gratius & promptius præstent obsequium, sese intra mancipiorum continent humilitatem: in quorum gratiam, etiam triplicem hanc priuilegiorum duodenam enumerabo, vt habeant, vnde variè distinguere possint suam in Virginem pietatem. Sunt ergo,

Duodecim stellæ excellentiæ Deiparæ.

Quintus modus recitandi coronam duodecim Aue Maria.

Prima, quòd putarum sit creaturarum primogenita, vi æternæ suæ prædestinationis.

Secunda, quòd à mundi principio ab omnibus ferè Prophetis fuerit prædicta, & signis innumerabilibus præfigurata.

Tertia, quòd sit Patris æterni filia.

Quarta, quòd sit Spiritus sancti sponsa.

Quinta, quòd in naturæ donis, quæ in nobilitate, pulchritudine, habilitate corporali, ingenij & indolis bonitate

consistunt, nullam habuerit æqualem.

Sexta, quòd meritis & gratijs nemo sit post Filium qui possit cum eâ comparari.

Septima, quòd sola fuerit ab omni prorsus peccato originali libera.

Octaua, quòd singulariter fuerit non tantùm inter feminas, sed etiam inter iustos & omnes omnino creaturas benedicta.

Nona, quòd ipsa sit verè & propriè virtutum Regina.

Decima, quòd sit gloriæ miraculum: quod ex mortis & corporis eius post mortem priuilegijs, ex animæ incomparabili excellentiâ, ex assumptionis gloriâ, ex throni regalis, quo residet, sublimitate colligitur.

Vndecima, quòd, secundùm ipsiusmet prophetiam, verè benedictam eam dixerint omnes generationes: quod patet discurrendo per Ethnicos & Gentiles, Iudæos, Mahometanos & Christianos; item per singula mundi sæcula, & modò per omnes Christianorum ordines.

Duodecima, quòd ipsa sit cæli & terræ decor & gloria, vtpote flos omnis purarum creaturarum, animarum sanctarum inæstimabilis vnio, speculum perfectionum diuinarum, Ecclesiæ luna, mundi sol, paradisus deliciarum, templum, ciuitas, mundus & thronus Dei, currus triumphalis gloriæ diuinæ, & omnium Sanctorum corona.

Duodecim stellæ potentiæ Virginis Deiparæ.

Sextus modus recitandi coronam minorem.

Prima, quòd ipsa sola potuerit Dei Filium in terras attrahere, idque ardentibus incarnationis desideriis, singulari voto virginitatis, profundissimâ abiectione humilitatis, ac tandem obedientiæ & consensus sui omnipotenti machinâ.

Secunda, quòd ex eâ solâ, tamquam Matre suâ actuali, Verbum æternum naturam nostram assumere voluerit: vbi consideranda occurrit tota Matris Dei potentia.

Tertia, quòd ipsa nutrix & gubernatrix Verbi incarnati exstiterit, atque officio isto, curâ & affectu ineffabili functa sit; ideoque à Filio suo dulcedine, gratiâ & honore incredibili sit affecta.

Quarta, quòd socia & sponsa fuerit Saluatoris; idque non vno titulo, neque negligenter celebratis sponsalibus & nuptiis.

Quinta, quòd sit Mater futuri sæculi, & reparatrix generis humani; vnde bona ad nos fluxerunt innumerabilia.

Sexta, quòd sit gubernatrix Ecclesiæ Dei, eam vbique conseruans atque propagans, ac nominatim singulos in eâ Ordines fouens, & Principum Prælatorumque præcipuam curam gerens.

Septima, quòd sit Ecclesiæ Dei protectrix; vtpote quæ sola affectum, curam & potestatem habeat atque exerceat, quæ ad protectricis munus requiritur.

Octaua, quòd sit armorum Ecclesiæ Archistratega, omnesque dæmonum, magorum, hæreticorum blasphemorumque cateruas gloriosissimè debellauerit.

Nona, quòd Ecclesiæ Dei sit ab ærario, ac thesauraria gratiarum Saluatoris.

Decima, quòd sit generalis hominum Aduocata, & Mediatrix eorum apud Filium.

Vndecima, quòd Regina & Domina totius vniuersi.

Duodecima, quòd post & per Filium suum sit precibus omnipotens, & operum maximorum thaumaturga.

Duodecim stellæ bonitatis Virginis Deiparæ.

Septimus eiusdem recitandæ modus.

Prima, quòd suis Deipara sit felicitatis æternæ atque prædestinationis principium.

Secunda, quòd suis sit ipsa Mater pulchræ dilectionis; siue originem, siue effectus, siue denique qualitates ac proprietates spectes dilectionis.

Tertia, quòd fauore suos prosequatur, omnesque eis concedat regij fauoris prærogatiuas; primò scilicet, vt eos eligat, & quasi de nihilo creet, & erigat ad prima officia; secundò, vt magnâ valeant apud eam auctoritate; tertiò,

tiò, vt plurimis ab eâ demulceantur amoris deliciis.

Quarta, quòd curam suorum gerat ad miraculum obstupendam, descendens ad minimas eorum necessitates & commoda in particulari.

Quinta, quòd sit liberalitatis in suos exemplar singulare; siue fortunæ, siue naturæ, siue gratiæ bona spectentur.

Sexta, quòd sit erga omne hominum genus, etiam propter minima obsequia, gratissima.

Septima, quòd suis sit vera Mater misericordiæ.

Octaua, quòd suos aduersus omnia inimicorum genera defendat.

Nona, quòd suorum sit optima magistra, eosque doceat, exerceat, corrigat.

Decima, quòd sit afflictorum solatium, & spes vnica desperantium.

Vndecima, quòd sit asylum & ciuitas refugij pro peccatoribus.

Duodecima, quòd in eâ sit multiplex aduersus horrendos mortis terrores remedium, & in Purgatorij flammis solatium.

Hæc est triplex stellarum duodena, quam triplici Matris Dei Coronæ apposuit Franciscus Portræus; ac ferè, vt recensuimus, tres primas pulcherrimi operis sui partes distribuit, quod Gallico idiomate de triplici hac Coronâ conscripsit; vnde poterunt linguæ istius periti latiorem petere stellarum singularum interpretationem: quamquam pleræque toto huius Operis discursu nobis fuerint necessariò explicandæ. in quibus cùm sæpiùs quædam occurrant, quæ Auctori isti nos debere non ingrati fatemur, eò libentiùs hîc pænè totam libri eius deductionem proposuimus, quò clariùs appareret, quantum nobis ille suggesserit in toto hoc Opere subsidij. Sunt ergo hæc & præcedentia puncta veluti vasta quædam materiarum silua, vnde quilibet possit ad deuotionem suam ea seligere, quæ instar stellarum duodecim velit capiti Dominæ suæ imponere: vbi ego, vt laborem mancipiorum minuam, vtque Serenissimarum Principum postulatis satisfaciam, ea duodecim puncta enucleabo, quæ ad me Serenissima Infans Margareta (quod iam dicebam) inde ab Hispaniâ misit nostræ Orationi Sodalitatis inserenda, atque mancipiis vnicè commendanda. Cùm enim videret totam Mancipatus rationem fundari in illâ dignitate, quâ B. MARIA Virgo à Sanctissimâ Trinitate, super omne quod non est Deus, fuit eleuata; statim aduertit sagacissima Princeps, nullam æquè pietatis exercitationem mancipijs conuenire, atque eam, quâ ipsa solebat quotidie Sanctissimis indiuiduæ Trinitatis personis pro ijs priuilegiis gratias agere, quibus B. MARIAM Virginem exornauerunt; ita vt Patri quatuor, Filio quatuor, & Spiritui sancto totidem assignentur priuilegia, quæ ijs nominatim B. Virgo referebat accepta. Quæ capita cùm impressa ad me transmiserit, & multis deinde commendata, etiam in manus venerint Auctoris Mancipij Coloniensis, qui fidele ipse & strenuum B. MARIÆ Virginis mancipium, studiosè conquisiuit quæcumque ad Mancipatum spectarent, breuiter ea recenset cap. 8. §. 4. mutauit tamen nonnulla, nescio quâ inductus ratione; ego eodem illa modo, quo à Serenissimâ Infantâ Margaretâ accepi, restituam, ac breui explicatione singula quæ recensentur priuilegia illustrabo, insignem præmittens D. Bernardi sententiam; quâ & ipse insinuare videtur, totam Sanctissimam Trinitatem simul, & singulas Personas pro se quamque contendisse, vt amplissima in hanc Virginem dona, gratias, prærogatiuas & priuilegia plenâ manu congererent. *Sancta quoque Trinitas*, ait ipse, *Virginem sibi sanctificauit, hospitiumq; mundissimum sibi præparauit. Neque Pater abesse potuit, vbi eius Spiritum & Filium cooperari voluit. Quæcumque enim Pater facit, hæc eadem similiter & Filius facit: nec enim Filius potest à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. De Spiritu quoque legitur: Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Pater ergo in consecratione Virginis exhibuit claritatem, Filius humilitatem,* Spiri-

Modus salutandi tres personas Ss. Trinitatis in honorem B. MARIAE Virginis commendatur.

In Serm. de S. Mariâ, cui initium est, *Aue.*

Spiritus ſanctus charitatem. Pater lumen exhibuit rationis, Filius cinerem humilitatis, Spiritus ſanctus oleum dilectionis. Pater exhibuit potentiam, Filius ſapientiam, Spiritus ſanctus omnium virtutum gratiam: Pater auctoritatem contra peccatum, Filius humilitatem contra mundum, Spiritus ſanctus charitatem erga Deum & proximum: Filius carnis mortificationem, Spiritus ſanctus compunctionem, Pater cæleſtium contemplationem. Filius docuit eam diuina operari, Spiritus ſanctus amare & amari, Pater cæleſtia contemplari. Filius eam erudit, Spiritus ſanctus eam prouehit, Pater eam perficit. Filius eam purificat, Spiritus ſanctus eam pacificat, Pater eam honorificat. Addit verò cautelam, quam nos huic noſtræ exercitationi præfixam cupimus: *Hæc dicens, opera vel dona Trinitatis non diuido; ſed fideliter inſeparabilia aſſero: ſicut enim in eſſentiâ vnitas, ita in operatione identitas.* Quamuis nihil cautelâ opus, quandoquidem humili pietatis exercitio ſatis cauerit ipſa Domina noſtra, quando tribus Salutationibus Angelicis B. Mechtildem docuit Sanctiſſimæ Trinitatis perſonis diſtinctè gratias agere; ita vt primæ ſubnecteret hanc oratiunculam: *O Domina mea*, S. MARIA, *ſicut Deus Pater per omnipotentiam ſuam te potentiſſimam effecit; ita mihi, quaſo, adſis in horâ mortis, expellendo à me omnem contrariam poteſtatem.* ſecundæ verò adiungeret hanc: *O Domina mea*, S. MARIA, *ſicut Filius Dei tantâ te cognitione & claritate dignatur, vt totum cælum illumines; ita in horâ mortis animam meam cognitione fidei ſic illuſtres & corrobores, vt nullo errore aut ignorantiâ peruertatur.* tertiæ denique: *O Domina mea*, S. MARIA, *ſicut ſanctus Spiritus ſuum amorem plenè tibi infudit; ita tu in morte dulcedinem amoris diuini mihi inſtilla; ex quo omnis amaritudo reddatur mihi ſuauiſſima.* Promiſitque eidem Sanctæ Virgo Deipara, ſi iſtum ſeſe ſalutandi modum obſeruaret, ſe ei in horâ mortis adfuturam. Alacriùs ergo, tantæ ſiſi promiſſioni, ad modum recitandi Coronam duodecim ſtellarum mancipiis proprium accingamur;

S. Mechtildis à B. MARIA Virgine docetur ſalutare tres perſonas diuinas.

vt etiam ex hoc obſequij genere Dominam (quod præcipuum mancipatus noſtri eſt priuilegium) in mortis articulo habeamus præſentem atque propitiam. Recitant ergo mancipia crebriùs, & niſi friuola excuſare velint, quotidie Coronam duodecim ſtellarum eum in modum; vt trium Orationum Dominicarum ſingulis quater Salutationem Angelicam ſubiungant. & quidem, dum primam Orationem Dominicam recitant, gratias agunt Deo Patri pro omnibus in Virginem MARIAM tam profusâ manu collatis beneficiis; eaſdem ad ſecundam Filio, ad tertiam Spiritui ſancto perſoluunt grates: ad Salutationes deinde Angelicas expendunt, quæ iam ordine ſubiungemus, priuilegia.

Octauus modus recitandi ſertum ſtellatum, ſeu coronam minorem duodecim Aue Maria, mancipijs magis propriam.

CAPVT IV.

De duodecim priuilegijs B. MARIAE *Virginis.*

ACCRESSVRVS explicationem duodecim priuilegiorum, quæ ſtellarum adinſtar quotidie diademati vel coronæ Reginæ ac Dominæ ſuæ Sodales apponant, totus ſacro quodam horrore contremiſco: non tantùm ideò, quòd ſacrum illum verticem contingere, eiuſque coronæ ſtellas, aut gemmas, aut roſas quotidie recentes apponere, res ſit quam non ſine timore exequantur Cherubim, & ad cuius ſublimitatem exilem fateantur dignitatem ſuam omnibus cæleſtibus adoranda Seraphim; ſed vel ideò maximè, quòd conſcius ſim mihimetipſi, quàm frigidè hactenus Dominam iſtam & Matrem pulchræ dilectionis amauerim: quæ non ſolet ſecretiora dignitatis ſuæ arcana oculis eorum videnda exponere, qui non priùs operam dederint, vt ſuauia bonitatis ipſius affectu deguſtarint. Vereor, ne quis fortè exiſtimet, non maiora duodecim hiſce priuilegiorum titulis contineri, quàm viderint me, qui hoc ex profeſſo ſuſceperim, enucleaſſe. quem in errorem ne quis fortè minùs prudens impingat, id initio præfari volo. Cùm nullum ſit horum duodecim priuilegiorum, quod non ſit ita Domi-

De priuilegijs iſtis ſcribere, opus plenum formidine.

næ

næ atque Reginæ nostræ singulare, vt nemo Sanctorum in participationem eius digniraris, quæ inde redundat in Virginem, possit vllatenus venire; nullum etiam esse Scriprorum, quamuis angelica alicui vel penna vel intellectus contigisset, qui possit eorum sublimitatem vllâ ratione attingere. Nam cùm omnia à diuinitate, quæ sese tam admirabiliter huic Virgini infudit, vel infinitatem, vel certè quodam respectu creaturarum immensurabilitatem participent, insanæ cuiusdam impietatis foret, velle discurrendo explicare, quod nemo potest cogitando attingere. Quò ergo seruiet hic noster, post tot alios de Virginis sublimitate, discursus? eòdem nimirum, quò seruiunt rei cuidam immensæ nouæ identidem adhibitæ mensuræ; quibus discimus, non quantum sit id, quod dimetiri nemo potest, sed quantis illud rebus non adæquetur: quarum cognitam magnitudinem dum obstupescimus, arcanâ quadam æstimatione veneramur id, quod etiam nescimus quantis parasangis, ea quæ maxima esse cognoscimus, excedat. Eâdem ratione ad hasce de sublimitate priuilegiorum Virginis Deiparæ explicationes accedere oportet Sodales, non tamquam si hinc percepturi sint magnitudinem prærogatiuarum, quam nemo scit, nisi qui dedit; sed quòd, adhibitâ non exiguâ, vti ex tractatibus hisce patebit, mensurâ, cogniruri sint non tantùm in genere magna esse quæ Deus fecit Dominæ nostræ, sed etiam in particulari, quæ maximis de sublimitate eius cogitationibus sint maiora; vnde mulrò distinctiorem intellectus cognitionem, & voluntas feruentiorem eius hauriet dilectionem: quam vtinam nemo esset, qui non quotidie hac duodecim priuilegiorum consideratione inflammaret!

Priuilegia B. MARIAE Virginis sunt immensurabilia.

Modus mensurandi immensurabilia.

Prima pars serti stellati ad DEVM PATREM.

IAM diximus sertum hoc tribus constare partibus, quibus gratiæ aguntur singulis Sanctissimæ Trinitatis personis, pro beneficijs quæ certatim contulerunt in Virginem Deiparam. Prima itaque spectat Deum Patrem: in cuius honorem recitatur Oratio Dominica, quòd affectu plusquàm paterno hanc Filiam suam tam liberaliter dotauerit. Deinde excerpuntur quatuor nominatim ex ijs donis, quæ veluti stellæ Coronæ Virgineæ apponuntur per repetitam toties Salutationem Angelicam.

Prima stella ad primam Salutationem Angelicam deuotâ contemplatione Coronæ Deiparæ apponenda.

MARIA *Patris æterni Filia.*

Amplius quid atque sublimius Sancti Ildephonsus, Bernardus, Bonauentura, & alij certatim Patres indicare videntur, quando tam ambitiosè B. MARIAM Virginem appellant Patris æterni Filiam, quàm ius illud adoptionis; quod, licet nullâ vmquam sit gratitudine dignè æstimandum, omnibus tamen est commune, qui per baptismalem gratiam in sanguine IESV CHRISTI sunt regenerati: *Quotquot* enim *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Quæ verba, cùm ijs adoptionem nostram & filiationem Dei quotidie commemoremus, hîc sunt accuratiùs expendenda; vt ex nostrâ filiatione pateat, quâ sublimitate MARIA sit Patris æterni filia: nam plus aliquid in filiatione nostrâ agnoscere videtur dilectissimus IESV Apostolus, quàm in vulgari adoptione, quæ per acceptationem voluntatis & signis quibusdam cærimonijsque externis perficitur; ideoque tam operosè remouendo omnem modum carnalis generationis, eam quam infert, *sed ex Deo nati sunt*, priori, quoad generationis proprietatem, vel confert, vel præfert. Animaduertendum est autem, Deum, si verborum rigori inhæreamus, habere, ac habere posse, vnicum tantùm Filium; cui scilicet ipse sibi per omnia æquali suam scientiam ac naturam communicet: habere autem alios innumeros, quos ipsi

Ioan. 1. v. 12.

Vnicus Dei Filius naturalis.

ipsi Dominus noster IESVS CHRISTVS in Sanguine suo per Spiritum sanctum generauit: quorum generationem, cùm ab istâ naturali & æternâ distingui debeat, adoptionem vocamus: quamquam adoptionem eam, quâ homines sibi filios per legem adsciscunt, tot ferè modis superat, quot generatio naturalis Filij Dei generationem filiorum hominum excedit. Adoptio ergo vocatur, non quòd imperfecta adeò sit, vt cum adoptione humanâ debeat comparari; sed quòd cum generatione æternâ composita, ita ab eâ recedat, quemadmodum adoptio legalis, si cum naturali hominum generatione conferatur, prorsus quid imperfectius est, & non nisi per analogiam quamdam cum eâ componenda. Nam exemplar huius filiationis est filiatio Verbi Dei; analogia autem, seu remota similitudo, est in eo: quòd, sicut Deus Pater ab æterno genuit Filium sibi consubstantialem & æqualem per omnia; ita illius adinstar in tempore gignit filios, qui per gratiam sint id, quod Filius Dei est per naturam. Secundò, quòd, vti Filium suum Pater signauit, teste Ioanne, *Hunc Pater signauit Deus*, imprimens ei sigillum, per quod in æternum cognosceret eum esse Filium suum, communicans scilicet ei suam naturam & substantiam, suam æternitatem, bonitatem, omnipotentiam; ita imprimit animabus filiorum adoptionis sigillum suum regale, qui est Spiritus sanctus, qui diffunditur in cordibus eorum: quo existente in illis, non potest negare eos esse filios suos. De hoc Spiritu ait Apostolus: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* &: Hic est *Spiritus*, qui *testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.* & alibi: *Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater.* Sed paulò distinctiùs hæc videnda sunt, vt, remotis erroribus, agnoscamus & æstimemus adoptionis gratiam; quandoquidem non solùm sancti Patres; sed etiam Scriptura præcipuum adhortationis argumentum, vt terrena relinquamus, & sapiamus cælestia, sumit à dignitate huius adoptionis.

Analogia adoptionis nostræ in filios Dei, & generationis Filij Dei naturalis.

Ioan.6. v.27.

Rom.8. v.15.&16.

Galat.4. v.6.

Variè circa hanc gratiam, quam verbis tam sublimibus, vt mox ostendemus, Patres & Scriptura extollunt, naufragium fecerunt, qui sese periculosissimæ profundorum mysteriorum perscrutationi dederunt, neque ingenij nauiculam propellente Spiritu sancto, neque ratione mentis nauclero polum immobilem veritatis aspiciente, circa quem tota vertitur Ecclesia Catholica. Ac in primis Osiander censuit, nos ita vniri diuinitati, vt realiter iustificemur per ipsammet Dei iustitiam & sanctitatem: cuius rei impossibilitatem alij hæretici animaduertentes, non meliùs, sed aliter errarunt, dicentes, nos iustificari per merita & iustitiam IESV CHRISTI nobis imputatam. vt ea refert Bellarm. lib.2. de Iustific.cap.5. Michaël Seruetus, hæreticorum miserrimus, vtpote Geneuæ ab Caluino, bipedum nequissimo, morte & incendio mulctatus, neque propter iustitiam, neque propter iniquitatem; sed quòd ipsi & asseclis eius præripere vellet palmam nequitiæ, ac suo ingenio insanire, cùm iam Caluinus sui similibus persuasisset, se cum ratione istam insanire insaniam: hic, inquam, Michaël censebat, diuinitatem re ipsâ in iustos transfundi, sicut transfunditur anima in corpus, dum illud animatur. de quo Beza in secundam D.Petri epistolam: Ridiculi, ait, sunt, qui hîc essentiæ diuinæ in nos transfusionem imaginantur, vt impius ille Seruetus præfractè ad mortem vsque defendit. & tamen sunt, qui magnam bono viro scilicet iniuriam factam putent. itaque hæc hæreticis ipsis improbata est hæresis. Alij contemplationi non nimiùm, sed non rectè dediti, imaginantur, se per contemplationem ita vniri Deo, vt re ipsâ ipsorum natura in abyssali profundo diuinitatis submergatur; puta, humanitas annihiletur, & tota transeat in diuinitatem. qui fuit error Almarici; cuius insimulatus fuit Ruisbrochius à Gersone, vt patet ex epistolâ eius ad Bartholomæum Carthusiensem, quam scripsit contra defensionem Ruisbrochij factam à Ioanne de Sconhouiâ:

Errores circa iustificationem & adoptionem.

houiâ: quemadmodum Eutychiani quidam dicebant, CHRISTI humanitatem à Deitate fuisse consumptam, sicut consumitur argentum viuum ab auro, cùm liquatur. Sed omittamus hasce venenatas contemplantium delicias & insana hæreticorum deliria; quæ tamen hoc etiam docent, magnam illos concepisse opinionem de adoptionis dono, per quod, secundùm Principem Apostolorum, efficimur *diuinæ consortes naturæ*. quod cùm supra veritatem vellent attollere, ne quidem eò peruenerunt mentiendo, quò reuerà nos perduxit Dei Filius, qui nobis hic maximè est via, vita, & veritas: quo ducente, & mentem illuminante, iam articulatim ostendere conabimur, quid in adoptionis munere sit reconditum; vt posteà hisce quasi gradibus ad filiationem Deiparæ admirabilem conscendamus.

2. Petr. 1. v. 4.

CAPVT V.

In quo consistat adoptio filiorum Dei.

CONTRA errores iam allatos, firmiter cum vniuersali Ecclesiâ tenentes, primò, diuinam naturam essentialiter esse tantùm in Patre, Filio, & Spiritu sancto; secundò, personaliter, id est per vnionem hypostaticam, in solo CHRISTO; qui ita est per illam diuinæ consors naturæ, vt cum eâ subsistat in eâdem personâ diuinâ Verbi; fatemur, filiationem, seu adoptionem nostram, vnam quidem esse, non tamen in vno simplici dono consistere, sed in multis: vnde quæ dignitates & bona sequantur, iam deducemus. Primò ergo generamur Deo, & adoptamur ab eo in filios per charitatem creatam, gratiam infusam, & dona Spiritus sancti. In hac generatione pater est Deus, semen est gratia præueniens, mater est voluntas ei consentiens & cooperans, proles est homo iustus, anima est charitas. Exclamare hic libet: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius; quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.* Apud Deum notissima est, à quo procedit; sed vtinam homines eam nossent, & æstimarent quanti deberent: pauci enim intelligunt, quàm sit præclara, & quantæ dignitatis hæc adoptio; pauci pretium sciunt gratiæ & charitatis. Gratia enim res adeò nobilis est & sublimis, vt omnium Angelorum & hominum naturam superet, eisque sit supernaturalis. Gratia est participatio diuinæ naturæ in summo gradu, quantum scilicet Deitas à creaturâ non tantùm naturaliter, sed & supernaturaliter participari potest. Gratia denique talis est, vt nulla creari possit à Deo substantia, cui illa sit connaturalis; ex eo quòd participet diuinam naturam in eo apice, quo ipsa transscendit res omnes creatas, & omnem naturam; vnde septem ex eâ promanant in animam priuilegia & dignitates. Primò enim gratia expellit omne peccatum mortale: neque fieri potest vt eâ in animâ vel vnico temporis momento peccatum stabuletur, quam gratia susceperit exornandam. Secundò, facit hominem gratum Deo; ita vt vera intercedat Deum inter & hominem amicitia. docet hoc D. Thom. 2. 2. q. 23. art. 1. atque iucundum est, percurrere conditiones amicitiæ, & videre, quàm sublimiter reperiantur in charitate. Tertiò, gratia induit homini *nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitiâ, & sanctitate veritatis:* facitque eum rectum & sanctum, vt voluntas, mens, omnesque potentiæ subdantur Deo; ac proinde similem Deo, qualis creatus est Adam in statu innocentiæ. Quartò, gratia facit iustum Dei filium & heredem, iuxta illud Coloss. 1. v. 12. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ.* Quintò, secum adducit omnes virtutes Theologicas, & morales supernaturales, prudentiam, iustitiam, fortitudinem & temperantiam, & septem dona Spiritus sancti; quæ requieuisse in CHRISTO testatur Isaias cap. 11. v. 2. *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientia & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit*

Sap. 4. v. 1.

Gratia nobilitas.

Quæ bona animæ præstentur à gratiâ.

Ephes. 4. v. 24.

replebit eum spiritus timoris Domini. Sextò, gratia est semen gloriæ: nam vti ex semine nascitur arbor & fructus, sic ex gratiâ nascitur felicitas & gloria æterna. Septimò, gratia est causa & principium tum satisfaciendi pro præteritis culpis, tum merendi augmentum gratiæ & gloriæ. Ita Concil. Trident. Sess. 6. cap. 16. & S. Thomas 1. 2. q. 114. Per gratiam ergo homo eleuatur, & fit ordinis non angelici, sed diuini, adeoque consors, socius & particeps diuinitatis: huius enim participatio maior esse nequit, quàm per gratiam. Hinc patet, quàm multiplex sit Dei vno in gratiæ munere munus. Sed hîc non sistit vel adoptantis Dei munificentia, vel hominis adoptati dignitas: datur enim homini prætereà ipse dator munerum Spiritus sanctus, qui substantialiter & in propriâ personâ homini infunditur, animæque per gratiam vnitur; vnde fit animæ summa cum Deo vnio, eleuatio, & quasi deificatio, ac consequenter adoptio perfectissima, non tantùm per gratiam, sed & per substantiam diuinam: ita vt adoptio nobis non tantùm det ius ad hereditatem Dei Patris, sed etiam naturæ diuinæ participationem, ipsumque Spiritum sanctum, ac Dei filiationem, non tantùm accidentaliter, sed quasi substantialiter. Sicut enim apud homines propriè pater dicitur, qui naturam suam filio communicat; sic Deus dando nobis cum donis & per dona Spiritum sanctum, naturam suam diuinam nobis communicat; eoque modo propriè & perfectè nos adoptat in filios. Atque hæc est ratio, cur Apostolus vocet Spiritum sanctum, *Spiritum adoptionis: Non enim accepistis spiritum seruitutis in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei*, Rom. 8. v. 15. & 16. & Galat. 4. v. 6. *Quoniam autem estis filij, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater.* Vbi & hoc mysterium indicari videtur, quòd dona gratiæ, quæ sunt prioris adoptionis causa formalis, vi suâ & quasi connaturali iure postulent realem ac personalem præsentiam Spiritus sancti in animâ. Si enim per impossibile fingamus Spiritum sanctum non esse præsentem intra animam, eo ipso quo anima talibus donis afficeretur, ipse Spiritus sanctus veniret ad eam per præsentiam personalem, & maneret quamdiu gratia illa duraret; sicuti eo ipso quo vnio hypostatica est in humanitate CHRISTI, est in ipsâ Verbum: vinculum enim Spiritus sancti cum animâ est gratia; quemadmodum vnio hypostatica est vinculum naturæ humanæ cum Verbo. cum hac tamen dissimilitudine, quòd hoc vinculum in CHRISTO non sit aliqua qualitas, sed modus dumtaxat substantialis; hîc verò in adoptione nostrâ sit qualitas & forma realis perfectaque, nimirum charitas & gratia; quæ naturâ suâ postulat hanc Spiritus sancti communicationem, eamque secum adfert; condescendente ipso Spiritu sancto. Moralis autem huiusce rei ratio est, quòd per gratiam fiat perfectissima Deum inter & hominem amicitia; requirit autem hæc amici præsentiam: quapropter Spiritus sanctus animæ vnitur, in eâque tamquam in templo suo residet, colitur, amatur & adoratur. Formalis ergo iustificatio & adoptio nostra consistit in charitate & gratiâ nobis inditâ & inhærente; quæ in se complectitur, secumque adfert Spiritum sanctum, auctorem ipsius gratiæ & charitatis: neque enim gratia adoptans à Spiritu sancto, neque Spiritus sanctus à gratiâ adoptante diuelli potest; sicut radius à sole, & sol à radio separari non potest; nec lux à calore, vel calor à luce. Hæc scilicet est *charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, Rom. 5. v. 5. & 1. Ioan. 4. v. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* & iterùm Paulus 1. Cor. 6. v. 19. *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis à Deo.* & v. 17. *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.* Numquid hoc est, quod Dominus noster moriturus in istâ oratione diuinissimâ Patrem suum rogauit, & impetrauit: *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater*

Infunditur homini in adoptione Spiritus sanctus.

Gratia est vnio formalis Spiritus sancti cum animâ.

In quo consistat completa adoptio.

in

in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, Ioan. 17. v. 21. Vt scilicet Spiritum sanctum & eumdem participent, & in ipso vniantur, & per ipsum ceteris personis diuinis, itaque in ipso omnes vnum sint, quia Spiritus sanctus, qui ab omnibus participatur, & qui in omnibus est, vnus & idem est: vnde omnes in vnicâ re indiuiduâ vnum sunt, scilicet in Spiritu sancto, sicut tres personæ diuinæ vnum sunt in vnâ naturâ diuinâ, eâque singulari ac indiuiduâ. Per hanc ergo adoptionem & vnionem Dei cum animâ nostrâ, non per viam nutritionis (vt fit in Venerabili Sacramento Eucharistiæ) sed regenerationis, primò accipimus summam dignitatem filiationis diuinæ; vt reipsâ non tantùm accidentaliter per gratiam, sed & quasi substantialiter per naturam simus filij Dei, & quasi dij: Deus enim suam naturam nobis realiter communicat & donat. Inde enim S. Basilius Homil. de Spiritu sancto probat, Spiritum sanctum esse Deum; quòd Sanctis propter inhabitantem Spiritum sanctum dictum sit: *Ego dixi: Dij estis, & filij Excelsi omnes.* Necesse est enim, inquit, diuinum esse Spiritum, & ex Deo esse, qui dijs diuinitatis est causa. Secundò, per eamdem quasi filij accipimus ius ad hereditatem cælestem, omniaque Dei Patris nostri bona: ius, quod nobis sanguine Saluatoris nostri subarrhatum, Euangelio, tamquam literis eius patentibus, confirmatum, & Ecclesiæ veritatis columnæ sigillo munitum est. Tertiò, per eamdem habemus curam quamdam & solicitudinem Patris nostri Dei, quâ ipse vigilat pro nobis, & inuigilat omnibus necessitatibus nostris; adeò vt satis sit ad remedium, eum nosse aliquâ nos filios suos necessitate laborare. Quartò, hinc vicissim exoritur in nobis, & diffunditur in cordibus nostris quædam dulcedo confidentiæ, de quâ S. P. N. Augustinus lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 8. *Datur nobis filijs quædam fiducia impetrandi quæ petimus, cùm, priusquam aliquid petamus, tam magnum donum accipimus, vt præsumamus dicere Deo: Pater noster.*

Quanta per adoptionem accipiamus.

Psal. 81. v. 6.

Quid enim est, quod non det Pater filijs petentibus, qui iam hoc ipsum antè dedit, vt essent filij lucis? Quintò, per eamdem nanciscimur miram dignitatem operum & meritorum; vt scilicet opera nostra, quasi filiorum Dei substantialium, vt ita dicam, maximæ sint dignitatis, valoris & pretij, ac planè commensa & condigna suo præmio æternæ vitæ & gloriæ cælestis; vtpote quasi procedentia ab ipso Deo, Spirituque diuino, qui nos inhabitat, ad eaque nos impellit, ijsque cooperatur. Ex quibus operibus cùm dependeat, vt adoptio, quæ hîc inchoatur per gratiam, confirmetur in cælo per gloriam, quando ipsam hereditatis possessionem numquam amittendam securi adibimus, Deoque intimè vniemur & fruemur per visionem beatificam, quâ nouo modo seipsum animæ substantialiter communicabit, eique intimè & suauissimè illabetur, seque insinuabit tam solicitè; nos omnes & Sancti & Scripturæ hortantur, vt intereà dum *ipsi intra nos gemimus, adoptionem* (id est adoptionis, puta hereditatis, ad quam adoptati sumus, possessionem) *filiorum Dei exspectantes*, bonis operibus certam faciamus vocationem & adoptionem nostram: nam Apoc. 21. v. 7. dicitur: *Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.* Debemus enim nos operam dare, vt, præter illam similitudinem, de quâ dictum est, quam accipimus per naturæ diuinæ communicationem, gratiosiorem reddamus filiationem nostram per faciei, humoris, gestuúmque similitudinem, quâ maximè parentes delectantur in filijs, & magis adhuc Deus in filijs suis adoptiuis; quia hæc similitudo valdè ab eorum cooperatione dependet: *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*, Rom. 8. v. 29. Quæ similitudo in eo maximè consistit, vt simus perfecti, sicut Pater noster cælestis perfectus est; vt charitatem habeamus, sicut is qui solem suum oriri facit super iustos & iniustos; vt immutabiliter in virtutibus perseueremus, vti ipse constans est in omni-

Rom. 8. v. 23.

omnibus & immutabilis; vt denique voluntatis similitudine illi viuamus; vt sit idem velle nostrum, & idem nolle, cum eo quod vult & non vult Deus. Ex omnibus, quæ hactenus dicta sunt, colligitur, quanta sit dignitas & sublimitas nostræ in filios Dei adoptionis; quæ dilectum IESV discipulum ad verba compellit admirabilia, quibus ostendit, nullam eum inuenire parem admirationi orationem, Epist. 1. cap. 3. v. 1. *Videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus. Charissimi, nunc filij Dei sumus; & nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Cuius orationis hæc mihi videtur vis: Capiant alij quamcumque velint charitatis diuinæ mensuram, capiant gloriæ, quæ numquam in cor hominis ascendit, quæ deinde communicabitur nobis; ego non aliam cupio, nec capio, quàm adoptionis gratiam, quâ iam sumus & vocamur filij Dei: nunc in hac valle miseriarum adhuc luctantes contra spirituales nequitias, adhuc incerti victoriæ, nunc adhuc peccatis obnoxij filij Dei sumus, id est, supra Reges & Monarchas, supra Angelos & Archangelos, supra Cherubim & Seraphim sumus exaltati: amplius enim, & in immensum amplius est, esse filium Dei, quàm esse vel Cherubim, vel Seraphim; & nondum apparuit quid erimus. id est: Licet summa votorum, præmium laborum, corona omnis iustitiæ nostræ esset, quòd tandem fieremus filij Dei, satis superque magnum id esset præmium; iam verò, quid non sperare debemus, cùm datum sit in arrham, quod, sufficiebat ad gloriam, cùm pignus tantum acceperimus, quantum vix præmium optare poteramus? Scimus ergo, cùm alius non restet gradus, quòd, cùm apparuerit, similes ei erimus, dij sicut ipse, in securitate, immutabilitate, æternitate, gloriâ, quantum natura nostra capere potest, Deo per omnia æquales. O quàm est hæc filiatio Dei cupidè ambienda, quàm gratè suscipienda, quàm solicitè conseruanda; quantâ diligentiâ, si amissa sit, recuperanda; quantæ pro eâ Deo gratiæ reddendæ; quantâ fiduciâ, amore & reuerentiâ iustus cum Deo, tamquam filius cum patre, iugiter agere & versari debeat? S. Cyprianus de Spectaculis: *Numquam humana opera mirabitur, quisquis se cognouerit filium Dei: deijcit se culmine generositatis suæ, qui admirari aliquid post Deum potest.* Et rursus item Tract. de Oratione Dominicâ: *Quando Deum Patrem dicimus, quasi filij Dei agere debemus; vt, quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat & ille de nobis: conuersemur quasi templa, vt Deum in nobis constet habitare; vt qui cælestes & spirituales esse cœpimus, non nisi spiritualia & cælestia cogitemus & agamus.*

Quanta sit dignitas, esse filium Dei.

CAPVT VI.

Quibus modis Virgo MARIA *sit præ ceteris Dei Patris Filia.*

HÆC necessariò paulò erant fusiùs deducenda, & clarè demonstranda dignitas filiorum adoptionis, tum quòd vix eius fiat apud homines æstimatio; tum etiam, vt ex istâ nostrâ dignitate ascendamus faciliùs ad concipiendam tituli istius magnificentiam, quam Dominæ ac Reginæ nostræ attribuimus, dum eam per antonomasiam, & κατ' ἐξοχὴν, Patris æterni Filiam appellamus: nam quamuis in solâ sistamus adoptionis gratiâ, non minuit MARIÆ dignitatem, quòd eam iusti omnes tam sublimiter participant; sed vehementer exaltat, quòd inter tam magnos ipsa tam singulariter emineat. Licet enim omnes sint filij, MARIA tamen est primogenita & prima, in quam Deus coniecit oculos, quando misericorde isto decreto statuit, ad Filij sui similitudinem producere filios gratiæ & adoptionis; vbi tam feliciter illi successit prima IESV CHRISTI imitatio, vt plus in MARIA sit cum archetypo similitudinis, quàm in reliquis omnibus creaturis. Huc accedit singulare aliud adoptionis priuilegium, quòd numquam illa pedem suum posuerit vel inquinauerit in domo Adam peccatoris;

MARIA est primogenita, & CHRISTO Filio naturali simillima.

Concepta est in domo Patris æterni:

toris; sed à primo originis instanti adoptata fuerit adoptione perfectissimâ, ac in ipsâ Dei domo producta, vt etiam hoc nomine dici possit vnica Patris æterni Filia; cùm nemo præter illam productus sit in domo Patris æterni, ac proinde primò & extra ordinem sit heres omnium bonorum Patris cælestis, tamquam primogenita & vnigenita ipsius; reliquis autem ea datur portio, quam eâ volente Deus ita de toto abscindit, vt nihil patrimonium ipsius minuatur. Atque hæc meo iudicio est ratio, cur eam Deus MARIÆ nomine insigniuerit, antequam conciperetur; vt ostenderet hanc esse suam possessionem, & quòd hæc esset ipsi nascitura, eamque suam agnosceret sine vllâ controuersiâ Filiam. Nam si Rauennas testetur Serm. 154: quòd dominum prædiorum limitibus affixi tituli proloquuntur; certè diuina huic puellæ MARIÆ præfixa inscriptio satis testatur, eam possessionis esse diuinæ.

hinc particulariter est eius possessio.

Nemo gratiam maiorem habuit, ergo nec vllus perfectiorem adoptionem.

Præterea, cùm suprà ostenderimus gratiæ dignitatem, & quomodo illa Spiritum sanctum vniat animæ iustorum; profectò quò maior & perfectior est hæc gratia, eò arctior est vnio, & consequenter excellentior adoptio & filiatio, cùm alibi ostenderimus, & iterùm confirmaturi simus paulò inferiùs, maiorem & digniorem MARIÆ soli gratiam fuisse collatam, quàm Sanctis & Angelis omnibus simul sumptis; sequitur, digniorem & chariorem hanc esse Deo Filiam, quàm omnes omnino simul sunt creaturæ: ita vt meritò dici possit hæc Filia Patris, cùm reliquorum, quanta quanta sit adoptio, si cum hac comparetur, vix appareat. Adde denique, quòd Pater ipsius Deus inter primogenituræ ipsius priuilegia addiderit, quod Isaac dicebat ad Iacob: *Seruiant tibi populi, & adorent te tribus: esto Domina fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ.* conferens nimirum illi gratiam capitis, constituens eam administram & Dominam bonorum nostrorum tam spiritualium quàm temporalium, & tutricem hereditatis illius quæ nobis obtingit per adoptionem cælestem: vnde resultat summa in Virgine dignitas, & in nobis felicissima ei mancipiorum adinstar seruiendi obligatio. Quatuor ergo titulis conuenit illi titulus ille, quo dicitur Patris æterni Filia, propter singularem adoptionem; ita vt nemo possit cum illâ venire in filiationis comparationem. Sed age, etiam arctiora quædam filiationis vincula scrutemur. Tam enim omnia sunt in Virgine admirabilia, vt eam solam legem in ipsâ exaltandâ Deus sibi posuisse videatur, vt omnes omnino leges, quibus aliquâ ratione liberalitas eius limitaretur, conuelleret. Atque hinc fit, vt varijs ex priuilegijs, varijs ad eumdem Dei Filium respectibus referatur; repugnantibus ijs quidem, si naturæ legibus te coarctaueris; admirabiliter autem conspirantibus, si gratiæ obserues immensitatem: nam eadem ipsa quæ Filij Dei est Mater, simul eius & Filia est & Sponsa. Et de maternitate quidem iam sæpiùs diximus, & rursus infrà quinto priuilegio ex professo agemus.

Reliquos omnes adoptionis filios ei Filius Dei subiecit.

Genes. 27. v. 29.

MARIA CHRISTI Filia,

& Sponsa.

Filia autem est, quia ab ipso redempta, & primò in redemptione intenta. vnde Bernardinus Senensis Tom. 2. Serm. 51. art. 3. cap. 2. vocat eam Redemptoris Filiam primogenitam. Sponsa verò etiam quòd sit, omnes affirmant, licet omnes admirentur, sancti Patres. Hugo de S. Victore in Sermone de Assumptione exclamat: *O res mira! ipse Filius Matris, & Sponsus Virginis; integritatis auctor, & fructus fecunditatis. O admirabilis amator, ô singularis dilector, quid dicis? ipsa est genitrix tua, ipsa amica tua. Certè amica est tua, & genitrix tua: amica tua, quia intacta; & genitrix tua, quia fecunda. Tu siquidem integritatis filius, & fecunditatis amicus, matrem habes virginem, & amicam prole lætantem: priùs te genuit amica tua Mater & Virgo* MARIA; *posteà verò de te genita est amica tua, mater & virgo Ecclesia. Nascendo de Sponsâ tuâ accepisti substantiam infirmitatis; & moriendo dedisti sponsæ tuæ sacramentum incorruptionis. vtrobique dilector mirabilis, vtrobique amator singularis.* Triplicem causam addit, quare dicatur Sponsa, Petrus Blesensis Ser-

mone 2. de Assumptione: *Ideò Sponsa, quia donis gratiarum subarrhata; ideò Sponsa, quia illi casto amore sociata; ideò Sponsa, quia prole virtutum fecundata.* Nuptialis thalami delicias tangit S. Bernardinus Senensis Tom. 3. Serm. 11. art. 2. *Soli*, inquit, *beatæ Virgini & Filio eius natæ sunt in plenitudine deliciæ amplexuum mutuorum, quòd eumdem habuerit Filium & Sponsum.* Sed quoniam hoc iam non agimus, breuiter dicendum, quomodo Sponsa, & ad quem effectum sit Sponsa Filij; ita vt alio fine & modo sit Sponsa Spiritus sancti, vti priuilegio nono probabimus. Et de Spiritu sancto dicit S. Anselmus libr. de Excell. Virg. cap. 4. *Ipse Spiritus Dei, ipse amor omnipotentis Patris & Filij, ipse, per quem & in quo amatur omne quod benè amatur; ipse, inquam, corporaliter venit in eam, singularíq; gratiâ præ omnibus quæ creata sunt, siue in cælo, siue in terrâ, in ipsâ requieuit, & Reginam & Imperatricem cæli & terræ fecit Sponsam suam.* Ecce modum, venit in eam corporaliter, de quo priuilegio nono discurremus: finis autem erat, vt ex illâ Spiritus sancti operâ produceretur homo-Deus, CHRISTVS IESVS, Seruator & Redemptor vniuersorum. Sponsa autem Verbi incarnati est, vt cum eo in vno spiritu & in vnâ carne produceret infinitudinem filiorum adoptionis. Hinc apud Rupertum in Cant. lib. 4. Seruator vocat fideles, MARIAM alloquens, nuptiarum nostrarum filios. Modus verò, quo eos vnà cum Filio producit, petendus est ex tractatu, vbi egimus de titulo Corredemptricis. Posito hoc triplici ad Filium respectu tamquam fundamento; tripliciter dici potest Domina nostra Patris æterni Filia: & quod attinet ad Matris Dei titulum, resultat inde mirabilis erga Patrem respectus; qui an Filiæ, an alio quodam nomine exprimendus sit, auditâ Patrum aliquorum sententiâ, liberum relinquemus cuique statuendi iudicium. Nam S. Petrus Damianus Sermone de Natiuitate B. Virginis, postquam tres modos attulit, quibus Deus est in suis creaturis, nempe essentiâ, operatione, & in quibusdam futurorum manifestatione; quartum assignat, quo Filius Dei inuenitur in Matre suâ, scilicet per identitatem, de quâ infrà priuilegio septimo. At S. Bernardus explicare videtur sententiam istam Damiani Homil. 3. in *Missus*: *Cùm Deus sit*, inquit, *in omnibus Sanctis propter concordiam voluntatis; specialiter tamen cum* MARIA: *cum quâ tanta illi consensio fuit, vt illius non solùm voluntatem, sed etiam carnem sibi coniungeret, ac sic de suâ Virginisq; substantiâ vnum* CHRISTVM *efficeret, vel potiùs vnus* CHRISTVS *fieret: qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei & totus Virginis esset; nec duo filij, sed vnus vtriusq; filius.* Quæ coniunctio Virginis cum Filio arctissima in eum sermonem deducit S. Basilium, vt Homil. de humanâ CHRISTI generatione non reformidet dicere, carnem B. MARIÆ Virginis inuentam esse dignam quæ vniretur diuinitati Filij Dei. Vnde, quæ sit Virginis cum Patre coniunctio, satis patet; quo autem nomine exprimenda sit, non satis apparet. S. Thomas 2.2. q. 103. art. 4. & Caietanus ibidem, affinitatem cum Deo vocant. Ego autem nihil hîc statuo, nisi, quòd alia quædam sit hæc, alia quam ceteri hominum habent, cum Patre coniunctio, & arctior quàm omnis illa, quæ ex adoptione superiùs explicatâ resultat. Si autem consideremus Virginem vt Filiam Seruatoris, certum est, eam etiam Dei Patris esse Filiam aut neptem. Sed ad Sponsæ titulum, vnde præcipuè resultat hæc filiatio, veniamus: & Dauidem, ex Ruperti sententiâ, secundùm litteralem sensum MARIAM Virginem compellantem audiamus, Psal. 44. v. 11. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui; quoniam concupiuit Rex decorem tuum.* Miræ subtilitatis atque sublimitatis eam arbitror esse consequentiam, ad quam Reginæ aures desiderat Propheta tam attentas, vt audiat; oculos tam intentos, vt videat. ait autem: Ideò, quia Rex decorem tuum concupiuit, Sponsáque eius facta es, videndum

Quomodo Virgo simul sit Sponsa Filij & Spiritus sancti.

Respectus qui ad Patrem resultat ex Dei maternitate, Filiæ titulo non est inferior.

Sponsa Filij est MARIA.

dum tibi, vt patris tui domum omnino obliuiscaris: oportet enim te in domum Sponsi ita transire, vt non tantùm forum & iura ipsius sequaris; sed parentes etiam ipsius tuos facias, tuorumque obliuiscaris. Nam siue leges ciuiles siue naturæ spectes, vtrarumque consensu nurus est filia: nam §. *Affinitatis*, Instit. de nuptijs, clarè habetur: *Nurus & priuigna filiæ loco sunt.* & Baldus apud Tiraquellum in leg. 1. connub. num. 28. *Puella quæ tuo nupsit filio, filia tua est, arctiori vinculo quàm adoptionis*. fit enim quasi naturalis, vt Iura declarant. Et S. Augustinus probat lib. 2. contra Pelagium, cap. 61. *Si vir & vxor est vna caro, non aliter est nurus deputanda quàm filia.* Neque hanc suam dignitatem ignorauit Domina nostra; ideò, tamquam si esset naturalis Dei Patris Filia, de seipsâ Prouerb. 8. v. 22. profitetur: *Dominus possedit me in initio viarum.* Verbum enim *possidere*, ex vsu S. Scripturæ, propriè significat, habere filium aut filiam; adeò vt primo filio inde nomen dederit Heua, dicens: *Possedi hominem per Deum*, Genes. 4. v. 1. Rursus id indicat Virgo Prou. 8. v. 30. nam vbi nos legimus, *Cum eo eram cuncta componens*, Chaldæus interpretatur, *In latere eius eram quasi nutrita.* hoc est, tantâ curâ & amore educationi meæ inuigilabat, vt numquam à latere eius possem discedere; vtpote destinata in Sponsam Filio eius vnigenito: ideoque aduigilabat, ne quid in animâ aut corpore, ne quid in vitâ & moribus, ne quid in verbis aut gestibus esset, quod non vndequaque foret dignum istis thalamis: formabat & instruebat me, quomodo consortio, solatio, auxilio, obsequio essem Filio eius; & quomodo denique cum filiorum multitudine, qualis est arena maris, facerem parentem: quare ego illi dicebam quotidie: *Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Imò hanc filiationem nemo clariùs, quàm sacro suo silentio Euangelistæ locuti sunt: nam Matthæus & Lucas, assignantes cuique progenitorum CHRISTI parentes suos, ita seriem ordinant, vt Matri qui secundùm carnem parentes fuerint, non indicent; eò quòd tota transiuisset in familiam Sponsi, quo cum haberet tam singulari ratione communem Patrem Deum, vt filiatio sua dici possit quasi naturalis. Iam si optimâ consecutione inferat Apostolus; nos heredes esse Dei, quia per adoptionem eius facti sumus filij; quid non hereditabit MARIA, cuius tot modis supra omnem omnium creaturarum gratiam gratiosa fuit adoptio, & supra omnem adoptionem tam singularis filiatio? Si quis hunc affectum paterni amoris scrutari, si quis delicias diuinæ nutritionis verbis delibare præsumeret; vel temeritatem ego iudicarem hominis vires suas improbè nimis dimetientis; vel stoliditatem animalis terreni, diuinæ bonitatis thesauros ad humanæ æstimationis impatientiam exigentis. Reciprocum autem Virginis amorem, plenum filiali erga tantum parentem reuerentiâ, gratitudinis, obsequij, lætitiæ & gaudij perpetuos affectus, ne linguis quidem Angelicis explicandos, neque ego attingendos puto. sunt enim in diuinis arcana quædam, quæ citra cognitionem ad reuerentiam tantùm proponuntur; quorum ego de numero hosce Patris erga Filiam suam Virginē, & Filiæ erga Patrem Deum affectus in primis esse arbitror, proptereaque de ijs Virginis hæc verba intelligo: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* quod humili genuflexione & profundissimo mentis cultu deuenerans, ad alteram Salutationem Angelicam gradum facio.

Sponsa parētes sponsi facit suos; *arctiori iure quàm adoptionis.* *Ierem. 3. v. 4.* *Affectus Patris Dei erga Virginem filiam, & contrà, inexplicabiles.* *Isaiæ 24. v. 16.*

CAPVT VII.

Secunda Stella, ad secundam Salutationem Angelicam deuotâ contemplatione Coronæ Deiparæ apponenda.

MARIA *ante omnes omnino puras creaturas prædestinata, & omnium primogenita.*

NON simplex est istud, quod iam contemplati sumus, filiationis beneficium; sed multis necessariò delicijs & priuilegijs innexum: quorum primum ad hanc secundam Salutationem

Maria omnium prædestinatorum primogenita.

perpendemus; quòd scilicet non Filia tantùm, sed inter omnes filios adoptionis primogenita sit Domina nostra. quod etiam indicabat Prouerb.8.v.22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Quod cùm sit primò de increatâ Sapientiâ, tum etiam de incarnatâ, ac Domino nostro IESV CHRISTO certissimum; dubium esse non potest, quin post eum, de increatæ & creatæ Sapientiæ sede & throno Virgine Deiparâ sit intelligendum: non quòd ego existimem, in ordine ad quem modo nostro concipiendi redigere solemus decreta diuina, fuisse determinationem Filij Dei incarnandi, antequam peccatum & lapsus Adami præuideretur: nimis enim mihi apertè & constanter Scripturæ & SS.Patres contrarium asserere videntur, quàm vt hoc possit alio fine, nisi eiusdem veritatis stabiliendæ, disputari. Sed cùm, eo non obstante, primogenitus prædestinatorum sit IESVS MARIÆ filius, erit etiam MARIA IESV Mater post illum primogenita ijsdem quibus Filius titulis; prout videlicet potest & solet plurimas Filij dignitates Mater ista participare. nam, prout notat Franciscus Suarez 3. p. Tom.2. q.27. disp.1. sect.3. Mater à Filio non fuit disiuncta, etiam in electione diuinâ. quod insinuat S.Epiphanius contra Ariomanitas hær. 69. vbi loquitur in hanc sententiam: *Quandoquidem ipsa Sapientia ædificauit sibi domum, fortassis à personâ humanæ ipsius naturæ piè dici poterit, vt præsentia ipsius in carne de ipsius Deitate dicat, Dominus creauit me, id est, ædificauit me in vtero* MARIÆ, *principium viarum suarum in opera sua.* Principium enim viarum descensus CHRISTI in mundum est corpus ex MARIA, quod est assumptum in opere iustitiæ & salutis ipsius. Igitur B.MARIA Virgo à Deo prædestinata fuit, vt ex eâ & per eam princeps illud ac præcipuum opus, quod est Filij Dei incarnatio, perficeretur: vnde sequitur, tam arctè MARIAM & IESVM in decreto diuino colligari, vt non potuerit Deus hunc tali ratione incarnandum constituere, quin simul de Matre decerneret; nec Filium potuerit introducere in orbem terrarum, quin simul Matrem ei produceret. nam si IESVS concipiendus erat ex MARIA, MARIA concipienda erat propter IESVM: & talis erat concipienda, cuius nec pœniteret Filium, nec puderet Patrem; quæ scilicet, non comprehensa in massâ peccatorum, in nobiliorem finem formaretur, quàm conditum erat totum genus humanum. S.Bernardus Homil.1. in *Missus: Proinde factor hominum, vt homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi de omnibus debuit eligere, imò condere Matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram.* Audisne, quàm expressè dicat Virginem conditam esse, & non electam ex reliquâ massâ, vt esset digna Dei Mater? Quod Idiota in Contempl. de B.Virgine cap.2. sic exprimit: *Ad hoc solùm effecta est, vt esset templum Dei altissimi.* Qui in eâdem Contemplatione cap.4. sic B.Virginem alloquitur: *Inter omnia opera æterni Artificis, post operationem illam, quâ naturæ nostræ vnitus est Filius tuus, speciale opus fuisti, ô beatissima Virgo* MARIA; *qui ad hoc te fecit, vt quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur: hic enim summus Opifex primò condiderat Angelicam naturam, quæ in parte ceciderat; & humanam, quæ corrupta erat; & corpoream inferiorem, quæ peccato hominis fuerat deterior effecta: sed ad hæc omnia fecit te Deus, Virgo* MARIA, *sanctissimam; vt ex tuo superbenedicto fructu Angelica natura repararetur, humana renouaretur, inferior à seruitute liberaretur.* Non ero longior in citandis auctoritatibus quæ hoc probent, Virginem MARIAM ad hoc solùm vel à Patre electam, vel à Filio conditam, vel à Spiritu sancto exornatam, vt digna existeret Mater Saluatoris: quæ res non imminuit, sed vehementer asserit ipsi ius primogenituræ inter omnes creaturas. Nam in primis, etiam cum hac sententiâ consistit illa Galatini ex versione Hebræorum opinio, qui lib.7. de Arcanis cap.2. asserit, MARIAM & IESVM vnicam fuisse causam, propter quam orbis

Mater non fuit à Filio etiam in electione diuinâ separata.

Virgo MARIA condita propter IESVM.

Propter IESVM & MARIAM mundus hic fuit conditus.

orbis vniuersus crearus; adeò vt nisi IESVS & MARIA producendi fuissent, nihil esset in totâ rerum condendarum mole, quod vehementer solicitarer, vt sic loquamur, diuinæ bonitatis apperitum, vt ei dignaretur creationis expensas impendere; idque ei in mentem venir opinari ex loco quodam Ierem. 33. v. 20. quem enim nos habemus; *Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies & nox in tempore suo:* Hebræi vertunt; *Nisi pactum meum esset, diem ac noctem, leges terræ ac cælo non posuissem.* Poterit enim commodè eâ ratione explicari, Deo, priusquam absolutè mundum hunc visibilem condere decreuisset, inter infinitas quibus eum perficere potuisset formas, etiam illam, quâ de facto conditus est, obuersatam fuisse; cumque in eâ lapsum Adami, totque hominum peruersitates videret, simul ei occurrisse remedium, quod mundo post lapsum, per IESVM ex MARIA genitum impendere posset: quâ Filij sui incarnati specie, Matrisque eum pariturae perfectione ita raperetur, vt pactum suum cum illis poneret, eosque absolutè producendos decerneret; & propter eos mundum, quem erant post lapsum reparaturi; eâ ratione, vt nec hunc produxisset, nisi propter illos, & in producendo omnia ad illorum gloriam, dignitatem perfectionemque, ordinaret. Quæ ideò maximè arrider sententia, quia clarè docet, quomodo primi omnium creaturarum prædestinati sunt IESVS & MARIA; & simul non infringit illam certissimam Scripturarum & Patrum assertionem, Saluatorem mittendum non fuisse, nisi fuissent qui essent saluandi; & Virginem prætereà eximit è totâ peccatorum massâ, liberatque non tantùm originali peccato, sed etiam debito istud contrahendi, vti parebit subtilius atque penitiùs ista ruminanti: nos iam istæc omnia non agimus, sed tantùm primogenituram Dominæ nostræ deuotâ mente rimamur, vt possimus coronæ ipsius stellam istam gratulabundi apponere. Quam ad rem iuuerit, Deum orbem molientem cum Galarino pictoris adinstar operi suo insudantis considerare: ille enim personam vnam alterámve sibi operis scopum præfigit, hisce tabulam adaptat; ijs congruè collocandis, qui commodior in eâ videtur, locum aptat, horum tantùm ornatum spectat: si quas prætereà adijcit hominum figuras, nonnisi ad harum adijcit ornatum; si terras aut maria appingat, sic arti moderatur, vt ei, quantum conducit, hisce speciosiùs proponendis, nec ampliùs indulgeat; multaque ideò non omni suâ industriâ perficit, ne istæ non emineant. Ita IESVS & IESV Mater erant Deo in orbis machinatione propositi; hi erant primogeniti in intentione, hi finis operis & scopus; quidquid factum est, ipsis laudandis, ipsis exornandis factum est: imò ipsam diaboli nequitiam & hominum lapsus ideò permisit, vt velut vmbræ & obscuriores picturæ partes, horum splendorem illustrarent. Itaque hic est primus modus, quo explicari potest, quomodo Virgo sit post Filium suum prædestinatorum prima, & creaturarū primogenita. Quem modum S. Bernardus breuiter proposuit, & rationem, quo eum probemus, exposuit Serm. 1. in *Salue: De hac*, inquit, *& ob hanc, & propter hanc omnis Scriptura facta est; propter hanc totus mundus factus est.* Nam si breuiter Scripturas percurramus, nusquam non inueniemus Virginem: omni hæc paginâ legitur, omnibus figuris delineatur, omnibus præceptis colenda proponitur. Si enim nouus Adam de cælo cælestis formatur, sit hoc de terrâ Virgine, vtique non aliâ quàm Virgine MARIA: si in paradisum ducitur, paradisus voluptatis est Virgo MARIA: sponsa quæ ei traditur, eadem est Virgo, multò iustiore titulo, quàm ea quæ mortem generauit, dicta mater viuentium. Si iustus Noë iactetur passionis fluctibus, per sanguinis sui diluuium arca fertur; quam ipse sibi ædificauerat non alios in vsus, quàm vt per eam seruaret pereuntis generis humani reliquias. Quid autem arca hæc, nisi Virgo MARIA, fidelissima in omni passione socia? Si immolandus Isaac portat sibi

Pictoris & Dei mundum condentis comparatio.

Scriptura omnes de Virgine, & propter Virginem.

sibi exitiale lignum, eo passu & animo ad mortem properans, quo nemo vitam perijt: pijssima Mater Sara voluntatem suam cum diuinâ coniungit, & voluntariè ei Filium sacrificat. Si Iacob cum duabus hominum & Angelorum turmis transit Iordanem: adest illa speciosa Rachel laboriosi itineris simul causa & solatium. Denique, si pergamus ad singula, hæc tandem B. Andreæ Ierosolymitani Episcopi Cretensis subiungenda erit conclusio: *In hoc à Deo formato tabernaculo vniuersa lex & Prophetæ re ipsâ sunt adimpleti, & in eo adumbrata typicorum characterum forma fuêre deleta, speculis veritatis dissolutis: ipsa enim est propitiatorium, quod respiciunt duo noui & veteris Testamenti Cherubim: ipsa est exspectatio sæculorum, spes gentium, & desiderium collium æternorum.*

Orat. 1. de Dormitione Virginis.

Alter modus, quo explicari potest primogenituræ titulus, quem B. Virgini tribuendum nemo dubitat, est, quòd ipsa fuerit idea pulchritudinis, regula sapientiæ, & norma sanctitatis; ad quam Deus, tamquam ad perfectissimum exemplar, exegit quidquid in ceteris tebus dispersit. quæ prærogatiua Virginis, cùm alibi explicata sit, ad tertium primogenituræ modum pergo.

Secundus modus, quo explicatur primogenitura Virginis, quòd fuerit idea faciendorum.

Tertio igitur modo Deipara est creaturatum primogenita; quia Deus fecit eam primitias operum suorum. Solebant autem Deo offerri primitiæ frugum, vt per eas ceteræ fruges censerentur Deo oblatæ & sanctificatæ; quod per hasce creaturarum primitias, & primogenitam nostram MARIAM, multò est meliùs perfectum. Fecit enim in Virgine moliendâ Deus, quod Iustinianus posteà quaquâ ratione est imitatus: hunc in magnifico Sophiæ templo, cuius descriptio est apud Euagrium lib. 4. cap. 30. sacram mensam fecisse refert Cedrenus, opus imitatione nullâ æquandum; constabat verò auro, argento, omnisque generis lapidibus, lignis, metallis, omnibusque rebus quas terra fert, mare, & vniuersus mundus: ex omni materiâ pretiosâ, plura, meliora, potiora collegerat, liquatisque his quæ fluunt, sicca illis immiscetat, atque in formam mensæ absoluerat; ita varium illud opus contuentibus stuporem inijciebat. in orbem hanc habuit inscriptionem: *Tua de tuis tibi offerimus serui tui*, CHRISTE, *Iustinianus & Theodora: ea tu propitius accipe, Fili Dei Verbum, qui nostri causâ carnem assumpsisti, & cruci affixus fuisti, ac nos in tuâ rectâ fide conserua; & quam nobis commisisti Remp. eam ad tuam gloriam auge & tuere, intercedente sanctâ Deiparâ Virgine* MARIA. Pulchetrimum, si vllum vspiam, B. MARIÆ symbolum. Deus enim mundum creaturus, MARIAM mente voluebat, & in creaturis solicitâ cogitatione vestigabat, quid in vnaquaque excelleret, vt omnibus creaturarum omnium præstantissimis facultatibus & excellentijs MARIAM vnam cumularet; itaque euaderet non iam fabulis descripta, sed verè ex creaturarum omnium facultatibus conflata Pandora. Arnoldus Carnotensis id claré affirmat. MARIA creaturis constat omnibus: quidquid enim Creator singulis distributor iustus contulit, Matri adornandæ congessit. Nec aliâ puto de causâ eam Epiphanius Sermone de Laudibus Virginis vocat *cæli terræque mysterium.* & S. Bernardus in Sermone de B. Virgine ait: MARIAM *Deus tamquam mundum specialissimum sibi condidit, quem in iustitiâ & sanctitate fundauit.*

Tertius primogenituram explicandi modus: ipsa operum primitiæ.

Mensa Iustiniani constans omni creaturarum genere:

Cedrenus in Compend. Histor.

huic similis Virgo MARIA.

CAPVT VIII.

Tertia Stella, ad tertiam Salutationem Angelicam deuotâ contemplatione Coronæ Deiparæ apponenda.

MARIA *ab omni æternitate in Matrem Dei prælecta.*

NON tantùm in filiam, non tantùm in creaturarum omnium primogenitam, Virginem ab omni æternitate elegit Pater; sed etiam, nullis eius præcedentibus meritis, eam in Filij sui vnigeniti Matrem præelegit. De quo priuilegio sic loquitur S. Anselmus lib. de Excell. Virginis cap. 3. *Intendat mens humana & contempletur, videat & miretur:* vnum

vnum Filium consubstantialem sibi Deus Pater genuit: & hunc sibi vnicum & omnibus modis æqualem, non est passus remanere solummodò suum, sed eum ipsum voluit in veritate esse B. MARIÆ *vnicum & naturalem Filium.* Profectò si non paralogizat Apostolus ad Rom. 8. v. 32. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* admirabilem licet inferre ex hoc priuilegio consequentiam: qui enim omnia dedit nobis cum Filio, quàm nouo & inaudito modo ei dederit omnia, cui tam stupendâ ratione dedit Filium! Magna & mira consequentiæ vis! Omnia dedit mundo, quia mundo impendit Filium: plus ergo ei soli dedit quàm mundo vniuerso, cui magis particulari ratione Filium dedit soli quàm omnibus; vt scilicet ei vnicus esset & naturalis Filius, quemadmodum sibi erat connaturalis. Hoc est omnium istorum priuilegiorum, prærogatiuarum donorumque fundamentum, quæ toties in Virgine miramur: vt non frustrà admoneat S. Anselmus: *Intendat mens humana & contempletur, videat & miretur.* tamquam si diceret Virginis cultoribus & laudatoribus: Huc omne vertendum est studium, huc omnis referenda contemplatio & admiratio, quòd Pater eam in Filij sui Matrem elegerit, vnde mox fluxerit omnis ceterorum priuilegiorum multitudo. Licet suprà de hac dignitate multa dixerimus, & infrà priuilegio quinto rursus illam tangemus; non possum tamen hîc me non ingerere SS. Patrum hanc maternitatem obstupescentium concilio, & modos quosdam quasi ab ore singulorum colligere, quibus hoc priuilegium non explicare, sed admirari Sodales meos doceam. Hanc enim cautelam adhibet S. Bernardus Sermone 4. de Assumptione: *Non est quidem quod me magis delectet, sed nec est quod terreat magis, quàm de gloriâ Virginis habere sermonem; vt, licet de eâ loqui gestiant omnes, tamen quia quod dicitur de indicibili, eo ipso quòd dici potuerit, minùs gratum sit, minùs acceptetur.* vt nemo existimet, dum mira audierit, & magna conceperit, se vllâ ratione attigisse, quid sit esse Matrem Dei. *Hoc enim solum,* inquit S. Anselmus, *de beatâ Virgine prædicare, quòd Mater Dei est, excedit omnem altitudinem quæ post Deum dici vel prædicari potest.* S. Bernardinus Senensis Tom. 3. Conc. Sermone 1. de nomine Virginis, per eadem nos præcepta ducit, vt aliquâ ratione Matris Dei sublimitatem attingamus; per quæ ad Dei incomprehensibilitatem aliquâ ratione imaginandam ire solemus. Vti enim tunc omnes creaturas instar sedularum apum peruagantes, quod in singulis eminet studiosè colligimus, omniaque in vnum conflantes cumulum, id quod infinitis partibus hanc perfectionem excedit, tandem Deum nostrum esse statuimus: sic in maternitate Dei contemplandâ, per creata omnia discurrendum est, videndumque, quid singulis pulchritudinis, dignitatis, gratiæ, virtutis aspersit Deus; tum, factâ in vnum collectione, inde perfectionem aliquam conficiemus, quam à dignitate Matris Dei cùm adhuc quàm longissimè abesse agnouerimus, tum scilicet humi nos prosternentes, stupore conuicti, quod non capimus, supplice hyperduliâ adorabimus. S. Ioannes Damascenus Oratione 1. de Natiuitate, & S. Ildephonsus lib. de Virginitate & parturitione MARIÆ, ascendunt multò etiam altiùs; nec aliam mensuram inueniunt, quâ partum Virgineum dimetiantur, quàm partum diuinum, quo Verbum ex fecunditate intellectus paterni sine vllâ Patris alteratione aut diuisione emanans, eamdem cum ipso naturam participauit: eâdem, inquiunt, ratione Verbum idem in tempore natum est ex Virgine MARIA, sine vllâ Matris corruptione, aut integritatis ipsius alteratione. Quid Theologorum magister? an intellectu suo Angelico non penetrauit paulò etiam altiùs? Vide illum 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. inter diuinitatis inaccessibilem lucem ad mensuram magnitudinis Deiparæ, quam illic inuenerat, acutissimè cæcutientem. Nihil nos hîc cona-

Omnia Virgini data sunt cum Filio.

Lib. de Excell. Virg. cap. 2.

Maternitas Dei per omnium creaturarum dignitatem aliquatenus concipitur.

Comparatione paternitatis diuinæ maternitas Dei intelligitur.

conabimur altius; tantùm illud reuocantes in memoriam, relationem dignitatis, quæ ex vtroque consurgit termino, cùm nihil superaddat physici naturæ creatæ, faciliùs dici posse infinitam, quàm gratias aut priuilegia ei diuinitus communicata, quæ nec sunt, nec esse possunt, infinitæ perfectionis.

Sed hæc subtiliora cùm nimis irretorto oculo nos in excellentiam Matris Dei intueri cogant, aliam Sanctorum alij inuenerunt viam, multis ænigmatis, figuris & symbolis explicare conati, quam ipsi de sublimitate Matris Dei conceperant sententiam: quorum aliquot sententias sine lectoris iniuriâ non possum omittere. Sanctus itaque Methodius Episcopus Tyri in Phœniciâ, & Martyr gloriosissimus IESV CHRISTI, hunc in modum Matrem Dei salutat Oratione in Hypapant. *Celeberrima & desideratissima, tu fidelium fax, tu incircumscripti circumscriptio, tu speciosissima floris radix, tu Creatoris Mater, tu nutrix omnia nutrientis; tu illius gestatrix qui verbo suo portat vniuersa, tu porta, per quam in carnem ingressus est Deus; tu purificantis carbonis forceps; tu praangustus illius sinus, qui sinu suo cuncta complectitur; tu impollutum illius indumentum, quo lucenti vestimento circumfunditur; tu Spiritus sancti vmbraculum, in te perbenignus ille conditor feruentissima charitatis flammas, quasi confertos quosdam solis radios, est eiaculatus.* Succedat huic Sophronius. *Verè hortus deliciarum* (inquit ille singularis S. Hieronymi amicus) *in quo consita sunt vniuerso florum genera, & odoramenta virtutum; sicq; conclusus, vt nesciat violari, neque corrumpi vllius insidiarum fraudibus: fons signatus sigillo totius Trinitatis; ex quo fons vitæ manat, in cuius lumine omne videmus lumen.* S. Petrus Damianus comparationem expressam cum omnibus creatis instituit, Serm. de Natiuitate Virginis, agens de Deiparâ, super illud, *Non est factum simile opus in vniuersis Regnis: Nihil,* inquit, *verius, nihil sublimius, nihil dulcius miseræ mortalitati & mortali miseriæ: nam etsi multa magna facta sunt in creaturis mundi, nihil tam excellens, tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei, quàm est Virgo Dei genitrix; cuius pulchritudinem sol & luna mirantur.* Audiamus & Petri Chrysologi orationem auream in tam honorifico Patrum consessu non vltimo loco commemorandam: is ergo, Sermone de Annuntiatione: *Quantus sit Deus,* inquit, *satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur: pauet cælum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit; & vna puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, cælis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cælestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsâ domus exigat pensione, pro ipsius vteri mercede conquirat.* Et ne nimis excurrant hæ Patrum sententiæ, quidam stupore attoniti, breui orationi inuoluunt ingentem admirationem: vt S. Ignatius Martyr, qui eam *prodigium cæleste, & sacrum* compellat *spectaculum*; S. Ioannes Chrysostomus, *magnum miraculum*; S. Bernardus, *miraculorum miraculum*; S. Ioannes Damascenus, *miraculorum abyssum*. Et, *O miracula, ô prodigia!* exclamat 1. Sermone de Tempore S. Augustinus, *naturæ iura mutantur; in homine Deus nascitur: Virgo sine viro grauidatur; viri nesciam sermo diuinus maritat; simul facta est mater & virgo; mater facta, sed incorrupta; virgo habens Filium, nesciens virum; semper clausa, sed non infecunda: solus enim sine peccato est natus, quem sine virili complexu non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis.* Hæc & plura sancti Patres de Virgine iam Matre Dei effectâ; vnde poterimus beneficium Dei Patris æstimare, quòd eam ad tantam dignitatem, ac est, Matrem esse Dei, & ad tam stupenda priuilegia, quæ illam maternitatem necessariò comitabantur, ab omni æternitate elegerit: quæ tanta fuerunt, vt idcircò S. Bernardus dictum ei existimet, *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* quòd illa omni humano & Angelico intellectui ita essent obumbrata mysteria, vt nemo ea perciperet, nisi qui daret, & reciperet.

Patrum de dignitate maternitatis Dei sententia.

reciperet. *Et fortasse,* inquit Homil.4.in Missus, *propter hoc maximè dictum est, Obumbrabit tibi; quia res nimirum in sacramento erat: & quod sola per se Trinitas in solâ & cum solâ Virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri.* Amplius dicit S.P.N. Augustinus Tom.9. Operum super Magnificat: *Audacter pronuntio, quòd nec ipsa planè potuit explicare, quæ capere potuit.* Hic sisto, humiliter captiuans intellectum meum ad credendum sublimitatem & dignitatem omni creato intellectu superiorem, ad quam Deus Pater eam ab æterno elegit, quando immutabili decreto eam constituit Filij sui Matrem efficere. quæ electio fuit omnium earum virtutum & gratiarum, quas tam ipse quàm Filius & Spiritus sanctus deinde in eam contulerunt, fundamentum; & fundamentum simul profundissimæ istius humilitatis, quæ eam per vitam deinceps vniuersam tam gratam reddidit Creatori suo: quotiescumque enim cogitatione abibat in illam diuinæ electionis abyssum, videbat scilicet, quid ipsa de se fuisset, si non præuenisset illam tanta infinitæ bonitatis dignatio. Petent hîc inter cetera Sodales, vt gratiam impetrent per Virginis patrocinium, vt, quoniam affectus erga illam est æternæ prædestinationis indicium, illum in ipsis augeat, & gratiam impetret, vt per bona opera certiorem reddere possint vocationem suam; atque in profundissimam descendentes humilitatem, quidquid habent boni, Deo offerant, trementes ac pauentes ante diuinam maiestatem ipsius; quoniam nesciunt an amore an odio digni sint: denique ad Virginem conuersi, omnem eâ de re solicitudinem in sinum eius projicientes, statuant ei firmiter & constanter famulari, saltem in hac vitâ, etiamsi (quod tamen ipsam sperant prohibituram) sceleribus deinde suis efficerent, vt illud præstare non possent in æternum.

Affectus ex hac contemplatione eliciendi.

CAPVT IX.

Quarta Stella, ad quartam Salutationem Angelicam deuotâ contemplatione Coronæ Deiparæ apponenda.

MARIA *gratiâ prorsus singulari, vt sine omni labe originali conciperetur, præseruata.*

QVARTVM Virginis priuilegium, propter quod Patri æterno nominatim gratias agimus, ac proinde tempore quo quartum recitatur *Aue Maria* ruminandum proponimus, est, quòd fuerit ab omni peccato originali præseruata. Magnum sanè, & nunc extra controuersiam positum MARIÆ priuilegium. In quo propugnando gauisa fuit Virgo sanctissima tanto tempore spectare pugilum suorum alacritatem, eò maioribus quemque remuneratura beneficijs, quò fortiùs in hac arenâ decertauerit: quemadmodum enim ipsa S. Brigittæ, vt refertur Reuelationum ipsius lib.6.cap.55. declarauit, ideò permisit Filius Virginis singulariter sibi amicos eâ de veritate dubitare, vt multis occasio daretur ostendendi, quo erga se, quo erga Matrem suam zelo ferrentur, in auertendâ labe atque infamiâ à suo & Matris charissimæ nomine. Verba sunt: *Placuit Deo, quòd amici sui piè dubitarent de conceptione meâ; & quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret in tempore præordinato.* Non hîc mihi locus datur in eamdem descendendi arenam, in quâ gloriosissimum & optatissimum foret, etiam vitam pro Dominæ meæ gloriâ ponere: quem vt tam ei, quàm conseruis meis Sodalibus, signo aliquo testatum relinquam zelum, non omittam breuiter rationes aliquot conglobare: quas nemo, puto, animo non dico erga MARIAM zeloso, sed veritatis capaci, legerit; quin statim venerabundus ad pedes sese gloriosissimæ Virginis prosternet, ei immaculatæ Conceptionis beneficium gratulaturus. Nam fieri non potest, vt quispiam peccati originalis fœditatem vel obiter consideret, & non penitus indi-

Cur tamdiu incognitum mysterium immaculatæ Conceptionis.

A fœditate peccati originalis probatur immaculata Virginis Conceptio.

indignetur; inueniri etiamnum aliquem qui dubitet, num tam feralis monstri præda fuerit illa bellatrix, quæ, contrito serpentis capite, omnibus inferni spolijs onusta cælum gloriosa conscendit; ideò totius vniuersi honorata dominio, quia nullam vmquam subiuit seruitutis infamiam. Numquam enim perniciosior aut tetrior lues orco caput extulit, quàm ea quæ, quòd nostræ pertinaciter hæreat origini, & sit origo vitiorum omnium, peccatum originale dicitur: nam si formam spectes, tantæ est fœditatis; si naturam, tantæ peruersitatis; si propositum, tantæ crudelitatis; vt dubium non sit, quin cacodæmonum singuli symbolum suum contulerint, quo effingerent monstrum omnibus inferni spectris horribilius. quod non aliâ intensione in auras hasce vitales protruserunt, quàm vt fœtidissimo, quem efflabat halitu, mundum vniuersum contaminaret, ac deinde excubaret ad vitæ nostræ limina; vt non citiùs traheremus vitalem spiritum, quàm mortifero ipsius afflaremur veneno; misertimi, antequam scire liceat, quid sit posse esse felices; infecti, antequam planè perfecti simus; & interfecti, antequam vitæ dati. Vide mihi istum centum capitum in vnâ ceruice exercitum; inter quæ dubites, quodnam sit alijs formidabilius: vide illos, quos pro oculis vibrat, ignitos globos: vide dentes instar nouacularum acutos: vide manus vncis ferreis armatas, fauces autem quas pandit, abyssum omnium abominationum, centum. existimes inferni respiracula; tam crassos & fœtidos exhalant omnis nequitiæ fumos, quibus omnem latè regionem veneno suo corrumpant, & oculis diem eripiant. in medio ventris ignis inextinguibilis accenditur, certa omnium quæ contigerit pernicies. Miseros profectò & miserabiles eos, qui incidere habent in vngues monstri ac furiæ tam abominabilis: &, prô dolor! incidunt vniuersi, quos clamore incondito & tumultu terrifico ante se agit in caueam horrore ac tenebris obsitam, quam posuit suæ theatrum crudelitatis. quò vt quemque misertimè adegit, heu quàm deplorabilibus accipit infelicem modis! vt trahit, vt rapit, vt lacerat atque dilaniat, vt vnguibus, vt dentibus in ora inuolat, nullam relinquens misero humanæ nedum diuinæ similitudinis speciem, sed ei crudelissimè substituens horrendam, teterrimi cacodæmonis figuram? &, ne quid cruenta isthæc bellua relinquat integrum aut intactum, effodit oculos, perforat aures, cerebrum exsugit, cor ipsum vitæ sedem vel aufert vel dentibus discerpit. I nunc, & pietatem Filij Dei defende, si tali monstro matrem suam obiecerit: i, & tam submissè cæli terræque Dominam venerare, si omnibus in isto infernali partu dæmonibus seruierit? i, & tam solicitè Virgineam corporis integritatem propugna, ne scilicet indigna sit Dei fieri Mater quæ à viro tacta fuerit, si animam ipsius fateare tam turpiter à dæmone violatam: i, & sanguinem profunde (quod omnes Christiani sunt facere parati) potiùs, quàm fateare, vel leuissimâ peccati venialis maculâ integerrimæ Virginis mentem fuisse delibatam, si interim non reformides confiteri, eamdem fœdissimâ criminis originalis leprâ fuisse coopertam. Et quid est peccatum veniale, quod neque Dei gratiam, neque eminentem istam sanctitatem ei potuisset eripere, multò minùs eam tyrannidi nequitiæ infernalis seruam addicere; si istud compares cum peccato originali, quod constituisset eam vilissimum inferni mancipium, Dei abominationem, dæmonum ludibrium, inter omnes creaturas notâ rebellionis infamem, ac ream mortis sempiternæ? Vel sola cogitatio tantæ indignitatis sufficere debet, vt zelo contabescant fida Deiparæ mancipia, atque omnibus tum animi tum corporis facultatibus tantam à se, à Dei Filio, à Dei Matre, & à Patre ipso Deo infamiam prohibeant: honorent, inquam, ministerium suum Sodales, neque tantam sibi iniuriam inurri sinant, vt tam humili sui subiectione, tam absoluto Virginis dominio, quod alibi descripsimus, mancipia sint illius, quam aliquando peccati originalis turpis

Quàm crudeliter peccatum originale homines accipiat.

Libera fuit Deipara à veniali; ergo à fortiori, ab originali.

Redundaret in mancipiorum infamiam peccatum originale Dominæ.

pis obscœnaque labes dehonestauit, cuius collum diaboli hostis nostri teterrimi iugum presserit, quæ compedes & catenas vilissimæ seruitutis gesserit. Sed missam facio eam quæ ad seruos redundaret ex Dominæ peccato infamiam, cùm magis vrgeat dedecus illud, quod ex Matris crimine deriuaretur in Filium. *Talis enim decebat*, ait Apostolus, *vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Non argumentor à ratione multò fortiori, Si talis decebat vt esset peccatoribus Pontifex, quàm sancta, quàm innocens, quàm impolluta, quàm segregata à peccatis decebat vt esset ipsi Sanctitati Mater; sed hoc expendo, quàm multa, & quàm omnia frustrà Agnus iste immaculatus fecerit, vt sese segregaret à peccatoribus, si tandem diuinitatem suam vniuerit carni, quæ subdita fuerat peccatis. Quorsum enim populus Israëliticus segregatus ex omnibus mundi nationibus; quorsum circumcisionis nota, vt non possit vllâ ratione misceri cum peccatoribus; quorsum eodem in populo Abrahami, Dauides, & ceteri viri insignis sanctitatis electi; quorsum tot symbolis & signis, tot typis & figuris carnis eius adumbrata puritas, si eò tota recidebat diligentia, vt tandem nasceretur è feminâ turpissimâ peccati labe cauterizata? Agite, vel ad humanæ prudentiæ mediocritatem exigamus æternam Dei Sapientiam. Fac te, quisquis es qui hanc Virgini inuris infamiam, à Deo adhibitum fuisse in concilium, quando de matre deligendâ statuebat, an scilicet puram, immaculatam & impollutam, quod ei facile erat, eligeret; an verò talem, quæ aliquando esset corrupta & infecta peccati turpissimâ labe. Imò Deum mittamus: si tibi optio data fuisset, vt matrem tibi tuo arbitratu fingeres, tam paruâ fuisses in parentem reuerentiâ, tam exiguo in temetipsum affectu, vt, cùm scires, quòd *gloria hominis ex honore* parentum, *& dedecus filij, pater sine honore*, malles produci à matre inquinatâ peccatis, quâ nulla fingi potest maior infamia; quàm vt eam ab isto dedecore, cùm posses facillimè, præseruares? dubium esse non potest, vtrum sis, si non prorsus desipias, electurus. Adhibe ergo certissimam S. Augustini ad examinandum opera diuina regulam: *Quidquid tibi verâ ratione melius occurrerit, id scias fecisse Deum.* & noli existimare, vel ita insanijsse istam Sapientiam, vt non sciret, quid esset eligendum; vel ita peruersam fuisse bonitatem, vt nollet Matrem suam seque in Matre honorare. Qui mortis pœnâ sanciuerat, ne quis, cuiuscumque sanctitatis, præter Summum Pontificem, in secretiorem templi locum intraret; ille permiserit, vt Sancta Sanctorum viui istius templi, quod per Salomonicum adumbratur, spiritus immunditiæ polluerit, antequam ipse, qui verus erat Pontifex, illud ingrederetur? Qui cælos ipso sole creauit lucidiores, ideò quòd eos in thronum sibi elegerat; adeò sui negligens fuerit, vt multò nobiliorem suum thronum, in quo non tantùm resideret, sed vnde substantiam & carnem assumeret, permiserit sordibus conspurcari? Qui deniq; in templi ædificatione noluit mallei sonum exaudiri, ædificatumque iussit auro mundissimo conuestiri; idque, quòd reponenda esset in eo arca, typus suæ humanitatis; ille non prohibuerit, ne templum viuum, in quo ipse personaliter erat habitaturus, tanto dæmonum tumultu inter ædificandum personaret, ædificatumque à summo fastigio, ad ima vsque fundamenta fœdissimis peccati sordibus incrustaretur? Profectò non est ex genio zelosissimi pro honore suo Dei nostri, tam supina negligentia, in re vbi agitur summa eius gloria. Et Patris nostri S. Augustini solidissima est ratiocinatio de Naturâ & gratiâ cap. 36. vbi ait: *Exceptâ Virgine Matre, de quâ, cùm de peccatis agitur, nullam prorsus habere volo quæstionem: inde enim scimus, quòd plus gratiæ ei collatum ad vincendum omne peccatum; quia eum concipere meruit & parere, quem scimus nullum habuisse peccatum.* Qui omne peccatum excludit, nullum admittit; & ideò

Ad Filij honorem liberanda fuit Mater originali crimine.

Hebr. 7. v. 26.

Eccli. 3. v. 13.

Lib. 3. de Libero arbitrio c. 5.

ideò nullum admittit, quia vel illa non meruisset illum párere qui nullum peccatum habuit, si non ab omni libera fuisset peccato. vel certè, non tam liquidò affirmare possemus, nullum peccatum Filium habuisse, qui de Matre carnem peccatricem assumpsisset, cùm *dedecus filij* sit multò magis mater, quàm *pater sine honore*. Ideò fortissimè pronuntiat S.Cyprianus lib. de Cardin. Christi operibus cap. de natiuit. Christi: *Non sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lassaretur iniurijs; quoniam plurimùm à ceteris differens natura communicabat, non culpa. Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantia gloriæ, quâ carnis & mentis integritate esset insignis.* Nemo, credo, sic reum aget Filium Dei, vt is qui patrem & matrem honorari à nobis voluit, Matri suæ charissimæ, cui vtriusque parentis ille debebat honorem, ne quidem ea impenderit, quæ iustitiæ rigore in illam tenebatur erogare: tenebatur autem, S.Cypriano auctore, non permittere, vt Mater sua communibus lassaretur iniurijs: quarum non postrema est labes peccati originalis, vel quòd nulla communior, vel quòd vix vlla maior. Et S.Anselmo nescio quid facient, si qui adhuc sint contrariæ mentis, qui lib. de Conceptu Virginali c. 18. piè asserit: *Decuit Virginem eâ puritate nitere, quâ maior sub cœlo nequit intelligi.* cùm non reformident ipsam ijs peccati sordibus inquinare, quibus vix maiores orcus poterat eructare. Nescio verò quo modo in ceteris omnibus, quæ Virginem tangunt, priuilegijs, certissimè videatur concludere argumentum sumptum à Filij dignitate: si enim agatur de fomite peccati, si de partus & mortis vel doloribus vel corruptionibus; prima concludendi ratio ab eo petitur, quòd non deceat hisce miserijs subiectam fuisse eam, quæ Deum genuerat: & nihil valebit ea consequentia, ad eximendam eamdem Dei parentem ijs peccati sordibus, pro quibus euitandis illa libentissimè & corporis post mortem corruptionem & parientium sordes subijsset; & virginitatis ipsius, quam cum Dei maternitate non videbatur commutatura, iacturam fecisset. Quòd si certissimis hisce à Filij dignitate petitis rationibus adiungere velimus argumenta, quæ ab ipsâ Dominæ nostræ personâ petuntur; nescio quis tandem relinquetur adhuc ambigendi locus. Iterùm hîc à sancto Patre nostro, qui, teste Haymone Halberstadensi, in elucidandis quæstionibus omnes Doctores post Apostolos præcellit, petendum fundamentum & regula omnium conclusionum. is enim Sermone 10. ad Fratres in eremo de Virgine ait: *Talis suo modo Mater, qualis est Filius.* hoc est: Quemadmodum Filius ab omni peccato remotissimus vnctione propriæ diuinitatis; ita Mater fuit ab eo liberrima eiusdem Filij gratiâ & benignitate. Et hæc sententia sufficiet, vt ex maternitatis diuinæ titulo probemus eius à peccato immunitatem, quòd scilicet ipsa Filio erat per omnia similis, quantum poterat pura creatura ad eius sanctitatem, qui homo simul erat & Deus, accedere eâ similitudinis perfectione; vt (quod alibi ostendimus) non dedeceret Filium Dei, quòd matrizare, ac MARIÆ puritatem virtutesque imitari, diceretur. Iam si respiciamus ceteros Dominæ nostræ titulos, nullus erit qui non exigat hanc à peccato originali immunitatem: nam si mundi reparatricem & generis nostri corredemptricem cogites, quomodo eam communi captiuitati subditam imaginaberis; vt scilicet honorificentiùs ad carcerem, vnde vix exierit egregia redemptrix, redeat alios liberatura? An non aduertisti egregiam de hoc mysterio S.Bernardi sententiam Serm. Signum magnum: *Congruum magis vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset?* Figura reparatorum, erant generis vniuersi corruptores: at non vides Adamo fieri auxilium, ei, quantum sexus differentia patitur, per omnia simile quantum ad naturam? quantum verò ad gratiam, non vir tantùm, sed etiam mascula illa virago gaudet iustitiæ originalis bono, ceterisque donis cælestibus, quibus affatim

Eccli. 3. v. 13.

A personâ Deiparæ Virginis probatur immaculata Conceptio.

quia Mater Dei

quia mundi reparatrix;

ſtatim primogenitores illos noſtros locupletarat Deus; & dubitabimus, num maiore opus fuerit innocentiâ ad reparandum quàm ad propagandum genus humanum? Non dubitat profectò magnus ille Virgineæ puritatis zelator S. Ildephonſus, in eo tractatu quem conſcripſit in defenſionem integritatis MARIANÆ, vbi ait: *Nunc autem, quia ex auctoritate totius Eccleſiæ conſtat, eam ab omni peccato originali fuiſſe immunem, per quam non ſolùm maledictio Heuæ ſoluta eſt, verùm etiam benedictio omnibus condonata.* Produximus in aciem bellatricem Virginem; in quâ de peccato & dæmone triumphans nos aſſeruit in libertatem filiorum Dei, ſibique honorificentiſſimâ ſeruitute ſubiecit; vnde concluſione certiſſimâ Sancti Patres inferunt, eam ab omni actuali peccato fuiſſe liberam. Quid ergo? an ferocem illum hoſtem noſtrum, qui in limine vitæ excubat, ignaua vel ignara præterijt Amazon fortiſſima, quæ cunctos inimicos noſtros debellatura aduenerat? aut minùs fortè concludit argumentum, Vicit, & glorioſiſſimè vicit peccatum originale; ergo non fuit ab eo victa, ſubiugata & triumphata, quàm ſi iſto modo de peccato actuali argueretur? Rurſum, *Tota pulchra es amica mea, tota pulchra es*, plenis gaudio & gratulatione buccis eam accinit Virgini Eccleſia. Cuius loci eam eſſe auctoritatem etiam illi confitentur, qui peccati originalis leprâ conſpurcant Deiparam, nec à vertice capitis vſque ad plantam pedis in eâ agnoſcunt ſanitatem; vt vel eo ſolo conuincere ſe exiſtiment, numquam vnguiculi alicuius extrema peccati venialis labeculâ tacta fuiſſe in iſtâ ſponſâ, quæ ſponſo formarum curioſiſſimo erat offerenda. In quo admirari ego ſatis non poſſum tantorum virorum in philoſophando inconſtantiam, quòd eodem argumento iſtam de labe originali opinionem, quam pertinaciùs menti impreſſerunt, non emaculent. Ego ſanè non exiguum præmium iudico humilitatis tuæ, Idiota doctiſſime, quâ tam vili nomine, cùm tam præcellentis doctrinæ gloriam tibi ereptam cupiebas, vtilitatem nobis non inuidiſti, quòd vel hunc locum tam accuratè ſupra multos docentes te intellexiſti. Sic enim in Contemp. Virg. cap. 3. eum explicabas: *Tota pulchra es, Virgo glorioſiſſima, & macula non eſt in te: tota pulchra es in tuâ conceptione, ad hoc ſolùm effecta, vt templum eſſes Dei altiſſimi: tota pulchra es, non in parte, ſed in toto; & macula peccati, ſiue mortalis, ſiue venialis, ſiue originalis, non eſt in te, nec vmquam fuit, nec erit.* Percurrat, qui hoc ſanctiſſimum ſibi fecerit otium, ceteros Virginis MARIÆ titulos; vixque vnum repeciet; qui non clarè indicet, tantam dignitatem, quæ ſingulis ſubeſt, vix ſuſtineri poſſe, ſi non id ante omnia confiteamur, eam ab omni originalis peccati labe immunem fuiſſe, cui tanta dignitas verè poſſit attribui.

quia eſt bellatrix noſtra, & dæmonum triumphatrix.

quia ſponſa CHRISTI. Cant. 4. v. 7.

Caietan. in eum locum D. Thomæ.

Quare ego ad extremum Sodales meos adhortor, vt non quali quali pietate Dominę ſuæ immaculatam Conceptionem confiteantur, ſed vt zelo quodam feruenti, qui ardere faciat cor eorum, in pectore ſuccenſo Virginis amore defendant & propagent, quam tot argumentis probatam habent Virginis immaculatam conceptionem. Nam vt ego, quod ſentio, de eâ proloquar: Putaret, meâ quidem ſententiâ, generis noſtri aſſertor Deus, humaniſſimus ac liberaliſſimus MARIÆ Filius, vitam, mortem & cuncta merita ſua non ſatis vtiliter collocata, niſi Matri à Patre ſuo perpetuam innocentiam exoraſſet. Mallet ipſa fortè Domina noſtra, & Matris Dei quâ gaudet dignitatem, & ſupremum illud quod poſſidet in omnes latè creaturas dominium, ac beatitudinem quoque ipſam quâ nunc in cælum aſſumpta fruitur, graui profectò iacturâ amittere, quàm originali iuſtitiâ vel ad momentum orbata, ac peccati originalis leprâ cooperta fuiſſe: denique creatura omnis Angelica & humana, quæ rei magnitudinem ſuis ponderibus examinat, eligeret potiùs, gratiæ & naturæ diuitijs omnibus, quibus à ſuo Conditore affatim ditata eſt, orbari, quàm, non ſine ingenti naturæ & gratiæ iniuriâ, tam fœdum ac deteſtandum

Adhortatio ad defendendam immaculatam Conceptionem B. MARIÆ Virginis.

Medina lib. de Oratione, q. 7. & lib. de Pœnitentiâ, q. 6. Antonius Corduba libro 1. Quæſtion. Theolog. q. 49.

ſtandum in Dominâ ſuâ ac Reginâ probrum videre. Et quid? nos qui mancipatum B. MARIÆ Virginis profitemur, qui ſemper eam ſtipamus, qui gloriæ eius defendendæ traditi ac dediti ſumus, qui omnem à nomine eius iniuriam obiectu laterum & vitæ prohibere debemus; non ſummo animi ſtudio, omnibus corporis viribus, cunctis naturæ gratiæque conatibus hanc labis tam deformis opinionem à nomine & vitâ Dominæ noſtræ propulſabimus? ita & libertatis & ingenuitatis obliuiſcemur, vt non mordeat nos tanta Dominæ, tanta liberrimo mancipatui noſtro impacta infamia? Laudabilem potiùs Sanctorum multorum conſuetudinem æmulemur, qui facto de proprio ſanguine chirographo, ſeſe obligarunt Dominæ; quòd numquam, quà licebit, ab hac ſententiâ diſcedent, quâ eam puram ab omni labe peccati originalis conceptam fuiſſe affirmant. Imò quid hæreo? quid nouum pietatis genus nouæ Sodalitati proponere dubito? Meminiſtiſne ex vetere Hiſtoriâ, egregios illos Duces, qui per medios Oceani fluctus terras nouas & mundos nouos inquirendo, antiquitati fidem fecerunt, eò poſſe hominem perduci laudis cupiditate incitatum, vt omnia, quantumcumque horrenda, quantumcumque aſſidua & diuturna, mortis pericula infra nominis ſui gloriam habeat? meminiſtiſne, inquam, eos, quando ad Canariæ inſulas peruenerunt, quas Fortunatas illi vocabant, ibi de mari victo atque perdomito trophæum erexiſſe; cui breuibus verbis inſcripſerant, *Non plus vltrà?* indicantes, non, quod cetera trophæa ſolent, ibi hoſtem terga vertiſſe; ſed gradum ibi vertendum eſſe omnibus ijs, qui intra humanarum virium terminos continerent gloriæ cupiditatem, neque ſtultè vellent cum dijs, quos iſtic putabant mare clauſiſſe, in certamen deſcendere. Quam ſententiam noſtro æuo viri non magis gloriæ auidi, quàm prodigi animæ ad magna omnia adſpirantis, prouocationem ad laudis certamen interpretati; longiſſimos illos antiquitati calcatos Oceani tractus remenſi ſunt; atque ipſos illos mundi & gloriæ antiquorum terminos prætervecti, in vno tituli iſtius verbulo omnem vetuſtatis gloriam deleuerunt, reliqueruntque columnis Herculeis inſcriptum, *Plus vltrà*; docentes ſe ad vlteriora perueniſſe, & alios etiamnum poſſe ad eadem aut maiora adſpirare. Hanc ego generoſitatem mancipiorum vaniſſimæ gloriæ ad imitandum velim propoſitam generoſiſſimis Deiparæ mancipijs; vt ſcilicet cùm antiquitatem omnem, vt quidam volunt, prætervecti ſint, in humilitate ſeruitij quod præſtant Dominæ ſuæ, eamdem etiam prætergrediantur zelo exaltandi nominis MARIANI. Nam ſi Dominæ exaltationi proportione ſuâ reſpondere debet ſeruorum demiſſio, colorem profectò ſumet mancipiorum nouitas à nouâ Deiparæ gloriâ: quæ illi obueniet, ſi veterum Theologorum terminos refigamus, atque haud paulò etiam inuehamur vlteriùs. Nam Patres noſtri cum contradicentium tempeſtatibus diu multumque luctati, multum ſe profeciſſe exiſtimarunt, ſi ad vſque conceptionis immaculatæ inſulam peruenirent, eamque ita à continente peccatorum noſtrorum catenâ reſcinderent, vt nuſquam cum terrâ corruptionis noſtræ cohæreret: quod vbi perfecerant, glorioſiſſimos laborum ſuorum terminos fixerunt, putantes omnem aditum eſſe intercluſum vlteriora tentandi. Sed quis vetabit mancipia eò ſtudium & affectum conuertere, vt etiam debito incurrendi peccatum originale (quod nonnulli iam Theologi fecerunt) Dominam ſuam liberent? Quæ ſententia cùm rationes ſubtiliores nonnihil exigat, non eſt tam apta earum ſpeculatio ad fouendam inter orandum pietatem; quapropter earum pertractationem in præſentiarum omittemus. Ne tamen quis fortè timidè affectus pedes figat, reformidans tribuere Virgini, de quo, an aliquâ ratione illi conueniat, cùm nouum ſit, prudenter poſſit dubitare; id narrabo, quod ſufficiet ad ſententiæ ſecuritatem: cùm amor Virginis pondus ſuum reddiderit, nemo eam in poſterum

Etiam debito peccati originalis libera fuit Deipara.

sterum reformidabit publicè profiteri. Neminem latet, qui Ecclesiam Catholicam nouit, quo zelo & pietate Seraphicus D. Francisci Ordo semper in acie steterit ad Virginis Deiparæ honorem, cum præcipuè qui in quæstione de immaculatâ Conceptione agitur, defendendum; maximè posteaquam Ioannes Duns gentili nomine, quod ei ferè in proprium conuersum est, Scotus, non postrema Ordinis istius gloria, in Vniuersitate Parisiensi ducenta argumenta contra immaculatam Conceptionem obiecta, tantâ memoriæ felicitate, tantâ arguendi subtilitate, tantâ spiritus vehementiâ dissoluit, vt victor certaminis tam vehementer Vniuersitatum omnium tunc Reginam in suam sententiam pertraxerit; vt anno millesimo trecentesimo quadragesimo sexto cum omnibus ordinarijs formulis decreuerit, ne quis in posterum contra immaculatam Conceptionem doceret; decretumque anteà, auctore, vt quidam volunt, B. Alberto Magno; vt alij, ipso S. Bernardo, factum contra immaculatam Conceptionem non minore sapientiâ quàm sinceritate reuocauerit: imò post quadraginta deinde annos statuerit, ne quis Doctoris gradum Parisijs acciperet, nisi iuratus, quòd semper pijssimam de immaculatâ Conceptione sententiam propugnaret. quod deinde Coloniensis & Moguntina Vniuersitates in Germaniâ, Valentina in Hispaniâ, & pleræque deinde Vniuersitates Orthodoxæ sunt imitatæ. Ordinis huius, de quo anteà mentionem faciebam, Patres mense Ianuario anni 1616. Toleti in Hispaniâ theses quasdam proposuerunt; quibus sustinebant D. Virginem non solùm non peccasse in Adam, sed etiam nullum vnquam debitum peccati originalis contraxisse. Quâ in re multos in primis experti aduersarios, id ab ijs acceperunt lucri, vt, delatis ad Inquisitionis rigidissimum tribunal, itemque ad Vniuersitatem Complutensem thesibus, ab vtrisque acceperint plenam earumdem approbationem; quemadmodum testantur acta publica edita 22. Ianuarij eiusdem anni per Ferdinandum de Villegas, Secretarium Senatus regij Madriti, & declarationem Doctorum Vniuersitatis Complutensis, specialiter Doctoris Ludouici de Montesinos, quem Cathedræ primæ istius Vniuersitatis Præfectum ego audiui, verè non tantùm Hispaniæ, sed orbis vniuersi oraculum. Quo examine effectum, vt iam plurimorum in pulpitis & scholis sine omni formidine resonet illa de debito culpæ originalis sententia: quæ cùm neque Scripturæ neque rationi repugnet, & vehementer ad laudem faciat istius Dominæ; ad cuius gloriam cùm omnia conquisiuerimus quæ possumus, nihil adhuc dederimus ex ijs quæ debemus; auidè est amplexanda mancipiis beatæ Virginis: præsertim cùm etiam de eâ dici possit, quod alibi de mancipatu nostro diximus, quòd adeò noua non sit atque apparet, cùm etiam ipsius in antiquitate satis clara inueniamus vestigia; quod aliquando, si otium & valetudinem Virgo concesserit, nos speramus fusiùs ostensuros.

Tutam esse sententiam, quæ Virginem liberat debito peccati originalis.

Affectus ex hoc mysterio eliciendi.

Sodales autem hîc, dum quartum *Aue Maria* recitant, propositum renouabunt vtramque illam sententiam defendendi; tum immensas æterno Patri agent gratias, quòd in singulari isto B. MARIÆ Virginis priuilegio ita honorarit genus humanum, vt, quam nobis Dominam & Reginam daturus erat, eam ab omni puram scelere atque omni peccato intactam præstiterit: reuocabuntque ad memoriam, quo modo 3. Reg. cap. 1. v. 20. accedat ad Dauidem maritum ac dominum suum Bethsabee, atque ei dicat: *Domine mi Rex, in te oculi respiciunt totius Israël, vt indices eis, quis sedere debeat in solio tuo, domine mi Rex, post te. Eritq; cùm dormierit dominus meus Rex cum patribus suis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores.* Quibus verbis ita commotus est Dauid, vt statim iusserit inungi Salomonem filium, vt auerteret ab eo & à matre eius probrum. Imaginabunturque, easdem voces, quas Virginem in isto æternitatis suæ consilio audiebat dicentem Pater cælestis,

lestis, non minùs pectus eius emollijsse, vt ab eâ & à Filio suo omne peccati dedecus auerteret.

CAPVT X.

Secunda pars serti stellati, seu Coronæ minoris duodecim AVE MARIA, *ad Deum Filium.*

SEQVITVR altera Coronæ minoris pars; quam inchoantes per Orationem Dominicam sese ad Deum Filium conuertunt Sodales, humillimas ei reddentes gratias pro omnibus beneficijs quæ ipse in Matrem contulit: quæ profectò magna occurrent ei, qui gloriam non tantùm Matris, sed etiam Filij agi considerauerit in Matre honorificandâ. Nihil ergo omissum fuit eorum quæ requirebantur, ne parcus in parentem suam fuisse videretur, qui poterat, quidquid volebat: vnde certâ ratione sequitur, velle eum debuisse quidquid poterat. nos quatuor inde desumentes, totidem Coronæ MARIANÆ à Filio stellas additas imaginabimur.

Quinta stella, ad quintam Salutationem Angelicam deuotâ contemplatione Coronæ Deiparæ apponenda.

MARIA *Filij Dei Mater.*

Tempore ergo quo primum *Aue Maria* dicitur, in memoriam reuocatur, quid sit actu ipso Matrem esse Dei. De huius priuilegij sublimitate, atque de dignitate maternitatis suprà multa disseruimus: quæ relegenda sunt mancipijs; vt ex eorum consideratione stupor, inde amor, posteà obsequendi studium, & ceteri affectus ordine suo exoriatur in animo. Hic ad deuotionis suauitatem vnicum ex Canticis locum addam, quo Virgo ostendit, quanti hanc dignitatem faciat: ipsa enim amoris Canticum exorsura, in hæc vota prorumpit: *Osculetur me osculo oris sui; quia meliora sunt vbera tua vino.* Quibus sanè verbis, si attentiùs perpendantur, id significare videtur, se maternitatis priuilegium omnibus aliis cælestibus donis præferre. Sic enim illa exponit

Cant. 1. v. 1.

non ignobilis nuptiarum cælestium paranymphus & Canticorum interpres Michaël Gislerius: *Insignis enim est controuersia; quidnam in Virgine præstantius exstiterit, an, quòd plena fuerit gratiâ; an, quòd Mater fuerit Dei.* Et quidem S. Augustinus rem definiuisse visus est, quando lib. de Sanctâ virginitate cap. 3. ait: *Beatior* MARIA *præcipiendo fidem* CHRISTI, *quàm concipiendo carnem* CHRISTI: *nam & dicenti cuidam, Beatus venter qui te portauit; ipse respondit: Quin imò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt. Denique fratribus eius, id est, secundùm carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid profuit ea cognatio? Sic & materna propinquitas nihil* MARIÆ *profuisset, nisi feliciùs* CHRISTVM *corde quàm carne gestasset.* Nihilominùs cùm ab ipsamet B. Virgine hoc loco dicantur meliora vbera & amores Dei, quocumque vino laudis Angelicæ vel humanæ, in contrariam lubentissimè adducor sententiam; vt præstantius illi fuisse iudicem, quòd ita à Deo dilecta fuerit, vt eam pro suâ elegerit Matre, quàm quòd reliquis omnibus gratiarum priuilegijs ab illo fuerit cumulata. Fateor maternitatem Dei, præcisâ gratiâ & sanctitate in ordine ad spiritualia & æterna bona, atque eorum impetrationem, nullius meriti esse apud Deum. Sed hoc nostram non labefactat sententiam: ideò enim illi tanta gratiarum collata est plenitudo, vt esset idonea dignitati Matris Dei. Nimirum vt congruè ac decenter se habeat, immensam quamdam gratiam sibi vindicat, quâ maior nec inueniri, neque esse, neque excogitari possit: vnde si fiat sermo de maternitate Dei, seiunctâ omni gratiâ in ordine ad æterna bona, locum habent S. Augustini verba: *Materna propinquitas nihil* MARIÆ *profuisset, nisi feliciùs* CHRISTVM *corde quàm carne gestasset.* Attamen CHRISTI maternitati omnis ea debebatur gratia; & ideò datum est ei, vt tam feliciter CHRISTVM corde susciperet, quia ipsum erat carne susceptura. Si enim Rex Dauid pro constructione templi tam immensam auri, argenti ceterorumque

Vtrum in Virgine præstantius, quòd plena fuerit gratiâ, an, quòd exstiterit Mater Dei.

Maternitas Dei requirebat omnes gratias.

rumque omnium fecit præparationem, vt cuncti eam legentes mirâ quadam defixi hæreant admiratione; idque eâ solùm consideratione, quòd non homini, qui quantus quantus est, tamen homo mortalis est; sed immortali Deo exædificanda esset habitatio. sic enim ait: *Opus grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* profectò maior summo Regum Regi facienda erat præparatio priuilegiorum gratiarumque admirabilium, cùm vterus Virginis destinaretur in habitationem Deo pariter & homini, ipsaque præpararetur Virgo, vt esset Mater eius in terris, qui Deum habebat Patrem in cælis. Iam si Aristoteli benè statuitur, Omne id, propter quod res quæpiam conditionibus aliquibus prædita sit, ipsum illud magis de ijsdem conditionibus participare: quis negabit, Matrem esse Dei, partumque tam nobilem mundo edidisse, in Virgine MARIA esse præstantius quidpiam, quàm sint omnes gratiæ & priuilegia; cùm omnes illas tantâ copiâ ideò tantùm acceperit, quòd Mater Dei erat futura? Fuit enim dignitas maternitatis, vti suprà probauimus, ratione alterius vnde consurgit termini, valoris infiniti; cùm dona omnia nec fuerint nec esse potuerint infinitæ perfectionis. Quapropter ipsa præclaras illas percipiens laudes, quibus eam salutabat Angelus, *Aue gratiâ plena*, &c. reponit in corde suo: *Osculetur me osculo oris sui.* & rationem addit, *Quia meliora sunt vbera tua vino.* Quæ sic exponit Gislerius: Quamuis, Domine, tuâ benignitate tantis sim cumulata gratiis; quamuis suauissimum mihi sit, quòd tuâ liberalitate & dici merear & sim gratiâ plena; laus tamen ista haud conferenda est cum singulari hoc priuilegio, quo Mater tua constituor: idcircò obsecro te, vt me osculans osculo oris tui, sumas ex me carnem de Spiritu sancto: qui à Patre Filioque procedens, osculum est ab illis personaliter distinctum, quo ambo se vnico æternoque deosculantur amore: quia meliora sunt ista amoris indicia, quibus Mater Dei & dicar & sim, quàm sit vinum cuiuscumque alterius priuilegij, alterius laudis, quantumuis insignis, quantumuis eximiæ. Vino autem comparat illam laudem, quia ea sese conturbatam salubri conturbatione sentiebat; non secùs atque vino conturbantur homines. Vbera verò, per quæ maternitatem Dei significet, cur non sua vocet, cùm de suis ipsa loquatur, sed ipsius, dicens: *Vbera tua*, &c. ideò fit, quia de cælo replenda erant; & vt totam maternitatem ex solâ eius dependere gratiâ significet. Hæc ijs adiungentes, quæ suprà de maternitatis dignitate attulimus, rogabunt, vt dignitatem mancipij, quæ ex immensâ istâ maternitatis diuinæ dignitate resultat, nobis sartam tectam conseruare dignetur, easque impetrare gratias, quæ ad tam sublimem statum sunt necessariæ.

1. Paralip. 29. v. 1.

CAPVT XI.

Sexta stella, ad sextam Salutationem Angelicam deuotâ contemplatione Coronæ Deiparæ apponenda.

MARIA *virginitatis vexillum, prima mortalium, nuncupato ad id voto peculiari, erexit; & virgo ante partum, in partu, & post partum intacta permansit.*

AD secundum *Aue Maria* expenditur, quòd Virgo prima mortalium status virginalis vexillum, nuncupato ad id voto, extulerit, ac virgo intacta ante partum, in partu, & post partum permanserit. Vtcumque distinguamus priuilegia; nihil tamen de Virgine dicimus, in quo non mysterijs mysteria accumulentur. Vide enim quantam hîc mirabilium sobolem producat fecunda virginitas. Occurrit enim admirabilis ista noui ordinis & status virginalis institutio, quem prima mortalium Deipara mundo inuexit: occurrit stupenda rerum pugnantium coniunctio, mater & virgo: occurrit triplicata virginitas, quæ nimirum partum præcessit, quæ eumdem comitata, & quæ deinde secuta est. & in singulis, quàm multa, quàm

Deipara Ordinis virginei fundatrix.

magna, quàm miranda occurrunt mysteria. In primis enim puellulam rem moliri tam arduam, tam inauditam, tam abhorrentem à consuetudine, vt, præter omnem totius mundi opinionem, agnosceret Deo gratam esse virginitatem, eam voto consecraret, speraret se æmulas habituram; quis non admiretur & obstupescat? *O Virgo prudens*, ait S.Bernardus, *ô Virgo deuota, quis te docuit Deo placere virginitatem? quæ lex, quæ institutio, quæ pagina veteris Testamenti vel præcipit, vel consulit, vel hortatur, in carne non carnaliter viuere, & in terris Angelicam ducere vitam?* Stupeant alij admirandos rerum notarum inuentores; venerentur primos Regnorum fundatores, Cyros, Macedones, Cæsares; colant in Euangelij luce Ordinum Religiosorum auctores, Basilios, Augustinos, Benedictos, Franciscos, Dominicos, Ignatios; ego nihil tam nouum, nihil tam arduum, nihil tam inexspectatum, nihil tam latè propagatum inuenio, quàm hanc status virginalis fundationem, cuius se auctorem fecit Virgo Deipara. Nouum fecit in terrâ Domina, vouendo castitatem: quare & Dominus in ipsâ nouum fecit super terram; quod nouum neque terra caperet, neque cælum comprehenderet, vt femina circumdaret virum. Quòd nouum illud prima mortalium ipsa fecerit, vt statum virginitatis, nuncupato ad id peculiari voto, institueret, Sanctorum [a] Augustini, [b] Bernardi, [c] Ruperti, & sexcentorum, tum Patrum, tum Doctorum irrefragabilis est sententia; idque exprimunt admirabilibus illis, quibus eam certatim honorant, epithetis. Sunt enim qui Vexilliferam & Magistram appellant virginitatis: sunt qui Principem & normam virginum: alij honorem, alij primam earumdem dicunt. Sophronius, speculum perfectionis virginalis; S.Ioannes Damascenus, Reginam, Matrem, & gloriam; S.Ildephonsus, exemplar virginitatis; rursum alij florem, alij caput; S.Bernardus, Virginum primiceriam, nuncupant: & tandem vniuersalis Ecclesia, post S. Petrum Chrysologum, Virginem virginum, Reginam virginum, & Virginem per excellentiam eam deprædicat. Et Sponsa ipsa hanc sibi laudem non obscurè sumere videtur Cant.2.v.16. vbi ait: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Quid enim vetat, nos hîc desiderium illud ingens intelligere, quo dilectus ille Virginis Sponsus, qui non pascitur nisi inter lilia, illam desiderauit, semper ad eam conuersus, transiens per omnes decurrentium sæculorum campos, in quibus non pascebatur, quia non inueniebat lilia, quoadusque vmbræ legis antiquæ inclinarentur & deficerent, & aspiraret dies gratiæ, dies legis nouæ? tunc enim inuenit lilium castitatis perfectissimæ, cuius odore suauissimo sic captus est, vt statim Angelum mitteret de cælis, qui illud sibi vni conseruaret. imò non se continuit, quin paradisi cælestis viridaria desereret, liliumque hoc nouum visitaret, atque ex legis veteris agro, in quo natum erat, transferret in Ecclesiæ suæ fertilissimum hortum: vbi tantâ fecunditate cœpit germinare, vt colles & valles omnes impleuerit eiusdem coloris atque odoris liliis. Quod rursus aliâ metaphorâ non iniucundè explicat Sponsa Sponso Cant.1.v.2. *Oleum effusum nomen tuum; ideò adolescentulæ dilexerunt te.* hoc est: Quia tu, ô Sponse mi, simulatque virginitatis meæ lilium iam floruisse contemplatus es, tanto eius amore captus fuisti, vt temetipsum in illud tamquam rorem effunderes; rorem, inquam, eâ gratiarum cælestium delibutum pinguedine, vt olei adinstar fecundissimi vndique illud irrigares: *ideò adolescentulæ dilexerunt te*; cœperunt scilicet nouæ liliorum stirpes pullulare, & adolescentulæ cœperunt ad castissima tua connubia aspirare; itaque virginitatis hortus vndique excoli cœpit, & immensæ virginum prodire cateruæ. & vbique *flores apparuerunt in terrâ nostrâ*, reginæque rosæ & florum lilia reges; lilia candore puritatis suæ micantia, rosæ purpureo verecundiæ murice rutilantes. Est enim non lilium tantùm,

Homil.3. super Missus.

[a] Libr. de S.Virginit. Tom.6.
[b] Serm. Signum magnum.
[c] Libr.3. in Cant.

Amor & connubium Sponsi virginitatem MARIAE fecit in tot virgines pullulare.

Cant.2. v.12.

Rosa castitatis symbolum.

tantùm; sed etiam rosa; virginitatis symbolum; tùm propter colorem istum ostro quolibet pretiosiorem; tum etiam; quòd virginitas sit inter alios status quod rosa inter ceteros flores; nimirum *florum pyropus*, *hortorum purpura*, *odorum sapphirus*; *Aprilis oculus*, *veris phœnix*, *naturæ pompa*, vt ait Arator; vel, vt Sappho apud Achillem Tatium lib. 2. de Leucippe eam indigetat, *florum regina*, *terræ ornamentum*, *plantarum decus*, *oculus florum*, *prati rubor*, *pulchritudo*, *coruscus terræ risus*. Et statim *tempus putationis* (non quâ corporis pars aliqua circumcideretur, sed noxiæ omnes malarum cupiditatum herbæ amputarentur) *aduenit*: & *vox turturis audita est*. per quam prædicationem castitatis intelligunt [a] S. Ambrosius, [b] Hieronymus, [c] Augustinus, & alij. Nec enim soli commendant turturem gemitus, ait S. Bernardus Sermone 59. commendat & castitas. huius denique meritò digna fuit dari hostia pro Virgineo partu: sic quippe habes, *Par turturum, aut duos pullos columbarum*. Et licet aliàs quidem per columbam Spiritus sanctus soleat designari; tamen quia libidinosa auis est; non decuit eam offerri in sacrificium Domino, nisi eâ sanè ætate, quâ nesciret libidinem: at turturis non designatur ætas, quoniam agnoscitur castitas in quacumque ætate. Neque etiam in principio vox ista in terris audita fuit, sed magis illa: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*. Túnc voci illi tempus fuisse tunc dicas, cùm maledictioni omnis subiacebat sterilis in Israël? cùm Patriarchæ ipsi simul plures haberent vxores? cùm frater fratris absque liberis defuncti semen suscitare ex lege compellebatur? At vbi insonuit ex ore cælestis turturis commendatio illa spadonum, *qui se castrauerunt propter regnum* Dei, & castissimæ turturis alterius consilium de virginibus vbique inualuit; tunc dici primùm veraciter potuit, quia vox turturis audita est in terrâ nostrâ. Sed omnium prima fuit vox turturis illius, quæ voce tam liberâ dicebat Angelo, simulatque fecunditatis mentionem audiebat: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quâ voce mundo vniuerso satis indicauit, quàm firmiter iam apud se statuisset, & Deo vouisset; nullâ prorsus occasione virginitatis iacturam facere, cuius tot sperabat imitatores; vt mundum consereret castissimis virginum plantis; & cælo inferret agmina, quæ sequerentur Agnum quocumque iret. Sed de hoc Ordine instituto à Dominâ nostrâ paulò agendum fusiùs.

[a] Serm 6. in Psal. 118.
[b] Lib. 1. contra Iouinianum.
[c] Lib. 50. Homil. Homil. 33. Tom. 10.

Lucæ 2. v. 24.

Genes. 9. v. 1.

Matth. 19. v. 12.

Lucæ 1. v. 34.

CAPVT XII.

Laudes Ordinis virginei à B. MARIA *Virgine primùm instituti.*

Si quis fundatorem Ordinis alicuius aut conditorem Reipublicæ laudandum susceperit; magnam orationis partem in Republicâ aut Ordine dilaudando ponit; quòd eò augustiorem putet auditorum animis se iniecturum speciem auctoris, quò opus ipsius laudabilius produxerit. Sic Romulum Roma; Lycurgum & Solonem Lacedæmon atque Athenæ semper commendant: sic in sanctioribus nostris institutis Augustinos, Benedictos, Franciscos, Dominicos, Ignatios, præclarè fundati ab illis Religiosi Ordines vbique deprædicant; & in eorum auctorum laudem florent, quorum institutis viuunt & virtute animantur. Sic Domino nostro IESV CHRISTO, licet aliùnde maior, ex legis tamen, quam instituit & sanguine suo fundauit, perfectione non minima resultat gloria: nemo enim prudenti consideratione in ipsius principia & incrementa, in sanctitatem & perfectionem, in honestatem & gloriam tendet, qui non statim exclamabit, *Digitus Dei est hic*; fatebiturque, auctorem suum tam apertè loqui opus illud, vt dubitari non possit, quin diuinitatis ille particeps fuerit, qui rem tam magnam, tam sanctam, tam ab omni hominum cogitatione alienam molitus fuerit. Filium autem suum Mater in omnibus præclarè gestis ita proximè sequitur, vt, cùm omnia ab illo, tamquam bonorum cunctorum auctore, procedant;

Exod. 8. v. 19.

gloriam tamen factorum ita cum Matre communicet,vt ferè, quod quoquo in opere est præcipuum, illi peculiari quadam ratione adscribatur. Id quàm in omnibus misericordiæ eius operibus, in regimine Ecclesiæ, in generis humani redemptione clarè pateat,alibi ostendimus; nunc idem in fundatione Ecclesiæ animaduertamus. nam si eam veluti hortum plantauit cælestis Agricola; rosas & lilia virginitatis, præcipua hortorum ornamenta,ibi reperiri, MARIÆ est gloria: si muniuit vt castrum, murum & antemurale construxit MARIA, sepiens illud internâ externâque munditiâ: si ædificauit eam sibi in Sponsam, omnia membra eâ ad inuicem proportione dimetiens, eâ humoris temperie componens, eâ colorum suauitate perfundens, vt esset sine maculâ & rugâ, tota pulchra & decora; genas, præcipuam venustatis sedem, in eâ conformauit MARIA tam admirabili pulchritudine conspicuas, tam illustri virginitatis candore nitentes, tam flagranti pudicitiæ ostro incensas, vt Sponsum hac præcipuè corporis parte rapiat in admirationem. Postquam enim Cant. 1. totam eius simul hausisset pulchritudinem, & equitatui suo in curribus Pharaonis assimilasset eam; primum, ad quod peculiariter laudandum descendit, genæ sunt, raptus earum præ ceteris membris decore: *Pulchræ*,inquit, *sunt genæ tuæ sicut turturis.* & rursum c.4.v.3.*Sicut fragmen mali punici,ita genæ tuæ,absque eo quod intrinsecus latet.* Quâ turturis & mali punici comparatione indicat, non aliud se per genas intelligere, quàm virginum in Ecclesiâ ordinem; cuius iam diximus Virginem MARIAM esse primam fundatricem. Nam inter omnia animalium genera nullum est, in quo magis quàm in turture excellens conspicitur pudicitia: passim namque omnium ore fertur,eas præter vnum coniugem nullum admittere alium per totum vitæ spatium; & si is diem obierit, perpetuam seruare viduitatem: symbolum earum de quibus dicit Apostolus: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere* CHRISTO. vt nullum præter eum amatorem admittant. Quamuis enim alliciant dæmones suggestionibus vehementissimis, solicitet mundus multiplici rerum terrenarum pulchritudine, attrahat inimica caro prædulci illecebrarum escâ, numquam dicent eæ quæ verè virgines sunt; *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum*; sed inter tentationes istas solicitâ prece anxiæ clamant ad Sponsum: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Hæc de turture. De fragmine autem mali punici, quàm id cum virginitate consentiat, tum dicam, cùm priùs genas Ecclesiæ virginitatem esse ostendero; atque ex laude, quæ inde virginitati conuenit, B.MARIÆ Virginis, quod institueram, encomia celebrauero. Nam qui vel in sacris Litteris animaduerterit vocem *Hahalmach*,quæ Isaiæ 7. v.14.habetur, quando dicitur, *Ecce virgo concipiet*, non simpliciter significare virginē, sed virginem absconditam; vel in Tertulliano legerit lib. de Velandis virg. *Omnis publicatio virginis bonæ, stupri passio est*; mirabitur, quid genis, in patentissimâ corporis parte oculis omnium expositis, & virginitati, cuius conseruari latere est, possit esse commercij. De latendi studio mox satisfaciam ex verbis à Sponso allatis, iam virginei status à MARIA Virgine instituti cum genis triplicem assignabo comparationem. Atque in primis, genæ in sublimi corporis parte constitutæ capiti ita coniunctæ sunt, vt omnem eius motum sequantur; nec possit quispiam caput vllam in partem commouere, quin genas eôdem conuertat. Et virginum chorus numquid in sublimissimo Ecclesiæ loco ita constitutus est, vt nullus sit capiti propinquior? Audi S.Augustinum de ipso loquentem lib.4. de Doctrinâ Christianâ cap.21. *Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles laudis & honoris, opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens*

Genæ in Ecclesiâ sunt virgines.

2.Cor.11. v.2.

Osee 2. v.5.

Cant.1. v.6.

Triplex genarum & status virginei comparatio.

respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis CHRISTI: *gaudet per ipsas, atque in ipsis largiter floret sanctæ Matris Ecclesiæ gloriosa fecunditas; quantoq́; plus gloriosa virginitas numero suo addit, tantò plus gaudium matris augescit.* Et S. Ioannes, propter virginitatem vnicè dilectus, non alibi virgines conspexit quàm in loco eminentiori, supra omnem mundanæ fabricæ æquè ac virtutis communis altitudinem eleuato. *Vidi*, inquit, *& ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia.* Benè, inquit S. Gregorius lib. 5. in lib. Regum, cap. 3. *in sublimi esse virgines dicuntur, quia quod naturam humanam supergreditur, in altissimo virtutum culmine situm est. Vnde & virgo ille dilectus* IESV, *locum virginum insinuans, ait: Vidi supra montem Sion Agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia: hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt. In monte quidem esse cum Agno dicuntur, quia per meritum incorruptionis, quo à terrenis & carnalibus delectationibus se diuidunt, in sempiternâ Redemptoris gloriâ sublimantur.* Non est quòd extollam verbis diutiùs hanc castitatis sublimitatem & excellentiam, cùm S. Ambrosius lib. 1. de Virg. dicat: *E cælo accersiuit, quod imitaretur in terris. Hæc nubes, aëra, Angelos, sideraq́; transgrediens, Verbum Dei in ipso sinu Patris inuenit.* Vt capiti genæ istæ essent insertæ, & motum eius omnem sequerentur, hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Vnde consequitur, ordinem eumdem esse ordinum omnium sanctissimum: quod aliquot Patrum pulcherrimis, neque ita passim obuijs, inculcandum sententijs. Nam S. Aldhelmus, Occidentalium Saxonum Episcopus, sub annum Domini 680. Tom. 3. Bibliothecæ SS. Patrum, in libello de Laudibus virginitatis cap. 9. *Cùm tres*, inquit, *sint status in Ecclesiâ, virginitas, cælibatus, coniugium; ex reuelatione Angelicâ didicimus, si meritorum ratio habenda est, eum has inter virtutes constituendum esse ordinem, vt sit virginitas aurum, cælibatus argentum, coniugium æramentum; virginitas diuitiæ, cælibatus mediocritas, coniugium paupertas; virginitas libertas, cælibatus redemptio, coniugium captiuitas; virginitas sol, cælibatus lucerna, coniugium tenebræ; virginitas regina, cælibatus dominus, iugalitas ancilla.* Sulpitius autem Dialog. 2. cap. 11. ita refert: *Sanctus Martinus videns pratum, cuius vnam partem boues depauerant; secundam porci suffoderant, tertiam illæsam, quæ diuersis floribus quasi picta vernabat, dixit: Prima pars speciem gerit coniugij, quæ à pecore depasta, etsi non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem: secunda, quam porci pecora immunda foderunt, fornicationis fœdam imaginem prætendit: tertia, quæ nullam sensit iniuriam, gloriam virginitatis ostendit; vnde herbis fecunda luxuriat, fœni in eâ fructus exuberat, & vltra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat.* S. Athanasius libr. de Virginitate sub finem: *O virginitas opulentia indeficiens, corona immarcescibilis, templum Dei, domicilium Spiritus sancti, margarita pretiosa, mortis & inferni profligatrix, Angelorum vita, corona Sanctorum*, &c. Tertullianus lib. de Pudicitiâ: *Pudicitia*, inquit, *flos morum, honor corporum, decor sexuum, fundamentum sanctitatis, præiudicium omnis bonæ mentis; quamquam rara vixq́; perpetua, tamen aliquatenus in sæculo morabitur, si disciplina persuaserit, si censura compresserit.* Denique S. Ioannes Chrysostomus lib. de Virgin. cap. 11. *Virginitas*, ait, *tantò nuptijs præstat, quantò cælum terra, quantò hominibus Angeli antecellunt.* Altera genarum & virginum similitudo in eo consistit; quòd, sicuti ex illarum contemplatione dignoscitur, qualis sit, masculus an femina, vir aut puer, modestus, verecundus homo, an contrà: est enim tamquam in imagine, ita in vultu & facie descripta anima vniuscuiusque; *& ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* ita si quis de vniuersâ Ecclesiâ iudicium facere cupiat, & ex parte aliquâ de toto eius ingenio & indole coniectare, ex virginum id maximè statu & ordine

Apoc. 14. v. 1.

Encomia virginitatis.

Virginum chorus indicat qualis sit Ecclesia.

Eccli 19. v. 26.

dine faciet: nam cùm illæ sint CHRISTI sponsæ, dubium non est, quin illa quæ eminentiori ratione & quasi primariò hoc nomen accepit, munda sit & virgo; & talis, qualem eam fecisse CHRISTVM testatur Apostolus ad Ephes. 5. v. 25. CHRISTVS, inquit, *dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ; vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.* Et CHRISTVS ipse testatur: *Simile erit regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiàm sponso & sponsæ.* Quam parabolam S. Gregorius Homil. 12. in Euangel. de Ecclesiâ præsentis sæculi sumendam affirmat: imò S. Athanasius lib. de Virgin. docet, virginitatem esse *notam veræ Ecclesiæ*: nam vera religio virginitatem & cælibatum suadet, complectitur, extollit; infidelitas & hæresis dissuadet, abijcit, deprimit. & in Apolog. ad Constantium Imperatorem: *Nusquam alibi*, inquit, *sanctum illud & cæleste æternæ virginitatis mandatum feliciter adimpletur, nisi dumtaxat apud Christianos.* Et de Ethnicis S. Ambrosius libro de Viduis: *Illi*, inquit, *qui deorum suorum adulteria & probra venerantur, calibatus & viduitatis statuerunt pœnas, vt æmuli criminum mulctarent studia virtutum.*

Matth. 25. v. 1.

Genæ tantùm faciunt ad faciei ornamentum, vt virgines ad decus Ecclesiæ.

Venio ad tertiam genarum & virginum analogiam, quæ probat, ideò maximè virgines Ecclesiæ sanctæ corpore suo inseruire, vt eam exornent, eique sint honori & venustati, vti genæ sunt faciei. Percurre enim ceteras capitis partes; habent eæ quidem suam ad inuicem proportionem, coloris suauitatem, ceterasque conditiones, quibus ad decus totius suum quæque conferant symbolum; sunt tamen ad alium quemdam vsum à naturâ concessæ, & ad munus quoddam obeundum per se primò ordinantur: autes quidem, vt auditus sint instrumentum; frons, vt per illam tutò iter habeant spiritus & species, & duritiâ ipsius defendantur sensuum nerui, per quos spiritus illi speciesque deue-huntur: etenim subter ipsam frontem, vt physiologis nostris placet, in primâ cellulâ cerebri est sensus communis; à quo, tamquam à fonte & radice, vniuersæ deriuantur sensationes, omnesque nerui qui descendunt ad organa sensuum externorum. Oculorum munus certum est, sicuti superciliorum & palpebrarum, quæ eos tuentur. Nasus olfactus, os locutionis est organum, item & comestionis; cui præterea dentes & mandibulæ deseruiunt. Solæ sunt genæ, quæ nulli operi aut sensationi particulari sunt destinatæ; ad hoc solùm ab auctore naturæ conditæ, vt faciei vacuum locum implerent, eiusque ornatui deseruirent, vtque in ipsis præcipuè decor & venustas faciei conspiceretur; quamquam etiam internæ venustatis & probitatis, quæ latet in animo, indices sint haudquaquam mendaces, iuxta illud Sapientis: *In facie prudentis lucet sapientia.* Quis non videat in hisce virginitatis quasi expressam imaginem? cùm enim ceteræ virtutes in actione quadam præcipuè consistant, vt liberalitas in erogandis opibus, fortitudo in patrandis operibus heroicis, prudentia in capiendis & dandis consilijs, mortificatio in castigando corpore, virtutes aliæ in alijs operibus; nihil horum per sese spectat virginitas, cùm non tam in patrandis miris consistat operibus, quàm in resistendo peruersis animi corporisque motibus. Seruit ergo præcipuè Ecclesiæ ornatui, quam zelus animarum propagat, misericordia vestit atque sustentat, fortitudo defendit, castitas autem exornat. Quonam, inquies, ornamento? angelico vno, altero diuino. de priore scriptum est: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Super quæ S. Ambrosius libr. 1. de Virginibus: *Quod nobis promittitur, vobis præstò est, nostrorumque votorum vsus apud vos est: de hoc mundo estis, & non estis in hoc mundo: sæculum vos habere meruit, tenere non potuit. en decor Angelicus, en decus futuri sæculi.* Et Nazianzenus virginitatem vocat *Angelicæ gloriæ amulam.* Et rursum S. Ambrosius: *Castitas Angelos*

Prou. 17. v. 24.

Castitas ornat Ecclesiam decore angelico.

Matth. 22. v. 30.

Angelos fecit; qui eam seruauit, Angelus est. Sanctus Augustinus lib. de Virg. c. 23. *Virginalis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio.* S. Cyprianus lib. de Discipl. virgin. *Cùm castæ perseueratis & virgines, Angelis Dei estis æquales.* Et tandem S. Bernardus Epist. 52. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum: *Castitas Angelum de homine facit. Differunt quidem inter se homo pudicus, & Angelus, sed felicitate, non virtute: etsi illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat.* Et quis non existimet ita piè contemplatam fuisse Virginem MARIAM in illâ ordinis virginei admirabili institutione: Fortè Messias in terras venturus, qui in cælis Angelorum stipatur obsequijs, ideò humilem nostram conuersationem dedignatur, diutiusque differt aduentum suum, quòd Angelorum sit ægrè cariturus obsequio & puritate: faciam igitur vt Angelos habeat in terris, qui ei casto famulentur mancipatu. Videtur hæc pia Virginis contemplatio etiam S. Bernardo suboluisse, cùm incarnationis annuntiationem ei factam virginitati adscribat Sermone de Annuntiatione: *Iniungitur noua legatio Angelo Gabrieli; & nouâ Virgo professa virtutem, noua salutationis honoratur obsequio.* vbi professionis verbum non incongruè trahes ad publicam virginalis status institutionem. Et S. Birgitta lib. 1. cap. 50. interpositâ eâ, quam Deo debebat, fide, testatur se audiuisse Seruatorem Matri suæ in hanc sententiam loquentem: *Tu es quasi aurora procedens cum serenitate. Tu attraxisti ad te serenitate tuâ Solem verum, id est Deitatem meam.* & posteà: *In veritate meâ dico, quòd puritas tua, quæ mihi super omnes Angelos placuit, traxit Deitatem meam in te.*

Ornamentum diuinum est à castitate Ecclesiæ Dei.

De ornamento diuino, quod Ecclesiæ præstat status virgineus, iam ex S. Cypriano suprà diximus lib. de Disciplinâ & habitu virg. vbi ait: *Hinc nobis ad virgines sermo est; quarum quò sublimior gloria, maior & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles laudis & honoris, opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini.* Nec leuiter hæc tanta virginum dignitas fundata à nobis adfertur: sic enim apud Prophetam Isaiam cap. 56. v. 4. ipse promittit Dominus: *Hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum; dabo eis in domo meâ & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Sententia, quæ licet à SS. [a] Ambrosio, [b] Augustino, [c] Hieronymo non explicaretur de virginibus, tam apertè de ijs agit; vt, postquam ex Euangelio didicimus esse eunuchos qui se ipsos castrauerunt, vix possimus aliò cogitationem in eius quærendâ explicatione conuertere. Quis autem locus iste tam illustris in domo Dei? quodnam nomen illud tam sublime? locus profectò alius esse non potest quàm genarum, quò vnà cum sponso suo eleuatas ostendit virgines: felicitas quæ nec filijs obtigit, nec filiabus. De nomine autem sempiterno etiam dubium esse non potest, cùm Scriptura dicat Apocal. 14. quòd virgines habeant nomen Agni, & nomen Patris eius, scriptum in frontibus suis. In quem locum Hugo Cardinalis: *Habent,* inquit, *virgines nomen Dei scriptum in frontibus, quia eodem nomine appellantur quo Deus: vocantur enim Dij.* Sic enim iudicibus ait Deus: *Ego dixi: Dij estis, & filij Excelsi omnes.* multò magis id ipsum dicet virginibus, ob nescio quid diuini superantis naturam humanam, quod in illis conspicitur; vel quia summi Regis sponsæ, quæ ijsdem insignibus, eodem nomine, iisdem titulis cum Regibus sponsisque suis decorantur, atque ita dicantur palàm habere nomen Agni vt sponsæ, & nomen Patris vt filiæ, scriptum in frontibus suis; quia scilicet palàm profitentur virginitatem, & gloriantur in eo, quòd Sponsum habeant Agnum.

[a] Lib. de Instit. virg. cap. 6.
[b] Libr. de S. Virginit. cap. 24.
[c] Libro 1. contra Iouinianum.

Virgines habet idem nomen quod Deus.

In cap. 14. Apocal.

Psalm. 81. v. 6.

Symbolum huius gloriæ erat ista dignitas, nulli præterquam summo Sacerdoti concessa; de quâ Eccli. 45. v. 14. *Corona aurea super mitram eius*, scilicet Aaron, *expressa signo sanctitatis, & gloriâ honoris: opus virtutis, & desideria oculorum ornata.* Magnum legis istius ornamentum erat ornatus summi Sacerdotis, tam accuratè à Deo præscriptus; sed maius sunt ornamentum Ecclesiæ tot Pontifices quot virgines, maiore decore ornatæ quàm summi Sacerdotes: nam si ille gerebat laminam illam, quæ fronti imponebatur, Exod. 29. quæ ideò dicitur diadema & corona sanctitatis, quòd in illâ, tamquam in sigillo, insculptum erat signum sanctitatis & summæ gloriæ, id est, nomen Dei sanctissimum & gloriosissimum; certè nobiliorem coronam gestant virgines, quæ cum laureolâ virginitatis in cælo commutabitur; quæ non solùm expressa est signo sanctitatis, sed ipsamet est non infima pars solidæ sinceræq; sanctitatis; *& gloria honoris*, vt iam ostendimus, non tantùm angelici, sed etiam diuini. *Opus virtutis:* nam *inter omnia Christianorum certamina, sola duriora sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria; grauem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, & tamen timetur. Et desideria oculorum*, non incongruum (si eò restringere velimus) sexus mollioris & illecebrosi epithetum; sed *ornata* decore pudicitiæ, per quam omnibus se casto amore reddunt amabiles. aut *desideria oculorum*, continentia scilicet: quam cùm scirent non posse obtineri, nisi Dominus dederit, semper oculos habebant ad illum, vnam petentes à Domino castitatem: quæ oculorum desideria ornata sunt ipso scilicet dono, quod petebant, castitatis. Iam si summo Pontifici soli licebat in templi adyta penetrare, vt ibi familiariùs cum Deo ageret; solis virginibus licet diuinitatis adire penetralia, vt ibi Sponsum suum attentiùs contemplentur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Si Pontifex erat sacerdotum ipsorum & interdum populi Princeps; spiritum principalem habent virgines, quem Dauid à Regio castitatis gradu per adulterium delapsus, tam obnixè rogat sibi à Domino restitui; Psal. 50. v. 14. *Spiritu principali confirma me.* Hebr. est *nedaba*, hoc est, principe; qui princeps est, decetque Regem & Principem. quasi dicat: Spiritum castitatis quasi principem, quem adulterio perdidi, mihi restitue, eoque me confirma; vt rursus Regem & Principem referam & repræsentem. Gloriosissimus est ergo virginitatis ordo, quem prima Virgo Deipara in Ecclesiâ constituit, conferens mystico eius corpori decorem & pulchritudinem, qualem genæ addunt faciei in corpore humano; sed decorem, vti docuimus, planè regium, angelicum & diuinum; vnde etiam, veluti ex genis homo, ita ex virginibus Ecclesia cognosci possit, qualis sit, virgo nimirum sine maculâ & rugâ: est enim conspicuo status ille loco in Ecclesiâ constitutus, iuxta CHRISTVM caput eius; aut CHRISTO capiti ipsi per spirituale matrimonium ita insitus, vt vix ab eo distinguatur: ac proinde in omnium incurrit oculos, primusque occurrit de Ecclesiâ iudicare cupienti.

Virginum & summi Pontificis comparatio.

Matth. 5. v. 8.

Verbum deinde addit Sponsus, quod non videtur negligendum, cùm cedat in status virginei commendationem non vulgarem: *Absque eo*, ait, *quod intrinsecus latet.* Vbi innuit genis istis Ecclesiæ, seu statui virginum, occultam quamdam inesse gratiam, quæ non ita statim incurrat in oculos, aut certè quæ vix vllâ comparatione rei alicuius externæ possit explicari: nam elucet in genis eximia quædam & illecebrosa venustas, quæ maiorem vim habet ad captiuandos animos, quàm pulchritudo reliquorum membrorum. hanc exprimit S. Ioannes comparatione primitiarum in Apocal. 14. v. 4. *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno.* Nam primitiæ eam in se continebant vim, vt, cùm aliquid frugum Deo oblatum fuisset, quamuis exiguum illud esset, Dominum inducerent, ac quodammodò compellerent, vt fructus frugesque omnes benediceret, & arbores agrosque vniuersos fecundos redderet, quod

Cant. 4. v. 3.

Virginum preces potentes apud Deum.

Virgines sunt primitiæ.

quod Sapiens indicat Prouerb. 3. v. 9. *Honora Dominum de tuâ substantiâ, & de primitijs omnium frugum tuarum da ei; & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Ita in sanctis virginibus ea latet occulta vis, vt quàm primùm diuino oblatæ sunt conspectui, vim quodammodò illi inferant, vt fidelibus reliquis benedicat, hominibusque, ex quibus emptæ sunt, abundanter ac liberaliter beneficia conferat: habent enim preces virginum tantam ex pudore & pudicitiâ vim, vt negare non velit ijs Deus, quando seriò aliquid efflagitant. Quod indicat Siracides non obscurè in Ecclesiastico 32. v. 14. *Ante tonitruum*, ait (sic enim Græca habent originalia, vbi nos legimus, *ante grandinem*) *præibit coruscatio, & ante verecundiam præibit gratia; & pro reuerentiâ accedet tibi bona gratia. Ante tonitruum*, id est, ante preces virginum. sic enim illæ vocantur Apoc. 14. v. 2. *Et audiui vocem de cælo, tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam vocem tonitrui magni. Præibit coruscatio*, id est, præcedet coruscans pudoris erubescentia, quæ instar fulguris per calefacta currit ora: & *ante* istam *verecundiam præibit gratia*; illa scilicet, quæ in occulto latens, humilitatis gratia eiaculatur illas verecundiæ fulgurationes, quibus sese offerentes sponso erubescunt gratiosissimè. vnde fit, vt tonitrua orationum, quas in cælum eiaculantur, penetrent ipsas nubes, easque diffringant, vt perueniant ad aures Altissimi, qui statim largitur illis pluuiam salutarem lacrymarum omnia latè cælestibus fructibus fecundantem. Et *pro* istâ *reuerentiâ* humilium precationum *accedet bona gratia* reliquis omnibus optabilior; nimirum istius humilitatis castitatisque argumentum, in quo ipsæ maximam suam ponunt & gratiam & gloriam. Locus hic erit Sodalibus multiplices excitandi erga Dominam suam affectus: admirationis, quòd ipsa rem tam nouam, tam arduam, atque erat virginitatis prima institutio, molita sit: deinde congratulationis, quòd tantâ suâ gloriâ, tanto Ecclesiæ bono

Affectus hic excitandi.

perfecerit: tertiò, gratitudinis & amoris, ob tantum generi nostro collatum beneficium: spei denique ac deprecationis, vt dignetur ad nos humilia sua mancipia aliquem tam sublimis instituti fructum deriuare. Quod fiet, si præscriptas huic suo virginum ordini regulas pro status nostri conditione conemur obseruare; quas, vt quisque sibi accommodet, Capite consequente breuiter enarrabo.

CAPVT XIII.

Leges & regulæ virginum.

SVMMA Religiosi Ordinis laus est, si eum Fundator ipsius istis regulis & legibus stabilierit, quarum obseruatione certò possint & facile ad propositum finem peruenire ij qui sese in eo diuinæ Maiestati consecrauerint. Fundatoris autem non in eo maxima consistit gloria, quòd spiritu diuino afflatus, prudenter omnia quæ suis agenda sunt, præscripserit; sed quòd mores suos & vitam vniuersam viuum spiransque præscriptorum exemplar posuerit: ita vt, licet nulla composita exstaret regularum formula, vita ipsa Fundatoris omnes Religiosos ad eam viuendi rationem formaret, quam etiam habent legibus salutaribus expressam. Id cùm nemo perfectiùs præstiterit, quàm virginei Ordinis Fundatrix Virgo Deipara, non alibi quàm in vitâ eius quærendæ sunt nobis virginitatis regulæ; quas Spiritus sanctus omnes ita egregiè expressit in Canticis, vt versu breuissimo & fundatricem virginum laudibus amplissimis extulerit, & virginitatem eius æmulari cupientibus, vitæ normam paucis comprehensam legibus tamquam Deiparæ amanuensis proposuerit. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tua, absque eo quod intrinsecus latet*, dicit Cantic. 4. v. 3. En carmen non multis conceptum verbis, sed multis conferrum laudibus Virginis Deiparæ: en frustulum mali punici; quod si prudentis exceptum manibus considerationis, ingeratur in feruentis stomachum voluntatis, antidotum erit aduersus istud

Summarium regularum.

omnium malorum venenum, quod, nimis auide comedendo vnicum malum, nobis omnibus afflauit prima viuentium mater. *Sicut fragmen*, inquit, *mali punici, ita gena tua:* sponsam suam alloquens; non vnam, sed triplicem: nam vel ad Virginem Matrem suum sermonem conuertit; & insignis virginitatis eius laus est: vel ad Ecclesiam, emptam sibi pretioso sanguine sponsam; & status virginei, primùm à Matre instituti, perfecta lex est: vel denique ad animam quamlibet fidelem, Baptismatis Sacramento sibi desponsatam; & vehemens ad conseruandam virginitatem exhortatio est. Nos præcepta enucleantes, laudem Fundatricis, quæ ea ipsa perfectiùs quàm dici potest obseruauit, tacitis Sodalium cogitationibus permittemus; & exhortationem non aliter, quàm eorumdem præceptorum perfectionem proponendo, adhibebimus. *Sicut fragmen*, inquit, *mali punici, ita gena tua* erant, ô Virgo Deipara, & tuæ esse debent, ô Ecclesia, vel anima Christiana. Per genas virginitatem intelligi, iam superiore Capite probauimus: debet autem illa esse, vt hic iam explicaturi sumus, sicut fragmen mali punici. in quo quintuplicem licet animaduertere cum genis sponsæ similitudinem, & quintuplicem ex genis ad virginitatem trahere legem: nam tanta malis & genis inter sese similitudo est, vt Græce ne quidem nomine distinguantur: vnde & Latinè malarum persistit vocabulum. Primò ergo fragmen mali punici, sicut & genæ mulierum, maximè speciosarum, pinguedinis quamdam habent in parte superiore eleuationem: secundò, in parte inferiore deprimuntur: tertiò, colore præditæ sunt subuiridi, seu subfusco: quartò, sparsum habent circa medium colorem rubrum ac roseum: quintò, lenes sunt ac læues, sine tubere, asperitate aut inæqualitate. En, virgines, legem vestram quinque capitibus absolutam, absque eo quod intrinsecus latet; quod binas prætereà suppeditabit regulas, vt earum numerum cum Agni cornibus, quem sequimini; & Spiritus sancti donis, quibus dotamini, æquemus.

Prima regula, cælestium contemplatio.

Prima ergo punicorum & genarum conditio est, quòd in parte superiori eleuentur, ac pinguiusculæ sint: regula & lex prima virginibus, quòd ad superna debeant esse eleuatiores, indeque haurire omnem pinguedinis succum. Apostolus hoc ijs præscripsit 1.Cor.7. v.34. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. Virgo*, inquit Oecumen. *corpore sancta est, propter castitatem; spiritu autem sancta est, propter familiaritatem cum Deo, & Spiritus sancti inhabitationem.* Si enim Sponsum habeat in cælis, nusquam libentiùs quàm cum Sponso conuersabitur, & dulcibus eius colloquijs, consolationibus, fauoribus impinguabitur, sæpiùs cum Psalmistâ aspirans: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* (Psal.62. v.6.) Licet enim *solicitè meditetur & curet*, vt Græca habent, *quæ Domini sunt*; non tamen est illa cor vrens atque exedens cura, sed pascens & reficiens meditatio. Breuiter ergo sit prima virginum à B. MARIA Virgine dictata & accuratissimè obseruata regula:

Quantum virginitas curæ est, tantum oratio sit in delicijs.

Secunda, terrenorum despicientia.

Altera mali punici & genarum similitudo est, quæ necessariò ex primâ sequitur; vt in parte inferiore sint depressiores, vt sciant virgines, ex primâ regulâ sequi hanc alteram:

Quæ virginitatem colit, terrena despiciat.

In humilitate ergo perfecta virgo se deprimat, terrena despiciat, nec quidquam de corruptibili hoc mundo cogitet, sæcularia omnia contemnens: nam *quæ sæcularium curam habet, neque virgo est, neque honesta*, dicit S. Chrysostomus Hom.19. in 1.ad Corinth. c.7. Faciliùs enim recto obtutu oculorum vnum in cælum direxeris, alterum in terram, quàm, virginitate permanente, cor diuidas amando terrena, & simul aspirando ad cælestia.

Tertia, vestium modestia.

Tertium, quod in genis & malo punico aduertimus, est color subuiridis atque subfuscus, non turpis aut ater; sed

ſed neque candidus, aut nimiùm ruber. quod talem nobis ſuppeditat virginum regulam:

Habitus virginum neque vanitatem ſapiat, neque virtutem aut Sponſum dedeceat.

Nam & Poſthumia Romana, vna de Veſtalibus, ideò infamiam ſuſtinuit, inceſtuſque inſimulata eſt publicè, quòd mundiori extrinſecus vteretur cultu, vt à Liuio refertur lib. 4. Nec minùs ſeuero iudicio S. Cyprianus omnes in vnâ damnat, quas nimius ornatus accuſat, de Diſcipl. & habitu virg. cap. 5. *Redarguit te* (inquit ad virginem nimis comptam) *cultus improbus, & impudicus ornatus; nec computari iam potes inter puellas ac virgines* CHRISTI, *qua ſic viuis, vt poſſis adamari.* Superiùs cap. 3. poſuerat regulam, dicendo: *Virgo non eſſe tantùm, ſed & intelligi debet & credi; vt nemo, cùm virginem viderit, dubitet an virgo ſit: parem ſe integritas in omnibus præſtet, nec bonum corporis cultus infamet.* Hæc contra ornatum virginum. Nec minùs acria poſſent de ſordibus pronuntiari iudicia: talis enim eligendus virgini ornatus, qualis eam deceat quæ CHRISTO ſoli placere ſtudet in munditiâ & ſanctitate corporis atque ſpiritus: tam enim ſordes in veſtitu animi ſignificant neglectum & incuriam, quàm pompa vanitatem.

quarta, pudor & erubeſcentia. Quarta mali & genarum analogia, eſt rubor ſubuiridi aut ſubfuſco colori ita munitus, vt iſte huius flammâ accendatur, & rubor illius quaſi vmbrâ temperetur. Vbi notandum, ruborem iſtum in cortice mali punici oriri ex rubore interno, qui candidis eius admiſtus eſt granis, qui vi ſolarium radiorum attrahitur: vnde obſeruare licet, eâ ex parte mala eſſe rubicundiora, quâ magis à ſole reſpiciuntur. vnde deducitur quarta pro virginibus Tertulliani verbis lib. de Velandis virgin. c. 2. regula:

Virginibus, præterquam à Deo, non captanda gloria eſt; etiam ipſum bonum ſuum erubeſcendum.

Explico breuiter, & applico ad malorum punicorum ruborem. Pudore virgines extrinſecus ſuffundi debent, non eo qui ex peccato aut culpâ prouenit, ſed qui ex candidiſſimâ earum pudicitiâ intus ardenti diuini amoris igne ſuccensâ erumpit: & quò magis à CHRISTO Sole iuſtitiæ reſpiciuntur, eò magis rubor ille à cæleſtibus ipſius radijs de interno rubore educitur. nam & hoc ſpeciali CHRISTI gratiâ fit, vt de ſuo erubeſcant bono, quod ex diuinâ ſibi gratiâ prouenisse agnoſcunt; & hoc eſt, quod ait Sapiens: *Gratia ſuper gratiam, mulier ſancta & pudorata.* Gratia enim magna eſt ipſa ſanctitas & puritas; & rurſus, gratia noua, quòd de ipſâ puritate ſuâ erubeſcat. *Eccli. 26. v. 19.*

quinta, humilitas & manſuetudo. Quinta genarum & malorum virtus eſt lenitudo, ſine vllo tubere aut aſperitate. quod idem eſt ac ſi præſcribatur virginibus pro quintâ regulâ:

Virginitati humilem manſuetudinem maritent.

Pulchra permixtio, inquit S. Bernardus Homil. 1. in *Miſſus: nec mediocriter Deo placet illa anima, in quâ humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem.* & hæc vel à pudore, de quo iam diximus, orietur, vel certè ab eo conſeruabitur: neque enim ſuperbiâ efferri de ijs poſſunt bonis, ob quæ rubore ſuffunduntur: neque aſperitatem aliquam præ ſe ferent, quæ præ pudore nec comparere audent. *Quanta & quàm pretioſa humilitatis virtus*, exclamat rurſus S. Bernardus Serm. 4. de Aſſumpt. *cum tantâ puritate, cum innocentiâ tantâ, cum conſcientiâ prorſus abſque delicto, imò cum tantâ gratiarum plenitudine! Vnde tibi tanta humilitas, ô Beata?* Virginem Deiparam alloquitur, *digna planè quam reſpiceret Dominus, cuius odore ſuauiſſimo ab æterno illo paterni ſinus attraheretur accubitu.* Tantam huius virtutis vim in beatâ Virgine deprædicat, vt eos qui virginitatem æmulantur, excitet, ne humilitatis & manſuetudinis obliuiſcantur. Quemadmodum enim harum coniunctione virtutum mira quædam exiſtit vis atque potentia; ita ſine virginitate parum valet humilitas, ſine humilitate autem nullo prorſus in pretio eſt virginitas.

Absoluerat genarum & mali punici comparationem sanctus Spiritus; sed vnicâ comparatione nondum omnes comprehenderat virginitaris regulas, quare verbo addit: *Absque eo quod intrinsecus latet.* Quibus verbis, si Septuaginta Interpretum & Hebræorum consulamus exemplaria, duas nouas regulas inueniemus virginibus præscriptas: nam Hebræa legunt, *Intra velum tuum*; vnde clara est sexta regula:

Cant. 4. v. 3.

sexta, clausura & velum.

Virgo caput velo obnubito, vel corpus claustro velato.

Quod Ægyptij ita seruabant accuratè, vt mulieribus vsum calceorum interdicerent, ne possent prodire in publicum; volebantque illas testudinis instar intra tecta sua se continere: quare etiam testudinem inter sacras suas notas adhibebant, ad exprimendam pudicitiæ imaginem. Non multis de hac regulâ discurram, cùm ita virgines omnes sciant eam sibi seruandam, vt ideò claustra tot vbique in Ecclesiâ Romanâ ædificarint, quibus velent pudorem & pudicitiam suam, sic vt ab vnico Sponso suo decor earum conspiciatur; & ideò dicit: *Sicut fragmen mali punici genæ tua intra velum tuum.*

septima, silentium.

Septima tandem regula ex versione Septuaginta desumitur, qui eadem verba interpretantur, *Extra silentium tuum.* tamquam si diceret: Licet conditiones mali punici iam commemoratas, tamquam prorsus necessarias virginibus præscribam; nihil tamen dicam de silentio, quod sine vllâ controuersiâ ante omnia virginibus est obseruandum. Sit ergo septima & vltima virginum regula, hæc ex D. Ambrosio desumpta sententia lib. 3. de Virgin.

Deesse sermonem virgini magis, quàm superesse malo.

Et pergit rationem dare regulæ præscriptæ: *Nam si mulieres etiam de rebus diuinis in Ecclesijs iubentur tacere, domi viros suos interrogare; de virginibus quid cautum putamus, in quibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem?*

Ex septem hisce necessarijs virginibus regulis patet sapientia Fundatricis nostræ, quæ vnam instituendo virginitatem, omnium Religiosorum Ordinum iecit fundamentum. Quid enim tam diuersus Religiosorum habitus ad modestiam compositus, quid claustra, quid silentium, quid terrenorum contemptus, cælestium studium, quid tot humiliationis & patientiæ exercitia, quæ omnibus Religiosis Ordinibus sunt communia & quasi essentialia, sunt aliud quàm harum regularum obseruatio & virginitatis custodia? Vt certum sit, obedientiam, quæ humilitatem spectat; paupertatem, quæ rerum terrenarum despectum; & omnia reliqua Religiosorum exercitia huc tandem recidere, vt per septem harum regularum obseruantiam possint institutam à Deiparâ virginitatem obseruare.

CAPVT XIV.

De virginitate fecundâ.

PAVCIS diximus de virginitate, quam multis imitandam prima Virgo MARIA solemni voto consecrauit; restat, vt de virgineâ fecunditate, quam ipsi, nulli prætereà sperandam, Deus contulit, nonnulla dicamus. Et sanè fecunditatis pretium augebunt tragicæ illæ lacrymæ, quibus Iephte filia duobus omnino mensibus sterilitatem suam moritura lugebat. Laxauerat os suum in votum imprudentissimum inconsultus pater, & profanâ pietate duodeuicennem filiam mortis damnauerat: orat illa, & exorat duorum mensium inducias, quibus faceret viuenti sibi & spiranti adhuc cum sodalibus exequias. Quid, putas, per Iudææ solitudines virgineum illud agmen sonabat? cuius rei iacturâ virginis pectus tangebatur? quem lessum aut næniam ipsa obuijs per siluam arboribus insusurrabat? triti erant imbre lacrymarum oculi, pallidæ ieiunijs genæ, languidæ pœnitentiâ vires, vacillantes lassitudine pedes, totum dolore extenuatum corpusculum, & iam non illa viua & vegeta Hyanta, sed lurida ac tetra mortis imago filuis inerrabat: & tamen non gratissimam virginum, quæ linquenda erat, societatem; non opulentam, quâ spolian-

Iephte filia vnicam plorat sterilitatem.

ſpolianda; domum; non patris, non fratrum, quo carendum, dulciſſimum aſpectum; non denique vitam, quâ exuenda; non mortem, quæ miſerè oppetenda, ingeminat; ſed virginitatem, hoc eſt, ſterilitatem ſuam, in quâ erat ſine poſteritatis vllâ ſpe moriendum, deplorat. tantum erat nimirum ſterilitatis opprobrium, vt ei cenſeret omnia quæ in mundo poſſidebat & ſperabat bona, atque ipſam adeò vitam poſthabendam. Vouerat pater, & voti reus virginem filiam ſuam morti addixerat: non hoc luget filia, ſed quòd mors tam immatura vnâ eademque falce vitam ac ſpem omnem poſteritatis præſcindat; hoc nimirum eſt ob quod ſiluas omnes replet femineo vlulatu. Sed quid ego video? Virginem vnam iuniorem Iephte filiâ, ipſammet ſe damnare perpetuâ virginitate, atque vltrò legis maledicto exponere, votoque, vt ſuprà diximus, ſe obſtringere, ne virum cognoſcat: ita enim paraphraſticè verba illa, *Virum non cognoſco*, interpretatur S. Bernardus Hom. 4. ſuper *Miſſus: Cùm ſciat Dominus meus*, inquit, *teſtis conſcientiæ meæ, votum eſſe ancillæ ſuæ non cognoſcere virum*, &c. Licebitne mediis Virginis interfari votis, eamque admonere, vt videat quid agat, néve ſe, memor Iephte filiæ, temerè damnet imprudenti voto? Certè pro ſuâ cum Matre familiaritate conſultaſſe cum eâ videtur Doctor mellifluus; ita enim ait Hom. 3. ſuper *Miſſus: Dura neceſſitas, & graue iugum ſuper omnes filias Heuæ. Et ſi pariunt, cruciantur: & ſi non pariunt, maledicuntur. Et dolor prohibet parere, & non parere maledictio.* Et conuertens ſermonem ad Deiparam: *Quid facies*, inquit, *Virgo, quæ hæc audis, quæ hæc legis? ſi parturis, anguſtiaris; ſi ſterilis manes, malediceris. Quid eliges Virgo prudens?* & reſponſum inuenit virginum Fundatrice digniſſimum: *Anguſtiæ*, inquit, *mihi ſunt vndique.* Ne putemus, temerè & inconſideratè votum fuiſſe emiſſum: nam ſeſe & Iephte filiam, & Iſaaci, Samuelis, ſuamque matrem ſatis in memoriâ habuiſſe ſignificat, dum vtrimque anguſtias eſſe profitetur. Sed pergit: *Melius eſt tamen mihi maledictum incurrere, & caſtam manere, quàm priùs quidem concipere per concupiſcentiam, quod meritò poſt cum dolore parturiam.* Vouet ergo caſtitatem ſecura ſterilitatis; virginitatem amplectitur, maledictionem non reformidat. *Sciebat*, inquit S. Anſelmus de Excell. virginis cap. 4. *quòd quantò ſanctiùs eam ſeruaret, tantò ſublimiùs ei, qui omnium caſtiſſimus, imò qui ipſa caſtitas eſt, appropinquaret. Amplectendo igitur quod acceptabilius Domino eſſe cognouit, legem ſuperauit, ſpreuitq́ maledictum datæ legis, & credidit, reputans ſecum illum, cui placere quærebat, tantæ bonitatis & tantæ ſapientiæ, vt ante ſe, vel de ſe tutum conſilium, ne quid peccati in iſtis ſubiret, inueniret; nec decepta eſt. Quis enim ſperauit in Domino, & derelictus eſt ab eo?* Certè non eſt derelicta hæc Virgo, cum quâ ſemper fuit Dominus. Audi quàm ſuauiter ei voti huius euentum gratuletur S. Bernardus Homil. 3. ſuper *Miſſus:* CHRISTO *ergo deuoues te exhibere Virginem, & neſcis quòd ipſi exhiberi te oportet etiam Matrem? Eligis in Iſraël eſſe contemptibilis, &, vt illi placeas cui te probaſti, maledictum incurrere ſterilitatis; & ecce maledictio benedictione commutatur, ſterilitas fecunditate recompenſatur. Aperi, Virgo, ſinum; expande gremium; præpara vterum, quia ecce facturus eſt tibi magna qui potens eſt; in tantum, vt pro maledictione Iſraël, beatam te dicant omnes generationes. Verè enim*, inquit S. Petrus Chryſologus Serm. 43. *benedicta Virgo, quæ & virginitatis poſſidet decus, & Matris pertulit dignitatem: verè benedicta, quæ & superni conceptus meruit gratiam, & ſuſtulit integritatis coronam: verè benedicta, quæ & ſuperni germinis ſuſcepit gloriam, & Regina extitit totius caſtitatis.* Et Venerabilis Beda adiungit: *Verè benedicta inter mulieres, quæ ſine exemplo muliebris conditionis cum decore virginitatis gauiſa eſt honore parentis; quodq́, Virginem Matrem decebat, Deum Filium procreauit.* Et S. Auguſtinus ſucclamat: *O femina ſuper omnes feminas benedicta, quæ virum*

Virgo MARIA *vouit caſtitatem.*

& accipit fecunditatem.

Tom. 7. Homil. in Euangel. *Miſſus eſt.*

rum omnino non nouit, & virum vtero suo circumdedit. Pergit S. Bernardus, quem tot Patrum istorum acclamationibus interpellauimus, & ponderat quid sit virginea fecunditas vel materna virginitas: *Nec suspectam habeas, prudens Virgo, fecunditatem, quia non auferet integritatem: concipies, sed sine peccato: grauida eris, sed non grauata: paries, sed non cum tristitiâ: nescies virum, & gignes filium: illius eris mater, cuius Deus est Pater: Filius paternæ charitatis erit corona tuæ castitatis: sapientia paterni cordis erit fructus vteri virginalis: Deum denique paries, & de Deo concipies. Confortare ergo, Virgo fecunda, casta puerpera, Mater intacta, quia non eris in Israël vltrà maledicta, neque inter steriles deputata.* Quot verba, tot mellitissima tenerrimæ deuotionis mysteria; sed quàm hoc præ ceteris singulare, *Filius paternæ charitatis erit corona tuæ castitatis!* Coronam scimus in cælis gestare virgines, quâ nemo caput suum possit exornare, nisi qui splenduerit hîc eiusdem candore virginitatis: sed coronam habet Virgo virginum castitatis suæ; ad quam nulli virginum licet aspirare. *Erat ei speciale priuilegium,* verba sunt S. Cypriani Sermone de Natiuitate, *quod nulla mulierum nec antè, nec deinceps meruit obtinere; quòd erat simul Mater & Virgo.* Quod ita mirabatur Isaias Propheta, vt, rem tam singularem & miram annuntiaturus, prorsus nouo & extraordinario vsus sit exordio: cap. enim 7. v. 11. dicit ad Achaz Regem Iuda: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum suprà.* ac si diceret: Mirabilia hactenus operatus est Dominus tum in terrâ, profundissimisque eius visceribus, inde deducens fontes aquarum, ibi concludens & producens periculosos mundi thesauros, aurum & argentum, totque alia mineralium genera; tum etiam in cælo, formans lucem & creans tenebras, & mirabilem istam machinam perpetuo gyro mobilem virtute suâ sustentans. Sed agesis, Achaz, percurre vniuersa, mundum animi cogitationibus volue, reuolue; nihil inuenies

Filius Dei corona virginis fecunda.

quod cum eo miraculo sit comparandum, quod iam tibi annuntio: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* *Ecce* rei insolentiam & mysterij magnitudinem significat. Insolens est, virginem permanere quampiam: ecce res noua, ecce Virgo virginum, ecce virginitatis primiceria, virginum omnium patrona, ac status virginei fundatrix: ecce Virgo, quæ legis maledictionem contempsit, vt benedictionem virginitatis acciperet: hanc Deus, quia se glorificauit tam insolitâ ratione, nouo benedictionis genere implebit; ipsa enim concipiet & pariet filium. Ecce miraculorum omnium miraculum, quod non tantùm natura vniuersa, sed ipsa etiam stupebit in quâ patrabitur; concipiet filium, nec totum omnino capiet mysterium; ideoque stupore plena interrogat: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* cui propterea Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Noli, inquit, propter propositum virginitatis de promissione prolis diffidere, *Spiritus sanctus superueniet in te*, concipies filium non à viro, sed à Spiritu sancto: promissio quidem meâ implebitur, sed tamen propositum tuum non violabitur. Tu vouisti virum te non cognituram, & ego prædico te filium parituram; & idcircò miraris, ne fortè vel promissio cassa sit, permanente proposito; vel propositum violetur, si impleatur promissio: non enim ratio humana hoc comprehendit, vt pariat virgo, intacta generet, & sine opere carnis caro procedat ex carne. idcircò miraris: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* nam interim, quantum in te est, nihil inuenire potes, cur de tuâ perseuerantiâ debeas dubitare; & idcircò quæris, quomodo de meâ promissione possis confidere: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Noli propter propositum de promissione diffidere, quia *Spiritus sanctus superueniet in te.* noli propter promissionem de proposito formidare, quia *virtus Altissimi obum-*

Isaiæ 7. v. 14.

Lucæ 1. v. 34.

Vers. 35.

obumbrabit tibi. Spiritus sanctus superueniet in te, ne per coitum corrumpatur integritas tua. ***Virtus Altissimi obumbrabit tibi***, ne per libidinem polluatur castitas tua. ***Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.*** ministrabit substantiam, & non senties concupiscentiam; non suscipies semen ex viro, & fecunda fructum ventris generabis in Filio. Noli ergo dicere: ***Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*** quia per virum hoc non fiet, sed per Spiritum sanctum: ***Spiritus*** enim ***sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.*** Ecce habemus MARIAM desponsatam Virginem, & tamen adhuc in proposito virginitatis permanentem. ita fecundam hanc virginitatem inculcat & æstimat Hugo Victorinus lib. de MARIÆ virginitate perpetuâ cap. 1. Tom. 2. Et Sponsus ei hoc inter donaria promiserat Cant. 1. v. 10. ***Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.*** Dixerat ei Sponsus versu præcedenti: ***Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia.*** Et quidem in genis turturis virginitatem eius & castimoniam in coniugio commendabat: quod explicare non est huius loci. subdit, ***Collum tuum sicut monilia***, fecunditatem eius attingens. Non obscura est ista Corneliæ Gracchorum matris prudentia, quæ ornamentorum omnium, quæ vel in gemmis, vel in margaritis, vel in auro, vel in argento, vel denique in sumptuosis ostentantur vestibus, pretiosissima existimabat propria filiorum decora: hoc enim Campanæ mulieri, vt fit, familiariter ac magnificè ornamenta sua ostendenti, dum filios contrà suos exhiberet, respondere visa est: Isti sunt meæ vestes, hi gemmæ ac margaritæ meæ, hi mea pretiosissima monilia: his ego superbio, his triumpho, hæc propria existimo matrum decora. Et Isaias mirabilem istam spiritualium filiorum progeniem deprædicaturus, quâ Christi Ecclesia erat fecundanda, hoc ipsum innuit. ait enim cap. 49. v. 18. ***Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa.***

Filij parentum ornamenta.

Si autem vel mystici Ecclesiæ filij, vel cæterarum matrum ex corruptione feminis orta soboles, earum dicuntur ornamenta atque monilia; quibus sponsarum in modum prodeant exornatæ; profectò, quando Sponsus ille cælestis monilia Sponsæ deprædicat, quis dubitabit; quin per ea Filium istum intelligere debeamus, quem illa virtute Altissimi formatum, partu castissimo edidit in lucem? Vt sensus verborum sit iste: Visendæ es pulchritudinis, amica mea, propter genas tuas; quæ, licet iuncta sis matrimonio, viduæ turturis seruant pudicitiam; sed multò eris admirabilior & speciosior, quando tibi pendebit ex collo Filius, qui illud monilibus cunctis splendidiùs exornabit, reddetque ita decorum, vt nullis opus habiturum sit ad ornatum monilibus, sibi futurum splendori, sibi ornatui, tamquam si ipsum inet sibi omnia foret monilia. id tamen scito, omne hoc ornamenti genus à me euenturum tibi: ego enim, quòd iam dudum animaduerterim pulchritudinem, quæ ex præstantissimæ pudicitiæ in te redundabat decore, tantum ex eo hausi voluptatis, vt ornamentum tibi faciendum curarim, quod nulla ante te habuit, nulla post te habitura est mulierum; tale videlicet, quod sit ex auro confectum purissimæ virginitatis, habeatque simul puncta & picturas, & sit vermiculatum argento, id est partu & conceptione humanitatis meæ, quæ instar argenti purissimi ac summâ arte elaborati, mirum in modum aurum illud exornabit. Porrò quemadmodum egregius artifex aureum vas effingens, ad venustiorem eius ornatum, nonnumquam eidem vasi, admirabili opere confectas argenteas adnectit imagines; ita vt, licet aurum longè sit argento pretiosius, tamen quia artificium, quod eminet in argenteis illis imaginibus, rarius auro ipso, ita vas illud locupletat atque illustrat, vt profectò nobilissimum illud censeatur ob auri materiam ex quâ est cōflatum; longè tamen nobilius, quòd singulari illo præstantis artificis argenti opere colluceat: ita Deus, cùm ex purissimo virgi-

CHRISTI humanitas argentum, habens ab artificio pretium supra aurum.

virginitatis auro nobilissimum MARIÆ Virgini murenularum confecerit ornamentum, eidem admirabilis partus quasi argentea quædam signa adiecit; quo tantò illud redditum est præstantius, quantò per eum magis elucet diuini artificis opus. Ita, locum istum Canticorum egregiè explicans Gislerius, exhibet nobis insigne fecundæ virginitatis hieroglyphicum, *Murenulas vermiculatas argento*. Cui æquè gratum oculis adiungunt aliud eadem Cantica c.4.v.3. mali punici: cuius explicatio tam iucundè nos in superioribus pauit, vt etiamnum nouâ explicatione sint quodammodò labia lambenda. *Sicut,* inquiunt, *fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* id est: Virginitas tua, quæ per genas rubore perfusas designatur, regiam coronam super omnem aliam virginitatem obtinet, qualem & in fragmine mali punici videre est: eminet autem cuicumque virginitati aliarum virginum, quia fructum sibi adiunctum & ex se productum continet CHRISTVM: atque adeò fragmini mali punici similis est, quod ex vnâ parte ruborem exhibet, virginalis verecundiæ symbolum; ex alterâ verò fructum offert, charitatis hieroglyphicum. Cui tertium subiungemus ex fabulis, vt vndique fecundæ virginitati, numquam satis laudatæ, conquiramus encomium. Apud Argiuos celebrabatur Canathus fons, cuius aquis lotam nouâ subinde quotannis virginitatis gloriâ Iunonem repubescere narrabant. ita Pausan. in Corinth. vbi pleræque amittebant florem istum in fontibus, ibi cum Diuorum ista fabulosa Regina recuperabat. Quantò gloriosius Virgini, eo partu, in quo necesse est omnes integritatem perdere, eam puriorem extulisse, quam numquam perdiderat: lectulus enim illius floridus, duplici florens flore, CHRISTO nimirum, quem concepit & peperit, qui est *flos campi & lilium conuallium*; & virginitate, quæ flos omnium opinione candidissimus. Roganda hîc erit Sodalibus Virgo, vt cuique secundùm statum suum de hoc tam admirabili virginitatis dono communicet, & prole nos bonorum operum fecundet.

Hieroglyphica fecundæ virginitatis.

Cant. 2. v. 1.

CAPVT XV.

Septima stella, ad septimam Salutationem Angelicam deuotâ contemplatione Coronæ Deiparæ apponenda.

MARIA *admirabilibus modis res eadem cum Deo effecta.*

ZELOSI Deiparæ serui, ad quos stellarum hæc Corona (prout nobis à Serenissimâ Infantâ Margaritâ ex Hispaniâ transmissa fuit) antequam eam euulgaremus, peruenit, edendam quidem eam in publicum censuerunt, sed aliquâ in parte mutatam, & in hac maximè stellâ; cui plerique aliam ex aliâ Virginis quadam prærogatiuâ substituerunt. Quid illos mouerit, haud possum ita facilè diuinare; hoc scio, non potuisse mouere eos tituli nouitatem vel insolentiam, cùm iam olim multis & Patribus & Theologicis & Asceticis fuerit vsitatum, ab hoc Virginem commendare priuilegio: nec periculum sit, ne rudiores fortè in errorem inducantur, fingantque sibi ex eo aliquam Virginis cum Deo in ipsâ diuinitate identitatem. nulla enim ex titulo hoc Virginis sanè magnifico erroris erit occasio, si, quam apponimus, eius probationem & explicationem legerint qui zelo feruntur omnia cognoscendi quæ faciunt ad Dominæ suæ amplificandam gloriam: illis enim me præsertim scribere, ipsa libri profitetur inscriptio. Contemplabuntur ergo mancipia inter septimæ Salutationis Angelicæ recitationem, quanta sit hæc dignitas Dominæ suæ: quòd, quemadmodum CHRISTVS & Pater vnum sunt, ita dici possit de CHRISTO & Matre quòd vnum sint: Pater & CHRISTVS propter participationem eiusdem indiuiduæ & indiuisæ naturæ, quam admirabili istâ atque æternâ generatione Filio communicando, personam generat à se quidem realiter distinctam; sic tamen, vt verè res eadem & non alia atque alia dici debeat Filius & Pater; Mater verò &

Comparatio identitatis CHRISTI cum Deo Patre, & eiusdem cum Virgine Matre.

& Christus, propter deciduam corporis Mariani partem, quæ in Christum formata, sic eum constituit diuersam ab eâ personam; vt tamen neque physicè totaliter, neque ciuiliter vllâ, & moraliter vix vllâ ratione ab illâ distinguatur. Primò, formam loquendi in genere, quòd eadem dici possit Mater cum Filio, & maximè primum eius, quem assignamus, modum in physicâ identitate, auctoritate suâ stabilit & antiquitate donat S.P.N. Augustinus: de quo verè S.Gregorius Registri lib. 8. Epist. 37. *Si delicioso cupitis pabulo saginari, B. Augustini opuscula legite.* Audite ergo, quàm suauiter deliciosissimum hunc pietatis bolum, nonnisi curiosis Deiparæ seruis & domesticis degustandum, condiat de Assumptione Homil. 4. *Si igitur,* inquit, *natura matris est filius, conueniens est vt sit & filij mater, non quantum pertinet ad æquam administrationem, sed quantum pertinet ad eamdem reciprocam substantiam; vt homo de homine, caro de carne, mater à filio, filius à matre, non ad vnitatem personæ, sed ad vnitatem corporalis naturæ & substantiæ. Si enim vnitatem potest facere gratia sine proprietate specialis naturæ; quantò magis, vbi gratiæ vnitas & corporis est specialis natiuitas.* & infrà: *Hæc quippe gratiæ vnitas, quæ à* Christo *in* Christum *credentibus seruatur, si* Mariæ *etiam minùs sapientum æstimatione non tollitur; quantò magis cum gratiæ vnitate ipsa specialitas naturæ vnum efficit matrem ac filium, & filium ac matrem?* Vbi subtilissimus hic Doctor etiam notat, quam diximus, personæ diuersitatem, & naturæ identitatem; vt ita non incongrua videatur ea, quam instituimus, cum diuinis comparatio. Notat prætereà, non vnâ ratione exoriri identitatem inter Christum & Virginem, cùm etiam gratiam dicat vnum quid efficere cum Christo. Sed priùs alij etiam Patres audiendi, quàm modos identitatis distinguamus. Clarissimis enim verbis S.Petrus Damianus affirmat & grauissimè ponderat hanc identitatem Sermone 2. de Natiuitate; postquam docuit, Deum tribus modis rebus creatis inesse, subiungit: *Quarto modò inest vni creaturæ, videlicet* Mariæ *matri, identitate, quia idem est cum illâ. hic taceat & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem: habitat Deus in Virgine, cum quâ vnius naturæ habet identitatem.* Accedat etiam Arnoldus Carnotensis in libro de Laudibus Virginis: *Vna,* inquit, *est* Mariæ *&* Christi *caro, vnus spiritus, vna charitas: vnitas diuisionem non recipit, nec secatur in partes; & licet ex duobus factum sit vnum, illud tamen vltrà scindi non potest, atque adeò Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quàm eamdem.* Imò tam certa hæc res erat, & modus loquendi ita communis Patribus, vt Anastasius Sinaita Anagogicarum Contemplat. lib. 6. prope finem, ex hac identitate aliam probet, de quâ mox dicemus. sic enim ait: *Quis mihi, dic, quæso, aut ex hominibus, aut ex dæmonibus audebit dicere, quòd ea quæ est eiusdem simul cum Deo essentiæ, quod ad carnem attinet, non sit ad imaginem & similitudinem eius, qui ex ipsâ natus? quomodo est enim Mater eiusmodi Filij, non ferens in se illæsam fœtus sui imaginem?* scilicet per gratiam. Habemus ergo grauissimis auctoritatibus stabilitam Virginis cum Deo identitatem. quibus suffragatur Philosophus 5. Ethic. cap. 4. *Filius pars est ipsius patris vel matris.* & 1. Magn. moral. cap. 34. *Membrum parentis est filius, imò idem cum ipso.*

Modus loquendi in genere probatur.

Restat, vt, quoniã multiplex est identitas, quibus modis & rationibus Virgo dici possit eadem cum Deo, dispiciamus. Vbi notandum, quòd quâ ratione omnis Mariæ dignitas in vnâ præcipuâ, quòd sit Mater Dei, fundatur; ita omnes identitatis modi ex vno probantur; quem præcipuè Patres tetigerunt: quòd scilicet physicè & realiter eadem sit Mariæ & Christi substantia, eademque natura. fuit enim de castissimo Virginis corpore, Spiritus sancti manibus pars decisa, & in corpus Saluatoris ædificata: quod licet deinde nutritione & augmentatione variè fuerit alteratum, manet tamen semper & præci-

Omnes identitatis modi oriũtur ex physicâ identitate substantiæ.

præcipuâ suâ parte & verâ denominatione idem. Neque magnopere vmquam probata mihi fuit ista Physicorum quorumdam opinio, qui putant, naturali calore sensim humidum radicale (per quod primam maximè & quasi originariam, quam à parentibus trahimus, substantiam intelligunt) ita consumi, vt tandem nihil eius maneat reliquum: potiùs enim existimauerim, hominem numquam perdere primam illam substantiam vi caloris naturalis, aut similium causarum operatione; ac proinde destructionem illam humidi radicalis ita iactatam in scholis non esse aliud, quàm temperamenti consurgentis è qualitatibus ad vitam necessarijs, alterationem, &c, nisi alimento instauretur, totalem destructionem. Quod saltem de CHRISTO dicendum esse subindicat Ecclesiæ lingua, vt S. Bernardo vocatur, S. Augustinus Sermone de Virgine; vbi ait: *Caro CHRISTI, quamuis gloriâ resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit quæ suscepta est.* & Psal. 98. *De carne MARIÆ carnem accepit, & ipsam carnem MARIÆ nobis manducandam ad salutem dedit.* Atque ex hac conclusione deducitur pijssima deuotio & deuotissima inter communicandum contemplatio, de quâ egimus in explicatione Regulæ Sodal. 10. Non tamen hinc concludes physicam aliquam personarum identitatem, sed tantùm naturæ. Potest ergo ex hoc capite dici Virgo idem, non eadem cum CHRISTO, siue, vt in titulo securiora sectando diximus, res eadem, non verò persona eadem; ideoque suprà dicebamus physicè, non totaliter, MARIAM à CHRISTO differre. Si verò ciuili consideratione versemus negotium, simulque inspiciamus Legis peritorum codices, nullam inueniemus personarum distinctionem. nam disertè Tullius in Verrem Act. 3. *Cum filijs vini bona nostra partimur, quia eadem persona habentur.* & leg. fin. C. Impub. *Eadem filij ac patris vox.* & Aristoteles 8. Ethicor. *Filij à parentibus sunt veluti alteri ipsi inseparati.* & tandem Ecclesiasticus c. 30. v. 4. *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se.* Vbi indicat & tertiam identitatem similitudinis, quam ad moralem considerationem suprà reuocauimus, eamque S. Augustinus isti physicæ, de quâ egimus, nullâ ratione cedere arbitrabatur. dicit enim loco suprà citato: *Hæc quippe gratia vnitas si MARIÆ etiam minùs sapientum iudicio non tollitur, quantò magis cum gratia vnitate ipsa specialitas naturæ vnum efficit?* Et Anastasius Sinaita hanc probabat ex identitate naturali ita fortiter, vt nec hominum nec dæmonum quemquam eò existimaret prorupturum audaciæ, vt eam conaretur infirmare. Concipio verò ego hanc ex gratiæ, & quæ inde sequitur amoris ac morum, similitudine identitatem, veluti animam prioris istius physicæ identitatis: iam, quod monstro simile esset, MARIAM Virginē eamdem esse cum Filio carnem, animâ verò esse dissimilem, putabat Sinaita ne dæmones quidem ausuros tam monstrosam de Virgine astruere sententiam.

Prima substantia hominis non perit nutritione.

Secunda identitas est moralis seu ciuilis.

tertia est similitudinis.

S. August. Hom. 4. de Assumpt.

Amplissima hic Sodalibus suppeditatur contemplandi materia, quam sufficiet hîc digito quasi monstrasse, quòd toto Opere sparsa sint, quibus poterunt hîc pium affectum pascere. Primùm enim instituenda est comparatio inter abundantiam gratiæ Virgini communicatam, & eam quam CHRISTVS habuit. Secundò, expendendus amor ille, qui omnia vnit, in pectore Matris ardentissimus, non in se sed in Filio suo viuentis: nam si, secundùm Euripidem, *omnibus hominibus filij sunt anima*; profectò hunc Parenti, quæ ita vehementer amabat Filium, vt nemo possit cogitatione amoris excessum vel leuiter adumbrare, ipse Filius erat anima, vita, & omnia. Datur Tertiò locus discurrendi per illam morum similitudinem, quâ mater filium Theanthropum ita referebat, vt vel acutissimis Areopagitæ luminibus Dea apparuisset, nisi fidei lumine vibratum ex moribus diuinis MARIÆ splendorem temperasset: qui ram illustribus mundum illustrabat radijs, vt auroræ adinstar soli subsequenti viam sterneret, doceretque, quâ mundum

dum

dum deberet ratione illuminare: gloriæ namque sibi ducebat Filius, quòd matrizare, id est matrem imitari, diceretur. Consultò hic prætereo illam MARIÆ & IESV identitatem, quæ ex celebrato inter eos matrimonio existit, ne tam insignem, quem sponsalia hæc requirunt, discursum mutilemus, si modum huic tractatui fecerimus; vel, si illum vt oportet exordiamur, numquam finiamus sertum stellatum, quod breui gyro putabamus includere. Properabo igitur ad octauam stellam, vbi ingentem affectuum campum, per quem hic laxatis pietatis habenis decurrere possunt, Sodalibus aperuero. Quas enim non ciet commiseratio lacrymas inter passionis Dominicæ meditationem, recordantibus illam carnem, quæ tam indignis modis à perfidâ gente accipitur, quæ tot saturatur opprobrijs, tot oneratur vulneribus, quæ virgis cæditur, quæ spinis perforatur, quæ in crucem suffigitur, esse Dominæ nostræ carnem, & partem carnis eius delicatissimam, quâ ipsa magis quàm vllâ corporis sui parte vulnera sentiat? Quid non poterit apud sacram Eucharistiam sumentes gratitudo, fiducia, amor, & tota affectuum caterua vnicâ istâ consideratione irruentium, quòd virgineam suauissimæ Dominæ nostræ carnem manducamus? Quantum excitabit in pectoribus Christianis Virginem imitandi studium illa consideratio, quòd MARIAM puram vtique creaturam imitantes, optimè referunt CHRISTVM; cuius virtutes, vtpote Dei, nimiùm videbantur hominibus arduæ ad æmulandum? Petent hîc per illud singulare Virginis priuilegium gratiam, vt sic possint Filio eius incorporari; vt cum illo vnus effecti spiritus, simul Virgini identificentur, secundùm axioma irrefragabile, quòd nihil possit cum re quapiam identificari, nisi simul idem fiat cum omnibus istis, quibuscum illa identificatur.

Quarta Identitas, ex eo quòd sit Sponsa CHRISTI.

Qui affectus hîc excitandi.

CAPVT XVI.

Octaua stella, ad octauam Salutationem Angelicam deuotè contemplatione Coronæ Deiparæ apponenda.

MARIA *cæli ac terræ Domina, hominum pariter & Angelorum Regina.*

AD quartum *Aue Maria* contemplandum occurrit Regnũ B. Virginis. Expendent ergo, quomodo Assuerus ille mysticus hanc Estherem suam exceperit, eique cælos câ, quæ in stuporem raperet Angelos, pompâ ingredienti dixerit: *Accede huc, & tange sceptrum.* Sume hanc virgam virtutis & diadema Regni; esto Domina cæli & terræ; esto Regina & Imperatrix Angelorum & hominum; sede à dexrris meis in gloriâ, quæ semper astitisti à dextris in viâ, in vestitu deaurato, seruiens mihi corpore immaculato: iustum enim est, non solùm vt vbi ego sum, ibi sit & Mater, sed etiam, vt, quemadmodum ego hîc sum Dominus vniuersorum, cinctus diademate gloriæ, & omnem habens in cælo & terrâ potestatem, ita tu sis, Mater mea, Domina & Regina omnium; vt etiam in nomine tuo omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum. De hoc MARIÆ Regno hîc breuiter repeti possunt quæ Lib. I. Cap. XXXVI. attulimus, vt probaremus, nos & Angelos omnes eius esse mancipia; eam nimirum pollere vtroque dominio, spirituali & temporali; idque non solùm liberali imperio, eâ ratione vt de singulis in commune bonum disponere possit, & de toto, in quantum ad singulorum refertur vtilitatem; sed etiam despotico dominio, ita vt singulorum dominium etiam vtile ad eam pertineat, possitque propter se & in suum commodum ijs vti: nam ijsdem omnino conditionibus, titulis, latitudine hoc imperium à Filio redundat in Matrem, quibus residet in ipsomet Filio, vt ibi ostendimus. Hic autem proprius est mancipijs explicandorum affectuum campus, vt imperium illud agnoscant, de eo gaudeant, Heræ

Esther 5. v. 14.

Affectus excitandi.

suæ gratulentur, ei se volentes submittant, & promittant boni subditi, famuli, serui, ac mancipij officia. Qui affectus facilè exurgent, si piâ mente, quæ ibi de Regno Dominæ nostræ attulimus, relecta fuerint.

CAPVT XVII.

Tertia pars serti stellati ad Spiritum sanctum.

TERTIA serti huius siue Coronæ pars ad sanctum Spiritum dirigitur; eique statim initio gratiæ aguntur, quòd tam incredibili liberalitate suum ipse symbolum ad exornandam hanc Sanctissimæ Trinitatis Pandoram contulerit: ac rursum ex tot priuilegiorum prærogatiuarumque myriadibus quatuor desumuntur, ad totidem, quæ deinceps recitantur, Salutationes Angelicas expendenda: priùs tamen in sancti Spiritus honorem Oratio Dominica recitatur.

Nona stella, ad nonam Salutationem Angelicam deuotâ contemplatione Coronæ Deiparæ apponenda.

MARIA *Spiritus sancti Sponsa.*

Exstabat apud Ægyptios, Siculo Diodoro teste, supra tumulum suum mater Simandij Ægyptiorum Regis, caput triplici coronâ redimita: quâ significabatur, quòd ipsa Rege nata, de Rege Regem pepererat; simul Regis filia, sponsa, & mater. Elogijs item Pulcheriæ inseritur, quòd esset ipsa filia, soror, & vxor Imperatoris. Quam hoc etiam vicit Galla Placidia, quòd Imperatorem pepererit: erat hæc namque Theodosij Magni filia, Honorij soror, Constantij vxor, & Valentiniani mater. Magni profectò tituli, & qui poterant Principes illas perducere ad fastigium (si quæ esset in titulis) humanæ felicitatis. Sed vbinam similem Dominæ nostræ reperies, quæ simul Dei sit Filia, Dei Mater, & Dei Sponsa? Cecinerat olim de Sapientiâ increatâ Synesius Hymno 4. quòd esset ipsa filia, mater, & soror diuinitatis: cuius fortè imitatione tam crebrò sancti Virginis amatores, Ildephonsus, Bernardus, Bonauentura, & alij ingeminant hanc eius laudem, quæ in triplici illâ tamque nobili ad Deum relatione consistit, nihil frequentiùs ore versantes quàm hanc vel similem Orationem, quam S. Francisco familiarem fuisse Canisius testatur lib. 3. Marial. cap. 27. *Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo in mulieribus, Filia & ancilla Altissimi Regis Patris cælestis, Mater sanctissima Domini nostri* IESV CHRISTI, *Sponsa Spiritus sancti, ora pro nobis cum sancto Michaële Archangelo, & omnibus Virtutibus cælorum, & omnibus Sanctis, tuum sanctissimum Filium, dilectissimum Dominum & magistrum nostrum. Amen.* Duos priores titulos superiùs locis suis breuiter attigimus; vt animaduerterent Sodales, quàm ij meritò Virgini tribuantur, & quantus ex singulis deriuetur in nos fructus pietatis & cælestium gratiarum à Virgine, si eos dignâ memoriâ recolamus. Hîc iam tertium breuiter exponemus: nam dum prima ad Spiritum sanctum salutatio decurritur, id præcipuè priuilegium expenditur, quòd Dominam nostram Spiritus ille diuinus sibi in Sponsam delegerit. Neque vna dignitas, aut simplex indicatur Virginis priuilegium, dum dicitur Sponsa fuisse Spiritus: nam & eligi eam oportuit & ornari, & verbis de præsenti coniungi, & in Sponsi thalamum introduci. quæ faciliùs quanta sint perspicientur, si priùs, quàm propriè, & quem in finem Sponsa sit Spiritus sancti Deipara, examinauerimus. Matrimonij proprietatem nemo, quod sciam, clariùs explicuit quàm S. Anselmus lib. de Excell. Virginis c. 4. vbi ait: *Ipse Spiritus Dei, ipse amor omnipotentis Patris & Filij, per quem, & in quo amatur omne quod benè amatur; ipse, inquam, corporaliter, vt benè dicam, venit in eam, singularique gratiâ, præ omnibus quæ creata sunt, siue in cælo, siue in terrâ, in ipsâ requieuit, & Reginam & Imperatricem cæli & terræ fecit Sponsam suam.* Vt indicet, non metaphoricè, sed propriè, dicendam esse Sponsam sancti Spiritus Dominam nostram, inquit: *Ipse,*

Multa continentur titulo Sponsa Spiritus sancti.

Ipse, inquam, corporaliter venit in eam. Pro quo notandum, Deiparæ castitatem triplici honoratam fuisse matrimonio; eamque propriè dici CHRISTI, Iosephi, & Spiritus sancti Sponsam; eâ tamen distinctione, quòd Christus & Iosephus, qui corpore humano præditi erant, non corporaliter, sed potiùs spiritualiter, ad prolem istam producendam, ad quam iuncti erant Virgini, concurrerint; Spiritus verò sanctus, qui corporis omni carebat commercio, corporaliter in eâ habitasse, & ad generationem concurrisse dici possit. Quæ vbi explicuero, & clariùs emicabit Virginis nostræ puritas, multiplici matrimonio fecundæ, & semper tamen Matris intactæ; & certiùs constabit, eam Spiritus sancti Sponsam esse quasi corporaliter.

Triplex sponsus B. Virginis.

MARIA CHRISTI Sponsa.

CHRISTI quidem Sponsa fuit ita verè & propriè Domina nostra, vt cum illo in vnâ carne & in vno spiritu, vt suprà ostendimus, produxerit totam credentium multitudinem: prout suauissimè admirabundus explicat Hugo Victorinus in Sermone de Assumptione: *O res mira! ipse Filius Matris, & Sponsus Virginis, integritatis auctor & fructus fecunditatis. O admirabilis amator, ô singularis dilector, quid dicis? ipsa est genitrix tua? ipsa amica tua? certè amica est tua, & genitrix tua: amica tua, quia intacta; & genitrix tua, quia fecunda. Tu siquidem integritatis Filius, & fecunditatis amicus, Matrem vis habere Virginem, & amicam prole lætantem. Priùs te genuit amica tua, Mater & Virgo* MARIA; *posteà verò de te genita est amica tua, mater & virgo Ecclesia. Nascendo de Sponsâ tuâ accepisti substantiam infirmitatis, & moriendo dedisti Sponsæ tuæ sacramentum incorruptionis; vtrobique dilector mirabilis, vtrobique amator singularis.* Nónne audis, vt de CHRISTO & Sponsâ Virgine genitam dicat Ecclesiam? Quapropter apud Rupertū lib. 4. in Cant. Sponsam suam alloquens, *Nuptiarum nostrarum filij*, dicit, de fidelibus mentionem faciens: sed cùm in hisce nuptijs, licet signis satis sub sensum cadentibus contractæ fuerint, & partus dolores in vtroque parente nimiùm fuerint sensibiles; tamen quòd filij qui prodierunt, non nisi spiritualiter & per adoptionem sint filij, videtur potiùs spirituale dicendum quàm corporale commercium, quod Virgini & CHRISTO intercessit in prolis istius productione. Iam verò S. Iosephus, qui veras etiam cum eadem Virgine & legitimas contraxit nuptias, satis sibi honoris tribui à nobis fatebitur; si spiritualiter, aut quasi spiritualiter, eum concurrisse dicamus ad prolis istius productionem, cuius gratiâ Virgini iunctus erat matrimonio: nam corporalem concursum ne nominari quidem sustiuet tam ipsius quàm Virginis integritas. Sed ne quem fortè offendat, quòd quasi spiritualem ei concursum tribuamus, iunctumque dicamus Virgini ad producendam prolem istam diuinam; paucis hoc ad Sancti istius honorem, cùm ad offensionis lapidem remouendum necessarium videatur, explicabimus. Nam plus ego semper in voce istâ, quam sine vllâ mentis restrictione pronuntiat Virgo Deipara, *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*, &c. latere existimaui, quàm quod vulgò dicitur, Ego & pater tuus, id est, is qui putatur pater tuus. Non enim simulatione toties vsum puto CHRISTVM & Virginem MARIAM, quoties hæc Filium, ille suum parentem appellabat Iosephum: & dutiusculum videtur, Virginem multoties, vt fit, interrogatam, quisnam esset tam elegantis filij pater, statim liquidò affirmasse, Iosephum eum esse; si non aliâ ratione fulciatur propositionis huius veritas, quàm, quòd mentali restrictione sit vsa, vel certè subintellexerit hæc aut similia, satis frigida ad saluandam MARIÆ sinceritatem verba, *prout vulgò putatur, prout dicitur*, &c. Duæ enim mihi aliæ occurrunt rationes, quibus saluari possit propositionis istius non tantùm veritas, sed etiam simplicitas; propter quas nimirum S. Iosephus dici debuerit CHRISTI pater. Vbi notanda sunt ante omnia D. Anselmi verba lib. de Conceptu virginali cap. 18. *Decebat, vt* CHRISTI *conceptio de Matre purißimâ fieret: nempe decens erat, vt eâ puritate nite-*

Fideles CHRISTI & MARIÆ filij.

Lucæ 2. v. 48.

Cur S. Iosephus dici potuerit pater CHRISTI.

niteret, quâ maior sub cælo nequit intelligi: cui Deus Pater vnicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus idemq; communis Dei Patris & Virginis Filius, & quam ipse Filius substantialiter sibi facere Matrem eligebat, & de quâ Spiritus sanctus volebat, & operatus erat, vt conciperetur & nasceretur ille, de quo procedebat. Decebat, inquit, quod idem valet in hoc mysterio, vbi indecens nihil fieri poterat, atque si diceret: Necessarium erat, aliter fieri non poterat, ita à Deo decretum erat: quid? vt ea quæ Deum erat paritura, eâ puritate niteret, quâ maior sub cælo nequit intelligi. Erat ergo corporalis integritas conditio necessaria ad producendum partum hunc sublimem; eâdem planè ratione, quâ in alijs necessaria est maternæ integritatis violatio; hoc ex naturæ legibus, illud ex Dei decretis. Ac proinde Iosephus, qui ius habens ad vsum coniugalem, singulari continentiâ virginitatem sponsæ suæ seruauit incolumem, spirituali istâ operatione, vel potiùs abstinentiâ ab operatione carnali, cooperatus est ad CHRISTI conceptionem; proptereaque non tantùm erat sponsus Matris, sed etiam pater Saluatoris. decens enim, seu necessarium erat, Dei Filium nasci à coniugatâ multis de causis, quibus non est hîc recensendis locus; ac rursus erat ex eadem decentiâ necessarium, vt coniux ille sponsæ virginitatem seruaret incolumem, vt posset produci auctor omnis integritatis. Sequitur ergo, quòd is, qui ideò Virgini fuit coniugatus, vt hac virginitatis eius custodiâ Saluator mundi produceretur, ob eamdem dici simpliciter debeat eiusdem Saluatoris pater. Neque primi hanc S. Iosephi dignitatem excogitauimus: neque enim S. P. Noster, *qui subtiliùs omnibus volans omnia reserauit; & ideò meritò Angelus non naturâ sed gratiâ nuncupatur,* vt de ipso testatur Paulinus Nolanus Epist. ad Valerium, hanc subtilitatem ignorare potuit, qui Serm. 14. de Tempore in festo Natiuitatis, sic S. Iosephum MARIAM dimittere cogitantem alloquitur: *Habe, Ioseph, cum* MARIA *coniuge tuâ virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum: sit* MARIA *Mater* CHRISTI *virginitate seruatâ, sis autem & tu pater* CHRISTI *curâ castitatis & honorificentiâ virginitatis.* Expende, & vide vt dicat: *Sit* MARIA *Mater* CHRISTI *virginitate seruatâ.* id est: Per te fiat Mater CHRISTI, dum seruas eius virginitatem; prout de vxore aliâ diceretur: Sit, aut fiat, per te mater prolis nascituræ per vsum coniugalem. Et rursus: *Sis & tu pater* CHRISTI *curâ castitatis*, sponsæ scilicet tuæ, *& honorificentiâ virginitatis.* quod cum Anselmi verbis quadrat: *Decebat vt* CHRISTI *conceptio de matre purissimâ fieret.* id est: Requirebatur necessariò ad eius natiuitatem honorificentia virginitatis. Atque hæc est prima ratio, quare planè ac simpliciter dici possit CHRISTI pater purissimus Virginis sponsus S. Iosephus. ex quâ interim maximè patet quod intendebamus, neque de hoc sponso eius dici posse, quòd corporaliter ad CHRISTI productionem concurrerit, sed tantùm vel spiritualiter, vel, vti dicebamus, per negationem actionis corporalis. Veniamus ergo ad tertium eius Sponsum sanctum Spiritum; qui ideò ei datus, vt cum illâ Saluatorem mundi produceret quasi corporaliter. quod breuiter explicabimus, atque ex ipso discursu deducemus rationem alteram, quare CHRISTI pater dicendus sit S. Iosephus. Meminisse autem oportet eius legis, quæ fratri minori data fuit, si fortè maior frater ipsius decessisset absque liberis: *Accipiet*, inquit, *eam* (vxorem scilicet fratris sui) *frater eius, & suscitabit semen fratris sui; & primogenitum ex eâ filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israël*, Deuteron. 25. v. 5. 6. Mortuus autem per votum perpetuæ castitatis iam dudum mundo erat Iosephus; neque plus quàm homo vitâ functus poterat ad legitimè procreandum filium operari: quid ergo Spiritus sanctus, qui Sponsam hanc ab omni æter-

Primò, quia posuit continentiam ab actu coniugali præcisè necessariam ad productionem istius prolis.

Quomodò Spiritus sanctus Virginis Sponsus factus sit.

æternitate adamauerat? quid? fratris sui Iosephi hac in parte primogeniti (ideò quòd prius sit, esse qui posset naturaliter paternam operationem exercere, quàm sit, eam supernaturaliter aliunde suppleri) vices subiuit, Virginemque obumbrans ac tegens, ex purissimâ eius carne ac substantiâ CHRISTO carnem & substantiam ita formauit, vt verè ac realiter, & quasi corporaliter, omnem viri operationem suppleuerit? Neque tamen (ex veriori sententiâ) Spiritus sancti dici potest filius, sed Iosephi; cuius ille vices ideò suppleuit, quòd decens non esset, Dei Filium aliter nasci quàm ex matre integerrimâ; neque esset in Iosephi potentiâ aliter ad castissimam hanc generationem concurrere, quàm, vti diximus, abstinendo, & virginitatem sponsæ suæ custodiendo. Necessariò ergo requirebatur virtus Altissimi quæ matrem obumbraret, &, vt benè cum S.Anselmo dicam, *corporaliter in eam veniret, singulariq́ gratiâ præ omnibus quæ creata sunt siue in cælo siue in terrâ, in eâ requiesceret.* Vnde resultat mira illa Virginis MARIÆ, quam subiungit, dignitas, quòd cæli ac terræ Regina facta sit à Sponso suo: quamquam maior sit prior illa dignitas, tam singulari, & nemini creaturarum communicatâ, ratione esse Spiritus sancti Sponsam, quàm cæli terræque Dominam ac Reginam. Et quod obiter notandum dixeram, magna redundat in S.Iosephum, alterum Virginis sponsum, ex eo gloria, quòd Spiritus tam singulariter Virginem sumendo in Sponsam, maritique supplendo officium, ipsum fecerit tam diuinæ prolis parentem, vt verè dici possit & debeat CHRISTVS Iosephi filius; & ipse, prout eum Virgo Deipara, omnibus in verbis suis veracissima, vocabat, Saluatoris pater. Verùm cùm iam explicatum sit, Virginis sponsos omnes quidem propriè nomen illud obtinere, quòd & matrimonium cum illâ celebrauerint, & omnes ad prolem, propter quam id officij assumpserant, eâ quâ decebat & fieri poterat ratione concurrerint; inter omnes tamen Spiritui sancto, ob corporalem inhabitationem, & virilis operationis in CHRISTI conceptione suppletionem, magis primariò id conuenire; restat, vt breuiter videamus, quomodo reliqua sponsi officia curiosissimus Sponsus non neglexerit.

Lib. de Excell. Virg. cap 4.

Secundò, dicitur S. Iosephus pater CHRISTI, quòd Spiritus sanctus operationem eius suppleuerit.

CAPVT XVIII.

Præparatio ad nuptias Spiritus sancti & B. MARIAE Virginis.

CVM nusquam soleant ad omnes apices cærimoniarum explendos exactiores esse mortales, quàm in nuptiarum negotio; dubitandum non est, quin Spiritus ille, per quem omnia ordinata quæ bonis legibus reguntur, expleuerit omnes nuptiarum regulas, Sponsæque suæ dilectissimæ ea impenderit, quæ nec miserrimus quidem mortalium solet omittere. Non deducam discursum hunc per diuersos gentium ritus, quos toties varius, sed vbique ingeniosus amor singulas earum docuit, vt ijs sponsus testarum faceret affectum suum ei quam sponsam sibi delegerat: sed quatuor breuiter attingam, omnibus gentibus communia & prorsus necessaria, vt honestè possit matrimonium cum sponsâ iniri & consummari. Primum est, quòd sit sponsi eligere sponsam, atque inquirere, donec inuenerit eam, cui dicere possit: *Tu mihi sola places.* Id quod apertè de Virgine canit Ecclesia: *Sola sine exemplo placuisti Domino.* Exibat ab omni æternitate curiosus ille Spiritus, ferebaturque super omnes omnino creaturas, tam eas, quas producendas aliquando in æternitatis isto lumine sibi præsentes intuebatur, quàm illas, quas non nisi possibilitate suâ considerabiles abstractiore contemplabatur scientiâ; cumque considerasset vniuersas, nulla prorsus erat quæ sic raperet affectum eius, vt minima quidem subiret de coniugio cum aliquâ celebrando cogitatio, donec incidit in MARIAM. quam vix intuitus, sensit continuò cor suum diuinâ arundine percussum; vnde quasi primo pugnans amori, exclamabat, *Auerte oculos tuos à me,*

Sponsi est eligere sponsam

Spiritus sanctus MARIAM in Sponsam elegit.

Cant 6. v. 4.

à me, quia ipsi me auolare fecerunt. &: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* fascinasti cor meum; imò, vt Septuaginta, ita captus sum, vt tecum viuere, tecum deliciari, tibi matrimonio iungi lubeat: te elegi & prælegi, quia inuenisti gratiam in oculis meis: aperi mihi, soror mea sponsa, aperi mihi, quia amore langueo. *Ostende mihi faciem tuam. Tota pulchra es, amica mea; ego totus pulcher, tu tota pulchra; ego per naturam, tu per gratiam. Ego totus pulcher, quia omne quod pulchrum est, in me est: tu tota pulchra, quia nihil quod turpe sit, in te est: tota pulchra es, pulchra in corpore, pulchra in mente: in corpore pulchram te facit integritas virginitatis, in mente pulchram exhibet virtus humilitatis. tota pulchra es: nihil enim pulchritudo reliquit quod non possideas; totum decor obtinet, formositas tenet, regit honestas.* Ita Virginem eligebat, ita laudando matrimonij consensum ab eâ efflagitabat; minimè interim alterum sponsi officium prætermittens, quod est, sponsam donis ac muneribus ornare: tam enim solicitè eam præparabat & adornabat sibi, vt ideò Serm. 2. de Natiuitate Virginis S. Petrus Damianus eam *Virginem conditam, prædictam, & præparatam per sanctum Spiritum* appellet: & S. Bernardus 2. in *Missus, ab Altissimo præcognitam & sibi præparatam.* Ipse, quemadmodum apis sedula rosam adhuc suauiter nodo suo indormientem manè visitat, eamque grato murmure salutans, diligenter circumuolitat; osculis castissimis ita delibat, vt non auferat, sed augeat ei gratiam, exspectatque donec sole feruentiore expergiscatur, suique diductis folijs copiam faciat: ita circum Virginem hanc Sponsam suam volitabat Spiritus sponsus, nec vmquam eam deserebat; nunc efficacibus salutationibus eam gratiâ plenam appellitans, nunc suauissima ei gratiarum oscula defigens, vt nitidior in horas singulas & sanctior, tandem sub adultum ætatis suæ diem humillimo assensu ei cordis sinum panderet: ipse eam formabat, ipse eam instruebat, ipse eam erudiebat, vt faceret eam dignam se: ipsemet ei armillas, ipse catenulas fabricabat; ipse amoris ignes ventilabat, in quibus liquaretur quod vspiam erat pretiosum, vt inde Sponsæ suæ ornatum conflaret; imò, quod ex S. Birgittæ constat Reuelationibus, tamquam fornacem se ipsum præbuit Sponsæ suæ Sponsus hic admirabilis, vt in eâ non iam ornamenta formarentur, sed ipsa Sponsa ad ipsius beneplacitum. Quibus comparationibus cùm cura, diligentia, modusque satis indicetur, quo in formandâ atque ordinandâ hac Sponsâ Spiritus incubuerit; non est opus omnia quæ in hoc volumine sparsa sunt Virginis ornamenta, hîc repetere, vt ostendamus nihil fuisse in cælo ac terrâ pretiosum, quod in eius ornatum Spiritus sanctus non absumpserit. Si enim, vt S. Epiphanius Sermone de Laudibus Virgin. dicit, antenuptialia dona ipsius Spiritus sancti fuerunt, id est, omnia ipsius dona simul conferta; dos autem cælum & terra; non facilè poterit quid ipsa acceperit concipere, qui non potest totam donorum Spiritus sancti latitudinem comprehendere. S. Germanus Constantinopolitanus Oratione de Natiuitate B. Virginis ita explicat, vt Deum dicat terram nostræ corruptionis in personâ B. Virginis totâ Spiritus sancti inundatione mundasse. S. Sophronius Ierosolymitanus Epist. de Assumpt. ad Paulam & Eustochium sic argumentatur, vt immensam putet fuisse gratiam eius, cui, postquam in omnes adoptionis filios tam largiter effuderit, semper tamen abundauerit. Sanctus verò Bernardinus Senensis ad eam delabitur loquendi formam, vt, cùm sit necessaria inter gignentem & genitum similitudinis quædam proportio, addi posset etiam inter sponsam & sponsum, cùm amor omnia vel inueniat, vel certè faciat; necessarium fuisse putet, vt sic eleuaretur, vt per gratiarum dispositionem æquaret quodammodò Dei Filij & sponsi sui magnitudinem. Quò simul atque Spiritus sanctus liberalissimis largitionibus peruenerat, ad tertiam descendit matrimonij

Cant. 4. v. 9.

Hugo Victorin. Serm. de Assumpt.

Sponsam suam muneribus ornauit.

Vide Reuel. S. Birgittæ in serm. Angelico c. 11

Quanta dona Spiritus sanctus Virgini Sponsæ dederit.

Tom. 1. Conc. 61. art. 1.

Consensus de præsenti.

monij conditionem; vt ſcilicet verbis de præſenti conſenſus daretur, & fieret actualis perſonarum traditio: quam Virgo per humillimam illam præſtitit reſponſionem, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*; Sponſus autem per viſibilem eiuſdem conſenſus factam à nuptiarum paranympho Gabriele acceptationem. Quam ſtatim excepit vltimum atque firmiſſimum nuptiarum vinculum, ipſa matrimonij conſummatio; quando nimirum Spiritus ſanctus actu ipſo deſcendit in illam, & de caſtiſſimo eius ſanguine corpuſculum illud formauit, quod vnam cum Dei Filio conſtitueret perſonam. *Dubium non eſt* (inquit Doctor ille, qui, teſte Gennadio, *introductus eſt in cubiculum Regis, & decoratus veſte multiſariâ ſapientiæ Dei*) *cæleſtium gaudiorum & internæ dulcedinis quàm miram atque inenarrabilem ſuauitatem Virgo concepit, quando illud æternum lumen cum toto maieſtatis ſuæ fulgore in eam deſcendit; & quem non capit mundus, totum ſe intra viſcera Virginis collocauit. Audacter pronuntio, quòd nec ipſa plenè explicare potuit, quod capere potuit.* Quâ ſententiâ nobis os claudit, ne explicare conemur, quid voluptatis internæ, quidnam cæleſtis dulcedinis ipſa perceperit, quando Spiritus ille, Sponſus eius, auctor omnis dulcedinis, & Deus totius conſolationis, ac fons perennis puriſſimarum voluptatum, ingreſſus eſt in eam. Cùm temporis illius conſideratio eò plurimos Sanctorum abripiat, vt etiam viſionem beatificam ei tunc communicatam fuiſſe arbitrentur; cuius gaudia cùm nec oculus viderit, nec auris audiuerit, neque vmquam in cor hominis, niſi eius qui guſtauit, peruenerint; ea conſiderationi tacitæ Sodalium permittens, adhortabor hîc ad extremum ipſos, vt non negligentes tam bonam nuptiarum occaſionem, per varios, quos pietas & amor ſuggerent, affectus, conentur magnam lætitiæ partem ex nuptijs iſtis ad ſeſe deriuare: neque enim tam ſordidi ingenij eſt Domina noſtra, vt velit vllum in domo ſuâ nuptiarum tempore indonatum prætérire, qui non dedignatus fuerit honoris causâ Sponſæ occurrere, eique toto animi affectu tam felices thalamos gratulari.

Lucæ 1. v. 38.

Matrimonij conſummatio.

S. Auguſt. ſuper *Magnificat.*

CAPVT XIX.

Decima ſtella, ad decimam Salutationem Angelicam deuotâ contemplatione Coronæ Deiparæ apponenda.

MARIA *eſt omnium donorum & virtutum plenitudine ſuper omnes Sanctos & Angelos locupletata; & per eam accipere debemus quidquid à Deo bonorum ſperamus.*

AD ſecundam Salutationem Angelicam verſabunt animo, B. MARIAM Virginem fuiſſe ſuper omnium omnino Sanctorum atque Angelorum etiam ſimul ſumptam multitudinem gratijs & donis Spiritus ſancti locupletatam. Non improbabili diſcurſu, qui ad ſaporem pietatis facit, Sodalibus probari poteſt iſtud priuilegium. Cùm enim Virgo fuerit creaturarum omnium humillima, ipſa centrum fuit quodammodò omnium gratiarum: habent enim id gratiæ diuinæ cum grauibus commune, vt ad inferiora & humiliora vltrò deuoluantur. Iam verò vti centrum grauium vocatur locus ille, qui creatarum rerum omnium eſt imus; ita gratiarum centrum fuit cor MARIÆ, creaturarum omnium infimum, præſtititque gratijs eam quam rebus ceteris à centro fieri aiunt gratiam; vt nimirum in eo quieſcant, conſeruentur, vnianturque ad inuicem. nam, cùm ceteri gratiarum plurimas amittant, nulla vmquam Virgini data fuit, quam non conſeruauerit; & cui in corde ſuo, tamquam in loco naturali, quietem non dederit. Deinde, ceteris datur gratia per partes, MARIÆ totâ gratiarum plenitudo ſe infudit, vt S. Hieronymus ait; itaque vnitæ & collectæ ſunt omnes in corde ipſius, quod omnium gratiarum fuit veluti compendium. Perinde enim atque Deus, poſtquam cælum & terram molitus fuerat, totam-

Anima Virginis Deiparæ fuit centrum omnium gratiarum.

MARIA *eſt microcoſmus gratiarum.*

totamque absoluerat mundi machinam, vnum in hominem ita ingentia illa rerum molimina contraxit, vt in illo singula nobiliore quadam ratione contineantur, quàm sint per tantam vniuersitatem dispersa: ita Spiritus sanctus voluit in MARIÆ corde ponere omnium, quas vspiam dispergeret, gratiarum compendium; quod tamen omnia simul longo interuallo superaret. Vnde fit, vt, secundùm Petrum Damianum, Deus, vbi eum cepit quodammodo tædium aliarum creaturarum, vt istam quasi deponat ex animo molestiam, cum vnâ Virgine delectetur: ipse enim ad illa Cant.8. *Quæ est ista, quæ ascendit delicijs affluens, innixa super dilectum suum? Numquid*, ait, *in Angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit prauitatem? numquid in constellatione aut scintillatione stellarum, quarum aliæ conuertuntur in sanguinem, aliæ cadunt de cælo, aliæ tenebris obscurantur? numquid in aëre, vel in igne, vel in ventis? nequaquam, quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in spiritu Dominus, si verax est ille qui curru igneo & equis igneis est assumptus in cælum. numquid in aquis, vbi furens & tortuosus Leuiathan moratur? aut in terrâ, quæ sub maledicto Adæ spinas emittit & tribulos? Non est locus voluptatis, nisi vterus Virginis.* Sola Virgo in delicijs, quia vitijs omnibus caret, quibus ceteræ creaturæ inquinantur: cum illâ gaudet cor Sponsi eius, quia omnibus omnium creaturarum abundat gratijs; & præterea cum illâ Dominus tot tamque admirabilibus modis: ipse enim introduxit eam in cellam vinariam; ibi exhibuit ei vinum omne delectamentum in se continens, ibi perfudit eam voluptatibus paradisi, ibi se ei ostendit, & ad ipsam conuersio eius: maximè quando iam omnis caro corruperat viam suam, nec quidquam erat in mundo integrum aut sanum; tunc ipse tædio affectus omnium creaturarum, cum Virgine deliciabatur, vt vnà cum ipsâ noua faceret omnia, tunc ei omnem infundebat gratiarum plenitudinem. Quis

Cum Virgine deliciatur Deus, quando capitur quasi tadio aliarum creaturarum.

autem exprimat gaudij magnitudinem, quis comprehendat voluptatis dulcedinem, quæ Matri & Sponsæ pro delicijs à diuino exhibita sunt Sponso ac Filio in die solemnitatis & lætitiæ? ipsa sola est quæ indicare possit, cui soli datum est experiri: dicit autem Cant.2. v.4. *Introduxit me in cellam vinariam.* significans sibi collatum esse cumulum voluptatum omnium. & subiungit: *Ordinauit in me charitatem*; vel, vt Hebræa: *Vexillum eius super me charitas.* alludendo ad Regum in militibus conscribendis consuetudinem, vt ostendat omnium sibi datam gratiarum abundantiam. Solent enim ita partiri honorem, vt in pagis quidem singulos manipulos, in oppidis cohortes, in prouincijs legiones conscribendas curent; sed aciei totius instructionem in ipsâ regiâ faciunt ciuitate, vbi vexillum est regium & sedes regia: huc singulorum oppidorum & prouinciarum milites conueniunt, lustrantur, atque in exercitum ordinantur. Hoc in acie diuinarum gratiarum fecisse videtur Rex cælestis; dispersit alias alijs hominibus gratias: nam *diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & diuisiones operationum sunt, idem verò Deus.* Vnus enim idemque Rex, qui diuersas instituit gratiarum cohortes in diuersis animabus: sic *alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum; alteri fides*, &c. Quòd si cui sanctissimo ingens gratiarum data est copia, ea est instar legionis reputanda, quæ ex multis cohortibus in magnâ colligitur prouinciâ; gratiarum verò cumulus nulli præstitus purarum creaturarum, præterquam vni Dei genitrici MARIÆ: ipsa enim est ciuitas illa regia, quam cælestis Rex incoluit, & vbi sedem suam fixit. In hac ergo ciuitate omnes aliorum Sanctorum collegit gratias, & dona quæ illis contulit singula: in hac totam gratiarum aciem instruxit, vnde & dicitur *terribilis vt castrorum acies ordinata*; in eâ denique posuit vexillum suum regale charitatem. Hic ergo

MARIA ciuitas regia, ad quam fit omnium cohortium, id est gratiarum, collectio.

1.Cor.12. v.4.

Ibid. v.8.

Cant.6. v.3.

ergo intueri licet lustratum & benè ordinatum exercitum, & supra illum charitatem, id est vexillum quo Rex ipse vtitur: contulit enim in illam omnia charitatis signa, gratias omnes, omnes virtutes & dona vniuersa, qualia numquam vlli puræ concessa sunt creaturæ, neque omnibus simul creaturis. Audi Petrum Damianum Serm. de Assumpt. ad illa verba, *Electa vt sol: Nihil,* inquit, *habuit Spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet: multò enim altius aliquid habet claritas solis, quàm luna: quia, etsi illa minores stellas obscurat, non tamen penitus occultat; hic verò lucidiùs incandescens, ita sibi siderum & lunæ rapit positionem, vt sint quasi non sint, & videri non possint. Similiter & virga Iesse, veri præuia luminis in illâ inaccessibili luce prælucens, sic vtrorumque spirituum habebat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint nec debeant apparere.*

CAPVT XX.

Primam B. MARIAE *Virginis gratiam superasse omnes Sanctorum & Angelorum gratias, ex Psal.88. probatur.*

QVOD mysterium superiore Capite varijs sententijs & comparationibus illustrauimus, rursùm piâ Dauidis contemplatione ruminandum mancipijs proponemus. Certum est enim tum Patrum, tum vel maximè totius Ecclesiæ consensu, Regium istum Psalmistam Virginem nostram habuisse ante oculos, quando Psalmum octogesimum sextum decantabat: eumque in hoc mysterium animum intendisse, probant rationes fortissimæ, quibus ita irrefragabiliter confirmat hanc Virginis supra omnes Sanctos gratiam, vt hominis videatur præfractâ ceruice turgidi, ijs velle contradicere. Vide autem quàm solida ponat totius discursus de MARIÆ gratijs & priuilegijs fundamenta: incipit enim à primâ gratiâ, eamque supra omnia Sanctorum fastigia eleuatam non magis piè affirmat, quàm solidè probat, vt inde superstruendi Marianæ perfectionis ædificium sumamus occasionem. *Fundamenta*, inquit, *eius in montibus sanctis*. Propositionem hanc eamdem ijsdem pænè verbis affirmat Isaias 2. cap. v.2. *Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium.* de quâ in libr. 1. Regum cap. 1. S. Gregorius: *Mons quippe*, dicit, *in vertice montium fuit beatissima Virgo* MARIA, *quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transscendit. An non mons sublimis* MARIA, *quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis erexit?* Plena emphasi sunt illa verba, *Vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis erexit.* Sed singulis inhærere non possumus. S. Bernardinum in eadem verba tantùm audiemus Tom.3. Serm. 11. ita discurrentem: *Mons domus Domini eleuatur super omnes colles, quia Virginis altitudo sublimissima est super summos, & latissima super cunctos, & firmissima & inconcussa, vt moueri non possit.* Sed ad Psalmistam redeamus, admiraturi, quàm solidis hoc comprobet rationibus: ait enim: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Aduerte eum portas Sion cum tabernaculis Iacob, hoc est, primum Virginis introitum cum aliorum Sanctorum consummatione conferre: rationemque addit, quare sint illius principia illorum fini præferenda, quòd eam præ hisce dilexerit Dominus. Certissima, efficacissima, & vna rationum omnium ratio: cuius vim & efficaciam ex Valentino Archiepiscopo, Ordinis & temporis nostri sidere, B. Thomâ de Villanouâ licebit intelligere. is enim in Homil. de S. Ioanne Euang. *Nihil*, inquit, *Sanctorum probitatem & virtutem sic commendat, sicut, quòd à Deo dilecti sunt. Hoc namque inter amorem Dei & nostrum distare solet, quòd nos bonitatem in alijs diligimus; sed eam illos diligendo minimè præstamus: Deus autem quos diligit, diligendo optimos & illustres facit. Nos*

Prima gratia Deiparæ superauit aliorum

Sanctorum perfectionem. Psal. 86. v.1.

Dilectio Dei causa tantæ bonitatis in Virgine.

Deus amando facit bonos.

aliquid diligimus, quia bonum est; in Deo è contrario euenit, quia propterea aliquid bonum est, quia diligitur ab eo: est enim diuina voluntas formaliter & summè bona, bonificans (vt ita dixerim) omne quod amat. Omnis enim creata bonitas à diuinâ voluntate sicut à primâ bonitate dependet. Quod satis subtiliter probat Doctor sanctissimus: *Et ratio*, inquit, *hoc quoque suadet: nam cùm nulla creatura essentialiter & intrinsecè bona sit, vt est diuinitas, sicut in Euangelio Dominus ait; Nemo bonus, nisi solus Deus; sed ab extrinseco suam bonitatem participet & recipiat; hoc est, aliquid in rebus conditis esse bonum, primæ & supremæ bonitati esse conforme, id est, gratum & acceptum: quod fit, vt qui Deo gratus & charus est, eo ipso à priori (vt Logici dicunt) bonus & iustus infallibiliter conuincatur.* Attentione quadam est opus, vt Sanctum hunc profunda voluntatis diuinæ consilia ingredientem & explicantem sequi, indeque tandem cognoscere possimus, quid sit, *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Pergit ergo. ponamus, exempli gratiâ, quòd quis omnes virtutes & gratias possideat; si fieri posset, vt hic Deo inuisus & odibilis esset, eo vtique ipso bonus non esset: nam quomodo bonus est, qui summæ non consonat bonitati? Diuina voluntas omnium creaturarum prima regula est. Nam Deus, Apostolo teste, *operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Nos quidem omnia quæ rectè agimus, secundùm voluntatem consilij nostri agimus; Deus autem è contrario, secundùm consilium voluntatis suæ omnia operatur: in nobis voluntas consulit & sequitur rationem; in Deo autem ratio practica diuinam attendit & sequitur voluntatem. Quanta diuinæ voluntatis libertas, cui omne quod placet bonum est! Diligat Deus, & velit quidquid voluerit; omne quod ipse voluerit, eo ipso quòd volitum est, bonum est. Non est ibi petenda alia ratio: vnde superfluum & superbum, ne dicam stolidum & curiosum, videtur, quærere, cur Deus velit hoc; cur Deo placeat hoc vel illud: id namque est in

Ephes. 1. v. 11.

primâ omnium causâ petere causam & inuestigare rationem vbi non est. Ideò dicebam, sapientissimè Dauidem primo loco primam & solidissimam causam assignare, quare fundamenta B. MARIÆ Virginis sint supra montes etiam altissimos; quia scilicet Deus eam dilexit super omnes ceteros. Quæ dignitas, prærogatiua, gratia, priuilegium omnia superat quæ possunt à diuinâ liberalitate exspectari: nam quid sublimius creatura exoptare potest, quàm vt suo Creatori placeat, & diligatur ab eo qui fecit eam? aut quid illi amplius fauoris & honoris Conditor conferre potest, quàm vt placeat illi, & in oculis eius grata & accepta sit? Det omnia Deus, multiplicet gratias, dona conciliet, accumulet beneficia; nisi amauerit, nihil dedisse videbitur. Hoc est quod omnes maximè cupimus, hoc est quod desideramus, propter hoc indefessè & indefatigabiliter totâ vitâ laboramus, vt grati coram eo & accepti inueniamur: idque est, quod tamquam maximum Virginis priuilegium deprædicat Psalmista, vnde reliqua fluxerint: amor enim omnium donorum & bonorum est fons & origo. Solidissimè ergo probat, primam Virgini collatam gratiam omnium Sanctorum consummatam perfectionem superasse; quia fundamenta ipsius, id est, eam in vitæ initio plùs amauit, quàm alios omnes in fine itineris sui. Cuius ratio vlteriùs iterùm potest reddi ex primo dilectionis diuinæ fundamento. quod probat Apostolus Ephes. 1. v. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri* IESV CHRISTI, *qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in* CHRISTO, *sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per* IESVM CHRISTVM *in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in quâ gratificauit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius,* &c. Ex quibus verbis satis conijcitur, cùm omnia sint coram Deo tamquam non sint, nihilque tam sit grande

Causa dilectionis Dei erga Virginem CHRISTVS IESVS.

in

in oculis ipsius ex ijs quæ fecit, vt possit allicere ipsius amorem, vnum aliquid fuisse primò dilectum, in quo omnes creaturæ diliguntur, Dominum scilicet IESVM CHRISTVM, de quo dicit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* in quo Apostolus nos dicit benedictos, electos, prædestinatos & gratificatos Deo fuisse ante mundi constitutionem. Si ergo propter CHRISTVM & in CHRISTO diligatur, quidquid à Deo diligitur; ea quæ cum CHRISTO prædestinata fuit, & ita identificata, vt vna cum eo caro existeret, supra omnia quæ creata sunt dilecta fuit. mensura autem in Deo dilectionis, exhibitio est operis: qui enim quantum vult potest, is si quid vult facit. Dicit ergo Propheta, quòd numquam intelligere nobis concedetur, quantum præ alijs omnibus Matrem CHRISTI ditauerit Deus: quia numquam cor illud diuinum penetrare continget, vt videamus, quantum eam supra alios amauerit. Ad alteram igitur rationem pergit, vnde colligamus hanc gratiarum eminentiam: *Gloriosa*, inquit, *dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Non liber nobis, sed bibliotheca scribenda est, si conglobare velimus, quàm gloriosa & magnifica dicta sunt de Virgine hac. Nam *quidquid humanis dici potest verbis*, inquit Sophronius, *minus est laude cæli, quia diuinis est & angelicis excellentiùs prædicata & laudata præconijs; à Prophetis quidem prænuntiata, à Patriarchis figuris & ænigmatibus præsignata, ab Euangelistis exhibita & monstrata, ab Angelis venerabiliter & officiosissimè salutata.* Et S. Ildephonsus lib. de Virgin. Mariæ: *Spiritus sanctus de illâ per Prophetas prædixit, per oracula intimauit, per figuras innotuit, per præcedentia promisit, per subsequentia compleuit.* Iterùm de Assumpt. Serm. 1. idem Sanctus ait: *Ecce ad quam concurrunt omnia eloquia Prophetarum, ad quam omnia ænigmata concurrunt Scripturarum.* S. Bernardus, qui, vt alibi eum citauimus, dicere solet, *omnem Scripturam propter Virginem* MARIAM *factam* esse, etiam eleganter Serm. 2. super *Missus* dicit: *Nec noniter, nec fortuitò inuenta, sed à sæculo electa, ab Altissimo præcognita, & sibi præparata, ab Angelis seruata, à Patribus præsignata, à Prophetis promissa.* Et, vt semel dicam, omnes Spiritus sancti interpretes hoc putasse videntur, id sibi datum fuisse tantùm negotij, vt gloriosissimè de hac Virgine eiusque Filio loquerentur: nam Moyses vbi illam aduertit in rubo, quem innoxia lambebat flamma mirabiliter lucentem, exclamat: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam.* quam scilicet sibi dari videbat omnium scribendorum & agendorum finem. De Virgine dicebat Dauid: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* ipsam spiritu intuebatur, quando canebat: *Omnis gloria eius, filiæ Regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.* Ipsam in Canticis omnis pagina & linea loquitur; quando mirantur Angeli, quænam ascendat de deserto, vt virgula fumi composita ex aromatibus; quando agitur de ferculo Salomonis *de lignis Libani*; cuius *columnas fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum; media charitate constrauit*; quando filiæ Sion inuitantur, vt conspiciant Salomonem sedentem in throno & cinctum diademate, *quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Hanc Virginem cernebat Propheta Euangelicus, quando cap. 7. v. 14. dicebat: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* & rursum cap. 11. vers. 1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* De MARIA Matre Virgine cogitabat Ezechiel, quando loquebatur de portâ Orientali omnibus clausâ, præterquam Deo Israël. Ipsam nominabat vir desideriorum Daniel montem illum excelsum, vnde sine viri manibus desumptus est lapis angularis CHRISTVS IESVS, qui superbissimi Nabuchodonosor statuam comminuit. Ipsa est liber viuentium, in quo scriptum Spiritus sancti digito Verbum illud diuinum, quod in illâ caro factum est. Ipsa est mons iste, in quo *Dominus* fecit *populis* suis *conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ*, in quo requieuit manus

Marginal notes: Matth. 3. v. 17. — Psal. 86. v. 3. — Omnes Hagiographi loquuntur de Virgine MARIA. — Exod. 3. v. 3. — Psal. 131. v. 8. — Psal. 44. v. 14. — Cant. 3. v. 9. — Ibid. v. 11. — Isaiæ 25. v. 6.

Encomia Deiparæ Virginis.

manus Domini. Ipsa terra liberata communi maledictione, vnde formatus secundus Adam. Ipsa pyxis vnguenti pretiosi, ipsa oleum lætitiæ, ipsa flos immarcescibilis, purpura imperialis; ipsa, vti prosequitur Laurentius Iustinianus de Casto connubio cap. 10. *tabernaculum testamenti, templi propitiatorium, thronus Dei, virga florida, nubecula leuis, hortus conclusus, signatus fons, porta clausa, columna immaculata, rosa redolens, lilium candens, flos nitens, virgula fumans, oliua virens, vitis fructificans, cypressus se attollens, palma frondens, terebinthus se expandens, campus germinans, terra pullulans: est etiam ipsa gloriosa aurora surgens, lucifer rutilans, lunâ pulchrior, sole splendidior, auro purior, gemmis pretiosior, balsamo suauior, margaritis charior, nectare dulcior, omni harmoniâ delectabilior.* Ex quibus omnibus sic cum Dauide Prophetâ infero: Si tam multa dicta sunt de Virgine, vt de cunctis Sanctis & Angelis simul dicta non sint tam multa; si tam magna, vt de nullo similia; profectò, ne vel otiosa sit multitudo, vel falsa prophetiarum magnitudo, necesse est vt omnibus alijs maior & sanctior fuerit illa, de quâ tam multa & tam gloriosa deprædicantur. Iam cum Psalmistâ pergimus: *Memor*, inquit, *ero Rahab & Babylonis scientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illic.* Ecce autem tertiam rationem, quare supra omnes Sanctos etiam simul sumptos MARIAM gratiâ adimpleuerit; quia scilicet ante oculos habebat Deus omnem fidelium & infidelium, omnem iustorum & peccatorum, omnem Angelorum & hominum multitudinem, quæ ad eam debebat recurrere, vt omnes per eam gratiam acciperent. *Quid ergo mirum, si omnis gratia in MARIAM confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit?* Ipsa enim tamquam primus post CHRISTVM fons perpetuis scaturire debebat aquis, vt inde omnes ad satietatem haurirent: vbera illius tamquam matris gratiæ replenda erant cælesti dulcedine, quæ cùm in omnes effluxisset, non deficerent. Sed

Psal. 86. v. 4.

Omnes de gratiâ Virginis participare debebant.

S. Bonau. cap. 3. Speculi.

cùm de hoc plura Capite superiore dicta sint, sequentia videamus. Etenim *Sion dicet: Homo, & homo natus est in eâ.* id est, secundùm phrasim Hebraicam, Homo, cui nullus hominum est æqualis aut secundus; homo speciosus formâ præ filijs hominum; homo qui est principium & finis; homo qui post homines venit, & ante omnes factus est; homo qui in creaturâ cùm sit, simul est creator omnium; homo immortalis, & tamen mortalitate nostrâ indutus; inuisibilis, qui tamen *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus*; infinitus, & tamen castissimis Deiparæ visceribus circumscriptus; immortalis, qui tamen passus est pro nobis obediens vsque ad mortem; homo, qui simul æternus est in sinu Patris coæterni, & simul in tempore conceptus in vtero Matris suæ; qui in cælo cinctus est diademate gloriæ, interea dum in terris vallatus est miserijs nostris; qui istic residet in throno maiestatis, dum hîc suffigitur in arborem crucis; qui semper viuus, verè moritur; qui semper gloriosus, iniurijs afficitur; qui omnia iudicans, iniquissimè condemnatur; denique homo Deus, & Deus homo: hic est homo, & homo qui natus est in eâ, & qui ideò ipsam supra omnem hominum dignitatem & gratiam sublimauit. *Hæc est*, inquit S. Petrus Damianus, *in quam dulcis Dominus cum omni suâ dulcedine superuenit. Cùm enim fecerit Deus omnia opera sua valdè bona, hoc melius fecit, consecrans sibi in eâ reconciliatorium aureum.* Quam sententiam sic licet repetere, vt dicamus: Hæc est, in quam misericors Dominus cum omni suâ misericordiâ superuenit; hæc, in quam omnipotens, sapiens, iustus, sanctus Dominus cum omni suâ omnipotentiâ, sapientiâ, iustitiâ & sanctitate superuenit; & statim videbimus, quantam vim habeat istæc ratio ad probandum quod intendimus: *Homo, & homo natus est in eâ.* necessariò enim concludemus, quòd is qui omnia propter hominem fecit valdè bona, melius quid omnibus fecerit pro hoc hominum omnium homine. Extendit itaque Psalmista cogitationem in perfectionem

Ex eo quòd CHRISTVS tantus homo natus est de Virgine MARIA, colligitur magnitudo gratiæ ipsius.

Baruch 3. v. 38.

Serm. de Annunciatione.

Psal. 86. v. 5.

nem hominis Dei nati ex Virgine, vt inde probet, ſupra omnes homines eleuatam fuiſſe quæ in Matrem talis hominis electa fuerit. Atque hoc quartum eſt argumentum, quo firmat propoſitionem ſuam initio Pſalmi factam, quòd fundamenta eius in montibus ſanctis: cui iam quintum ſubiungitur: *Et ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Solent ij qui pingendi arte nomen ſuum celebrius reddiderunt, ſi quod opus præ ceteris diligentiâ & induſtriâ elaborarunt, illi nomen ſuum appingere; idque, vel vt ſibi apud artis peritos plus concilient exiſtimationis & famæ à præſtantiâ operis; vel, vt operi ipſi apud eos qui artem non introſpiciunt, faciant pretium ex appoſito magiſtri nomine. Fecerat Deus mirabilem illam machinam, quam *negotium ſæculorum omnium* non reformidat vocare S. Bernardus, quòd omnibus retrò ſæculis nihil aliud factitaſſe videretur, quàm diuerſis figuris, ſymbolis, prophetijs, hiſtorijs illi variè præludere; cumque non eodem omnes iudicij acumine præditos fore cognoſceret, qui opus illud diuinum erant aſpecturi, publicè ei nomen ſuum inſcripſit hac epigraphe: *Ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Vt ij qui perſpicaciori mentis intuitu admirabiles illas prærogatiuas, gratias & priuilegia perſpicerent, cognoſcerentque eximiam operis præſtantiam; inde aſſurgerent in laudem ipſius artificis, cuius diuina manus hoc molita eſſet, quod ipſi factum iam intuentes, fieri potuiſſe vix præ ſtupore crederent: ij verò qui non tantam rerum iſtarum aſſecuti eſſent notitiam, quòd terræ ſuæ terreniſque affectibus nimiùm affixi, vix in cognitionem perueniant rerum quæ ſupra humum vel tantillùm attolluntur; ſaltem opus hoc, quod non cognoſcerent, propter auctoris nomen venerarentur. nemo enim adeò eſt rudis, quin ſciat præclarum ſine dubio eſſe iſtud, & ſupra omnia quæ vulgò ſtupemus eximium opus, quod omnipotens rerum omnium Creator præ ceteris, publicâ inſcriptione eſſe profiteatur opus ſuum. Imò plus dicit Pſalmiſta: *Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & Principum, horum, qui fuerunt in eâ.* Quale enim exiſtimas eſſe opus, quod ideò fecit Deus, vt in generalibus omnium populorum comitijs illud iactet, tamquam ſingulare potentiæ & clementiæ ſuæ decus, de quo ipſemet tunc habebit orationem panegyricam, vt ex illo ſeſe omnibus oſtendat venerabilem? Quàm frigida eſſet iſta narratio laudum & prærogatiuarum Deiparæ, ſi adſtantes populorum Principes vel in ſe vel in alijs animaduerterent ſimilia ijs, quæ tamquam prorſus inaudita & ſingularia de Virgine deprædicarentur? quomodo ex iſtâ oratione excitaretur iſte applauſus qui ſequitur: *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te?* quod Chaldæus interpretatur: *Et dicunt cantica in choris, omnes ſpecies laudis ſuper ſacrificia dicuntur in medio tui.* Hac ſcilicet lætitiâ & plauſu excipietur iſta Filij Dei narratio, vt omnes canant, nulla ceterorum hominum, etiam perfectiſſima, bona opera eſſe cum vllâ parte laudum ipſius conferenda: atque hinc ex animo gaudentes, ei tantam gloriam & dignitatem gratulabuntur, & grati agnoſcent, *cantores quaſi in choris*, vt S. Hieronymus hunc verſum transfert, *omnes fontes mei in te.* id eſt: Omnium aquarum diuinæ gratiæ, quas Deus nobis abundanter communicauit, fontes & ſcaturigines in te ſunt; tantoque minores ſunt noſtræ tuis, quantò minor eſt aqua quæ ex fonte emanauit ipſo fonte: qui pænè infinities plus in virtute ſuâ continet, vnde poſſit ſemper hauriri, vt numquam deficiat. Hæc enim vltima eſt rationum à Pſalmiſtâ allatarum: *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* quòd ſcilicet omnium gratias neceſſariò ſuperet Virginis gratia, cùm omnium lætantium habitatio ſit in illâ. hoc eſt: Nemo lætetur & gaudeat aliquo dono, quod non in domo eius acquiſierit; & nemo ad habitationem eius accedat, quin lætabundus & auctus gratiâ inde recedat: plus enim omnibus poſſidet, quæ omnia dedit quæ reliqui habent; neque dando exhauritur, ſed potiùs diteſcit erogando. Concludo

Ex eo quòd Deus operi tanto, atque eſt MARIA, *nomẽ ſuum aſſcripſerit, colligitur eius præſtantia.*

Pſal. 86. v. 6.

Tamquam opus ſingulare laudabit MARIAM *Deus in comitijs populorum.*

Ibid. v. 7.

Quidquid vllus habet, à MARIA *accepit; ergo illa plus omnibus habuit.*

iam ego ex hoc Psalmistæ discursu: Si tanta, tamque gloriosa ipse dixerit de primis Virgineæ ciuitatis fundamentis, paria nobis affirmare licet de toto perfectionis ipsius ædificio: præsertim cùm tam admirabiliter prima ista gratia semper creuerit, vt, licet minima illa fuisset, peruenisset tamen ad eam perfectionem, ad quam concipiendam nulla posset humana cogitatio aspirare. de quo incremento breuiter Capite sequenti pauca tractabimus.

CAPVT XXI.

De augmento gratiarum in Deiparâ Virgine.

NIHIL Christianæ Philosophiæ professoribus familiarius, quàm vitæ spiritualis profectum mercatorum negotiationibus comparare. Præiuit omnium magister CHRISTVS Dominus noster, tum varias deducens à mercaturâ profanâ parabolas, tum disertè suis præcipiens: *Negotiamini dum venio*, Lucæ 19. v. 13. & Prouerb. 3. v. 14. Sapiens: *Melior acquisitio eius* (cælestis sapientiæ) *negotiatione argenti & auri.* Acturus ergo de acquisitis spiritualibus diuitijs eius, quæ propter negotiandi industriam & felicitatem dicta est nauis institoris; à mercatoribus transferam ea quæ solent eos ad exquisitas quasdam opes perducere, vt inde aliquâ ratione concipere possimus, quantas opes sibi congregauerit mercatrix illa, quæ, cùm multæ filiæ congregauerint diuitias, supergressa est vniuersas. Quatuor enim præcipuè reperio, quæ mercatori si adsint, perueniet haud dubiè ille ad eam, quam tot laboribus & periculis quærit, diuitiarum abundantiam: patrimonium scilicet lautum, siue ampla, vt vocant, summa capitalis, bona negotiorum directio, diuturnum negotiandi tempus, & occasiones lucrandi extraordinariæ. Eâdem prorsus ratione, quatuor illa si in negotiatione salutis æternæ reperiantur; faciet is, qui ea adhibuerit, insignem in gratijs accumulandis profectum. Nam & gratia sanctificans necessaria, quam nullis nostris

Quatuor necessaria ad felicem negotiationem.

meritis à parente optimo Deo veluti peculium accipimus, quo negotiationem incipiamus; quam & drachmam & mnam in Euangelio appellat Seruator: deinde cura requiritur perpetua, & accurata ad rem attentio: tertiò, vita longa in perpetuis transacta virtutum exercitijs: fauor tandem diuinus, quo ijs quempiam statuat in occasionibus vbi possit insigne lucrum facere; id est, vbi debeat difficilia & ardua vel agere vel pati, propter diuini nominis gloriam. Quæ singula cùm fuerint in Virgine tanta, quanta (si fortè viuendi spatium excipias) ne in omnibus quidem fuêre Sanctis; quamnam, Deus bone! illam existimabimus opulentiam, quam ipsa sibi congregauit? Atque vt singula, quantum rei magnitudo patitur, breuiter examinemus,

De peculio primo, siue gratiâ eius sanctificante, Capite superiore satis, vt puto, ex Psalmistâ probauimus, eam maiorem fuisse, quàm alterius cuiuslibet consummata fuerit sanctitas. Hîc tantùm gratiæ istius speciem & ornatum aliquem proponemus, vt videamus, quàm magnificè ad Virginem accesserit, vndique sibi conquirens ornamenta; & tandem, fassa sit se nondum ita comptam incedere, vt sine excusatione venire possit ad eam quæ esset electa in Matrem Dei: nam huic dignitati, licet primo originis instanti festina, licet debellato capitali suo hoste à peccato originali gloriosa, licet innumeris pænè ornamentis ditata veniat, se vsquequaque non respondere fatetur. Venit autem omnibus locupletata Spiritus sancti donis, omnibus gratuitis gratijs exornata; venit stipata agmine infusarum gratiarum, sed agmine tam insigni ordine disposito, tam diuite splendore fulguranti, tam admirabilibus cæli spolijs onusto, vt ex cultu ipso appareat, Dominam, quam cingunt, ad Dei Matrem eamdemque cæli Reginam properare: venit innixa infallibili constantiæ & finalis perseuerantiæ promisso. Sequitur verò ipsam iustitia originalis, trahens omnes gratiæ inimicos, reuinctis post terga manibus, exstincto eorum

Gratia sanctificans Virginis Deipara describitur.

rum

rum rege, omnis nequitiæ fomite, atque ita omnia ordinans, vt perfectissimè corpus rationi, ratio Deo obtemperet. adiungit se huic comitatui vsus rationis ipso conceptionis instanti præcipitatus, non per modum viatoris leuiter transiens, aut Dominam hanc quasi de viâ salutans, sed tamquam fidelis famulus perpetuo & constanti seruitio se ei addicens. quem etiam sequitur non inferioris notæ pedissequa, impeccabilitas quædam, tam absolutâ prædita iurisdictione, vt ad omnia prorsus sese peccata extendat. Hisce ornata diuitijs, comitata socijs, primo instanti venit ad Virginem MARIAM gratia sanctificans, atque diuitias omnes suas, omne comitum ornamentum, se denique & omnem famulatum suum ei tradidit: vt tantis aucta diuitijs, quantas cælum numquam ad terras transmiserat, ipsa acciperet nobilissimum, de quo agimus, gratiarum mercatum.

Sequitur, vt de attentione, curâ & diligentiâ, quam ad impendendam primam illam & reliquas deinde gratias adhibuit, videamus. Vbi hoc ante omnia notandum, difficile esse nobis cogitatione pertingere ad ea quæ de Virgine hîc dicenda sunt, propter difficultates perpetuas quas nos experimur in virtutum exercitatione, propter inclinationes vitiosas, furiosósque concupiscentiæ impetus, & insolitam malefaciendi consuetudinem, tum etiam propter inuisibilium inimicorum violentiam, qui sæpè ex insidijs, sæpè aperto Marte, nos vehementissimè adoriuntur: quæ priùs omnia à Virgine MARIA remouenda sunt, quàm negotiationem eius spiritualem cogitemus. Neque enim flagellum, hoc est, malignorum spirituum tentationes, appropinquauit tabernaculo ipsius, nec vlli fuerunt aduersus rationem motus in illâ carne, quam virtus Altissimi sibi consecrauerat: imò tam suauiter & vehementer ad benè faciendum ferebatur, vt ne perditissimus quidem tanto feratur in libidines impetu, quanto zelo illa quasi naturaliter in virtutem propendebat. Quo posito fundamento, facilior est ad summum illud fastigium ascensus; quò Virgo nostra quotidie gradiens de virtute in virtutem tandem peruenit. Sunt enim in primis ex Patribus non pauci, qui tam attentam eam fuisse ad rem existimant, vt numquam, ne quidem somno interposito, eam à lucrando destitisse existiment. nihil hîc attinet longos sententiarum catalogos attexere, cùm videri possint, S. Ambrosius lib. 2. de Virgin. B. Albertus Magnus lib. de B. Virgine cap. 176. 177. 178. S. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 20. §. 6. S. Bernardinus Senensis Tom. 2. Serm. 51. Rupertus lib. 5. in Cant. Dionysius Carthusianus in illud Cant. *Ego dormio.* Sunt qui actum amoris ipso conceptionis immaculatæ momento inchoatum, numquam intermissum aut remissum, sed semper auctum fuisse affirment. Sunt qui de Sanctorum aliorum profectu mira scribant, dicantque esse qui gratiâ cælesti egregiè impulsi, cooperatione generosâ atque actibus heroicis, longiùs vnius horæ spatio prouehantur, quàm multi alij toto vitæ tempore qui tepidiùs gratiam impendunt. hinc illa Sapientiæ 4. vers. 13. quorumdam laus, *Consummatus in breui expleuit tempora multa.* Iam si piè consideremus desuper venientium & Virginem impellentium gratiarum abundantiam, cui par nemini Sanctorum obtigit: si & hoc adiungamus, nullum Sanctorum in actu suo intensissimo tam perfectè, tam diligenter gratiæ datæ cooperatum fuisse, quàm Virgo Deipara in remississimo; quid tandem, tot actus, totque merita colligentes in vnum, de isto cumulo statuemus, quem ipsa sibi congregauit? Videbimus proximè sequenti Capite, an possimus calculando vllâ ratione ad concipiendam eius immensitatem peruenire.

Virgo liberrima ab omni virtutum remorâ.

Quanto studio Deipara gratijs sit cooperata.

Iam ad alterum negotiationis caput gradum faciamus, quod erat temporis, quod negotiationi impenditur, diuturnitas: quod cùm Virgini 72. annorum spatio determinatum obtigerit, hanc vnicam ex quatuor conditionibus esse dicebam, quâ Domina nostra omnem Sanctorum in vnum collectam multitudinem

Tempus quod Virgo negotiationi spirituali impendit, longissimum.

tudinem non superauerit. Nam de singulis liquidò audeam affirmare, neminem vmquam fuisse (ne quidem longæuos istos nongentorum annorum Patriarchas excipio) qui negotiationi huic plus temporis impenderit. Quod facile erit computare illi, qui vitam illorum longâ inutilem infantiâ, & post rationis vsum mediâ ferè parte somno sepultam, tum corporis necessitatibus addictam, negotijs à diuino cultu abstrahentibus occupatam, & inter peccandi occasiones alternis lucra damnaque patientem accuratiùs percurrerit; quâ ratione si inceperit calculum subducere, non valdè mirabitur, quòd dubitanter asseuerauerim, hac conditione à Virgine MARIA omnes simul Sanctos fuisse superatos; cùm dubium non sit, quin ipsa, si conferamus, plus temporis huic negotio impenderit adhuc in vtero matris, quàm, verbi gratiâ, Apostolorum aliquis toto vitæ suæ spatio; qui & somno, & corporis necessitatibus, & occupationibus, & anteactæ vitæ errata relegendo, multùm retardabatur à continuo isto in negotiando profectu, quem in Virgine MARIA vel maximè auxit.

Insignes lucrandi occasiones quas Virgo habuit.

Quarta negotiatoribus exoptanda conditio, occasiones insignes lucrandi: quæ Virgini nostræ toto vitæ tempore obtigerunt tam singulares, vt in singulis omnem inuestigandi modum perdat intellectus, qui eas perscrutari voluerit. Nam si breuiter aliqua percurramus, inueniemus in conceptione primam eius sanctificationem, de quâ suprà egimus; inueniemus natiuitatem ipsius, quando primùm ostensa terris nouum ortu suo attulit mundo natalem; inueniemus oblationem illam admirabilem, quando triennis virguncula sanctuarium ingrediendo templum sanctificauit, & posterius illud ædificium supra omnem Salomonici templi gloriam extulit. Quibus tribus temporibus non potuit non totum in gratias & priuilegia diffluere cælum: vt pro maiestate Reginæ cæli ac terræ augustior semper primùm vteri materni angustias & vitam nostram; secundò, mundi amplitudinem, & lucem communem; tertiò, templi sacraria, eiusque sanctissima adyta ingrederetur. Quid si pergamus ad illud punctum temporis, quo non cælum liquescens in gratias, sed cæli Dominus pænè in ipsam Virginem transmutatus, ad eam descendit, ex eius corpore corpus sibi formaturus; vbi Angelos reperiemus, qui non dico mysterium explicent, quod soli Deo est conceptibile, sed vel gratiarum abundantiam enumerēt, quibus tum fuit Dei Mater locupletata? nam ille qui maximam rei habebat intelligentiam, ac proinde legatione fungitur, rei magnitudine confusus, gratiâ quidem plenam appellat; quantum autem gratiæ contineat, quòd non comprehendat capacitatem illius, quæ infinitam Dei maiestatem vtero complectitur, non dicit. Et Eucherius ad Euang. Feriæ 4. Dominicæ 4. Aduentus ait: *Quæ cùm gratiâ plena sit priùs quàm concipiat; post conceptionem quantâ abundarit gratiâ, quis cogitare possit?* Et Sophronius Serm. de Assumpt. *Beata & gloriosa Virgo* MARIA, *quamuis dudum incomparabilis esset vniuersis quæ sub cælo sunt virginibus, vt decenter posset in se suscipere diuinitatis admixtionem, saluâ vtrâque naturâ: tamen, cùm gratiâ repletur, cùm Spiritu sancto perfunditur, cùm virtute Altissimi obumbratur; fit pretiosior, meritis celsior, sublimior fastigijs, pulchrior sanctitate, gloriosior suorum prærogatione meritorum, ita vt nullis iam vsibus sit ipsa mancipanda nisi diuinis.* Admirabile est quod de Virgine dicit auctor Glossæ Ordinariæ in illa Matth. 1. v. 25. *Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum.* Quòd scilicet aliquâ ratione Iosepho incognita fuerit Virgo Deipara post Filij conceptionem, eò quòd facies eius exhibraret diuinum cælestium radiorum splendorem, qui illum sacro horrore percuteret; sic tamen, vt internam generaret animi dulcedinem. Admirabilius quod affirmat S. Bernardinus Senensis, cuius verba alibi dedimus, quòd ipso in conceptionem Filij Dei consensu plus Virgo merita sit, quàm omnes Martyres in acerbissimis

bissimis doloribus, omnes Confessores in rigidissimis vitæ austeritatibus, omnes Virgines in perpetuâ continentiâ, imò plus quàm omnes qui in cælo sunt Beati in omnibus quæ exercuerunt virtutum operibus. Admirabilissimum verò id, quò inclinat S. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 17. §. 1. quòd scilicet illo temporis puncto claram habuerit Virgo Deipara visionem Dei, in eoque cognouerit mysterij, quod in eâ peragebatur, magnitudinem: quamquam hanc gratiam ei neget permansisse, velitque solùm exiguo illo tempore durasse. De reliquo autem tempore ne idem existimetur, cauet is, qui verbis suis sentiendi leges scribit omnibus Theologis, S.P.N. Augustinus Serm. de Assumpt. Tom. 9. Operum, vbi ait: *Ineffabilem enim sanctificationis gratiam, quam concipiendus præbuit conceptus, & natus non abstulit; quæ quantum in corpore valuerit Virginis, illi soli notissimum est, qui de eius naturâ naturam suscepit, quam candidit.* Iam quis dubitabit, quin gratiæ istæ, quas concipiendo Filium suscepit, in Matre vnâ cum Filio creuerint, purissimo partu auctæ sint, inter dulcissima gerulæ & nutricis blandimenta firmatæ, atque doctrinâ & præceptis Saluatoris sint corroboratæ? Denique, quis negabit, quin sanguine Filij sui, quem effundi videbat, irrigatæ, incrementa admirabilia sumpserint; maximè sub istâ arbore, vbi altero partu Filij sui Sponsa totam credentium multitudinem enixa est? Obijt iam mortem Filius, Matrem tertiâ die inuisit consolaturus: an putas vacuis id fecit à gratiâ manibus? Per ascensionem abit à mundo, dispertitur dona in suos: an non putas præcipuas Matris fuisse partes? Venit sanctus Spiritus, omnes replet: an non plus dabit Magistræ quàm discipulis, Reginæ quàm subditis, Matri quàm seruis? Discurre, quisquis es pio in Dominam affectu Sodalis, per omnes vitæ occasiones, & singulis pænè momentis aliquid reperies quod gratiam requirat singularem. Si enim Sponsa dicit de dilecto, *Anima mea liquefacta est, vt locutus est*; non dubitandum est, quin ad verba singula, ad gestus omnes, ad singulos oculorum obtutus Matri suæ singulares impertiretur gratias ille Filius, qui ideò maximè venerat, vt illam ditaret. Vnde aggregata est illa tandem gratiarum abundantia, quam ipsa vltimo vitæ suæ tempore habuit; cuius videamus an magnitudinem vllâ possimus ratione indagare.

Cant. 5. v. 6.

CAPVT XXII.

De vltima gratia quam Virgo habuit præstantiâ.

Ivimus à primâ gratiâ, ipso conceptionis instanti Virgini Deiparæ concessâ, per eas quas frequentibus deinde augmentis, non interrupto charitatis actu, toto vitæ tempore consecuta est: restat ergo, vt de vltimâ agamus, non de vltimo auxilio gratiæ, aut vltimâ sanctâ cogitatione illi datâ, non etiam de vltimo eius consensu, quo impulsui cælesti obtemperauit; sed de vltimâ gratiâ eius sanctificante, hoc est, de cumulo atque aceruo gratiarum, qui vltimo vitæ eius instanti reperiebatur in diuinâ illâ animâ post septuaginta duorum annorum solicitam negotiandi curam: cuius tantam fuisse magnitudinem in huius tractatus titulo proposuimus, vt omnium Sanctorum in vnum collectam gratiam superauerit. Tradit hoc diserté D. Bernardinus Senensis hisce verbis: *Virgo beata in conceptionis Filij Dei consensu plus meruit quàm omnes creaturæ, tam Angeli quàm homines, in cunctis actibus, motibus & cogitationibus suis. nempe omnes qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, nisi secundùm varios status & gradus gloriam sempiternam: hæc autem Virgo in illo admiranda consensu meruit totalem fomitis exstinctionem, dominium & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum*, &c. Idem quoque affirmat Balthasar Sorius, è gloriosâ S. Dominici Familiâ, in Mariali Serm. 2. de Concept. vbi sic habet: *Maior enim plenitudo gratiæ affluxit à* Christo, *siue per fidei intentionem antequam in-*

Tom. 1. Serm. 51. art. 3. c. 1.

carnaretur, siue per effectiuam causalitatem postquam incarnatus, in Matrem propriam, quàm in totam residuam Ecclesiam. Ac deinde quid nomine Ecclesiæ intelligendum censeat, ita interpretatur: *Ecclesia autem siue in Angelis, siue in primis parentibus, siue in Abel secundùm diuersitatem temporum & acceptionis illius consideretur.* Quæ deinde quæstio reuocata ad scholas, iam variorum ingenia pijssimè occupauit, vt solidè eam conarentur probatam omnibus persuadere: quorum pietatem ego ambabus manibus amplector & veneror; sed, vt ingenuè fatear, rationes quibus hactenus eam probare sunt conati, non conuincunt. nam calculatorium Francisci Suarez, viri sanè doctissimi, argumentum, quod Tom.2. in 3. part. dist.18. sect.4. conc.2. adfert, cùm ruinoso nitatur fundamento, vnà cum eo collabascat necesse est: putat enim, Virginem Deiparam secundùm omnes gradus intensionis, habitus, charitatis & gratiæ semper operatam fuisse, adeò vt præexistentis iam habitus totam vim sequenti actu exhauriret. quod à simili ex Angelis viatoribus confirmat: tum etiam, quia nihil in Virgine erat, quod vim istam habitus hebetaret, non fomes, non suggestio, non reliquarum rerum aliquid, cum quibus dum nos miserè colluctamur, exhauriuntur scilicet potentiæ, nec possumus totas spirituales nostras vires ad actus charitatis impendere. Cùm ergo Virgo beata, vti anteà diximus, in primo conceptionis suæ instanti maiorem gratiam & charitatem adepta sit, quàm supremus Angelus, aut felicissimus Beatorum; in primo actu charitatis, secundùm totam intensionem præcedentis habitus operata, ipsum gratiæ habitum conduplicauit (hoc enim etiam certum supponit, tot gradus intensionis accedere, quot actus ipse habuit;) secundo ergo actu eum triplicauit, ac tertio quadruplicauit, & sic vlterius. Vnde conficit, extremo charitatis actu, quo Virgo Deipara vitam absoluit, tantum gratiarum & meritorum cumulum eam obtinuisse, quantum reliquo totius vitæ antea-

Refutatur calculatorium argumentum P. Suarez.

cta decursu congregauerat. Cui argumento eo ipso nerui inciduntur, quòd probandum relinquatur, intensionem ac remissionem actus charitatis ex præexistenti habitu desumi: cùm, licet intensissimus sit habitus, si auxilium gratiæ vel sancta cogitatio sit remissior, producatur actus remissus; & si illa sit intensa, quamuis remissus sit præexistens habitus, producatur actus intensissimus: vt patet in quotidianâ tot peccatorum breui tempore ad sanctitatem aspirantium, & iustorum deficientium, experientiâ. Iam verò vnde probabitur, Virgini Deiparæ semper auxilia data fuisse intensioni habitus æqualia, cùm probabilius multò sit, habuisse eam etiam vicissitudinem? plus enim in incarnatione, verbi gratiâ, passione, & similibus occasionibus accepisse, quàm aliàs, iam suprà indicauimus. Deinde, vnde suspicari possumus, intensionem habitus intensioni actus respondere? cùm non physicè sed meritoriè producat, & meritum etiam ex alijs capitibus quàm ex intensione actus augeatur, duratione, verbi gratiâ, difficultate, &c. Solidiùs ergo se propositionem hanc confirmare putat P. Quirinus de Salazar cap.31. in Prouerb. ex officio Mediatricis, ad quod citat plurimas Patrum sententias; quibus ipsi colligunt, ex eo quòd omnibus gratia per Virginem detur, quòd ipsa omnibus gratijs abundauerit: sed, quo est candore, posteà fatetur, non satis firmiter etiam hoc argumentum concludere, cùm sanctus Petrus, verbi gratiâ, virginitatem possit impetrare à Deo, licet ipse virgo non fuerit. Quare ego etiamnum mihi placeo in istis, quas ex Psalmistâ cap.XIX. attuli rationibus: quæ si omnes in vnum conglobentur, vim eam facient intellectui, quam tot SS. Patribus attulerunt, qui eas accuratiùs & singulas & omnes considerantes, tam mira de singulari Virginis gratiâ protulerunt. Si enim reuocemus ad memoriam primam istam gratiam supra singulorum Sanctorum altitudinem, ingentem Dei erga Matrem suam amorem: quòd tanta & tam multa de

Quibus rationibus solidè probetur gratiæ magnitudo in Virgine.

eâ

eâ dixerit Spiritus sanctus in Scripturis: quòd omnes ad eam concurrant, qui Deo grati esse volunt: quòd homo Deus ex eâ natus est: quòd opus suum ipsam inscripto nomine fateatur: quòd ideò Virginem fecerit, vt eam mundo ostentet, tamquam præcipuum potentiæ suæ miraculum: denique, quòd nemo ad eam accedat, quin facillimè quod petit impetret, ac lætabundus discedat. Adde his actum charitatis continuum, & non interruptum, quem plurimi ei tribuunt, & meritum nullo tempore cessans, vsum Sacramentorum, actionem illam heroicam toties iteratam, quâ Filium suum dilectum pro totius humani generis salute offerebat, meritum consensus in incarnationem Filij Dei. Accedat Doctorum multorum opinio, quòd primus Angelorum plus gratiæ habuerit quàm omnes simul cælestes spiritus, tamquam primus in suo genere; quemadmodum sol primus corporum luminosorum omnia simul astra atque ignes superat claritate. accedat, quòd ipsa numerum creaturarum nusquam ingreditur, sed cum Sponso chorum particularem constituat (nam decem virgines, id est, omnes homines, obuiàm procedunt Sponso & Sponsæ) & quòd à personali vnione ipsa immediatè dignitatem suam accipit, tamquam Mater Filij Dei, cuius caro fuit illa quæ actualiter est Verbo vnita: denique, quòd cum Filio causa sit vniuersalis, Regina & Mater omnium electorum, & consequenter fons & origo gratiæ indeficiens: cui sine mensurâ gratia communicata est, vt numquam desit quod possit alijs dimetiri. Quis hæc, & ea quæ Capite superiore diximus, considerans, non conuincatur, & clarè videat, eam plus omnibus Sanctis accepisse gratiæ, quàm certum est ex dictis, plus omnibus amatam & gratam fuisse? Ideò S. Epiphanius in Orat. de Laudib. Virginis audacter dicit: *Gratia sanctæ Virginis est immensa.* Ideò S. Anselmus lib. de Excell. Virgin. *Immensitatem*, inquit, *gratiæ tuæ & gloriæ considerare cupienti, ô Virgo, sensus deficit, lingua fatiscit.* Ideò Damascenus Orat. 2. de Dormit. ait: *Virgo vitæ thesaurus, gratiæ abyssus immensa.* Ideò denique S. Bonauentura in Speculo cap. 5. sic ratiocinatur: *Immensa fuit gratia, quâ Virgo fuit plena. Immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud quo est plenum:* MARIÆ *autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui cælo maior fuit, continere potuit.* & mox: *Tu ergo, immensissima* MARIA *capacior es cælo, quia quem cæli capere non poterant, &c. tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, &c. Si ergo* MARIA *tam capacissima fuit ventre, quantò magis mente? & si capacitas tam immensa fuit, oportuit quidem vt illa gratia, quæ tantam implere potuit capacitatem, esset immensa.* Iuuat immensitatis illud, toties à SS. Patribus repetitum, audire vocabulum, ne facilè quis existimet, se posse in omnibus Dei seruis (quales se omnes sancti homines & Angeli gaudent profiteri) mensuram gratiæ inuenire, quæ Matris Dei gratiam possit adæquare: nam *in Matre Dei fuit gratia tali dignitati proportionata*, inquit D. Thomas 3. p. q. 7. art. 10. Proportionata autem non erit, nisi, quemadmodum illa dignitas maternitatis plus valet sine vllâ proportione, quàm seruorum omnium quantumcumque nobilium in vnum conflata dignitas; ita gratia Matri data sine proportione excedat omnes seruis suis collatas gratias: nam *Matri Dei plenitudo gratiæ debetur*, inquit S. Cyprianus Sermone de Natiuitate. Omissâ ergo incertâ istâ arithmeticâ calculatione, ita poterimus certiùs magnitudinem gratiæ Marianæ in confuso imaginari: Quæ primam gratiam habuit maiorem quàm vllus Sanctorum; quæ, omnibus ipsis simul sumptis, dignitate fuit præstantior; quæ numquam acquisitam gratiam vllo peccato imminuit; quæ singulis vitæ momentis eam auxit; & sæpè tam insigni ratione, vt vno actu plus aliquando mereretur quàm omnes Sancti simul obtinuerunt; quæ occasiones tales merendi habuit pænè infinitas, quales nullus Sanctorum vel Angelorum obtinere potuit; quæ septuaginta duorum

Gratia Matris Dei fuit tali dignitati proportionata.

duorum annorum spatio, & nouem in vtero materno mensibus, auarissima & capacissima donorum cælestium, nihil egit, nihil cogitauit, nisi congregare diuitias; debuit illa profectò non solùm Sanctos omnes superare, sed ad immensitatem quamdam omni humano & Angelico intellectui insupputabilem peruenire. Sodalium erit hic summâ cum fiduciâ ad vastum hunc gratiarum oceanum venire, vt hauriant de plenitudine eius, à quâ nemo vmquam recessit vacuus, qui se cum humilitate inclinauit vt hauriret, & cum fiduciâ manus & pectus aperuit vt caperet diuinas gratiarum aquas: nam de eius vtero, quasi de quodam diuinitatis oceano, riui & flumina emanant omnium gratiarum.

Affectus excitandus.

CAPVT XXIII.

Stella pænultima, ad vndecimam Salutationem Angelicam deuotâ contemplatione Coronæ Deiparæ apponenda.

MARIA *aucta iustitiæ originalis dono, & à peccatis etiam minimis omni vitæ tempore libera.*

AD pænultimam Salutationem Angelicam in mentem reuocatur B. MARIÆ Virginis immunitas ab omni prorsus peccato, siue eius impeccabilitas. Et immunitas quidem sine vllâ controuersiâ ei tribuenda, quam sub Vrbano II. Concilium Claromontanum ei asseruit, vt refert Vega lib. 14. in Trident. cap. 18. & Concil. Trident. Sess. 6. can. 23. eam expresse eximit ab illâ miseriâ, quæ omnes peccatis nos facit obnoxios. Impeccabilitas verò etiam commodè intellecta, vehementer facit ad augendam Virginis gloriam. De vtrâque breuiter suppeditabo aliquam piæ contemplationi materiam. Exprimit autem hanc libertatem à peccatis doctissimus Idiota Contempl. 2. hoc modo: *Tua gloriosa animæ nihil vmquam adfuit turpitudinis, vitij aut peccati; & nihil defuit spiritualis pulchritudinis, gratiæ aut virtutis.* Et S. Bernardus Epist. 174. disertè: *Ego puto quòd copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solùm sanctificaret ortum, sed & vitam deinceps ab omni peccato custodiret; quod nemini quidem alteri in natis mulierum creditur esse donatum.* Et S. Thomas 3. p. q. 27. art. 3. illis verbis, *Tota pulchra es, amica mea, tota pulchra es, & macula non est in te*, tantum tribuit, vt putet eorum veritatem non posse defendi, hoc Virgini negato priuilegio. Sed non tam affirmare rem certissimam, & iam fide definitam, Patribus cura fuit, quàm comparationibus & rationibus vel confirmare, vel illustrare: non enim alibi floridiùs luxuriant, aut solidiùs pugnant. Sanctus namque Epiphanius lilio candenti purissimum capitis argentum inter innoxias spinas illæsum extollenti eam comparat. S. Gregorius Neocæsariensis corpus auro probatissimo, animam verò niui candidissimæ componit. S. Richardus à Sancto Victore virgines omnes specula facit Agni immaculati; sed speculum sine maculâ, ne leuissimo quidem afflatu obscuratum, dicit esse hanc virginum Virginem MARIAM. Non mirandum esse contendit Sophronius, quòd pulchra & vnica appelletur columba, quandoquidem nihil in illâ sit inuenire, nisi puritatem, simplicitatem, veritatem & gratiam Dei. imò non secùs ac lana candidissima ostro coccoque sic imbuitur, vt nihil in eâ sit quod pretiosus color non intimè penetrat; ita vult idem Sophronius, Virginem nostram gratiæ diuinæ purpurâ sæpiùs tinctam fuisse, vt dibaphon ex eâ fieret cæli terræque Imperatori paludamentum; quod vtique non conueniebat vllis peccatorum sordibus conspurcati. Arrisit hæc Alcuino comparatio, ipsamque arripuit lib. 3. cap. 14. de SS. Trinitate. Eucherius Episcopus Lugdunensis eam interiori Principis cubiculo, omnium aromatum grato odore perfuso, similem esse existimat, & dicit: Vbi enim omnium aromatum fumus redolet, ibi fœtoris indicium esse non potest. Et S. Bonauentura

Deipara immunis à peccatis.

Variis similitudinibus illustratur immunitas à peccatis Deiparæ.

tura in Psalterio illi applicat verba illa, *Aedificauit sicut vnicornium sanctificium suum in terrâ*; vt ostendat, quòd non secùs atque monoceros innatâ sibi odoris dulcedine procul fugat à cubili suo omne veneniferum, ita Virgo odore aromatum suorum pepulerit omne peccati venenum. Et filius Virginis dilectissimus Bernardus in Serm. *Signum magnum*, postquam Matrem suam contemplatus est in veste illâ splendidissimâ, ex ipso confectâ lucis fonte & origine, irrito labore putat in luce ipsâ quæri tenebras, aut vmbram caliginis in ipsâ præstantiâ splendoris. Et quàm curiosè castellum illud, in quo IESVS à Mariâ, & Marthâ sororibus acceptus fuit, perlustrans, nullam istic Lazari inuenit mentionem; vt sciamus, actionis contemplationisque perfectionem, quâ innocentis virtutis summa absoluitur, in Dominâ nostrâ per castellum istud adumbratâ, reperiri nullâ pœnitentiæ necessitate, quâ opus non habet nisi qui mortuus fuit & reuixit, aut certè cecidit & resurrexit. Alij sunt, qui postquam per omnia quæ sub aspectum cadunt oculos circumtulêre, nihil præstantius inueniunt, quo explicent inuisibilem animæ Marianæ nitorem, quàm ipsam eiusdem corporis puritatem. *Congruum*, inquit S. Bonauentura, *etiam fuit, vt sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne*. Quæ sententia cùm inter stuporem dubios reddat mortales, vtram magis admirari debeant, mentis an corporis virginitatem; hoc tamen definit, quòd non magis dubitandum est, an omni maculâ caruerit peccati in mente, quàm, an omni carnali pollutione caruerit in corpore; nec minori curâ Spiritum sanctum integritati mentali præfuisse, quàm Filius corporalem intactam curauerit. Quod grauissimo comprobat testimonio Richardus de Sancto Victore Emmanuelis sui lib. 2. cap. 26. *Nisi* MARIA, inquit, *ab omni vitiorum contagione penitus purgata fuisset, Deum Dei Filium generare non posset*. Et acerrimus acutissimusque omnis orthodoxæ veritatis assertor S. P. noster Orat. 1. de Quinque hæresibus cap. 5. fulminando, vt solet, contra hæreticos, breuissimè ac neruosissimè fundamentalem rationem perstringit hoc modo: *Dicit tibi, Manichae, Deus creator hominis: Ego Matrem, de quâ nascerer, feci: ego viam itineri meo præparaui; hac, quam despicis, Mater mea est*. Nihil opus est ordine suo cogere in suffragia Patres, quando post Augustinum nullus sit in diuersa abiturus: tangit enim breuissimè omnia quæ ceteri vel ex Dei vel ex Virginis personâ adferunt, quare non potuerit, quæ Dei Mater esset, peccati fieri mancipium. Amplius hoc dicit S. Bernardus Epistolâ 174. *Decuit nimirum Reginam virginum singularis priuilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortisque pareret redemptorem, munus vitæ ac iustitiæ omnibus obtineret*. adiungens etiam hominum vtilitatem ad Dei Virginisque, quam S. Augustinus tetigerat, dignitatem. Coniungit vtrumque S. Bonauentura in 3. dist. 3. quo audito, Senatum hunc dimittemus: *Quoniam beata Virgo Aduocata est peccatorum, gloria & corona iustorum, Sponsa Dei, & totius Trinitatis triclinium, & speciosissimum Filij reclinatorium; hinc est, quòd speciali gratiâ Dei nullum in eâ peccatum habuit locum*. Non lubet in re tam certâ diutiùs hærere: nam, postquam iam Patrum gloriosa certamina Virginem Matrem nostram à labe originali vindicarunt, omnia illorum integris voluminibus consignata fortissima argumenta hanc conclusionem probant à fortiori; vnde paucis iam de impeccabilitate tractabimus.

CAPVT XXIV.

De impeccabilitate B. MARIAE *Virginis*.

NON ingrediar hîc subtilissimas istas cum Theologis disputationes; an impossibilitas illa fuerit antecedens, quæ, sublatâ libertate seu indifferentiâ voluntatis, prorsus eam cogeret ad non peccandum; qualem in B. MARIA Virgine agnoscunt Okam, Almainus, D. Bonauentura, & alij, qui zelo lon-

giùs remouendi à peccato Virginem, fortè meritorum eius gloriam non parum imminuunt: an verò consequentiæ tantùm illa fuerit impeccabilitas, cum quâ libertas vigorem suum obtineret, & à quâ merita non obscurarentur, sed magis clarescerent: an denique inde exstiterit, quòd Deus statuisset ei concursum subtrahere ad omnem actionem physicam, cui annexa foret moralis aliqua malitia. His, inquam, contentionibus omissis, ea tantùm adferemus, quæ ad intelligendam priuilegij dignitatem faciunt; ita vt nostram de formali impeccabilitatis causâ non celemus sententiam. Sunt qui, ex mente Doctoris Angelici, à gratiarum abundantiâ & plenitudine desumant hanc peccandi impotentiam: sed quænam, obsecro, gratiarum copia poterit tollere peccandi potestatem, licet impetu toto, vt in Virgine factum est, effundatur? neque enim ea est gratiæ natura: & tria tantùm sunt quæ naturæ rationis compoti adimant peccandi libertatem; vnio hypostatica, visio beatifica, & rationis perturbatio. Sed aiunt: Quemadmodum fluuius cælestis vndiq; riuulis potentior, magnâ aquarum vi præceps deuoluitur, ac secum omnia rapit verritque obstacula; ita beata Virgo, collectis vndique omnium gratiarum riuis, in quamdam immensam euasit gratiarum vim, vnde tanta in virtutem & honestatem nata propensio, tamque rapidus & præceps in bonum omne cursus, vt omnes peccatorum illecebras, occasiones, tentamenta & motus prauos aluei istius vis magna deuolueret ac demergeret. Sed hæc speciosiùs quàm solidiùs adferuntur: neque enim gratiæ istæ ita concurrunt ad bonorum actuum substantiam, vt earum operationem facilitent, aut promptitudinem propensionemque augeant; nec vlla gratiarum copia pugnat cum veniali culpâ. Alia est ergo assignanda vis, si fluuij rapidissimi comparatio placet, quæ mentem rapiat, quàm gratiarum. Est autem illa amoris vehementia, actu continuo, numquam interrupto, à primo conceptionis instanti bonis auspicijs inchoata, ac numquam vel intermissa vel remissa: quæ sic animum in Deum raperet, vt non tantùm peccata omnia prohiberet, sed etiam primos concupiscentiæ motus & libidinis contra rationem impetus coërceret. *Est enim*, ita ait Areopagita Dionysius, *mentis excessum & ecstasim faciens diuinus amor; amatores sui iuris esse non sinens, sed in ea quæ amant penitus transferens. Amatores*, inquit, *sui iuris esse non sinens*, non violatâ, sed ita applicatâ ad operandum libertate; vt, quamdiu in isto amoris actu persistit, nihil possit ingratum Deo, nihil virtuti contrarium suâ sponte moliri. *Quis autem dubitare potest* (S. Augustini sunt verba, relata à Doctore Seraphico in Speculo cap. 14.) *omnino in charitatis affectionem transiisse viscera* MARIÆ, *in quibus ipsa, quæ Deus est, charitas nouem mensibus corporaliter requieuit?* Animauit corpusculum suum solo amore Virgo; certè quamdiu vixit non amare potuit: quæ verò amat tam vehementi amore, vt non solùm transferatur cogitatione in rem amatam, sed etiam transmutetur in amorem; sine dubio peccati omnem non tantùm culpam, sed etiam vmbram fugauit amando, fecitque non solùm, vt non regnaret, sed, vt ne quidem habitaret in eâ peccatum; id est, non actus tantùm prohibuit, sed fomitem etiam sopiuit. Hæc ita clarè distinguit Apostolus: Rom. enim 7. v. 17. dicit de fomite: *Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* rursumque de actu peccati ad eosdem: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.* & suprà: *Sicut regnauit peccatum in mortem.* Et sanè eleganter S. Bernardus in Serm. super illud *Signum magnum*: *Longè aliter* MARIA *meruit non summatim tangi, sed operiri magis vndique, & tamquam ipso igne concludi: candidissimus sanè & calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in eâ non dico tenebrosum vel minùs lucidum, sed ne tepidum quidem, aut non feruentissimum, liceat suspicari.* Omnia peccatorum

Impeccabilitas non est ex gratiarum abundantiâ.

Ex amoris continuati vehementiâ impeccabilitas.

Rom. 6. v. 12.

Rom. 5. v. 21.

rum genera per gradus suos distinguit, amouetque à Virgine æstu isto ac luce, dum ait, *neque obscurum, neque minùs lucidum, sed ne tepidum quidem in eâ fuisse.* Olla feruens fugat muscas, quæ tepentibus molestè circumuolitant, easque quandoque leuiter degustant: non secùs feruor amoris molestias omnes concupiscentiæ longiùs abegit à MARIA. Tam est suauis hac de re S. Cypriani sententia, vt non videatur sine Lectoris iniuriâ posse omitti. ait enim Tract. de Natiuit. CHRISTI: *Præsentia paruuli sic eorum qui aderant oculos occuparat, sic illuminarat animos, sic corda illexerat, vt in hoc summo bono omnium bonorum vnita collectio videretur; nec opus esset euagari & mendicare per partes, quod simul in se vna fidelibus omnipotens infantia repræsentabat.* & paulò inferiùs: *Possidebat* (de Spiritu sancto agit) *domum suam, & templum, quod sibi consecrauerat, adornabat: seruabat sacrarium suum, & sanctimoniæ thalamum honorabat: lætificabant consolationes huiusmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reuerentia concupiscentiarum ludibria abigebat: legem mentis lex carnis non infestabat, rebellio nulla quietem spiritus affligebat. Paruulus sugens vbera purâ alimoniâ vtebatur, & fons sacri pectoris defæcatum edulium ori mundissimo infundebat. Sed & cor Matris quadam dulcedines, quæ humanum superant intellectum, imbuebant; eratq; vtrimque mera iucunditas, cùm pia sanctæ Matris & deuota humilitas, & Sancti sanctorum immensa benignitas confœderatis affectibus mergerentur.* Vbi noto verba, *Seruabat sacrarium suum, & sanctimoniæ thalamum honorabat*; & illa, *Lætificabant consolationes huiusmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reuerentia concupiscentiarum ludibria abigebat.* Quibus verbis subindicat binas alias priores ipso amore impeccabilitatis MARIANÆ causas: & posterioribus quidem inspirationem Dei perpetuam, quâ animum ipsius semper ad honestatem mirabili suauitate atque internâ consolatione instigabat; prioribus verò protectionem ac assistentiam externam, quâ ipsam ita vallabat, & simul honoris, simul securitatis, causâ ita stipabat, vt, sublatis omnibus de medio occasionibus peccandi, numquam minimo ad peccatum impulsu mens eius interturbaretur. Cui adiungit Galatinus lib. 7. de Arcanis mirabilem propheriæ in beatâ Virgine spiritum; qui veluti explorator vias omnes lustraret, &, si quid noxium occurreret, amoueret: *Inter ceteras perfectiones*, inquit, *eo prophetiæ spiritu donata est; vt, si fortè aliquid inconcessum seu illicitum vel visura vel auditura esset, illicò eius aures & oculi clauderentur; ita vt sensus eius vel membra nonnisi diuinæ voluntati deseruire viderentur.* De quâ Galatini sententiâ hoc est P. Petri Canisij, (quem Germaniæ Apostolum magnifico, sed non supra viri merita, vocabulo quidam appellant) iudicium, de Virg. lib. 1. cap. 13. *Etsi verò diuinare non possum*, verba Canisij sunt, *ex quo fonte Galatinus id depromat; tamen non dubito, quin prudentes omnes narrationem eius credibilem esse fatebuntur.* Fatebuntur, ego credo, omnes ij qui generale hoc admittunt axioma, Virgini Dei Genitrici concedenda ea omnia, quæ ad dignitatem eius pertinent, neque fidei principijs aduersantur. De externâ certè Angelorum stipatione manifestè docet S. Bernardus, eam ab omni labe fuisse custoditam, in Sermone qui inscribitur Laus MARIÆ: *In circuitu eius acies validas spiritualium virtutum, suo se inuicem ordine tuentium (siquidem ordinatione perseuerat dies) sed & innumerabilium beatorum spirituum militiam ad ministerium tantæ Principis delegatam fuisse nullatenus ambigimus; vtpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac prouiderent, ne præparatum æterno Regi hospitium alienus hospes inuaderet.* Addo & S. Anselmum libr. de Excell. Virgin. cap. 3. *Nulli*, inquit, *dubium, castissimum corpus & sanctissimam animam funditus ab omni fuisse maculâ peccati iugi Angelorum custodiâ protectam, vtpote aulam, quam suus & omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus erat, & ex quâ hominem in sua persona*

Tres aliæ impeccabilitatis causæ.

Donum prophetiæ mirabile.

Virgini adhibita frequens Angelorum custodia.

personæ vnitatem ineffabili fuerat operatione suscepturus. de hac etiam Psalmista: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* De internâ inspiratione ita Damascenus libr. 1. de Natiuit. *Sanctam omnem & cum animi vtilitate coniunctam cogitationem habes; contrà, superuacaneam omnem & animis exitiosam, antequam gustes, exspuis.* Et si erat ipsa B. MARIA Virgo purissimum SS. Trinitatis triclinium; nónne Pater omnipotens, cui competit irascibilis, roborabat illam contra omnem fastum superbiæ? nónne Filius sapiens, cui rationalis adscribitur, muniebat contra stolidam oculorum vanitatem? nónne Spiritus, cui concupiscibilis attribuitur, eam seruabat contra venenum voluptatis illicitæ? Obturatis autẽ hisce tribus peccatorum fontibus, vnde omnem scaturire malitiam docet S. Ioannes 1. Epist. 2. cap. nihil obstat, quo minùs tot munita præsidijs, omnino impeccabilis dici possit Virgo MARIA, quamquam nullam libertati vim adferat illa, vt iam explicata, impeccabilitas; atque ita crescat ex ipsâ hac peccandi impossibilitate meritorum gloria, quam vnicè semper procurare mancipijs proprium est pensum, iucundo semper labore euoluendum. Nihil enim suauius, quàm inter laudes has Virginis, veluti inter fragrantissima lilia, versari, & ex pulcherrimorum varietate florum corollas concinnare; imò ex dictis, cum S. Damasceno Ioanne, arcem construere poterunt ipso Sinâ monte sanctiorem: nam sic ipse Orat. 1. de Natiuitate vocat Dominam nostram. Nihil enim in arce quæ omnibus hostibus inexpugnabilis sit, reperies, quod iam in Virgine non ostendimus, vnde illa fuerit peccato omni impenetrabilis. Si enim situm naturâ habeat arx fortissimum, fortificationes operâ & industriâ accuratè munitas, militum denique vigilantem & multiplicem custodiam; non video, quæ vis tanta possit ingruere, cui non possit resistere. Et natura quidem, seu situs naturalis hoc loco alicui præstare potest, vt cuniculis clandestinis non sit obnoxius, neque scalis ceterísve machinis accessibilis, imò nec fatalibus nouorum tormentorum ictibus, quæ ineuitabilem rotare videntur perniciem. Subducit arces multas naturæ felicitas: felicitas autem summa hæc fuit in Virgine, quam initio huius priuilegij tangimus, aucta iustitiæ originalis dono; quòd scilicet loco tam pacifico & inaccessibili sita fuerit, vt etiam fomitem peccati exstinctum habuerit. Audi Richardum lib. 2. de Emmanuele cap. 29. ad illa verba, *Auferens bella vsque ad finem terræ: arcum conteret, & confringet arma,* &c. *Quæ est,* inquit, *ista terra, de quâ bella omnia fine tenus auferuntur, nisi illa, de quâ idem Propheta alibi protestatur, Veritas de terrâ orta est? De hac itaque terrâ omnis pugna tollitur; in hac terrâ pax plena reparatur. In arcu & sagittâ percussio quidem est, non tam virtuosa quàm artificiosa: è contrà in gladio & hastâ percussio quidem est, non tam artificiosa quàm virtuosa. Per arcus ergo intelligamus tentationes fraudulentas, per arma verò tentationes violentas. Attende itaque in quantæ securitatis arcem te erexit, ad quam nec violenta nec fraudulenta tentatio nullum de cetero accessum habere potuit.* Non suscipiam hîc probandam naturalem istam loci bonitatem; quòd nimirum iustitiâ originali fuerit prædita, & turpissimâ iniustitiæ originalis prole libera, fomite nimirum peccati; qui turpissimis ac Matre Dei indignissimis nominibus, aliàs concupiscentia, aliàs lex peccati, aliàs peccatum à Scripturâ, à Magistro verò Sententiarum *tyrannus*, à S. Basilio *innatus dæmon omnia praua suadens*; *Lernæi multicipitis serpentis truncus* à D. Chrysostomo vocatur; cùm & prius Dei Matris dignitas, & posterius rei indignitas, satis per se loquantur. Altera arcis fortitudo in manuali consistebat operum molitione; quâ ita roboratur, vt, licet multa natura negasset, arte tamen se immunem præstaret ab omni hostium incursu. quod perfecit vehementi isto amoris exercitio Deipara, de quo iam antè sumus locuti: *Ipsam* enim *velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit & igniuit; ita vt in eâ*

Spiritus

Psal. 90. v. 11.

Interna inspiratio Virginem seruabat à peccato.

MARIA arx fortissima peccato inaccessibilis.

Arcis fortitudo à naturâ & situ loci commendatur.

Arces muniuntur manu & arte.

Spiritus sancti flamma tantùm videatur, nec sentiatur nisi tantùm ignis amoris Dei, dicit S. Ildephonsus Orat. 1. de Assumpt. tamquam si imaginaretur, arcem hanc totam veluti ex ferro in propugnacula artificiosissimè ab amore fabricata, ac perpetuo eius igne rutilantia; ad quæ vel accessisse, perijsse sit hostibus. Iam tertia fortitudinis pars, quæ in Ducis prouidentiâ & curâ, in militum custodiâ consistit, vt cetera defuissent omnia, faciebat eam non tantùm inexpugnabilem, sed etiam inaccessibilem: nam, vt omittam istum, quem ex Galatino adferebam, spiritum prophetiæ excubitorem vigilantissimum, Angelorum tot millia, de quibus suprà S. Bernardus affirmat, Deum ipsum, qui vnus est Deus exercituum, sic pro eâ vigilasse, vt omnes vias eius dirigeret, nec fineret aliquid, non dico malum seu inimicum, sed ne minùs bonum aut non amicissimum ad eam appropinquare; *Nihil vmquam elegit*, ait ille Serm. 5. in Cant. *sibi* MARIA, *nisi quod ei Sapientia diuina demonstrabat: tantumq́, semper dilexit Deum, quantum à se diligendum existimauit.* Cùm ergo tot modis fuerit impeccabilis Virgo Domina nostra, sic tamen vt liberrimè non peccaret, nullâ adhibitâ voluntati violentiâ; memores sint serui eius hanc etiam stellam capiti Reginæ suæ imponere, eamque suppliciter rogare, vt eos ab omni peccato custodire, & prouidâ mentis suæ vigilantiâ noxia omnia ab ijs amouere dignetur, vt tandem sine omni maculâ & næuo possint illi in æternum famulari.

Tertia arcium securitas est Ducum & militum vigilantia.

Affectus excitandi.

CAPVT XXV.

Vltima stella, ad duodecimam Salutationem Angelicam deuotâ contemplatione Coronæ Deiparæ apponenda.

MARIA *generalis pro omni humano genere apud Deum Aduocata.*

VLTIMA prærogatiua, ad duodecimam Salutationem Angelicam expendenda, est, quòd Virgo sit communis & vniuersalis apud Deum Mediatrix & Aduocata. De quo B. MARIÆ Virginis priuilegio, cùm omnium, maximè nostram, spectet vtilitatem, paulò distinctiùs agam, vt clarè pateat, quantam in Dominâ nostrâ spem figere debeamus. Primùm ergo id ostendere conabor, quid titulus ille significet, & quàm latè pateat: deinde, quodnam sit talis Aduocatæ officium: tum denique, quàm aptè Domina nostra sit instructa ad exequendum munus suum.

Atque in primis Virginem dicimus, communem atque vniuersalem esse generis humani Mediatricem & Aduocatam. Quod intelligo Primò, quòd qui ad intimam Dei familiaritatem in cælis admissi sunt (vti terrenâ in curiâ fieri amat) pro multis intercedant, atque impetrent quæ pro illis efflagitant; MARIAM verò intercedere pro omnibus, ita vt multa singulis impetret, nec sit qui se abscondat à calore charitatis ipsius. Idiota sapientissimus hoc docuit de Contemplat. Virginis in prologo: *Ipsa est*, inquit, *thesauraria gratiarum ipsarum. Ceteri Sancti iure quodammodò patrocinij pro quibusdam specialiter sibi commissis plus possunt prodesse in curiâ calesti, quàm pro alienis; beatissima verò Virgo* MARIA, *sicut est omnium Regina, sic etiam omnium Aduocata & Patrona est; & cura illi est de omnibus.* Secundò, non ita intelligenda ista Virginis intercessio, tamquam communi aliquâ prece pro omnibus generaliter intercedat; hoc enim & reliquis Sanctorum persuadet in genus humanum charitas; neque istâ ratione ab alijs fuisset distinguenda; sed quòd pro singulis in particulari oret, singulorum memor: *Omnes ad se trahere cupiens, pro quibus in vtero gestauit Saluatorem*, ait Concilium Basileense sess. 45. Omnes ergò ingratitudinis rei sunt, qui Virginem MARIAM tamquam benefactricem suam peculiarem non colunt. Sed oportet nos hosce aduocationis Deiparæ veluti gradus adhuc multò attollere altiùs. Tertiò ergo dicimus, hanc intercessionem Deiparæ Virginis adeò esse vniuersalem, vt nemo Sanctorum efficaciter possit

MARIA intercedit pro omnibus,

& pro singulis in particulari:

nec Sancti intercedunt pro vllo sine eius voluntate.

possit pro quoquam intercedere, nisi MARIÆ calculus & suffragium accedat: Vt, quemadmodum periti Astrologiæ docent, solem atque astra reliqua nullam in terras influere virtutem, nisi priùs à lunâ vis eorum concipiatur, vnde in terram mox deriuetur: ipsa enim cum Venere caput regit, cum Tauro collum, cum Geminis brachia, cum Cancro pectus, cum Leone humeros seu scapulas, cum Virgine ilia, & cetera membra cum suis quæque astris: ita beatissima Virgo Sanctorum omnium, qui fulgent tamquam stellæ in firmamento, singulos in inferiora influxus excipit. Sancti enim, non secùs quàm stella differt à stellâ claritate, à se inuicem virtute distinguuntur; & habent quamdam cum sui similibus veluti astra sympathiam; ita videmus Virgines virginibus, Doctores doctoribus opitulari, atque eâdem ratione de ceteris ordinibus; imò alios alijs rebus quodammodò præsidere videmus: sunt enim qui fruges custodiunt, sunt qui pestem amoliuntur; aliorum patrocinio perdita recuperantur, aliorum redimuntur captiui; alij maritimis, alij terrestribus itinerantes periculis eripiunt. quin, propriore ad similitudinem nostram analogiâ, corporis nostri partes diuersæ pænè suos habent patronos: huic enim capitis, illi dentium, alteri oculorum, alteri gutturis, alij aliarum partium cedit cura; MARIA verò omnibus ordinibus, omnibus malis, omnibus membris præsidet, omnibus benefacit; neque Sancti vlli possunt quidquam præstare, nisi per manus eius transierit.

Virgo Deipara ex singulis bonorum generibus multa impetrat.

Quartò, beata Virgo non solùm determinata quædam bona, sed ex singulis bonorum generibus multa impetrat hominibus. Quod eleganter explicat S.Bonauentura in Specul. cap.3. *Omnia flumina intrant in mare, dum omnia charismata intrant in* MARIAM. *Flumen enim gratiæ Angelorum intrat in* MARIAM, *flumen gratiæ Patriarcharum & Prophetarum intrat in* MARIAM, *flumen gratiæ Apostolorum intrat in* MARIAM, *flumen gratiæ Martyrum, Confessorum, & Virginum, & Doctorum intrat in* MARIAM; *id est, omnia omnium gratiarum genera intrant in* MARIAM. *Sed quid mirum, si omnis gratia in* MARIAM *confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit?* Rectè ratiocinatur Seraphicus hic Doctor, ideò gratiam omnem MARIÆ datam, vt in promptu haberet quod omnibus largiretur: largitur enim singulis prout cuiusque status & conditio requirit, omnibus omnia facta, vt omnibus benefaciat. Quod eleganti explicat similitudine S.Ioannes Damascenus, qui sæpiùs in hisce Virginis encomijs audiendus. Orat.2. de Virg. Assumpt. ait: *Quicumque morborum sanationem, vitiosarum animi affectionum depulsionem, peccatorum oblitterationem; & in vniuersum, quicumque bonum aliquod sitit, cum fide ad me veniat, & ex ea gratiâ, quâ plena sum, hauriat. Quemadmodum aquæ, terræ, aëris, ac splendidissimi solis actio simplex licet atque vna sit; variè tamen, atque accommodatè ad earum rerum, quæ ipsius participes fiunt, naturam immutatur, fitq́ue in vineâ vinum, in oleâ oleum*, &c. *ad eumdem modum gratia quoque quæ in me est, quamuis vna sit; variè tamen, atque congruenter ad vniuscuiusque vtilitatem, eos, à quibus excipitur, beneficio afficit: nec verò ex naturâ meâ hanc gratiam habeo*, &c.

Quidquid impetrat quisque, MARIAE debet acceptum.

Quintò, B.MARIA Virgo impetrat singulis hominibus omnia quæ sigillatim cuique tribuuntur à Deo. Atque hoc est præstantissimum Mediatricis & Aduocatæ fastigium; ad quod nos perduxit Ferdinandus Quirinus de Salazar, qui hæc in Prouerb.8. cap. non accuratè minùs distinguit, quàm acutè disputat; probatque hanc vltimam gloriosissimamque B. MARIÆ Virginis sententiam illo communi laudes MARIÆ metiendi ac metandi canone; quòd laus illa neque fidei contraria, neque Deo iniuria sit, & rationi etiam dignitatique maternitatis consentanea. Hoc ergo menti obuersetur, quotiescumque MARIAM vel Aduocatam, vel Mediatricem generis nostri contemplaberis, quòd illius intercessio & preces ad omnes se extendant, non in genere tantùm, sed ad singulos in particulari; idque concur-

concurrendo cum omnibus alijs Sanctis in nostrum auxilium, non tantùm impetrando ex omnibus gratiarum generibus aliqua, sed etiam singula quæ dantur in particulari. Atque hoc est quod S.Bernardus ait Serm. de Natiuit. *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus & votis omnibus* MARIAM *hanc veneremur; quia hæc est voluntas Domini, qui totum nos habere voluit per* MARIAM. & rursùm Serm.3. in Vigiliâ Natalis Domini: *Sed quia indignus eras cui donaretur, datum est* MARIÆ, *vt per illam acciperes quidquid haberes.* O felicem mancipiorum conditionem, qui in familiam admissi sunt istius Dominæ, sine cuius intercessione nemo quidquam sperare potest bonorum; cui cùm esse debeat cura de omnibus, erit in primis de domesticis, siue ira Dei sit propulsanda, siue conciliandа diuini Numinis beneuolentia. Hiscè enim duobus capitibus continetur omne Aduocatæ ac Mediatricis officium. ad quod scientia, amor, & potestas requiritur: scientia, vt sciat necessitates clientis; amor, vt velit ijs succurrere; potestas, vt gratiâ valeat apud illum, à quo petit earum remedium. Quæ omnia in Virgine eâ ratione inueniuntur, vt nihil possit amplius ad perfectissimam totius humani generis Aduocatam desiderari. Nam quantum ad scientiam, certissima est D.Thomæ sententia, quòd nulli intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia, quæ ad ipsum spectant. Quid autem hominem spectat propiùs, quàm sua quemque familia? Cùm ergo alibi probauerimus, creaturas omnes mancipia esse B. MARIÆ Virginis, certâ consequentiâ ex Doctore Angelico inferre possumus, nihil Virgini deesse, quin cognoscat in Verbo, primò, omnes & singulos homines; secundò, omnes eorum actiones, verba, cogitationes; hæc enim omnia non tam ad nos, quam ad Virginem spectant, tamquam res eius propria: tertiò, omnes necessitates, pericula, & discrimina. refert enim ipsius scire quo in statu res sua sit; & oculi eius semper super suos: scit enim illa, quòd oculus Domini saginet equum, hinc illi cura est de omnibus. Vt omittam illam generalem ex dignitate eius probationem, quâ non infimi Theologi docent, Virginem videre in Verbo quidquid Deus videt scientiâ visionis, ijs solùm exceptis, quæ singulariter ad CHRISTVM, & ad interiores animi ipsius cogitationes spectant. magis enim ad rem nostram facit illa scientia quæ illi tribuitur, propterea quòd nos ipsius simus: hæc enim curam & solicitudinem parit, quæ eam spontè ducit, vt patrocinium nostrum suscipiat. Aduerterat hoc Idiota: *Virgo*, inquit, MARIA *sicut est omnium Regina, sic omnium Aduocata & Patrona est; & cura est illi de omnibus.* Molesta hæc foret & inutilis cura, nisi sciret, quid cuique obsit, quid commodum sit, quid quisque agat, prætendat, vbi perperàm, vbi rectè faciat. Patet ergo, scientiam habere singulorum Virginem MARIAM: quæ res omnia vehementer exstimulare debet mancipia, vti strenuè munere suo fungantur: in conspectu namque operantur istius Reginæ, quæ labores eorum singulos considerat, & stat auxiliari parata, si vspiam fatigati deficiant, vt statim petat & impetret à Filio suo laborantibus suppetias. De amore eius & voluntate, quâ cupit causam nostram bonam facere, vbique nobis adesse, sine intermissione orare pro nobis; non est quòd probetur ijs, qui toties audiuerunt in misericordiæ naturam transijsse MARIÆ viscera, ex quo ipsa, quæ ex Deo est, misericordia nouem in eâ mensibus requieuit: Deo quidem propinqua, & sic decet Aduocatam; non ideò tamen recessit longè à nobis. *Numquid*, ait S.Ioannes Damascenus, *quia deificata, ideò nostræ salutis oblita es? nequaquam Domina. Scis in quo discrimine nos reliqueris; vbi iaceant, quantum deliquerint serui tui: non enim ita memoraris misericordiæ Dei solius, vt misericordiam in nos non habeas; neque ita es impaßibilis, vt sis incompaßibilis.* Abest à nobis corpore, sed adest animo. sic enim Anonymus ait apud Metaphrasten in Vitâ Deiparæ: *Vt quæ iam corpore absens erat, animo*

Quid requiratur in Aduocatâ, vt munere suo possit efficaciter fungi.

Quanta sit Virgini Deiparæ de rebus nostris scientia.

Amor Virginis erga nos.

Orat.1.de Natiuit.

animo se adesse hominibus comprobaret, proderetq́, verum esse illud, Et deliciæ meæ esse cum filijs hominum; *atque Angelis iam tum ansam præberet exclamandi: Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens?* Quibus verbis non solùm suauissimus Virginis erga nos amor, sed etiam profundissimum in amore indicatur mysterium. Quod, vt faciat ad gustum omnium, condiendum est breui ex Theologiâ instructione. Cælestem illam gloriam, quâ nos aliquando Virginis intercessione fruituros speramus, conuiuio non incongruè comparari docet ipse, qui nobis illam præparauit, Saluator noster in Euangelio, quando sibi partes assumit ministri in isto conuiuio. Iam verò præcipuis quibusdam ferculis constat conuiuium, quæ sint eius quodammodò substantia; tum adiunguntur bellaria, similiaque fercula non ad maiestatem magis quàm ad recreationem, quibus conuiuæ delinianτur, quæ propriè delicias vocamus. Iam in cælesti illo conuiuio contingit, vbi cum reliquis Sanctis Domina nostra excipitur à Filio, vt non quinque tantùm, sed partibus propemodum infinitis, reliquorum portionem excedat pars Virginis: habet enim, tamquam præcipuam cœnæ substantiam, visionem & fruitionem diuinam gradu tam perfecto, vt vix analecta conuiuij virginalis videantur ceterorum fercula. tum his accedunt deliciæ, quæ illi tamquam Reginæ cælorum & Matri Dei sunt propriæ: quænam autem illæ? ipsa eas verbo indicat, dum dicit: *Et deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* id est: Hominibus adesse, illorum causam agere, illis patrocinari, illorum miserijs succurrere, hæ meæ sunt deliciæ. In his autem tam suauiter deliciatur, vt Angeli ascendenti occurrentes, prætermissâ substantiali atque præcipuâ eius gloriâ, hîc stupore hæreτent defixi, dicentes: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens?* Quis, putas, erat amor iste Virginis in nos, vt illo lætissimo suo die, quando à Filio in aulâ cælesti accipiebatur, à SS. Trinitate cæli & terræ Regina creabatur, quando ipsa pulchritudine suâ rapiebat oculos Sponsi sui, & vicissim ab eo rapiebatur, ita effusè nobiscum deliciaretur, vt hoc potissimum Angelorum incurreret in oculos, illosque in admirationem raperet, dicentes: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens?* Ponebat scilicet in eo non tantum voluptatis, sed etiam honoris & gloriæ partem præcipuam, quòd possit misero mortalium generi succurrere; quòd fieret non tantùm Regina nostra, sed etiam Mediatrix & Aduocata. Non conabor alijs argumentis singularem eius erga nos affectum declarare: qui enim Virginem tali tempore, tam festâ sibi totique vniuerso ac vniuersi totius Domino luce deliciantem nobiscum non stupet; non capietur vllo gustu tam excellentis amoris: qui verò delicias eas capiet, illi ostensum erit abundè, quanto impetu feratur Domina nostra ad benefaciendum nobis, quæ voluit patrocinium nostrum summo suo triumpho tamquam ferculum præcipuum annumerari.

Prouerb. 8. v. 31.

Cant. 8. v. 5.

Restat, vt quæ sit eius apud Deum gratia, ac consequenter, quàm sit potens Aduocata, breuiter videamus. Vbi magnificanda est illa Patris æterni ad Filij Matrem reuerentia; vt, licet iam iam stringendum fulmen in sceleratorum caput arripuerit, liberè possit ipsa pendentem in ictum dexteram continere, iratoque Deo leges præscribere, non percussuro, nisi Virgo manum ei remiserit. Vibrabat olim gladium suum Iustitia diuina, totumque perditura genus humanum, iam ictum librauerat; obiecit brachium suum Pater, Verbum nimirum per quod cælum & terram creauerat; sed non propterea ictum suspendit Iustitia, sed ferire certa tam valido nisu incubuit, vt Patris brachium, prout erat obiectum, hominem scilicet Deum in terram afflixerit, totumque colliserit: at verò obijciente se Virgine, subitò contrahit manum Deus, atque ictui parcit tantâ Matris reuerentiâ, vt obstupescat omnis creatura, plus Deum quodammodò Matri tribuere, quàm Filio dederit. Veluti tumentes super se fluctus Dei iram timebat

Potentia intercessionis MARIÆ apud Deum.

bat Propheta Iob, semperque pauidus incedebat, timens ne iam iam rueret præruptus aquæ mons, quem vertici suo impendêre videbat. Sed quàm benè nobiscum agitur, qui molem & montes insuper altos his fluctibus oppositos habemus! Ideò enim Deus MARIAM montem excelsissimum posuit in vertice montium, & supra omne quod infra Deum est eleuauit, vt nos tuti sub eo delitescamus: ibi namque diuini furoris æquora, alibi omnia secum verrentia latè, silent, ac stationem tutam præbent. Gladius anceps est ira diuina? Clypeus tutissimus est MARIA, omni gladio impenetrabilis: qui sub hoc absconditur, videbit hinc atque hinc cadentes alios, ipse securus periculi. Si cum furenti comparetur militum manu, qui irâ & auaritiâ feruentes, vltionis prædæque auidi, omnia latè depopulantur; turris Dauidica & arx tutissima est MARIA, vnde spectes, non sentias, ruinas ceterorum. Denique non tot in formas sese sceleribus nostris prouocatus Deus conuertet, vt puniat; quin toties se diuersâ virtute opponet MARIA, vt sistat iustissimam Dei indignationem: tantam enim in oculis diuinis illa inuenit gratiam, vt non possit omnis hominum nequitia efficere, quin plus MARIA valeat ad placandam, quàm ipsi ad irritandam diuinam iustitiam. Tam enim potentibus instructa est suadelæ subsidijs, vt non possit perseuerare vindicta, vbi MARIA adhibere statuit conciliatoria pacis argumenta: præterquam enim quòd fauus distillans labia eius, quòd mel & lac sub linguâ eius, quòd odor vestimentorum eius sicut odor thuris; tanta est vberum ipsius apud Deum gratia & reuerentia, vt, quotiescumque illa inter suauissimam orationem denudat, & cadentibus inter verba lacrymis compluit, non possit non moueri Filij Patrisque animus ad parcendum ijs, pro quibus tam potenter Mater deprecatur. Æstimat hanc eius potentiam Richardus à S. Victore ad illa Cant. 4. *Duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli. His hinnulis*, inquit, *dicta* B. MARIÆ *vbera comparantur: quia cùm tam Angeli, quàm Sancti pro peccatoribus soliciti sint, & eis tam meritis quàm intercessione subueniant; credendum est, beatam Virginem tantum in hoc posse, quantum vtraque simul creatura; imò vtrâque potentior iudicatur, quia vtraq. per hanc reparatur, & Angelorum ruina per hanc restaurata est, & humana natura reconciliata.* Et D. Bonauentura c. 6. in Specul. citat S. Augustinum hæc pronuntiantem: *Nec dubium est, quin quæ meruit pro liberandis offerre pretium, possit plus omnibus liberatis impendere suffragium. Tu enim*, sic Virginem alloquitur Germanus Patriarcha, *cùm habeas maternam apud eum fiduciam & potentiam, nos tuis interpellationibus ei efficis familiares.* Quænam illa materna fiducia, nisi quam matri suæ faciebat Salomon 3. Reg. 2. v. 20. *Pete, mater mea: neque enim fas est vt auertam faciem tuam.* hoc est: Ceteri rogant, tu iube; petunt, tu manda; impetrant, tu impera: neque enim fas est vt auertam faciem tuam; imò iustum est, vt obediam voci tuæ: non enim euacuabo præceptum, *Honora patrem & matrem*; sed potiùs perfectiùs quàm vllus mortalium adimplebo. Hac vti fiduciâ vtatur, Virginem rogat Ecclesia, quando eam orat: *Monstra te esse Matrem.* Monstra te etiamnum illam habere auctoritatem, quam habebas, dum Filius erat subditus tibi: monstra te non timere repulsam ab eo Filio, qui gaudet se posse gratificari Matri suæ. *Gaudet enim Filius*, ait Theophilus Alexandrinus in lib. de Incarnat. *orante Matre: quia omnia quæ nobis precibus suæ Genitricis euictus donat, ipsi Matri se donare putat, & acceptæ ab illâ sine Patre humanitatis vices reddere.* Magis hic Virginis extollit potentiam, quàm fortè rudiùs hæc verba percurrenti videatur. Cùm enim, communi Ethicorum iudicio, filij parentibus æquale reddere nequeant; videtur ex propriâ naturæ diuinæ generositate honestissimam Filius Deus cum Matre Deiparâ luctam suscipere, quâ contendat, ei pro acceptâ ab ipsâ humanitate æquales gratias rependere: quod cùm propter ingentia illa dona, quæ vnio-

Mons est MARIA iræ diuinæ fluctibus oppositus:

clypeus est contra gladium furoris Domini:

turris est, vbi delitescat ab irâ Dei peccator.

Valent nudata Matris vbera ad impetrandum.

Gaudet Deus, quãdo potest Matri suæ aliquid concedere.

nem hypostaticam consequebantur, & proprer suam propriam dignitatem efficere nondum potuerit; manet ingens in eo desiderium noua semper & noua in Virginem beneficia conferendi. quapropter gaudet ipse, si quam nos ei occasionem offeramus Virgini gratificandi; si nempe id ab illâ impetremus, vt pro nobis intercedat: *Gaudet enim Filius orante Matre: quia omnia quæ nobis precibus suæ Genitricis euictus donat, ipsi Matri se donare putat, & accepta ab illâ sine Patre humanitatis vices reddere.* Possem variè ex Matris dignitate, ex Filij obedientiâ & obseruantiâ, ex vtriusque benignitate, hoc argumentum amplificare, ostendereque, fieri non posse, vt Filius talis quid neget Matri tam gratiosæ: sed omnibus hisce maius quiddam suggessit gratitudo, cùm euincat etiam, gaudere Filium, si possit multa precibus ipsius concedere, beneficiumque reputare, si rogetur. Quanta, Deus bone! quanta animis nostris hic oboritur fiducia, vbi talem habemus Aduocatam apud Deum, à quâ magis ille gaudeat rogari, quàm nos dona ipsa, quæ petimus, accipere!

CAPVT XXVI.

Praxis recitandi serti stellati breuiter proponitur.

QVI ergo Dominam suam voluerit quotidiano hoc penso honorare, eâ quæ sequitur ratione instituere poterit singulare hoc pietatis exercitium. Primò, antequam accedat ad locum, vbi recitaturus est hanc coronam, cogitabit breuiter, quâ reuerentiâ interiori & exteriori sese componeret, si Reginam aliquam foret salutaturus, vnde omnia sibi bona speraret, & quæ orbe vniuerso infimis obsequijs coleretur: atque istâ cogitatione vestes, corpus & gestum omnem ad venerationem componet, itaque ad locum huic homagio destinatum accedet. vbi accesserit, etiamnum in pedes erectus, imaginabitur, quasi apertis cælis, videre se diuam Virginem à dextris Filij sui assistentem, à Sanctissimâ Trinitate Cælestibus omnibus hyperduliæ cultu adorandam proponi: quibus omnibus in terram procidentibus, ipse quoque in genua prouoluetur, ac ore vel mente in hæc verba prorumpet:

Adoro te, sanctissima Virgo & Mater Dei mei, eo cultu & veneratione, quam status ille tam sublimis, in quo te constitutam video, requirit; profitens me, & omnes omnino creaturas felicissimas esse, quòd te vt Dominam possimus adorare, & recenseri inter humillima tua mancipia: quorum ego omnium vilissimum gaudeo & exulto in hoc meo mancipatu, & in signum gaudij & plausus concutio hasce compedes & catenas, illisq; iterùm de nouo me tibi in seruum & mancipium do, dico, addico.

Si cui placeat diutiùs huic adorationi inhærere, exercere poterit hyperduliæ actum qui sequitur.

ACTVS HYPERDVLIÆ.

Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus MARIAM *hanc veneremur; quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per* MARIAM. S. Bernardus.

Regina cæli & terræ, Mater Dei & Domini nostri IESV CHRISTI, cùm honor ille, qui vni tibi tamquam Deiparæ debetur, cultus sit exterior interiori coniunctus, quem tibi natura rationis compos defert, eâ mente se submittendo, vt tibi debitum honorem reddat, paremque tuæ Maiestati obseruantiam præstet; ecce ego, quantâ possum animi submissione, coram sublimi tuâ Maiestate constitutus, ô Domina mea, palàm agnosco me esse seruum & mancipium tuum, in quod tu iure optimo, vt omnium Regina ac Domina, habeas non tantùm iurisdictionem, sed etiam despoticum atque absolutum dominium. Confiteor me nulla fortunæ, nulla corporis, nulla animæ bona habere, quæ tu non stricto iure, eo ipso quo mea sunt, possideas; siue quòd tu creaturam omnem, veluti coëmptam, in libertatem asserueris; siue quòd verè Spiritus sancti Sponsa effecta, dotis nomine cælum & terram acceperis; siue quòd, quia Rex est Filius tuus, idemque Domi-

Dominus vniuerſorum, ideò tu, quæ eum genuiſti, & Regina & Domina propriè & verè cenſearis; ſiue denique, eo ipſo quo Deipara exiſtis, propter iſtam propemodum infinitam dignitatem & excellentiam debeatur tibi abſolutum in creata omnia dominium: ego ſanè me omni proprietate, quæ à te non dependeat, exſpolians, defero omnia mea ad ſolium Maieſtatis tuæ debitâ eorum in manus tuas reſignatione, agnoſcens tuum in ea dominium, ac ſimul ſummam tibi, veluti Reginæ cæli ac terræ, veluti bonorum omnium poſt Deum fonti & origini, veluti digniſſimæ Dei Genitrici, obſeruantiam venerationemque exhibeo. Placet omnino, etiam perplacet, quòd, cùm nihil ego ſim, & nihilo plus poſſim, cùm nihil habeam, & nihilo plus acquirere viribus meis valeam, benigna Creatoris & Seruatoris mei diſpoſitio fuerit, vt ex benignitate tuâ res omnes meæ ſaluſque omnis dependeat. Et verò bonum eſt mihi ſic eſſe, neque vmquam manumiſſionem ab hac ego ſeruitute deſidero. melius enim eſt mihi tuum eſſe eâ ratione mancipium, quàm totius orbis obtinere imperium: atque eam ob rem inuito inuocoque beata Cherubim & Seraphim, ac beatos omnes ſpiritus, totamque Curiam cæleſtem, ac creaturas vniuerſas, vt vnà mecum colant, venerentur, & debitis honoribus proſequantur tantam Maieſtatem; cumque illis omnibus nunc ego te, Domina mea, veneror, ac Maieſtatem tuam agnoſco. velimque prætereà huic meo muneri, quod nunc exſoluo, omnem eum cultum coniungi, qui hactenus tibi à creaturis impenſus eſt, quem tibi Filius tuus in terris exhibuit, & etiamnum exhibet in cælis: quemque tibi exhiberi æquiſſimum erat ab ijs qui non cognouerunt fructum ventris tui Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM. atque ita iſtud omne religioſæ venerationis tributum, ex rebus omnibus collectum ſimul, iam tibi ſummo hyperduliæ cultu repræſento. Ad extremum, tibi, mea & rerum omnium Domina, res ipſas omnes redhibeo, ac ſpeciatim tibi, veluti officioſum mancipium, conſecro omnes cogitationes meas, ſermones, & actus tum interiores tum exteriores: ſimulque obteſtor, cùm maior à me paupere ſeruo tuo exſpectari non poſſit cultus, vel obſequium, vt, quoniam me in tibi obſequentium numerum familiamque adlegiſti, ſemper adimplere valeam tuam ac dilectiſſimi Filij tui voluntatem.

Hiſce peractis, mentem & oculos eleuans ad Deum Patrem, dicit: *Ago tibi gratias, Pater æterne, pro omnibus beneficijs quæ tam profuſâ manu in Dominam meam contuliſti; ac nominatim, quòd eam titulo tam ſingulari in Filiam tibi adoptaueris. Pater noſter.* Cui abſoluto ſubijcit quater Salutationem Angelicam, toties Virgini diuerſa à Patre beneficia gratulaturus. Poterit autem cuique Salutationi Angelicæ poſt illa verba, *Sancta Maria*, loco vocis, *Mater Dei*, adiungere vnum ex his verſibus; priuilegium quod ei nominatim gratulatur, exprimentibus; & primæ quidem,

Sancta Maria, Patris æterni titulo ſingulari Filia, ora pro nobis peccatoribus, &c.

2. *Sancta Maria, ante omnes omninò puras creaturas prædeſtinata, & omnium primogenita, ora.*

3. *Sancta Maria, ab omni æternitate in Matrem Dei præelecta, ora.*

4. *Sancta Maria, gratiâ prorſus ſingulari, vt ſine omni labe originali concipereris, præſeruata, ora.*

Tum mente conuerſus ad Deum Filium dicet: *Ago tibi gratias, Fili Dei vnigenite, pro omnibus beneficijs quæ tam profuſâ manu in Dominam meam contuliſti; ac nominatim, quòd eam in Matrem tibi aſſumpſeris. Pater noſter.* Rurſumque Salutationibus Angelicis adiungitur vt ſuprà.

1. *Sancta Maria, Filij Dei Mater, ora pro nobis peccatoribus*, &c.

2. *Sancta Maria, quæ virginitatis vexillum prima mortalium, nuncupato ad id voto peculiari, erexiſti, & virgo ante partum, in partu, & poſt partum intacta permanſiſti, ora.*

3. *Sancta Maria, admirabilibus*

 modis

modis res vna cum Deo effecta, ora.

4. *Sancta Maria, cæli ac terra Domina, hominum pariter & Angelorum Regina, ora.*

Tertiò denique Spiritum ſanctum ita alloquetur: *Ago tibi gratias, ſancte Spiritus, pro omnibus beneficijs, quæ tam profuſâ manu in Dominam meam contuliſti; ac nominatim, quòd eam in Sponſam tibi delegeris. Pater noster.* Ac rurſum quater dicitur Salutatio Angelica: quarum primæ adiungitur,

Sancta Maria, Spiritus ſancti Sponſa, ora pro nobis peccatoribus, &c.

2. *Sancta Maria, omnium donorum & virtutum plenitudine ſuper omnes Sanctos & Angelos locupletata, & per quam accipere debemus quidquid à Deo bonorum ſperamus, ora.*

3. *Sancta Maria, aucta iuſtitia originalis dono, & à peccatis etiam minimis omni vita tempore libera, ora.*

4. *Sancta Maria, generalis pro omni humano genere apud Deum Aduocata, ora.*

Concludet vel cum illâ Oratione, quæ Sodalibus quotidie recitanda in Regulâ 1. commendatur, & habetur lib. 4. cap. 8. vel certè hac, quam S. Franciſco fuiſſe familiarem ait Caniſius lib. 5. cap. 27.

OREMVS.

Sancta Maria Virgo, non est tibi ſimilis nata in mundo in mulieribus, Filia & ancilla altiſſimi Regis, Patris cæleſtis, Mater ſanctiſſima Domini noſtri IESV CHRISTI, *Sponſa Spiritus ſancti, ora pro nobis cum S. Michaële Archangelo, & omnibus Virtutibus cælorum, & omnibus Sanctis, tuum ſanctiſſimum Filium, dilectiſſimum Dominum & Magiſtrum noſtrum, Amen.*

Ne autem dulcedo & fructus ſpiritualis, qui pendendo iſtud tributum quotidianum percipitur, exigui ſit temporis, ſed ſæpiùs per diem renouetur; crebriùs in ore habebunt Sodales breuem iſtam orationem iaculatoriam, quam Simon Garcia, Ordinis Minimorum non exiguum lumen, pænè ſemper recitabat:

Aue Filia Dei Patris,
Aue Mater Dei Filij,
Aue Sponſa Spiritus ſancti,
Aue templum totius Trinitatis.

Habetur ea aureis litteris deſcripta in ſacriſtiâ Lauretanâ; adſcriptumque eſt, plenariam eſſe conceſſam Indulgentiam omnibus eam recitantibus, quotieſcumque eam iterauerint.

Hæc ſunt quæ breuiter de Coronæ minoris recitatione declaranda putaui; omnes & ſingulos, qui gaudent titulo mancipij, obſecrans atque obteſtans Sodales, ne grauentur quordiebus eam vertici Dominæ ſuæ imponere, multiplici duodecim iſtorum priuilegiorum contemplatione exornatam; ita fiet, vt non longo diurni operis penſo ingentem ſibi accumulent bonorum theſaurum. eſſe enim hanc exercitationem quàm gratam beatæ Virgini, tam vtilem nobis, hiſtoriâ oſtenditur memorabili ex relatione cuiuſdam Abbatis in Appendice Speculi exemplorum; quæ non poteſt hic omitti, vt videant mancipia B. Virginis, quid ſperare debeant à tam benignâ Dominâ, quæ ſoleat tam liberaliter ſeruorum obſequia remunerari. Cùm viri tres (ſic ibi narratur hiſtoria) quamdam peregrinationem inſtituiſſent, die quadam cupidè iter ingreſſi, ex ijs duo à viâ aberrantes ſiluam ingreſſi, in latrones inciderunt, à quibus ſpoliati & interfecti ſunt: tertius corollam hanc quotidie magnâ animi pietate & corporis reuerentia recitare ſolitus ſubſequebatur, periculi ignarus; ſed cùm eoſdem graſſatores offendiſſet, qui eum pariter necare cupiebant, impetrato tantillo temporis ſpatio, in quo ſuam corollam deuotus Virgini offerret; mira res! extemplò inter recitandum ei nec videnti, nec ſcienti, aſtitit vt ſol ſplendens in aureo throno Virgo glorioſa, & cum eâ SS. Catharina & Lucia, quarum erat ille vnicè amans & ſtudioſus. Hîc ad ſingulas Orationes Dominicas rubicunda, ad ſingulas Salutationes Angelicas candida roſa ex ore eius prodibat; eaſque iuſſu Virginis legens S. Catharina, S. Luciæ tradebat, quæ eas circulo aureo filo argenteo colligabat. Abſolutâ corollæ recitatione, Deipara Coronâ illâ roſis nimiùm

Vſus ferè huius ſtellati commendatur inſigni hiſtoriâ.

nimiùm redolentibus distinctâ, hominem illum sui peramantem ac deuotum redimiuit, ac statim abscessit. Latrones hæc omnia adspicientes, rogant hominem, quænam mulieres illæ essent; respondet is, neminem se vidisse, sed Deiparæ pensum corollæ exsoluisse. Narrant illi quæ viderant, coronam in capite eius vestigium huius beneficij admirantur. Intellexit ille tandem Virginis beneficium; & coronâ ex capite manibus reuerenter acceptâ, ingentes gratias egit Virgini. Eâ re permoti latrones, sua scelera detestati, in viros optimos euaserunt; ille verò, sæculo relicto, Religionem ingressus, sese Virgini studiosè sanctèque deuouit. Hæc ibi. Quæ fidem eò maiorem exigunt, quò magis clementissimæ Virginis indoli consentaneum est ita cum seruis suis deliciari, ac signis exterioribus ostendere, quàm sibi grata sint eorum obsequia.

Non omittam, paulò ibi aliter duodecim illa priuilegia recenseri, quàm nos ea superiùs distinxerimus: sed eam, quam dedimus distinctionem, retinendam ac breuiter explicandam censui; tum quòd aptè mancipijs conueniat, propter triplicem istum ad Sanctissimam Trinitatem respectum, vnde omnis Virginis dignitas, & super alias creaturas dominium: tum quòd illa ipsa priuilegia ita mihi fuerunt à Serenissimâ Infantâ Margaretâ transmissa, vt mancipijs sic proponenda curarem, quemadmodum iam in Hispaniâ longo vsu distribuerentur. Si quis tamen superiore permotus historiâ, religiosiùs vellet illa ipsa inter recitandam corollam in memoriam reuocare; non grauabor illa ex eâdem Appendice ad sensum transscribere. Primum, copiosissima gratia in sacratissimâ conceptione Virgini collata. Secundum, Angelica salutatio. Tertium, Spiritus sancti superuentio. Quartum, Filij Dei conceptio. Quintum, Virgo fuit sine maculâ, & virginitatis primiceria. Sextum, sine corruptione fecunda. Septimum, sine grauamine grauida. Octauum, sine dolore puerpera. Nonum, magnanimitas fidei in credendo. Decimum, profunda humilitas in obediendo. Vndecimum, maxima verbi discretio in loquendo. Duodecimum, summa perfectio & perseuerantia operis in agendo.

CAPVT XXVII.

EXERCITIVM TERTIVM, *siue tributum hebdomadatim Dominæ pendendum.*

Est Rosarium magnum, siue Psalterium quindecim decadum, quod ita diuidemus, vt saltem semel per hebdomadam totum absoluatur: de cuius vtilitate, modo recitandi, miraculis quibus commendatur, nihil dico, cùm & alij multi, & præsertim Patres Ordinis S. Dominici (qui primus Rosarium hoc plantauit in Ecclesiâ Dei, aut certè vix vspiam cognitum latissimè propagauit) libros plurimos de hac materiâ accuratissimè conscripserint; hîc tantùm ex Ludouico Blosio describam modum quemdam recitandi illud singularem, ita vt vitam Christi pænè omnem complectatur; quo tertiò repetito, totum Psalterium absoluitur.

Lvdovici Blosii *Rosarium, seu sertum B. Virginis* Mariæ, *quinquepartitum, vitâ & gestis* Iesv Christi *pulchrè exornatum.*

PARS I.

Pater noster, &c. Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesvm; quem tu Virgo purissima, Angelo nuntiante, de Spiritu sancto in ciuitate Nazareth concepisti, ac nouem mensibus in castissimo vtero tuo gestasti. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo Iesv Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesvm; quo concepto, tu Deo plena ad Elisabeth cognatam tuam cum festinatione perrexisti, & eam salutasti, eique humiliter seruiuisti. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo Iesv Christo placeamus, & eum te-

que videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; quem in Bethlehem in vili stabulo tu Virgo inuiolata non solùm sine dolore, sed etiam cum ineffabili gaudio peperisti, natumque mox vt verum Deum deuotâ mente adorasti. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; quem infantulum vagientem virgineo lacte pauisti, panniculisque inuolutum in præsepio super fœnum & stipulas reclinasti. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; quem recèns natum Angeli pastoribus gratulabundi nuntiauerunt, & eum lætis vocibus collaudantes, pacem hominibus bonæ voluntatis cecinerunt. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; quem pastores festinanter pergentes in Bethlehem inuenerunt positum in præsepio, & eum adorauerunt cum ingenti admiratione & gaudio. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui octauo à natiuitate suâ die dignatus est purissimum sanguinem pro nobis fundere, & circumcidi, atque ad nostram consolationem IESVS nominari. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; quem Magi ab Oriente venientes piè quæsierunt, & magno gaudio perfusi stellâ duce in Bethlehem inuenerunt; ibique humiliter adorantes, aurum, thus & myrrham ei deuotè obtulerunt. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; quem die quadragesimo in templum iuxta legis præscriptum detulisti, & hostiâ pauperum redemptum Deo Patri gratissimo corde obtulisti. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; quem in Ægyptum propter metum Herodis monitu Angeli Mater fidelissima deportasti, tandemque eum inde in ciuitatem Nazareth retulisti. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Laus Trinitati fulgidæ,
Patri, Nato, Paraclito,
Laus Virgini Deiparæ,
Nunc & per omne sæculum, Amen.

PARS II.

Pater noster,&c. Aue Maria,&c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; quem tu Virgo Mater, cùm esset annorum duodecim, in Ierusalem perdidisti, & eum mœsta requirens, post triduum in templo læta inuenisti. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; quem tibi subditum maternâ curâ sedulò enutristi, & nihilominùs ei tamquam altissimo Deo sanctam reuerentiam semper exhibuisti. Fac vt ipsi dulcissimo Filio

lio tuo Iesv Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesvm; qui anno ætatis suæ tricesimo in Iordane flumine humiliter à seruo suo Ioanne baptizari voluit; cùm tamen ipse innocens Agnus Dei nullam vmquam peccati maculam contraxerit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo Iesv Christo placeamus,& eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesvm; qui in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus nihil manducans ieiunauit, sicque cum feris Dominus cæli & terræ habitauit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo Iesv Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesvm; qui pro salute nostrâ tentari à diabolo non recusauit, & quomodo satanam vincere nos oporteat demonstrauit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo Iesv Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesvm; qui per vrbes, vicos & castella iter faciens, Euangelium Regni cælorum studiosè prædicauit, & labores fatigationemque corporis propter nos libenter sustinuit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo Iesv Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesvm; qui crebrò in oratione pernoctauit, & famem, sitim, frigus, æstum, variasque persecutiones mitissimo corde nostri causâ pertulit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo Iesv Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesvm; qui conuersans inter homines omnibus afflictis misericorditer subuênit, ac signa plurima fecit, & Mariæ Magdalenæ, alijsque peccatoribus verè pœnitentibus, veniam promptissimè dedit, seque eis familiarem præbuit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo Iesv Christo placeamus,& eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesvm; qui coram tribus discipulis in monte transfiguratus, facie sicut sol refulsit, & excellentiam gloriosi corporis magnificè ostendit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo Iesv Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesvm; qui veniens Ierosolymam vt pro nobis pateretur, Rex humilis & mansuetus asinæ insedit, atque inter laudes, quæ ei à populo canebantur, videns ciuitatem lacrymas effudit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo Iesv Christo placeamus,& eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Laus Trinitati fulgidæ,
Patri, Nato, Paraclito,
Laus Virgini Deiparæ,
Nunc & per omne sæculum, Amen.

PARS III.

Pater noster,&c. Aue Maria,&c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesvm; qui in cœnâ nouissimâ pedes discipulorum suorum positis genibus humiliter lauit, & præcellentissimum Eucharistiæ Sacramentum inenarrabili charitate instituit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo Iesv Christo placeamus,& eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria,&c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesvm; qui ingressus cum discipulis suis in hortum Olíueti, maximâ tristitiâ propter nos correptus

correptus fuit, & prolixè orans, sudorem sanguineum præ vehementiâ angustiarum toto corpore sudauit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui inimicis suis obuiàm processit, eisque vltrò se obtulit, & à Iudâ proditore osculum accipere non renuit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; quem viri impij irreuerenter comprehenderunt, & tamquam malefactorem ac latronem duris vinculis ignominiosè ligauerunt. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui vinctus ad Pontificem cum opprobrio adductus fuit, & ab vno ministrorum eius atrocem alapam suscepit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui in domo Caiphæ falsis testibus fuit pressus, & putentibus sputis fœdatus, & ludibriosè velatus, & colaphis alapisque inhumaniter cæsus, ac blasphemijs indignissimè affectus. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui contemptibiliter ductus ad Pilatum, demisso placidoque vultu coram eo stetit, & ad falsas Iudæorum accusationes humiliter tacuit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; quem Herodes ad se missum, sapienterque coram se silentem, spreuit, & albâ ridiculâque veste tamquam fatuum induit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui in prætorio fuit dedecorosè nudatus, & ad columnam inclementer ligatus, & flagris crudelissimè conscissus, proprioque sanguine miserabiliter cruentatus. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; quem homines iniqui chlamyde purpureâ ad maius ludibrium vestierunt, & acutis spinis coronauerunt, & nugatoriè adorauerunt, atque subsannauerunt, & arundine percusserunt, ac fœdè conspuerunt, & diris alapis ceciderunt. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Laus Trinitati fulgidæ,
Patri, Nato, Paraclito,
Laus Virgini Deiparæ,
Nunc & per omne sæculum, Amen.

PARS IV.

Pater noster, &c. Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui gestans coronam spineam & purpureum vestimentum è prætorio fuit à Pilato productus, & Iudæis ostensus, atque ab eis ad mortem crucis magno turbulentoque clamore postulatus. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; quem Pilatus

latus morti iniustè adiudicauit, voluntatiq́ue Iudæorum tradidit. Ipse ergo mox ab eis trabe crucis oneratus, ignominiosum hoc lignum laceris humeris suis, cum ingenti cruciatu, patienter baiulauit, factusq́ue opprobrium hominum & abiectio plebis, humiliter ad Caluariam perrexit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum tecúe videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui in loco Caluariæ myrrhato fellitoq́ue vino fuit potatus, ac vestibus probrosè nudatus, & manus ac pedes clauis atrociter perterebratus, cruciq́ue affixus. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum tecúe videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui nudus, vulneratus & contemptus, in ligno crucis pro nobis pependit, amarissimosq́ue dolores pertulit, ac pretiosum sanguinem suum fudit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum tecúe videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui cùm medius inter duos latrones in cruce penderet, & à Iudæis subsannaretur, blasphemijsq́ue impeteretur, humillimam patientiam exhibuit, & insuper pro blasphemis crucifixoribus suis Patrem exorauit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum tecúe videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui latroni verè pœnitenti peccata omnia misericorditer condonauit, & paradisi gaudia liberalissimè promisit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum tecúe videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui tibi dilectissimæ Genitrici suæ sub cruce stanti, atq; acerbè dolenti, intimè compassus est, & te Ioanni discipulo commendauit, eiq́ue ac nobis omnibus in Matrem dedit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum tecúe videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui suam passionem sine aliquo sensibilis consolationis releuamine tolerauit: vnde & grauitatem cruciatuum suorum indicans, se derelictum voce magnâ clamauit. Fac vt ipsi dilectissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum tecúe videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui exsanguis in cruce pendens se vehementer sitire est testatus, sed felle & aceto in extremâ illâ calamitate fuit potatus. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum tecúe videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui morti vicinus spiritum suum in manus Patris commendauit; iamq́ue redemptionis nostræ opere consummato, bonus pastor animam pro ouibus suis ex puro amore posuit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum tecúe videre mereamur in cælis, Amen.

Laus Trinitati fulgidæ,
Patri, Nato, Paraclito,
Laus Virgini Deiparæ,
Nunc & per omne sæculum, Amen.

PARS V.

Pater noster, &c. Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui, morte pro nobis in cruce gustatâ, mox ad inferna secundùm animam ex summâ charitate descendit, &

electos suos potenter inde eripuit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; cuius sanctissimum latus, te præsente, lanceâ apertum, & amorosum cor vulneratum fuit, vnde nobis sanguis purpureus & aqua salutaris profluxit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; quem de cruce depositum in sinum gremiumque tuum (vt piè credimus) suscepisti, & lacrymis vbertim rigasti, eique oscula amanter impressisti. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; cuius corpus sacratissimum Ioseph & Nicodemus piâ deuotione aromatibus condierunt, & sindone inuoluerunt, atque in sepulchro posuerunt. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui tertiâ die victor è clauso sigillatoq; sepulchro prodiens, à mortuis virtute propriâ surrexit, & te dilectam Matrem suam ceterosque amicos suos optatissimo gaudio lætificauit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui quadragesimo post resurrectionem suam die in cælum gloriosè ascendit, & ad dexteram Patris triumphator nobilis consedit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui Spiritum sanctum in Apostolos aliosque fideles misit, & eos illo mirificè consolatus est, confortauit, illuminauit atque instruxit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui te charissimam Genitricem suam in cælis assumptam supra choros Angelorum exaltauit, Reginamque & Imperatricem celsissimam constituit. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui in fine sæculi venturus est iudex in maiestate magnâ, vt reddat reprobis horrenda supplicia, & iustis æterna gaudia. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis MARIA, placa clementissimum Redemptorem nostrum IESVM; qui est amabilis & desiderabilis gloria Beatorum, atque cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Fac vt ipsi dulcissimo Filio tuo IESV CHRISTO placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Laus Trinitati fulgidæ,
Patri, Nato, Paraclito,
Laus Virgini Deiparæ,
Nunc & per omne sæculum, Amen.

CAPVT XXVIII.

EXERCITIVM QVARTVM.

Tributum menstruum, quod est Corona gemmarum, seu Sertum gemmatum.

CORONA hæc gemmarum, siue Sertum gemmatum appellare quis malit,

malit, nouum est pietatis exercitium, ad mancipiorum vsum accommodatum, quod Dominæ vice tributi menstrui pendere poterunt. Itaque vel primo mensis die, vel primâ eius Dominicâ, vel quauis aliâ, quâ commodum erit, mancipium Marianum locum seliget à turbâ separatum, qui vel aram, vel statuam, aut aliquam Virginis contineat imaginem; ibique meditantis ritu, amantis ac seruientis affectu præcipuas Deiparæ prærogatiuas ad animum reuocabit, tot coronæ ipsius veluti gemmas appositurus, quot ei virtutes gratulabitur, & simili quodam actu imitabitur, eâ, quam subijcimus, formulâ.

Gemma prima, iaspis FIDEI.

Prima gemma est iaspis Fidei: quæ virtus à D. Ioanne iaspidi apertè confertur, quando dicit: *Fundamentum primum, iaspis*; nam fundamentum virtutum est fides: hanc cudet, formabit, coronæ aptabit, simulq; ei innectet per fidei professionem hanc orationem, vel quam huic similem suggeret affectus. O Regina Virgo MARIA, tu planè, in terris dum viueres, signum fidei, quod nos sequamur, altissime sustulisti, eiusque te in primis, vti ceterarum virtutum omnium, exemplum fecisti; cui nimirum dictum est, *Beata, quæ credidisti.* Ecce me, mancipium tuum, paratum coram te fidem, quam de te habeo, profiteri; paratum irem, tantùm occasio adsit, sanguine profuso eamdem contestati. Credo enim firmiter, ac palàm enuntio, te Filij Dei, quem nouem omnino mensibus clausum sanctis tuis visceribus circumtulisti, verè & Matrem esse & dici oportere; ita tamen, vt virgo ante partum, in partu, & post partum inuiolata permanseris. Credo, vitam te absque omni peccati labe aut næuo purissimam in terris egisse. Credo, te, quando Filius tuus durissimam per extrema omnia mortem in crucis patibulo oppetebat, nobiliore & verò iustiore titulo martyrij palmam obtinuisse, quàm eos qui illam ipsam sanguinis vitæque suæ pretio abstulerunt: tuam enim ipsius animam gladius ille pertransiuit, qui illorum corpora dissecabat. Credo, te, à felici ex hac vitâ transitu, cum corpore & animâ ad cælos euectam, & supra omnes Angelorum hierarchias ad dexteram Filij stellatô in solio collocatam. Credo, te nostram & peccarorum omnium propitiam in cælo Aduocatam, materna in nos viscera expromere, dum eiulamus: *Eia ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.* Credo denique, & firmiter teneo omnia, quæ de te credit columna ac norma omnis veritatis Catholica Ecclesia. Recipe, Domina mea, hanc fidei protestationem à me mancipio tuo humillimo, quæ iaspidis adinstar coronæ tuæ apponatur; tuâque mihi intercessione impetra fidem viuam, perfectam, & constantem vsque ad finem, Amen.

Apoc. 21. v. 19.

Lucæ 1. v. 45.

Dicitur, quo faciliùs eam impetres, *Aue Maria.* Si otium sit aut pietas maior, exercebit hanc fidem paulò fusiùs.

Actus idem FIDEI *paulò fusiùs diductus.*

O MARIA Mater Dei, in quâ Sapientia diuina, quòd te sibi in domicilium, ex omnium virtutum conspiratione perfectissimum ædificare volebat, ante omnia fidelissimam fidei basim stabiliuit; adeò vt Lucas Euangelista non obscurè indicet, fidem hanc tibi omnis felicitatis esse fundamentum: *Beata*, inquit, *quæ credidisti.* Ecce me paratum, venerationis omnis ac mancipatus, quem tibi per vitam vniuersam præstare constitui, idem fundamentum collocare, quod tu virtutum tam sublimium posuisti. Atque in primis gaudeo & gratulor tibi, Domina mea, quòd virtutis huius mancipijs tuis tam arduam & tam multiplicem suppeditas materiam: fecit enim tibi magna qui potens est; & magna nobis fecit, quando dignatus est magnitudinem tuam nobis reuelare, vt de eâ certiores, quàm de ipso spiritu quo viuimus, gaudeamus & exultemus, quòd tantæ liceat Maiestati humilibus obsequijs famulari. Ego igitur, ô Domina mea, mancipiorum tuorum omnium vilissimum, me ante thronum gloriæ tuæ vnà cum

Dddd 2 omni-

omnibus creaturis abijcio, ibique quâ possum animi submissione, sanctè affirmo, ac indubitanter confiteor quodcumque Filius tuus, firmissima ac prima veritas, Ecclesiæ suæ Catholicæ de te dignatus est reuelare; ac nominatim te verè Matrem Dei & esse & dici debere, te cum istâ diuinâ maternitate purissimum virginitatis florem illibatum conseruasse, virginemque castissimam ante partum, in partu, & post partum permansisse. Confiteor etiam plus quàm Angelicam mentis tuæ puritatem, quâ septuaginta duorum circiter annorum spatio ita vitam egisti in terris, vt eam ne minimo quidem leuissimæ culpæ puluisculo coinquinaueris. Credo, te ante omnes omnino puras creaturas à Deo prælectam, &, post Christum Filium tuum, caput omnium prædestinatorum constitutam fuisse. Credo, te partu felicissimo, omni dolore vacuo, nobis mundi Saluatorem ac verum Messiam peperisse, eumdemque vbere de cælo pleno lactauisse. Veneror etiam summum tuum atque despoticum in cælum & terram, in homines & Angelos imperium; &, quod incredibili ratione magis est venerandum, maternum in Filium Dei dominium, quo ipse (rem stupendam!) qui naturâ suâ omnium erat Dominus, mirâ dignatione subditus est tibi, à te iure materno regendus. Credo, te, postquam supra corpusculi vires exæstuante amoris vi, suauissimè in IESV tui manibus exspirasses, resurrexisse à mortuis, ac deinde corpore & animâ pariter assumptam in cælos, ibique diademate Regni cinctam, à Filio tuo supra omnes Angelorum choros, ac supra omne id quod non est Deus, exaltatam, & verè cæli terræque Reginam coronatam fuisse. Deinde etiam indubitanter teneo, planeque confiteor, te ab originali maculà semper immunem fuisse; atque hanc ego sententiam, ad maiorem nominis tui gloriam (quod hactenus feci) omnibus semper ingenij viribus tuebor, & ipso, si ita necesse foret, sanguine propugnabo, nullâ aliâ ratione, quàm si fortè Ecclesiæ Catholicæ (quod futurum non spero) contrarium videretur, ab eâ dimouendus. O vtinam nemo esset in mundo vniuerso, qui orthodoxas hasce veritates non crederet! vtinam omnes te, ô Virgo, cognoscerent, & quem peperisti Dominum nostrum IESVM CHRISTVM! Quàm me affligit, dilectissima Domina mea, adhuc reperiri vel vnum aliquem qui non credat ea quæ reuelata sunt de te, qui te hyperduliæ cultu non adoret, qui tibi eâ quâ par est humilitate non subijciatur! Enixè ergo te, per merita & sanguinem IESV CHRISTI Filij tui, & per hæc ipsa, quæ credere me protestor, magnalia tua rogo; vt, quoniam nihil ad nos descendit à Patre luminum, nisi per manus tuas clementissimas ac liberalissimas, fidei illud lumen in Christianis augendum, in aliis accendendum cures, quò maior Sanctissimæ & indiuiduæ Trinitati accedat, ex communicatis tibi priuilegijs, laus & gloria, Filio tuo augeatur honos, & tibi seruorum ac mancipiorum accrescat numerus. omnes enim tibi humero vno mortales libentissimè seruient, si semel dignitas & excellentia tua ijs viuo fidei radio innotescat; ego certè, quòd mihi indigno famulo tuo eum impetraueris, immortales ago gratias, atque in gratiarum actionem offero tibi sanguinem meum, aliquando (ô vtinam!) in virginitatis atque maternæ dignitatis tuæ testimonium, si hoc me priuilegio dignata fueris, profundendum.

CAPVT XXIX.

Gemma secunda, smaragdus SPEI.

SECVNDA gemma est smaragdus Spei; cuius actus hac vel simili ratione exercebit. O Regina pijssima Virgo MARIA, te ego intueor veluti spem communem totius mundi, te contemplor tamquam centrum votorum omnium: ad te enim nasciturам suspiria sua mittebant Patres limbo detenti: natam respiciebat primitiua Ecclesia: glorificatam inuocant animæ quæ purgatorijs flammis expiantur: te denique orbe to-

to

to diffusa Christianorum multitudo inclamat, quotidie ingeminans: *Salue Regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salue.* In te ego quoque spem omnem, post Deum, collocatam habeo. Esto mihi, Domina mea, vena salutis, vt me impleas; turris munita, vt me defendas; ciuitas refugij, vt me recipias; porta cæli, vt me in paradisum voluptatis intromittas. Recipe, Domina mea, hæc vota spei à me mancipio tuo indignissimo, tamquam coronæ tuæ smaragdum pretiosum; eamque in me virtutem firmis gratiæ Dei ac fauoris tui anchoris corrobora, vt mecum perseueret vsque ad mortem, Amen. *Aue Maria.*

Actus SPEI *fusior.*

Salue Regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salue. Quot verba, tot animæ in te sperantis suspiria. Salue lux, orta sedenti in tenebris & in regione vmbræ mortis. Salue portus, gratissimus naufraganti post tot insurgentium vndarum iactationes. Salue ciuitas refugij; in quam post infame deicidium miserrima mea confugiat anima, vt ibi nonnihil tuta à persequentium eam omnium creaturarum agmine delitescat. Salue, salue Regina, &, quod miseris multò sonat dulciùs, salue mater misericordiæ. O felices meæ miseriæ, quæ me Dominæ istius constituunt filium, cuius ego me gaudebam humillimum esse mancipium! Nec enim aliorum mater potest esse mater misericordiæ, nisi miserorum. O Virgo MARIA, iam spes quædam & fiducia animo meo oboritur, vt caput è miserijs eleuare, ac te nomine tuo sacratissimo compellare audeam. O MARIA mater mea, quia mater es misericordiæ, respice hunc afflictum filium: nec opus est, quantum existimo, precibus, cùm precibus omnibus plus valeant apud matrem misericordiæ ostentatæ miseriæ. Assurge, anima mea, viue, delectare: ecce enim vita tua; nec vita aspera, nec vita ærumnosa, sed ipsius vitæ dulcedo, voluptas omnium delectabilium, & medulla omnium deliciarum, tantâ arte condîta, vt nulla sit præsentium satietas, sed perpetua sitis & fames, perpetua spes & desiderium futurorum. Quis non abstergat omnem ab oculis lacrymam, omnem à corde dolorem, quando videt spem suam factam esse MARIAM, illi traditam clauem mortis & vitæ, illi factam esse potestatem thesaurorum cælestium, illi commendatas miserias & necessitates nostras? Quis non gaudeat, quòd nihil è cæli diuitijs distribuatur, nisi per manus illius, cuius digiti stillant misericordiam, cuius viscera transierunt in charitatem, & cuius liquefactum est cor, in medio ventris eius, igne tenerrimi erga genus nostrum amoris? Exultat anima mea, delectatur spiritus meus, ô Domina, quoties recogitat, tibi creditam esse salutem suam: tam enim iucundam spem, tam dulcem exspectationem hinc inijci sentio cordi meo, vt ferè perinde mihi sit, manibúsne ego meis teneam, an tibi credita sit salus mea: tua enim tanta est potentia, vt tibi eripi non possit ab aduersarijs meis corona, quam mihi præparauit Filius tuus: tanta est bonitas, vt nihil æquè desideres, ac mihi illam conferre: tanta est patientia ac longanimitas, vt licet hactenus per summam (pudet, heu! pudet & pœnitet) ingratitudinem toties oblatam reiecerim, ac peccando eam quodammodò discerpere conatus fuerim; tu tamen exspectaueris, vt reuersus ad cor, agnoscerem misericordiam tuam, & sperarem in bonitate munificentiæ tuæ, meque non opponerem ampliùs tibi offerenti coronam immortalitatis, quam Filius sanguine suo est meritus, & tu mihi, tamquam generis nostri corredemptrix, multis rationibus impetrasti. Spero igitur, & firmiter confido, mater misericordiæ, cùm tanta sit tua ad benefaciendum procliuitas, quòd mihi procuratura sis media ea omnia, quæ tu nosti ad salutem meam necessaria. O quanto viscera mea pulsantur gaudio, quàm calido & vehementi cor meum dilatatur spiritu, dum video in te, tamquam in centrum, dirigi omnium vota, in te om-

nium intendi lumina! ad te enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad præsidium, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno; & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. oculi enim omnium in te sperant, Domina, & tu omnium misereris, qui te fideliter inclamant: tu spes communis mortalium; neque extra te vlla est salus. Sicut enim, ô beatissima, omnis à te auersus & despectus necesse est vt intereat; ita omnis ad te conuersus & à te respectus impossibile est vt pereat: respicis autem ad omnes inuocantes te, neque est qui se abscondat à calore charitatis tuæ. Confirmat hanc spem meam incredibilis ille tuus erga genus humanum amor; qui facit, vt non solum inueniatis à quærentibus te, sed præoccupes qui te concupiscunt, vt te illis prior ostendas. Exempla misericordiæ istius non commemoro, historias non reuoluo, testimonium mihimetipsi satis luculentum, & ipse ego satis prolixa misericordiarum tuarum historia. O quoties innumeris velut alis misericordiæ circumdata, illicò aduolasti, vt misero opitulareris! Quoties vix ego posueram in corde meo, vt inuocarem te, & iam aderat auxilium de sancto! Quoties ego nihil minùs quàm de te cogitans, imò etiam illa quæ tuo ac Filij tui honori aduersabantur machinans, expertus sum te stantem præ foribus cordis mei, & pulsantem, vt fauoribus tuis præberem aditum! Tot igitur doctus experientijs, quòd tota natura tua est bonitas, omne opus tuum est misericordia; dicam cum famulo tuo Damasceno Ioanne, meo & omnium mancipiorum tuorum nomine: *Tibi nos hodiernâ die assidemus, ô Domina, Domina, atque iterùm dicam, Domina, Dei genitrix, & Virgo, animas nostras ad spem tuam, non secùs atque ad firmissimam quamdam anchoram, alligantes; mentem, animam, corpus, totos denique nos tibi dicantes ac consecrantes: tu enim nostrum refugium, tu vita & defensio, arma & gloriatio, spes & robur nostrum.* Per te ergo primùm impetraturum me planè confido veniam omnium peccatorum meorum, licet multiplicata sint super arenam maris; tum robur & vires, quibus superem omnes in viâ virtutis occurrentes difficultates; gratiam denique perseuerandi, vt tandem bonis illis perfruar in cælesti patriâ, quæ Filius tuus, vt certiùs illa sperarem, deposuit in manibus tuis. Age nunc, fremat terra & cælum, ipsique mihi aduersentur inferi; nihil moror, neque timeo quidquid est aduersariorum, quandoquidem tu mea facta es salus: insurgat & armet se contra me vniuersa creatura, omnia in perniciem meam conspirent; nihil trepidabo, iactâ in te spei meæ anchorâ; ad ipsas deductus inferorum portas, contra spem omnem, non desinam sperare in te, Domina mea amantissima, vnica mea fiducia, & tota ratio spei meæ. Ne ergo priuer exspectatione meâ, ô Domina intemerata, quæ vniuersorum exspectationem peperisti Dominum nostrum IESVM CHRISTVM.

CAPVT XXX.

Tertia gemma, sapphirus CHARITATIS.

TERTIA gemma est sapphirus Charitatis; quam offeres per eiusdem virtutis actus, hoc modo. O Regina gratiæ & misericordiæ, non aliter ego te contemplor, quàm totam purissimo charitatis igne rutilantem, ac mundum vniuersum, quò illius & flammas hauriat, & fructus percipiat, inuitantem. Vox enim tua est illa suauissima: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* (Eccli. 24. v. 24.) Istum mihi indigno mancipio tuo impende fauorem, Domina amantissima, vt à pernicioso vanitatis amore transeam ad te, & à te accendar amore casto, à te locupleter auro ignito charitatis; quo Deo & proximo persoluere possim sinceræ dilectionis

nis debitum, illum super omnia, hunc vt memetipsum amando. Quod ne mihi vel recusare audeas, vel gratis concedere videaris; offero tibi eâ, quâ par est, animi demissione gemmam magnitudine penè infinitam, pretio inæstimabilem, sapphirum rutilantissimum dilectionis tuæ: omnibus prætereà, qui me aliquando offenderunt, tui amore ex intimis cordis visceribus ignosco, corpusque eorum & animam tibi vnicè commendo. *Aue Maria.*

Actus amoris nostri erga B. Virginem nonnihil diductior.

Potest non animare anima, non amare non potest: vitam dat ipsa & speciem certam inret essentias rei quam animat; amor verò ipsam suus viuificat & specificat. O beatas ergo, ô viuas, ô sublimes animas quæ te amant, Domina mea, tam amabilem, & supra puras omnes creaturas desiderabilem! Vulnerasti cor Sponsi cælestis amore tui castissimo, eumque de cælo in terram detraxisti; vulnera etiam cor meum amore tui, & trahe me de terrâ in cælum, vt curram in odorem vnguentorum tuorum. Cùm verò amoris officium & amantis studium sit, benè affici erga rem amatam, in bonis illi iam partis iucundè conquiescere, atque illi, quæ nondum habet, apprecari; conabor hisce ego operationibus mentem exercitare, vt crebris percussionibus, tamquam è duro silice, exsiliat amoris tui scintilla; quam rogo te, Virgo amantissima, fomite beneficiorum tuorum excipere digneris, vt crescat, & magis quotidie succendatur. Inprimis ergo me mirum in modum afficiunt, deliniunt & exhilarant incredibiles tuæ perfectiones, & dignitas inæstimabilis; maximè verò nomen illud admirabile Matris Dei, cuius excellentiam nec Angeli capiunt, neque tu ipsa, Virgo sacratissima, satis intelligis: dignitas enim est, quam nemo comprehendit, nisi qui dedit. Gaudeo ego, & vehementer gaudeo, isto tanto tuo bono, & ijs quæ necessariò inde consequuntur; quòd scilicet tu Domina es vniuersorum, nos mancipia tua; quòd tu Regina es cæli & terræ, nos subditi tui; quòd tu communis omnium Patrona es, nos clientes tui. non displicet mihi humilis status meus, quia ordine suo refertur ad sublimitatem tuam: cliens tuus ego sim cum toto hoc mundo inferiori, vt ex frequenti nostro stipatu Patronæ accrescat honos: subditus sim cum totâ cælesti curiâ, vt obedientiâ nostrâ Reginæ propagetur imperium: mancipium ego sim cum creaturâ vniuersâ, vt humili nostro obsequio Dominæ accedat gloria. etiam quæcumque infra mancipium est, mihi placet humilitas, quia memorem me reddit exaltationis tuæ, quâ, plus quàm dici possit, exultat spiritus meus. Quis mihi det, vt, quidquid cæli terræque ambitu continetur, pulchritudinem tuam videat, bonitatem amet, dignitatem veneretur? Quanto animi ardore desidero, vt vitam suam, gratias omnes, & gloriam, qui eâ securi fruuntur in cælis, tibi referant acceptam; quia per te, & in te, & de te benigna manus Omnipotentis quidquid creauerat, recreauit! Quàm aueo illud temporis punctum videre, quo omnes agnoscant eum, quo te Filius dilexit, amorem; vt scilicet omnes omnibus corporis animique viribus contendant, Deum suum in te diligendâ imitari! O si sciret orbis, quid est sic deligi à Deo, vt Pater, vt Filius, vt Sponsus tuus esse, vt carnem de carne tuâ assumere, vt visceribus tuis concludi, à te generari, à te lactari, tibi subijci, tibi obedire voluerit; profectò iam omnia cessarent rerum terrenarum studia, in id vnum omnes incumberent, vt te laudare, te celebrare, te colere, te amare cum Deo suo aliquatenus valerent! Gratulor, gratulor tibi, Domina mea, hoc gratulor; quòd licet, relictis studijs omnibus, orbis vniuersus huc neruos, huc vires, huc animos intenderet, vt honori & amori velificaretur tuo; tamen numquam tantillum vel dignitatis tuæ obsequio, vel bonitatis charitate adæquaret. Quomodo enim tibi debitum soluent creaturæ, cui omnium Creator debet honorem, amorem,

rem, reuerentiam, plusquam parenti suo vllus filius? Et cùm sis summè amabilis, propter gratias & dona cælestia quæ tibi communicauit Deus; medullitus ardeo amare te eâ perfectione, quâ te amarunt SS. Apostoli & Christi discipuli, qui cælestem tuam conuersationem hîc in terris viderunt: quâ te amarunt sancti Martyres, qui opem tuam in agone isto præclaro experti sunt: quâ te amarunt tot insignes ac singulares famuli tui, SS. Augustinus, Ildephonsus, Bernardinus Senensis, Bernardus, Anselmus, Ioannes Damascenus, Petrus Damianus, Dominicus, Franciscus, Ignatius, quos omnes mirâ suauitate demulsisti: quâ te amarunt tot virgines, quibus tu prima ad insignem istam victoriam sublato virginitatis vexillo viam monstrasti: eâ denique quâ IESVS CHRISTVS amantissimus Filius tuus, quâ Pater, quâ Spiritus sanctus, quâ tota SS. Trinitas te ab æterno dilexit. Hîc ego triumpho, Domina mea; hîc miris animus incedit lætitijs, quando te video supra omnem omnino creaturam, & supra omnia quæ molitus extra se est omnipotentis Dei manus, magni fieri & amari ab eo cuius amor confert omnem creatis rebus, quam obtinere possunt, dignitatem. Hic amor fecit te supra omne quod non est Deus æstimabilem: hic amor fecit te nobis amabilem: hic amor est quem nos debemus, quantâ possumus animi contentione, imitari, vt illius voluntati conformemur, quæ omnis boni est regula, & norma omnis sanctitatis. O quantas gratiarum actiones tibi debemus, Mater pulchræ dilectionis, quòd tu, cùm ita ameris à Deo omnium Creatore, magni facias amorem nostrum, & desideres à nobis mancipijs tuis amari; cùm nostrum potiùs sit bonum, quòd diligamus te, nihilque accedat tibi, nisi quòd liceat magis naturæ tuæ obsequi, indulgentiùs amando nos qui conamur te diligere! O Domina, agnosco quidem ego me omnino esse indignum qui te diligam; sed tamen tu digna es quæ ab omnibus diligaris: omnia enim quæ in te sunt, rapiunt nos in amorem tui. Si pulchritudo spectetur corporis, Tota pulchra es amica mea, tota pulchra es, dicit curiosissimus formarum æstimator Sponsus tuus: nam ita veneranda tua pariter & grata maiestas perstringit simul & inuitat intuentium oculos, vt, dum dubitant, amorémne priùs an venerationem impendant, mirentur se totos castitatis amore inardescere, totósque ferri in venerationem tantæ Maiestatis. Si virtus occultos quosdam vibret radios, quibus vel inuita captiuentur corda; quis non amet hanc summam omnium virtutum temperiem, nullorum læsam confinio vitiorum? Si beneficia sunt vincula mutuæ beneuolentiæ; quæ tanta ingratitudo rumpat illas munerum tuorum catenas, quibus totum genus humanum deuinxisti? Denique, si laus & gloria, si amor & dignitas, si iurisdictio & imperium è virtutibus natum amorem exacuant veluti quodam condimento maiestatis; profectò qui non fertur, qui non rapitur, qui non totus inflammatur incredibili quadam tui charitate, perdidit non tantùm gustum honestatis, sed omnem etiam sensum naturæ rationalis. Heu duro cordi meo, si non liquescat hoc amore, si hoc igne non calescat! Et qui fieri posset, ô Domina, vt non calesceret, te præsertim fouente has quales quales ignis diuini scintillulas? Iam iam succendor, iam inardesco, Mater mea, iam amore tui languere incipio: iam coram dilectissimo Filio tuo protestor amare me ac diligere te Matrem eius, post illum omnis mihi boni fontem & originem; meque vnicè desiderare, vt in hoc amore crescere, in hoc viuere, in hoc mori valeam: idque tum propter perfectiones tuas summas; tum vel maximè, quia hæc est voluntas Filij tui, qui nobis amoris illius exemplum dedit & mandatum. Nullum possum, scio, tibi dare pignus amoris mei gratius, quàm si obsequar voluntati Filij tui. Quapropter summoperè gaudeo & exulto, quòd hæc sit voluntas eius, vt amem te; vt iam te non tam diligam, quia supra omnes alias creaturas es amabilis,

quàm

quàm quòd hæc sit voluntas Filij, vt amem te: quam voluntatem, Domina mea, tu me vis supra omnem amabilitatem tuam amare. Immensas tibi ago gratias, Domine IESV, pro hoc præcepto tuo, quo factum est, vt Matri tuæ, ipsam amando, iam magis placeam quia in ipsâ dilectione facio voluntatem tuam, quàm omni meo potuissem affectu complacere. Da tu mihi, quæso, amantissime IESV, per illum quo semper flagrasti zelum honoris ipsius, vt perseuerare ac mori possim in hoc eius amore; qui multa mihi ad honorem tuum spectantia, Matre tuâ deprecante, concessisti: hanc vnicam petitionem meam, quam tibi ego pro honore ipsius facio, ne respuas, neque auertas faciem tuam à seruo tuo, vt Matrem tuam in æternum amare possit, deprecante.

CAPVT XXXI.

Quarta gemma, adamas FORTITVDINIS.

QVARTA est adamas fortitudinis, quam per hosce eiusdem virtutis actus expromes. O Regina fortissima, bellatrix formidanda, omnibus inimicorum exercitibus sola terribilis vt castrorum acies benè ordinata, ac totius militantis Ecclesiæ archistratega; me, quæso, contra fortissimorum aduersariorum horrendas manus bellarurum in album militum tuorum inscribe, vt tuis sub signis tutus audacter manus conseram, feliciterque machinationes eorum omnes, nullis tentationibus inferior, conuellam. Tuo, tuo, Domina potentissima, nixus auxilio, *persequar inimicos meos, & comprehendam illos; & non conuertar, donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos.* Psalm. 17. v. 38. Age ergo, Induperatrix inclyta, tuis me indutum armis, adiutum patrocinijs, recreatum præsentiâ confidenter obijcio pugnæ, certus victoriæ per te consequendæ: quam vbi tenuero, tibi post Deum statuam, Domina mea, de mundo, carne, satanâ deuicto trophæum: nunc autem, vt mihi eam concedas, adamantem offero, cui tuæ de ijsdem hostibus victoriæ cælo fortitudinis ac magnanimitatis tuæ gloriosissimè sunt inscriptæ; tu eum coronæ immortalitatis tuæ appone, & da, vt me non citiùs destituat in hostes virtus, quàm te deficiet fortitudinis laus & gloria, Amen. *Aue Maria.*

Actus FORTITVDINIS *fusior.*

O MARIA, verissima turris fortitudinis, & inconcussæ constantiæ firmamentum; considero ego te veluti arcem fortissimam omnibus clandestinæ carnis machinationibus, fallacibus mundi cuniculis, & diaboli periculosis insultibus non tantùm impenetrabilem, sed etiam inaccessibilem: intueor ego te tamquam rupem medijs Oceani fluctibus assiduò flagellatam, sed semper immobilem: cor ego tuum contemplor tamquam adamantem fortissimum, nullis malleorum ictibus cedentem. Nam cuius roboris erat, te Virginem castissimam, Spiritus sancti obumbratione fecundatam, inter grauissimas sponsi tui, si non suspiciones, certè deliberationes, dimittere te iam pænè statuentis, ita pectus gerere immobile, ita cor fortissimâ in Deum fiduciâ obarmare; vt, licet singulis Iosephi cogitationibus pulsaretur tamquam fortissimè impactis malleorum ictibus, maneret tamen durissimi adamantis adinstar impenetrabile? cuius constantiæ fuit, te prophetiam diuini senis, quòd doloris gladius cordis intima non leuiter perstringeret, sed pertransiret, non solùm vultu non mutato excipere, sed posteà etiam immotâ mente persentiscere? cuius fortitudinis erat, te Filium illum suum, filium dexteræ, sed & filium doloris tui, sponsum lætitiæ & virginitatis tuæ, sed etiam sponsum sanguinis, & sponsum desertissimæ viduitatis ita per omnia comitari; vt, cùm grauissimam semper ex doloribus eius doloris partem accipetes, nihil de amore, nihil de ardentissimo ei seruiendi desiderio vmquam imminueres? Certus sum, nullam medio Oceano rupem tot tantisque pulsari reciprocantis elementi incursibus, quot fluctibus incurrit in animum

mum tuum vastissimum ex Filij passione doloris mare; & tamen stetit ille Marpesiâ qualibet cautè immobilior. Nihil opus est acerbissima per vitam vniuersam doloris tui vestigia relegere; cùm Filij tui octauo die circumcisi sanguinem deuotâ mente excepisti; fugientem in Ægyptum permolesto itinere comitata es; triduo perditum inter cognatos & amicos cum inexplicabili animi dolore quæsiuisti; ad passionem maturanti pænè cum ipsâ animi diuisione valedixisti; ac rursum per tot supplicia lacero crucemque baiulanti occurristi; ei in cruce morienti, concussâ vniuersi mole, immota astitisti; ac tandem emortuum pignus, cui ferendo imparem sese natura fatebatur, sinu fouisti, ac lacrymis maternis diluisti. constantiam enim in omnibus hisce tuam nemo quâ par est æstimatione pensabit; vti nec sentiet dolorem, quia amorem tuum imaginari nemo poterit. Quapropter ego, ô Domina mea, humillimum mancipium tuum, in primis gratulor tibi hanc tantam tamque inexplicabilem fortitudinem; ob eam te hyperduliæ cultu veneror, non ideò solùm quòd virtus illa est Matris Dei; sed proptereà etiam, quòd nemo possit eam talem præstare, nisi quæ Mater sit Dei: aliqua enim creatura, amplius dico, omnes creaturæ simul in vnum collectæ dolorem talem concipere nequeunt; quia sentire non possunt, & si possent vllâ ratione sentire, perferre sanè ne ad momentum quidem temporis valerent; quia non forent eâ mentis constantiâ & fortitudine, quæ Dei Matrem decet, obarmatæ. Proinde ego te, Domina mea, inter venerabundum virtutis istius stuporem, quâ possum animi demissione rogo & obtestor, vt adamantis istius, quem hodie ego coronæ tuæ, omnibus insculptum heroicis tuis operibus, appono, splendorem aliquem & proprietatem cordi meo communicare digneris, formidandumque me facias atque inuulnerabilem hostibus ferocissimis; quibus, pudet heu! toties memetipsum præbui turpissimè vulnerandum, & ignauissimè conculcandum. da robur & fortitudinem animo, ne cadat aduersis vndique incursantibus; ne molliatur secundis nimiùm aliquando blandè eneruantibus: sis tu mihi turris fortitudinis à facie inimici; sis arx tutissima, quò me recipiam ingruentibus bellis; sis rupes firma, quæ me defendat à tempestatibus. fiat ex adamante fortitudinis tuæ mihi clypeus, quo medias per acies tutus incedam: irruat super me spiritus tuus; & latè per hostes spargens funera, properabo ad palmam, quam Filius reposuit in manibus tuis, capiti per te, si ita videbitur, vincentis imponendam. Da, da, Virgo fortissima, huic famulo & mancipio tuo, heroica tua facinora, si imitari non possit, saltem adumbrare aliquatenus cupienti, vt hostes mei intelligant, ad retundendam eorum ferociam tantùm opus esse leuissimâ virtutum tuarum vmbrâ. quam si mihi concesseris, satis ego forti tectum me censebo loricâ, vt etiam prouocem omnes inferni nequitias: nec vllum noui tam inauditum facinus, quod tibi non sit facile, etiam per imbelles manus meas, perficere. Supplico te, ô bellatrix admiranda, vt placeat vti hoc vilissimo tuo mancipio ad edendum facinus egregium & memorabile: hoc enim magis exaltabitur virtus tua, quò notior est imbecillitas mea; & hostibus victoria tantò erit ignominiosior, quò magis agnoscent instrumenti, per quod eos viceris, infirmitatem.

CAPVT XXXII.

Quinta gemma, vnio CASTITATIS.

QVINTA gemma est vnio castitatis, quam hisce virtutis istius actibus offeres. O Regina castissima, virginum primiceria, quæ prima voti religione Deo virginitatem consecrasti; quæ sola ante, in & post partum virgo immaculata permansisti; sola item, per Dei gratiam, inter peccatores, vt lilium inter spinas, peccati expers vixisti; respice me mancipium ac seruulum tuum, tua non passibus æquis prementem vestigia: quæ si non assequor, sequor tamen; &

& quamuis voto me non obstringo; firmiter tamen propono, castitatem status mei conuenientem diligenter conseruare, carnis illecebris pro viribus resistere, pericula & occasiones peccandi vitare. Ceterùm te rogo, Domina mea, cogitationes, verba & opera ita mundifices, vt semper candeant perfectæ nitore castitatis: quem in finem tibi defero vnionem castitatis tuæ verè vnicum, quo capitis tui decor in æternum cunctis virginibus augustiùs radiabit. *Aue Maria.*

Actus CASTITATIS *paulò fusior.*

O Virgo fecunda, & Mater castissima, quæ sola sine exemplo placuisti Domino, & prima, sublato castitatis vexillo, in album virginum retulisti tot millia, qui sequuntur Agnum, & te latus eius claudentem, quocumque ineritis per mundissima prata virginitatis: nam per admirabilia pascua virgineæ maternitatis, nec qui præiuerit, inuentus est; nec vlli facultas permittitur sequendi: respice ad me mancipium & famulum tuum, pio castitatis tuæ amore succensum, ac cupientem puritatem tuam imitatione, quod optimum laudationis genus est, celebrare. In primis ergo gratulor tibi, Virgo puerpera, istam, nec oppugnatam quidem, nedum expugnatam, mentis corporisque puritatem, radio solari persimilem, quem nec aqua emollit, nec fœtor corrumpit, nec ignis comburit, nec gladius scindit, nec densum vitri corpus, quò minùs transeat, impedit. Gratulor tibi, ô puella decora nimis, Virgoque pulcherrima, & incognita viro, quòd concupiuit Rex decorem virginitatis tuæ cum profundâ humilitate, decorem integritatis cum feruidâ charitate, decorem incorruptionis cum maternâ fecunditate. Gratulor tibi, ô Mater castissima, istos mores virgineos, qui non tantùm rapiebant omnes intuentes modestiam tuam, ad amorem castitatis; sed tantum etiam potuerunt apud Iosephi sponsi tui prudentem animum, vt plus moribus tuis quàm communi naturæ consuetudini credens, plus castitati quàm vtero sideret, possibilius esse iudicans, mulierem sine viro concipere, quàm te virginitatem amittere; nec tam existimans mirandum, virginem esse matrem, quàm MARIAM peccatricem. Rogo te suppliciter, Domina mea, per hanc ipsam laudem virginitatis tuæ tam singularem, vt digneris in me ardorem libidinis restinguere, fomitem peccati sopire, occasiones peccandi auertere, & tentatoris robur infringere; ne tot vijs & viribus oppugnata fragilitas mea, forte consentiat in aliquid tuæ contrarium puritati. Protestor hic coram te, me nolle vmquam consentire non modò facinori committendo, sed ne cogitando quidem, vt æmuler tuam corporis animique munditiem: malo terra casto mihi dehiscens mille referet inferos, quàm vt concipiam animo vel minimam turpitudinis maculam; & licet voto me virginitatis non obstringo, volo tamen obstrictus esse tibi, Domina mea, firmissimo mentis decreto; & proposito immutabili iam concepto, numquam variando, quòd nihil vmquam admittere velim puritati status mei contrarium. Quapropter tibi, Domina mea, integram possessionem, & primarium post Filium, imò cum Filio tuo dominium cordis mei transscribo, mihique omnibus rerum terrenarum cupiditatibus ac corporis oblectationibus eà ratione interdico, vt, quamuis omnibus frui possem, quibus hactenus quisquam potitus est; lubentissimè tamen eas amore tui ac puritatis tuæ desererem, ac de facto desero, vt tibi magis me probem, viuam castiùs, tibique similior euadam. Eumdem ob finem sensibus custodiam apponere, eosque non illicitis tantùm, sed licitis multis, imò omnibus, spoliare desidero, vt prorumpenti facilè in propudiosas carnis flammas naturæ meæ fomitem subtraham. Oculis in primis cautum volo, ne in obiecta quæ hominibus pulchra, iucunda, rara videntur, aut res alias illecebrosas, abripi se sinant. Vnice desidero aures & os scurrilitati duplice serâ clausum; iocos, gesticulationes, vestes molles, laura

conuiuia procul amota; otium, libros obſcenos, & inceſtuoſas imagines, peſte magis & morte mihi eſſe exoſa, vt tibi ampliùs placeam, Domina mea caſtiſſima. Proinde indico hodie impudicitiæ immunditiæque omni bellum irreconciliabile, ac fœdus amicitiamque ineo cum omnimodâ puritate. Sis fœderis huius atque propoſiti præſes, Virgo & Patrona, gratiamque mihi à Filio tuo impetra, vt, declinatis occaſionibus, deuictis tentationibus, ſpretis illecebris, valeam in hoc propoſito vſque ad mortem perſeuerare. Et hanc præterea addas gratiæ huic gratiam, vt exemplo tuo talem in vitâ ſpirem caſtitatis odorem, qui proximum meum ad amplexandam virginitatem, & ad amandam te virginum primiceriam alliciat. Quo voto coronæ tuæ vnionem iſtum ſingularem fecundæ caſtitatis tuæ appono; & opto, vt radius aliquis ipſius ſuauiſſimi ſplendoris mentem meam incipiat illuminare.

Nota, auctorem libelli adſcripti Sodalibus Colonienſibus, qui MARIÆ creaturarum Dominæ Mancipium inſcribitur, non incongruè nobis ſuggeſſiſſe modum, quo rudiores poſſint Sertum iſtud gemmatum aliâ quadam ratione Deiparæ perſoluere; quod piæ ac prudentis Sodalitatis inuentum non pigebit hîc ſubijcere. dicit ergo cap. libelli 11. Qui litteras non norunt idiotæ, conficiant ſertum ex ſeptem Salutationibus Angelicis, velut totidem gemmis ſeu vnionibus, quibus ſeptena beatiſſimæ Virginis gaudia, ſiue quibus olim in terris, ſiue in cælis modò perfruitur, animo recolantur.

Gaudia Virginis in terris exiſtentis.

Primum, in incarnatione; ſecundum, in viſitatione; tertium, in natiuitate; quartum, in aduentu Magorum; quintum, in Chriſti reſurrectione; ſextum, in eiuſdem aſcenſione; ſeptimum, in Spiritus ſancti miſſione.

Gaudia Virginis in cælis agentis.

Primum, quòd ſupra omnes hominum & Angelorum choros exaltata; ſecundum, quòd perinde ac ſol orbem, ita claritas præſentiæ eius colluſtret ornetque cælum vniuerſum; tertium, quòd gaudeat curia cæleſtis, quòd ei ſit ab obſequijs vt Reginæ; quartum, quòd quidquid rogat Filium, id ſine dubitatione obtineat; quintum, quòd omnes eius clientes Deus hîc & in alterâ vitâ ad arbitrium Virginis remuneretur; ſextum, quòd ſupra ceteros Sanctos SS. Trinitatem proxima intueatur; ſeptimũ, quòd de his ſuis prærogatiuis nullo temporis lapſu finiendis certa ſit.

CAPVT XXXIII.

EXERCITIVM QVINTVM.

Quod ſuggerit cenſum & tributum bonorum operum, diebus Sabbatinis aliiſque Feſtis Virginis pendendum.

QVINTVM exercitium in eo conſiſtit, vt diebus Virgini ſacris, vti ſunt Sabbata & Feſti in honorem ipſius inſtituti ab Eccleſiâ dies, peculiaribus quibuſdam obſequijs illam obſeruemus. Et Sabbatis quidem ea quiſque exercebit opera, quæ illi, habitâ ratione officij, ſtatus & occupationum, commoda videbuntur, & maximè quæ Regulâ IX. commendantur. Sunt autem communia, ieiunium, viſitatio templorum, auditio Miſſæ vnius aut plurium, Veſperarum quoq; aut Completorij, recitatio Litaniarum B. Virginis, recollectio actionum totius hebdomadæ, &c. quæ fuſiùs habes in explicatione Regulæ dictæ. Pietatis autem exercitatio erit ſingularis, & digna mancipio ad celebrandum Dominæ Feſtum præparatio, ſi pridianis Feſti Mariani diebus vnum pluráve Sacra pro defunctis dicenda curet, vt vna pluréſve animæ, ex ijs quæ purgatorio carcere detinentur, vinculis ſolutæ, acceſſione nouæ venerationis & gaudij, Reginæ triumphos ipſo Feſto celebrandos reddant magnificentiores. Cui verò ad hoc vel commoditas vel facultas deerit, eâ, de quâ dictum, piâ erga defunctos voluntate aliquot Sacris intereſſe poterit, reliquaque ſua pietatis exercitia pro refrigerio

Præparatio ad Feſta B. MARIÆ Virginis benè celebranda.

frigerio earumdem animarum diuinæ bonitati per Virginis merita offerre; maximè verò operam det, vt Indulgentias, tum aliàs semper, tum maximè circa hasce B. MARIÆ Virginis festiuitates, si quæ liberalitate Summi Pontificis concessæ fuerint, lucretur, applicetque animabus eâ quâ diximus intentione. Ipsis diebus Festis tria hæc præ alijs pietatis officijs præstabit. Primum, præmissâ sacrâ exomologesi, Eucharistico Dominici corporis & sanguinis epulo mentem pascet; agetque hac ipsâ oblatâ hostiâ gratias diuinæ clementiæ pro tot tantisque Matri suæ collatis beneficijs, ijs præsertim quorum istâ luce recolitur memoria. Deinde, renouabit paulò sublimiori ratione, quàm solet id facere quotidie, suum Virgini in mancipatu seruiendi propositum. Solemnitas in eo consistet, si vel orationem Sodalitatis legat, cum mentali eiusdem contemplatione; cuius exemplum dedimus in Oratione cui initium, *Adoro te, sanctissima Virgo & Mater.* pag. 570. vel, si proposita sua bona relegat, eaque rursum firmiùs obseruanda proponat; vel, si Regulas examinet, videatque quînam eas possit perfectiùs obseruare. Tertium, legendum quadruplex Rosarium; primò, illud septuaginta duorum granorum, quod mancipiorum proprium vocamus; secundò stellatum; tertiò vulgare; quartò gemmatum. Festa Annuntiationis, Assumptionis & Exspectationis, quare & quâ ratione particularia quædam exigant exercitia, iam diximus ad Regulam XII.

Tria ipso die Festo agenda.

EXERCITIVM SEXTVM.

Tributum annuum eleëmosynæ.

Marinus S. Petri Damiani frater, vti fusiùs alibi ex ipso Petro narrauimus, quando beatæ Virgini MARIÆ sese in perpetuum mancipium obtulit, simul statuit annuo eleëmosynæ censu eam venerari. quæ res etiam imitanda mancipijs, fietque in hunc ferè modum. Seponet quisque de facultatibus exiguum quid. sunt qui id varijs faciunt occasionibus, verbi gratiâ, quoties insperatum aut solito maius lucrum illis obtigit; quoties alio quopiam temporali aut spirituali affecti sunt beneficio, aut periculum aliquod euaserunt. Sunt qui Virginis imagini iuxta lectulum, vel in oratorio, bursam aut capsam appensam habent, in quam quotidie simul atque surgunt, nummum exiguum conijciunt: vel qui merces in officinâ distrahunt, ex primâ quam die quoque recipiunt pecuniâ, exiguum quid decerpunt, idque reponunt ad annuam hanc conficiendam eleëmosynam. cuius solemniter faciendæ vbi dies aduenit, tum quò purioribus donum offerant manibus, confessione expiantes animum, conferunt se ad altare aliquod aut sacellum D. Virgini sacrum; ibi recitant magnâ animi pietate sequentem orationem.

Varia praxis pendendi tributi.

ORATIO TRIBVTI.

O Regina mundi, MARIA, *ecce tibi censum in protestationem excellentissimi tui in me meaq; omnia dominij, meaq; erga te submissionis subiectionisq;, omni iure tibi debitum; suscipe eum à me subdito & infimo mancipio tuo, ô Regina: nec muneris vilitatem, sed voluntatem respice tribuentis, quâ tuum mancipium viuere & mori percupio. atque hanc à te gratiam enixè efflagito, ne me sinas vmquam posthac capitalissimo hosti tuo, peccato & cacodæmoni, censum exsoluere, quin potiùs Sanctorum associatum choris, tibi Dominæ meæ æternum laudis & gloriæ tributum pendere, Amen.*

Quâ recitatâ, exhibent eleëmosynæ tributum. Quibus facultas non suppetit (quamquam nemo adeò est inops, vt nihil prorsus donare possit) vt eleëmosynam faciant, vota & desideria (quibus diues quilibet esse potest) adferent; optabuntque multum posse Dominæ suæ offerre, non sordido auaritiæ vitio, vt illa habeant, sed pio liberalitatis ac subiectionis desiderio, vt ea Virginis amore offerant ac deferant. Quibus etiam pijssimis desiderijs, ij qui eleëmosynam adferunt, ornare poterunt munus suum.

Pauperes vota offerant.

EXERCITIVM SEPTIMVM.
Tributum pœnitentiæ.

Ex eâdem, quam nobis Marinus reliquit, mancipatus formulâ septimum desumitur exercitium. Sic enim habet suprà allata de Marino historia: *Mox se quasi seruum malum coram Dominâ suâ fecit verberibus affici.* Opportuno ergo tempore, repetitis aliquoties per annum vicibus, mancipia carnem suam affligent, admoto cilicio, aut cingulo cilicino, cingulo aculeato, chordâ quæ carnem stringat, aut simili quopiam pœnitentiæ instrumento, vel, inflictis aliquot flagello ictibus. eritque hoc veluti myrrha quoddam tributum pro admissis in seruitio defectibus Dominæ gratissimum. Recitabit autem ante, vel post, vel inter hosce flagelli ictus, vel gestationem cilicij, &c. septies Antiphonam *Salue Regina.* Quibus autem ista pœnitentiæ opera duriora videbuntur, illi recolent animo septem illa mysteria, quæ, quia præcipuo quodam tristitiæ ac doloris sensu afflixerunt Virginem, septem dolores vocantur; singulorum contemplationi subiungentes eamdem Antiphonam *Salue Regina*: ac tandem omnibus subijcient orationem pro defectibus, quam Marinum recitasse inter verbera Petrus Damianus frater eius testatur.

Dolores septem B. Virginis MARIÆ.

Primus, in circumcisione; secundus, in fugâ versus Ægyptum; tertius, in triduanâ à Filio duodenni separatione; quartus, in extremo Filij ad passionem maturantis congressu & abscessu; quintus, dum obuiàm Filio crucem baiulanti facta; sextus, dum assistit Filio in cruce pendenti; septimus, dum Filij è cruce sublati emortuum pignus est contemplata.

ANTIPHONA.

Salue Regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salue. Ad te clamamus exules filij Heuæ. Ad te suspiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo Aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte. Et IESVM *benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo* MARIA.
℣. *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.*
℟. *Vt digni efficiamur promissionibus* CHRISTI.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris MARIÆ *corpus & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti: da, vt cuius commemoratione lætamur, eius piâ intercessione ab instantibus malis & à morte perpetuâ liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.*

Oratio mancipij Mariani pro admissis defectibus, qualem inter corporis verbera recitare solebat Marinus S. Petri Damiani frater.

Domina mea gloriosa, virginalis munditiæ speculum, & omnium norma virtutum, quàm ego te miser & infelix offendi per obscenam carnis meæ putredinem, & eam, cuius tu mater & auctor es, maculando corporis munditiem! Nunc itaque, quod solum remedij superest, me tibi famulum trado, tuæ ditionis imperio substrati cordis colla submitto. Flecte rebellem, suscipe contumacem; nec tua pietas respuat delinquentem, cuius intemerata virginitas peperit vitæ ac pietatis auctorem.

CAPVT XXXIV.

EXERCITIVM OCTAVVM.

Quo membra Virginei corporis salutantur in gratiarum actionem, quòd iis nobis Virgo Deipara seruierit, nostraque vicissim in obsequium eius offeruntur.

POSTEAQVAM chorus puellarum Cant. 7. v. 6. & 7. mutuâ laudum suauitate sponsam mirè deprædicasset, atque hoc epiphonemate pleno spiritu conclusisset panegyrim suam, *Quàm pulchra es, & quàm decora charissima, in deliciis! Statura tua assimilata est palma, & vbera tua botris*; vna quædam

dam de turbâ, rapta tantæ pulchritudinis dulcedine exclamat v. 8. *Dixi: Adscendam in palmam, & apprehendam fructus eius; & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui sicut malorum.* Hoc est, vt sic cum Gislerio circumloquar: Cùm egregia celsaque statura pulcherrimæ suauissimæque Sulamitidis, quæ & charissima, & *charitas, in deliciis palmæ* sit similis, *vberaq.* ipsius similia sint palmarum *botris*; firmiter meo statui animo, vt in eius me proripiam complexus, & scandens in hanc palmam, complectensque vbera charissimæ, apprehendam fructus eiusdem palmæ: crescetque adeò mihi, ô charissima in deliciis, eorumdem vberum tuorum voluptas, vt planè mihi pollicear ipsa, quæ botrorum fructuumque palmæ dulcedinem obtinebant, conuertenda in botros vuarum, vt inde tantum hauriam vini, vt facilè inebriata omni exuberem voluptate. in eo verò complexu tuos exosculabor oculos, frontem, genas, osque ipsum, & totam faciem; è quâ certè fragrantiæ illius attraham suauitatem, odori malorum suauissimo adæquandam: Et subdit v. 9. *Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisq. & dentibus illius ad ruminandum. Guttur,* inquit, *tuum,* id est gustus ille, quem ex osculo tuo mihi afflabis, summæ erit mihi voluptati: erit namq; sicut vinum illud optimum, quod dignum est vt non solùm potetur simpliciter, sed vt & labiis & dentibus ruminetur à dilecto meo. Vertuntur verba posteriora *Labiisq. & dentibus,* &c. ex Hebræo, *Loqui faciens labia dormientium.* Quo indicat puella, tantum fore gustum illum similem vino optimo, vt per eum ad illam incessanter laudandam ita impellatur; sicut per vinum optimum etiam labia dormientium excitantur ad loquendum. Qui sermo à Scripturâ puellæ raptæ sponsæ laudibus in eius amorem honestissimè tribuitur, vt nos doceat, quomodo eam erga dilectissimam Dominam nostram debeamus castissimè imitari. Cuius cùm eximiam pulchritudinem Lib. 1. proposuerimus, suauitatem Lib. 3. attigerimus; æquum est, vt accuratâ eius consideratione inflammati Sodales, accendantur spirituali, os oculosque tantæ pulchritudinis dissuauiandi desiderio, & appetitu degustandi admirabilem illam dulcedinem; quam ore suo spirat quæ mel & lac gerit sub linguâ, & cuius labia fauus distillans ab ipsomet Sponso perhibentur. Dicant ergo: Ascendam in palmam cogitatione & piâ contemplatione; ascendam in palmam istam quæ nobis est arbor vitæ, plantata in medio regionis vmbræ mortis; & apprehendam amore & seruitio fructus eius, omni non tantùm ramusculo, sed etiam fronde dependentes: ex amore membra eius singula piâ veneratione exosculabor; & vicissim humili seruitio membra mea ei consecrabo; vt isti beneuolentiæ aliquâ gratitudine respondeam, quâ dignissima membra sua mihi primùm seruiendo Filio suo impendit, nec deinde etiam mihi ipsi iis inseruire fuit dedignata. Non possumus Virgini respondere saltem vnum pro mille; igitur saltem exiguum illud quod possumus non negligamus: faciamus, inquam, arcana quædam & quodammodò amoris sacra, Virginis sacrosanctæ membra deifica benedicentes quâ possumus venerabundi amoris dulcedine, & nostrorum vicissim membrorum obsequium Dominæ amantissimæ offerentes in holocaustum perfectissimum. per mancipatus humillimi seruitutem. Primùm ergo de more arcendi sunt ab hoc sacrificio quicumque vel sæculari leuitate, vel, quod peius est, carnali voluptate animum habent profanatum, vt nihil non sanctum, nihil non purissimum ad mentis aram, in quâ dulcissimis cogitationibus erit perficiendum hoc sacrificium, admittatur. O quanta cordis puritas, quanta mentis castitas erit eorum, qui se quotidie diuino illo, quod mox latiùs tradam, pietatis exercitio recreauerint. Si enim carnalis pulchritudinis Marianæ intuitus ingenerabat incredibilem quemdam in adspicientibus castitatis amorem; quid faciet

Paraphrasis loci Cant. 7.

Exercitium hoc est quasi domesticum mancipiorum sacrificium.

Ingenerat menti puritatem.

faciet spiritualis pulchritudinis eiusdem per considerationem singulorum membrorum aspectus? Et ne quis dubitet hoc pietatis genere animum suum crebriùs exercere; non dubitauerim ego asserere id fuisse ex antiquissimis & vsitatissimis pietatis exercitationibus: nam si ipsas legis antiquæ vmbras velis indagare, nónne in libris Canticorum exemplo suo Sapiens ostendit, quid facere debeat quicumque amorem suum insigni ratione declarare cupit ei, cui vitam deinde desiderat vniuersam consecrare: tam enim suauiter per singula membra discurrendo Sponsæ pulchritudinem describit, vt rapiat eos qui diuinum illud Canticum eâ quâ par est decurrunt pietate. Verùm non in figurâ, sed propriè de Virgine MARIA loquebatur, quæ CHRISTO præsente Luc. 11. v. 27. extollebat vocem, dicens: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Et beata mater nostra Ecclesia, quando cantat: *Beata viscera* MARIÆ *Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium, & beata vbera quæ lactauerunt* CHRISTVM *Dominum.* Quæ omnia viam monstrant ad concinnandam egregiam Virginis MARIÆ, per singula eius membra discurrendo, laudationem. Nescio an non hoc factum à diuino illo cœtu, quem sanctus Dionysius Areopagita lib. de Diuinis nominibus cap. 3. congregatum fuisse dicit circa corpus Virgineum; vbi ait: *Cùm & nos, vt nosti, & ipse* (Magistrum suum Hierotheum intelligit) *plurimiq; sanctorum fratrum nostrorum ad corpus illud, quod dedit principium vitæ, Deúmque susceperat, contuendum venissemus: aderat autem & frater Domini Iacobus, & Petrus, suprema ista atque antiquissima summitas Theologorum, placuissetq; post contuitum Antistitibus omnibus, pro virili cuique suô, infinitâ potentiâ præditam diuinæ imbecillitatis bonitatem collaudare; ipse,* Hierotheus scilicet, *post Theologos, vt nosti, ceteris omnibus sacris laudatoribus anteeellebat, totus excedens, totus se deserens, rerumq;, quas laudabat; consortium patiens.* Vbi Sanctus clarè ostendit, Primò, quâ veneratione erga corpus Virgineum fuerit tota ista primitiua Ecclesia. Secundò, quomodo ad eius conspectum panegyres, hymnos, orationes fecerint, quibus *infinitâ potentiâ præditam diuinæ imbecillitatis bonitatem,* hoc est, sancto Maximo commentatore, *voluntariam condescensionem Filij Dei vsque ad corpus absque peccato collaudarent.* Tertiò, quantis cælestibus priuilegiis atque ecstasibus Hierotheus præuentus sit inter pium istius laudationis exercitium, vt consortium seu communicationem pateretur ipsorummet mysteriorum quæ deprædicabat. Suspicari autem licet; sacros istos encomiastas minimè neglexisse laudes istius corporis, cuius aspectu ad tam diuina rapecentur exercitia. Sanè vel horum, vel Ecclesiæ, vel mulieris Euangelicæ, vel nuptiarum in Canticis paranymphæ exemplum arripuit sanctus Ioannes Damascenus Oratione 1. de Natiuitate B. MARIÆ Virginis, vbi ea commemorat, quæ paulò pòst ad verbum producemus. Secuta deinde est sancta Birgitta de Sueciâ, non suo quidem marte, sed diuinis edocta reuelationibus: nam inter quatuor Orationes, quas se diuinitus didicisse ipsa fatetur, vna est, quâ ex professo ad membra Virginea laudanda conuertitur; quam etiam paulò inferiùs exscribemus.

est ex antiquissimis pietatis exercitijs: *à Salomone,* *ab Euangelicâ muliere,* *ab Ecclesiâ,* *ab ipsismet Apostolis vsurpatum:* *& à S. Ioanne Damasceno, atque à S. Birgittâ ex professo traditum.*

CAPVT XXXV.

Quodnam sit octauum EXERCITIVM, *breuiter exponitur.*

EXERCITIVM pietatis quod iam Scripturæ, Ecclesiæ, sancti Ioannis Damasceni, & sanctæ Birgittæ exemplo commendauimus, hic breuiter pientissimi Richardi à sancto Laurentio verbis exponemus. Floruit hic Auctor ante plus quàm quadringentos annos, & scripsit Opus de Laudibus B. MARIÆ Virginis; quo non scio, an exstet vllum in succinctâ breuitate, copiosâ materiæ densitate, & locorum sacræ Scripturæ multiplici interpreta-

Encomium Richardi à S. Laurentio.

tione

ctione magis admirandum. Lege, quisquis de laudibus Deiparæ vel piâ contemplatione animum, vel eruditâ concione populum es instructurus, & inuenies breuissimè magnis cogitationibus apertum campum. Hic, inquam, Richardus lib.2.particulâ 5. sic habet: *Et benedicenda sunt quotidie singula membra eius, vt in singulis membris benedictionem reportemus ab eâ.* Benedicendi sunt *pedes*, quibus Dominum portauit; *venter*, in quo portauit; *cor*, quo in eum fortiter credidit, & feruenter eum dilexit; *vbera*, quibus lactauit; *manus*, quibus nutriuit; *os* & *lingua*, quibus ei dedit felicia oscula nostræ redemptionis; *nares*, quibus sensit suaueolentem fragrantiam humanitatis eius; *aures*, quibus dulcia eius eloquia delectabiliter auscultauit; *oculi*, quibus ipsum deuotè respexit; *corpus* & *anima*, quæ Christus in eâ omni benedictione consecrauit. Et salutanda sunt & benedicenda cum omni deuotione hæc sanctissima eius membra, ita vt singulis dicantur singulæ Salutationes, scilicet *Aue Maria*; duæ ad pedes, vna ad vterum, vna ad cor, duæ ad vbera, duæ ad manus, duæ ad oculos, duæ ad animam & corpus: & sic in vniuersum sunt viginti Salutationes, quæ in modum pensionis quotidianæ cum singulis & totidem genuflexionibus, si fieri potest, coram imagine eius vel altari persoluendæ sunt Virgini gloriosæ, iuxta illud Psal. 144. v. 2. *Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in sæculum*, &c. Et, sicut dicunt qui experti sunt, & testantur, qui à viris sanctissimis audierunt, vix posset adinueniri modus alius seruitij qui tantum Virgini complaceret, vel ex quo tanta deuotio redundaret diligentibus eam. Item per singula eius membra, post genuflexionem, adorationem, & Salutationem, sic dicendum: *Dulcis Domina, adoro & benedico beatissimos illos pedes, quibus Dominum super terram portasti: benedico & adoro beatissimum vterum illum, in quo* CHRISTVM *baiulasti*. & sic de ceteris membris & sensibus, commemorando actus eorum, quibus Domino seruierunt. quod meliùs dictabit deuotio quàm sermo, meliùs gratia quàm scriptura. In quibus verbis noto Primò vocem *pensionis quotidianæ*; quâ auctor ille ostendit antiquitus vsurpatam fuisse deuotionem hanc, pensionem seu tributum quotidianum Virgini Dominæ nostræ pendendi: quam coram imagine aut altari ipsius fieri cupit, ritu quo nos tributa hæc persoluenda præscribimus. Rursum noto antiquitatem huius seruitij; cuius fructum iam ante quadringentos annos alij à viris sanctis audiebant; adeò vt videatur diu ante Rosarij vsum hæc deuotio in vsu fuisse, quâ ipsi per membra B. MARIÆ Virginis numerum precum suarum notabant, prout eas nos iam sphærulis dinumeramus. Tertiò, hoc exercitium esse proprium mancipijs: nam mancipium B. Virginis fuisse, & vehementer seruitium illius commendasse istum Richardum satis patet toto ipsius Opere; vbi sæpiùs ait nos Virginem amplexari debere amore & seruitio. Nunc autem, vt non desit inter legendum hasce viginti Salutationes Angelicas piæ contemplationis materia, discursum breuem formabimus, eodem auctore monstrante viam: quo ostendemus, quomodo Domina nostra B. Virgo MARIA singulis suis membris nobis in Filio & aliter seruierit, vel etiamnum seruiat; vt deinde ostendamus, quomodo singulis nostris membris ei seruire debeamus: vnde varia desumere poterunt exercitia & obsequia, quæ Virgini offerent, aut in honorem ipsius obibunt Sodales. Præmonitione autem vix opus esse iudico, ne iniuriosum videatur esse B. Virgini, quòd nobis seruierit & seruiat, cùm potiùs sit bonitatis & misericordiæ commendatio: nam de ipsomet Filio eius Deo S. Augustinus, Serm. 35. de Verbis Domini secundùm Lucam in fine, dicere non reformidat: *Magna res, fratres, & hereditas illius sumus, & hereditas nostra est, quia & colimus eum, & colit nos. Nulla est iniuria illi, quia colit nos: quia si nos colimus illum vt Deum, ille nos colit vt agrum suum.* Quid ergo de

Pendere tributum Virgini, est antiqua deuotio.

Non est iniuriosum Virgini Deiparæ, dicere quòd nobis seruierit.

de Virginis benignitate & humilitate nos dicere vetuerit; Si nos illam colimus vt Dominam, illa nos coluit colitque vt rem suam, vt peculium suum particulare; idque tantâ diligentiâ & sedulitate, vt membra sua omnia nobis impenderit, nostra nos vicissim in obsequium eius impendamus? Præparatio verò animæ, quâ ista legere debent mancipia, est profunda veneratio erga ipsa Virginis membra, & gratiarum actio propter tot beneficia, parata oculum pro oculo, dentem pro dente, & membra singula pro singulis rependere. Incipiamus autem ab animâ, sacratissimo omnium gratiarum receptaculo, videamusque, quid eâ nobis Virgo præstiterit obsequij.

Seruiuit nobis Virgo Deipara animâ suâ sacratissimâ.

Cùm Virginis Deiparæ anima fuerit sacrarium Spiritus sancti, & triclinium totius SS. Trinitatis, ipsaque CHRISTVM nobiliùs mente quàm corpore susceperit; ante omnia videndum est, non solùm, quàm ex animo nobis reliquis membris, sed præcipuè, quomodo ipsâ animâ nobis seruierit. Non refero huc affectus tam varios, quibus salutem nostram desiderauit & obtinuit; quòd ij potiùs ad cor tamquam ad corporale suum instrumentum pertineant. Non enumero memoriæ, intellectus, ceterarum nobilissimarum facultatum obsequia; cùm istis in capite sua sint instrumenta, quibus adscribi possint præstita per eas ministeria. Solum quod animæ proprium est, atque omnium est nobilissimum, hîc commemoro; gratiarum scilicet illam superefluentem abundantiam, quâ Virginis anima fuit adimpleta, totam fuisse in obsequium nostrum: nec enim propter se facta & sanctificata est Virgo, sed, quod multò est nobilius, propter IESVM CHRISTVM Filium suum; hic autem propter nos homines, & propter nostram salutem incarnatus est de MARIA Virgine, & homo factus est. igitur gratiæ omnes, quibus disponebatur Virgo, vt digna fieret Mater istius hominis, seruiebant nobis. Nihil possum adferre dignius, nihil spiritualius, quàm ipsiusmet animæ animam & vitam, omnia vitæ spiritualis ornamenta, quæ in hac Reginâ circumdatâ varietate erant, tam admirabilia fuisse ad obsequium nostrum: cuius rei æstimatio potiùs tacitæ cuiusque considerationi relinquenda, quàm verbis infra dignitatem attingenda.

Gratia omnes collata Virgini nobis seruiebant.

Quomodo sacrosancto suo corpore Virgo Deipara nobis seruierit.

Quid corpori in genere debeamus, dubium non est, cùm Deus de eo creauerit medicinam animæ & corpori nostro, CHRISTVM scilicet hominem, qui *languores nostros tulit*, Isaiæ 53. v. 4. *in corpore suo super lignum*, 1. Petri 2. v. 24. *& dolores nostros portauit*, hoc est, asportauit & abstulit peccata omnis nobis causas doloris: ipse enim Achilleo more de carne mortali, vnde vulnus inflictum erat naturæ, medicinam fecit, trahens de corpore matris suæ non feruorem vulneris, sed materiam medicaminis. Secundò, præbuit illa de corpore suo hostiam summo Pontifici, placaturo Patrem cælestem in arâ crucis: ministrauit ergo toti generi humano, quando isti sacrificio, quod pro eo offerebatur, hostiæ materiam subministrauit. Tertiò, seruit nobis de corpore suo quotidie, quando carne istâ diuinâ de carne ipsius virgineâ formatâ in Eucharistiâ pascimur. Caro enim Christi & caro Virginis, vti suprà demonstrauimus, vna est caro: *Erunt duo in carne vnâ*. quod de nullis magis ad litteram dictum, quàm de Sponso hoc & Sponsâ, qui simul Mater sunt & Filius, CHRISTVS scilicet & MARIA. De corpore hoc virgineo accipio verba Tobiæ 13. v. 14. quæ ipse de Ierusalem pronuntiauit: *Terram tuam in sanctificationem habebunt: nomen enim magnum inuocabunt in te. Maledicti erunt qui contempserint te, & condemnati erunt omnes qui blasphemauerint te: benedictiq; erunt qui ædificauerint te.* Descendam ergo ad cor Virginis amantissimum,

De corpore suo dedit primò, medicinam.

secundò, hostiam;

tertiò, in Eucharistiâ escam:

Gen. 2. v. 25.

tissimum, vt inde gradum faciam ad membra cetera.

Quidnam corde suo amantissimo Virgo Deipara nobis præstiterit obsequij.

Corde nobis obsecuta, primò, credendo Angelo:

Venerari atque amare debemus cor istud sanctissimum Dominæ nostræ; quòd ex eo processerit fides illa, quâ Angelo nuntianti rem tam arduam, atque est Filij Dei Incarnatio, credidit, & consensum præbuit, vt in se perficerentur tam admirabilia mysteria: per quam fidem & consensum initia posita sunt salutis nostræ. Ipsa enim statim Filium vnigenitum exeuntem de corde paterno, corde suo & vtero suscepit; quando scilicet ille eructauit Verbum bonum, quod de sinu Patris egrediens, sinu Matris Virginis fuit acceptum.

secundò, compatiendo Filio:

Secundò, cor illud Virginis dulcissimum felle amarissimo potatum fuit, & animæ ipsius alueus per compassionem omnino repletus torrente passionis: vulnerabatur enim tunc anima eius ob iniquitates nostras, & atterebatur propter scelera nostra: dolores siquidem nostros & Filij, & languores nostros & Vnigeniti sui tunc ipsa portauit in intimæ pietatis visceribus: erat namque tunc *omnis plaga, tristitia cordis* eius, dans Vnigenitum suum pro sceleribus nostris, & *fructum ventris* sui *pro peccatis* animarum nostrarum.

Eccli. 25. v. 17.
Michææ 6. v. 7.

tertiò, præbendo locum, in quo misericordia & veritas obuiarent sibi:
quartò, cudendo arma defensiua contra iustum Dei furorem.

Tertiò, in corde & vtero Virginis misericordia & veritas obuiauerunt sibi: ibi Iustitia diuina paci præbuit illud osculum toti generi nostro tam salutare. Quartò, cor ipsa suum officinam fecit, vbi cusa sunt omnia defensiua arma, quæ nos sæuienti diuinæ Iustitiæ obiiceremus: tot nimirum preces, quas ipsa pro genere humano obtulit: quarum virtute etiamnum auertimus à nobis Dei manum, sæpiùs ad peccata nostra iustissimè vindicanda extentam.

Quâ ratione venerando capite suo Virgo MARIA *nobis ministrauerit.*

Capite nobis ministrauit,

Inter membra hominis exteriora meritò caput primum locum sibi vendicat; vtpote arx sensuum omnium nobilissima, sapientiæ, verecundiæ, pulchritudinis sedes, & humanæ solium maiestatis; ideoque laudatura Sponsum dilectissima Cant. 5. v. 11. inde sumit exordium: *Caput*, inquit, *eius aurum optimum.* quod etiam formoso, perlucido & puro Dominæ nostræ capiti variè licet accommodare. Sed quid eo est opus, non laudem membrorum, sed vtilitatem quæ ex illis nobis obuenit indaganti? Omissâ ergo capitis cum auro comparatione, magis placet ea interpretatio, quæ putat de ascititio capitis ornatu dici, *Caput eius aurum optimum.* nam Aquila ex Hebræo vertit, *Caput lapideum auri.* quod explicatur ex Psalmo 44. v. 10. Vbi enim nos habemus, *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*; ex Hebræo vertitur, *Adstitit coniux à dextris tuis in diademate aureo.* Vtrobique autem est eadem vox *chetem:* vnde constat, & hîc & ibi agi de ornamento capitis.

primò, gestando coronam imperij:

Caput ergo Virginis ornatum est auro optimo, eique debemus, quòd ipsum nobis gestet coronam de lapide pretioso, & diadema imperij; vnde nobis ea contigit felicitas, vt possimus tam dignæ & tam benignæ Imperatrici famulari.

secundò, inclinando pro nobis supplicabundum caput.

Quòd si addamus, eam sæpè de regali solio suo descendentem, sublimem illum ac gloriosum verticem coram Filio suo inclinare supplicabundam, vt impetret nobis vel peccatorum veniam, vel pœnarum abolitionem, vel gratiarum augmentum; quomodo non infimâ submissione colemus eam sublimitatem, quæ non dubitat inclinari in terram, vt de eâ nos erigat, & capiti nostro imponat diadema gloriæ?

Quænam ex adorandis Virginis capillis nobis obuenerit vtilitas.

Capillis hîc inter corporis membra locum non concederemus, nisi tam decoro suggestu incurrerent in oculos; vt pænè caluam dicere liceat pulchritudinis laudem, quæ hoc pulcherrimum capitis ornamentum exquisitâ aliquâ ratione non deprædicauerit. Nihil profanis est opus, quandoquidem Canticorum Canticum sponsæ comam toties deprædicat, neque eam in Sponsi lau-

dibus neglexit. Sed, vt dixi, ornatum inpræsentiarum omitto, vni quam percipimus à Virgine vtilitati intentus, quam ex capillis prouenientem tangit Sponsus Cant. 4. vers. 9. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Vbi parem tribuit vim animas captiuandi vulnerandique capillis & oculis; imò crinibus quodammodò maiorem, propter eorum copiam. Si namque crine non minùs quàm oculo vulneretur cor amantis; quantò plus habet crinium Virgo quàm luminum, tantò crebriùs cor dilecti sui feriet capillis quàm oculis? Profuit ergo capillis suis nobis Deipara: Primò, quòd ijs cor Dei vulnerauerit, vulneratum ijsdem alligauerit, & qualibet catenâ Homericâ fortiùs ac feliciùs in terras detraxerit; vt factus homo, homines morte suâ redimeret. Seruit Secundò nobis capillis suis, dum ijs nos constrictos extrahit è cœno vitiorum ad amorem sui: alligans namque crinibus suis escam suæ pulchritudinis felix piscatrix, sauciat mortales eò adnatantes pœnitentiæ hamo, itaque captiuos trahit ad obsequium suum, reponitque in mancipatus sui viuarijs, aquâ saliente in vitam æternam deinceps nutriendos.

Capillis Sponsum vulnerauit Sponsa.

Capillis seruus piscatur Virgo.

Virginis Deiparæ aures obedientissimæ quomodo sint nobis mancipatæ.

Auribus seruiuit nobis Primò, quando posuit eas ad audiendum verba salutis; & auditu simplici suscepit verbum bonum quod eructabat cælestis nuntius: *Aue, gratiâ plena*, &c. & præparauit aures suas, vt illac intraret remedium, quà morbus irrepserat; & ijsdem vestigijs sequeretur vita mortem, lux tenebras, veritatis antidotum serpentis antiqui mendacium; vtque fieret vitæ ianua auditus, qui aditum dederat morti ingredienti in orbem terrarum. Secundò, seruiuit nobis auribus, quia ipsa se quodammodò piâ metamorphosi in auricularem fistulam commutauit, vt facultatem præberet Deo audiendi preces nostras. Iam enim *præparationem cordis eorum*, id est, humilium & miserorum deprecantium, *audiuit auris tua*, dicere possumus Deo nostro, postquam audire cœpit per illas misericordiæ aures, quas ei Virgo Deipara adaptauit: *Ideò ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem*, per quæ aliquâ ratione exaudire soles humani generis deprecationes, *noluisti.* quid ergo? *aures autem perfecisti mihi.* Quis non dicat, aures tunc perfici, quando celeriùs exiguum clamorem incipiunt audire, quàm anteà magnum percipiebant? Deus autem postquam aures accepit carneas, ijsdemque apposuit tamquam auricularem fistulam Matrem suam (quam semper adhibet, vt intendat precibus nostris) tantâ audiendi exaudiendique facilitate pollere cœpit, vt etiam præparationem cordis eorum qui deprecantur exaudiat; cùm anteà clamores validos rarò admodum exaudiret. Quare meritò corpus humanum CHRISTI, auris diuina; & auricularis fistula, quâ auris perficitur, dicitur Virgo MARIA. Quæ res pulcherrimè explicatur à subtilissimo sui interprete Spiritu sancto, qui per os Pauli ad Hebr. 10. v. 4. explicans quod Psal. 39. per Dauidé pronunriauerat, postquam ostendisset, non auferri peccata per sacrificia legis: *Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Vnde sequitur, non audiuisse illos Deum, quantocumque per ea clamore vociferarentur: *Ideò*, inquit, *ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* ita hîc interpretatur quod in Psalmis dixerat; *Aures autem perfecisti mihi.* Aures enim illæ, per quas iam tam facilè exaudit corpus, sunt illud quod à Virgine sumptum ita concinnè ei aptatum est, vt ad facilitandam exaudiendi facultatem semper adsit ipsa Virgo, tamquam medium quoddam exaudiendi, vti dicebamus, instrumentum. Tertiò, nobis seruit etiamnum auribus Virgo, eas semper applicando ad exaudiendos gemitus & orationes seruorum suorum, tantâ sedulitate, vt nullum elabatur suspirium, quod illa non percipiat & misericorditer exaudiat. id quod pertinet

Auribus suscepit verbum vitæ.

Lucæ 1. v. 28.

Facta est Deo fistula auricularis.

Psal. 9. v. 17.

Hebr. 10. v. 5.

Psal. 39. v. 7.

semper intendit precibus suorum.

net ad officium tam perfectæ Mediatricis, qualem eam esse superiùs demonstrauimus.

Siderei oculi Virginis quâ ratione sint nobis vsui.

Vigilauit in orationibus: Oculis suis seruiuit nobis Virgo Deipara; quia non dedit somnum oculis suis, & palpebris suis dormitationem, aut requiem temporibus suis, donec inueniret locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Si enim Anna prophetissa *non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die*, (Luc. 2. v. 37.) & consequenter multis oculos suos fatigans vigilijs: si Dauid tam sanctè iurabat se vigilijs oculos suos exercitaturũ, donec inueniret locum Deo suo; quibus vigilijs indulsisse Virginem in templo existimabimus, assiduis ieiunijs & orationibus nocte & die pro humano genere deprecantem; quoties negasse quietem oculis suis, donec inueniret locum in sacratissimo corpore suo, vbi requiesceret Deus suus homo factus? *oculis suis spargebat virtutum semina, maximè castitatis:* Secundò, circumferens illos tamquam bina mundi luminaria, plenos humilitate & modestiâ, plenos luce diuinitatis, talem vibrantes splendorem sanctitatis; vt, teste Areopagitâ, satis in ijs esset maiestatis, vt veluti Deam quis MARIAM veneraretur, qui fide doctus non esset, vnum tantùm esse Deum, cuius illa Mater existebat. Quo factum est, vt occurrentibus & intuentibus eam omnibus salutaris fuerit eius obtutus: nam, præter fidei semina, quæ solâ suâ præsentiâ infundebat animis admirantibus quænam illa tandem esset, quæ adeò supra omnem humanam virtutem erat eleuata, etiam ingenerabat virtutum omnium, & nominatim castitatis, quemdam amorem; qui inde propagatus in alios, tot peperit virginum choros, etiamnum castissimorum liliorum semine Ecclesiæ agrum fecundantes. Tertiò, seruiuit nobis oculis Virgo quatuor istis balneis, fletus, sudoris, aquæ & sanguinis, quæ manarunt de corpore patientis Saluatoris, adiungens quintum lacrymarum fontem ex oculis suis, *lacrymæ Virginis faciunt Probaticam piscinam:* qui constituat nobis Probaticam quamdam in Ecclesiâ piscinam; in quam quicumque iniectus fuerit, statim à Domino sanitatem accipiat & indulgentiam omnium peccatorum, non semel atque iterùm in anno, postquam Angelus mouerit aquas, sed omni tempore; quòd semper Spiritus Dei feratur super hasce aquas, easque commoueat continuo feruore pietatis. Quartò, seruiuit nobis etiamnum, semper illos suos misericordes oculos ad nos conuertens: *oculos suos ad omnes conuertit,* quorum tanta est vis, vt nulla sit certior mortalibus salus, quàm adspici oculis illis Marianis, plus lumine suo fructuum in animo quem fouent producentibus, quàm sol producat radijs in agro quem illuminat. Neque leuiter peccatoribus, quales nos sumus, ista notanda oculorum Domini & Dominæ differentia: *maximè autem ad peccatores:* quòd oculi Domini super iustos, oculi Dominæ super peccatores & iustos; sed magis quodammodò super peccatores: sicut oculi bonæ matris quidem sunt super puerum ne cadat; sed maiori curâ, solicitudine, pietate super eum qui cecidit, vt releuet. & mancipijs suis nominatim dicit: *In viâ hac quâ gradieris, firmabo super te oculos meos.* (Psal. 31. v. 8.) Nam si de Behemoth Iob 41. dicitur, quòd omne sublime ipse videt; certè de humillimâ ancillâ Domini pronuntiari potest, quòd oculi ipsius firmati sunt super humilia: nullus autem status humilior fingi potest ipso mancipiorum famulatu.

Quomodo sit nobis Virgo Deipara decore nasi nariumque facultatibus obsecuta.

Cadauerũ fœtorem pertulit in monte Caluaria. Nónne egregiè seruiuit nobis Domina nostra odorandi facultate, quando ipsa Virgo tenerrima, vt cooperaretur saluti nostræ in medio terræ, non reformidauit fœtidissimum Caluariæ montem conscendere, ibique inter grauecolentem putridorum cadauerum mephitim cruci proxima assistere, vt offerret Deo sacrificium in odorem suauitatis? Nónne rursum perpetuum fuit generi humano ministerium, quando ipsa, quoties benedictis naribus suis vitalem hauriebat spiritum, toties vnà cum feruentissimis amoris Dei actibus ad

nostram redemptionem suspirabat? Sed quomodo vlterius naso & naribus seruierit nobis Virgo Deipara, ex nasi proprietatibus & significationibus facilè colligemus. Nam discretionem & sagacitatem significari per nasum, etiam ijs est notum qui non adeò emunctæ sunt naris, vt subtiliter possint naturales rerum significationes indagare: nam vti eius est odorem inter atque fœtorem discernere; ita discretionis est, malum à bono, fucatum à vero, virtutem à vitio, sanctitatem ab hypocrisi internoscere. vbi exemplo suo seruiuit nobis, & in habitatione sanctâ coram Deo ministrauit Virgo; ita vt si appetamus ea quæ concupiuit, & fugiamus quæ ipsa abominata est, numquam vitia nos specie recti sint deceptura. Secundò, vt breuiter hoc percurramus, via spiritus est nasus; via quâ Spiritus sanctus ad nos descendit, est MARIA: ille vitæ carnis nostræ, aëris, MARIA vitæ animæ necessariam spei subministrat respirationem: in eà namque *omnis spes vitæ & virtutis*. Quàm multi de Dei misericordiâ desperassent, nisi per misericordiam Virginis ad eum suspirassent? Tertiò, per nares purgantur mali & noxij humores capitis; per MARIAM secernuntur omnia vitia mentis. Quartò denique, nasus eius sicut turris quæ respicit contra Damascum. Damascus est sanguinem bibens, non alius vtique quàm leo ille, qui circuit quærens quem deuoret: contra cuius insidias & adinuentiones nequitiæ opponitur nasus, id est, discretio B. MARIÆ Virginis, quæ ipsius præsentit malitiam, & à longè præuidet veluti è speculâ; vnde & turri comparatur, è quâ de longè videntur inimicorum incursus. Turris autem est Libani, id est candoris; vt sciamus candorem esse virginitatis ipsius, quæ splendore suo exterruit omnes inimicos.

Nasi significationes & officia Virgini applicata.

Eccli. 24. v. 25.

Quid labia B. MARIÆ *Virginis honestissima nobis præstiterint seruity.*

A moralibus iterùm ad vera & realia descendimus obsequia, quæ nobis præstantissima exhibuit Virgo labijs suis. *Non* enim *est*, fuit, aut erit, *talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum.* & ideò Sponsus Cant. 4. captus verborum & labiorum dulcedine, in mentis excessu dicit: *Sicut vitta coccinea, labia tua: mel & lac sub linguâ tuâ.* Non vulgari sapore percipere videtur S. Bonauentura c. 6. Speculi septem verba B. MARIÆ Virginis, quæ, veluti totidem faui radios, ab ore eius processisse Scriptura testatur: bis enim Angelo, bis cognatæ suæ, ter Filio locuta perhibetur; Angelo quidem verba castitatis & humilitatis, Elisabeth charitatis & veritatis, Filio gratitudinis, querelarum & compassionis. quæ fusè suauiterque deducta inueniet apud Doctorem istum Seraphicum, qui dulcedinis istius capietur auiditate. Interim labia hæc non simpliciter dilaudat Regius Propheta Psal. 44. v. 3. *Diffusa est gratia in labijs tuis; proptereà benedixit te Deus in æternum.* Poteratne maior gratia diffundi eâ, quam verbo vno in orbem effudit, generi humano tam sublimi ratione seruiens, quando se ancillam Domini pronuntiabat? in illâ enim responsione vniuersitas gratiarum diffusa est per totum mundum in labijs illius; id est, in verbis quæ distinxerunt labia eius, reconciliatus est mundus Deo. Seruiuit ergo nobis loquendo verba pacis, seruiuit & osculando pro nobis Filium suum, & creans *fructum labiorum pacem.* O quàm grata istius ancillæ eloquia, quàm iucunda talis Matris oscula! *Osculetur me osculo oris sui,* clamat illa; & Filius æque suspirans & anhelans ad oscula materna, inquit: *Eloquium tuum dulce: mel & lac sub linguâ tuâ.* Vt laudibus istis alliciat, ne reformidet tangere labella amantissimi Filij, vnoque osculo & verbulo multiplicem reconciliet pacem & vnionem inter cælum & terram, naturam diuinam & humanam, virginitatem & fecunditatem, inter regnum & famulatum, inter Deum & hominem. O felicia nobis oscula, quæ toties Mater figebat Deo ex se nato, simul cum lacte & melle, quod habebat sub linguâ, miræ suauitatis, illi instillans verba salutis & cogitationes pacis, & potens illud suum

Iudith 11. v. 19.

Labia Virginis seruierunt nobis verbis & osculis.

Isaiæ 57. v. 19.

Cant. 1. v. 1.

Cant. 4. v. 3.

fiat

sæpè repetens Virgo suum fiat:

fiat identidem repetens. Fiat illis secundùm petitiones cordis eorum, fiat pax in virtute tuâ, fiat salus vniuersis inuocantibus nomen tuum & nomen Matris tuæ. Vix vllum maioris facimus homines inter nos obsequium, quàm si quis gratiosus apud Principem labijs suis nobis seruiat, vt pro nobis loquatur verba opportuna, quando mollia nanciscitur fandi tempora. Inuenerat gratiam apud Deum MARIA, quam ipse fatetur diffusam in labijs eius, hanc totam nobis impendit; verba omnia, & oscula, & ipsa sua silentia eò dirigens, vt gratiosos nos apud eum redderet, apud quem ipsa tam multiplicem inuenerat gratiam.

Quot modis lingua Deiparæ mellitissima sit nobis impensa.

prægustando cibum, & nutriendo Seruatorem, nobis seruiuit.

Mel & lac sub linguâ tuâ, de Virgine MARIA cantat, qui sæpiùs masticatum ab eâ cibum degustauit; reddens ipsemet testimonium, quàm egregiè nobis seruierit Mater sua, tam dulciter nobis educando Seruatorem, vt ille penderet semper anhelus à linguæ ipsius delicijs, quæ tam diuinos mellis & lactis thesauros seruabat absconditos. Deinde, quàm Matris ingenio, & talis Matris amori consentanea est ista meditatio; quòd sæpiùs, & maximè in fugâ Ægyptiacâ, cibum subtraxerit sibimetipsi, vt superesset quo Filium pasceret. O salutarem nobis pœnitentiam, per quam ipsa inter nutriendum Seruatorem petebat, vt suppeditaret nobis panis cælestis abundantiam! Ad linguam denique referri potest illa à cibis abstinentia, quâ sæpe corpus suum macerabat, vt nobis veniam impetraret eorum peccatorum, quæ per gulam commisimus. Nam de verbis taceo, cùm suprà ad labia retulerim verbum illud, *Ecce ancilla Domini*, quo Deum ita oblectabat, vt ipso momento è regali sede descenderet, & quasi deposito diademate gloriæ, immemor culpæ nostræ, immemor indignationis suæ, desiliret de sinu paterno in vterum virginalem, vociferans: *Deliciæ meæ, esse cum filijs hominum. Lingua* namque *eucharis in bono homine* abundabit; benè autem gratiosa est illa lingua, quæ nobis fuit *lingua curationis, & mitigationis, & misericordiæ.*

Prou. 8. v. 31. Eccli 6. v. 5. Eccli. 36. v. 25.

CAPVT XXXVI.

Oris Virginei præstitum nobis ministerium.

DE oris ministerio vix particulatiter tractandum, postquam de labijs & linguâ diximus. Quòd enim nobis ore seruiat, quotidie agens fidelem generis nostri apud Deum Aduocatam, etiam ad illa potest referri; huc tamen facit, quòd os suum aperuit & attraxit spiritum; spiritum intellectus, spiritum castitatis, spiritum scientiæ, illum denique Spiritum, qui superuenit in illam, & obumbrauit ipsi, vt deinde nobiscum de plenitudine suâ communicaret: præterea, quòd dentibus Seruatori nostro masticauit cibum, quo ille cresceret, & adolesceret, sanguinemque illum nutriret, quem posteà totis riuis ad nostram redemptionem effunderet.

os aperuit, & attraxit spiritum.

Collo nobis Deipara seruiuit.

Collum præterirem, nisi obiter animaduertendum esset, quòd illud toties ad audiendas miserorum preces inclinauerit; quòd Filius illud tam frequentibus strinxerit amplexibus, perque illud infans reptauerit.

Brachijs ac manibus nobis Deipara ministrauit.

Brachia verò & manus vbi non seruiuerunt nobis, cùm, quidquid potuerunt operari manus eius, instanter operatæ sint? Suauissimæ hîc suggeritur materia contemplationis, si cogitatione percurrere quis velit omnia materni officij ministeria, quibus amantissimè nobis in Filio seruiuit: cùm enim ille nobis natus, & nobis datus esset, nobis ipsa Mater eum nutriebat, nobis impendebat quidquid illi præstabat obsequij; brachijs eum portabat, manibus fouebat, manibus induebat, cibum ministrabat, vestes deinde conficiebat manibus suis; manum deinde suam aperuit inopi, & extendit palmas ad pauperes.

Quomodo

Quomodo dulcissima Virginis vbera nostro sint addicta seruitio.

Sacrosanctis vberibus quomodo seruiat nobis Deipara Virgo, de eo vel nihil; vel infinita dicenda sunt; cùm singula quæ tangi possent, infinitatem quamdam contineant: nam *delectabitur infans ab vbere*, dicit cap. 11. vers. 8. Isaias; & satis dicit, vt tenero erga Dominam suam affectu dissoluat corda mancipiorum; quia scilicet in vberibus Virginis repererunt quo infans ille delectetur: qui nisi pacatus fuisset, timendum erat, ne mundum, quem pugillo continebat, & quo delectabatur ludens in orbe terrarum (vt bullulâ suâ infantulus) iratus abijceret, totumque confringeret, quòd tam tetrum peccatorum fœtorem naribus eius inspirasset. *Delectatur infans ab vbere.* & interim dum ibi delectatur, dum ibi scelerum nostrorum veluti immemor demulcetur istâ lactis dulcedine, pia Mater illos suos misericordes oculos ad nos mancipia sua conuertens, quasi furtim, nesciente aut conniuente Filio, largitur dona peccatoribus. *Delectatur infans ab vbere.* nec solùm infans, sed etiam grandior factus. ait enim: *Dixi: Ascendam in palmam*, hæ non sunt infantis cogitationes, *& apprehendam fructus eius: & erunt vbera tua sicut botri vineæ.* Fateor intelligi posse alium infantis cum matre ludum; qui, posteaquam diu per sedentis gremium reptauerat, vberibusque se eius inebriauerat, eleuatæ iam atque erectæ in pedes matris altitudinem tamquam arborem conscendere nititur, ex quâ duos vberum botros cernit tamquam ex palmâ altissimâ dependentes. & hoc Cant. 7. v. 7. dictum erat: *Statura tua assimilata est palma, & vbera tua botris.* quo lusu ingeniosè eum Mater auocat à iustitiæ suæ rigore in nos exercendo. Aliter tamen licet etiam ad rem hanc cum Richardo à S. Laurentio exponere: *Ego dixi*, id est ab æterno disposui: *Ascendam in palmam*, arborem scilicet crucis triumphalem, *& apprehendam fructus eius*, fructus victoriæ meæ, resurrectionem, ascensionem, Apostolorum fidem: vel *fructus eius*, homines redemptos quos apprehendit; primò in latrone pœnitente, & detentis in limbo, & tunc inter mortis angustias in horâ indignationis meæ contra crucifixores, cum meditabor *in spiritu* meo *duro per diem æstus:* id est, quando spiritus meus in æstu passionis exacerbatus, de malorum supplicijs & vindictâ cogitabit, tunc, inquam, erunt duo vbera tua sicut botri vineæ. Recordabor enim, quòd de te carnem assumpserim, quòd lac de tuis vberibus suxerim; recordabor incarnationis meæ mysterium: & ista recordatio, tamquam vini potus, præsentis irritationis & indignationis obliuisci me faciet, ne festinem ad vindictam. id quod Habacuc c. 3. v. 2. tetigerat: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Vel generaliter comparantur vbera Virginis botris vineæ. Ex vberibus enim exprimitur lac, & ex botris vinum, quod hominem lætificat & inebriat, & facit obliuiosum, & facilem ad condonandum irrogatas sibi iniurias, & largum ad dandum grandia munera. Omnino siquidem hunc in modum lac, quod sancta Domini labia expresserunt, & traxerunt à maternis vberibus, ipsum delectauit, & quadam inenarrabili dulcedine inebriauit, ne recordaretur de cetero, sed facilè nobis condonaret irrogatas sibi iniurias, & largiter nobis daret gratias & virtutes in præsenti, & in futuro gloriam sempiternam. Quid? istud infinitæ quodammodo æstimationis, quod nobis per vbera sua præstitit Virgo obsequiũ, quàm gratâ recordatione est commemorandum! quòd scilicet indolem suam misericordissimam, & genium illum ad benefaciendum, ad compatiendum, ad ignoscendum facilem Filio vnà cum lacte instillarit. Neque enim secùs à Deiparâ naturaliter lacte isto virgineo nutriebatur homo-Deus, omnesque eius qualitates imbibebat, quàm ceteri lacte matris suæ mortales. Si ergo durum & inclementem hominem, vel similis matris vbere pastum, vel Hyrcanæ tigridis lacte nutritum dicimus, quòd nihil

Richard. fol. 116. *Delectatur Deus & pacatur vberibus Deiparæ.*

Cant. 7. v. 8.

Ludus pueri IESV *cum Matre.*

In cruce pacatus est Dominus recordatione vberum MARIAE.

Isaiæ 17. v. 8.

Lac Virginis CHRISTVM *inebriauit.*

MARIA *cum lacte* CHRISTO *instillauit indolem clementissimam.*

nihil sit certius, quàm indolem vnà cum lacte instillari. Certè quòd CHRISTVM habeamus hominem tam piè ex naturâ suâ ad benefaciendum & commiserendum inclinatum, totum debemus vberibus istis, de quibus tam benignâ Filij indole commota mulier exclamabat: *Beatus venter, qui te portauit; & vbera, quæ suxisti.* Et ipse Sponsus quasi extra se positus (quod fieri solet, quando in altero stupemus & amamus id, vnde in nos ipsos laus eadem redundat, aut ingens alia bonorum copia) *Quàm pulchræ,* exclamat, *sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa!* Sed ne *memores vberum tuorum,* Domina, immemores reddamur propositi (nam *super vinum recti diligunt te*) quid ventre & pedibus nobis præstiteris obsequij, breuiter quidem, sed non sine ingenti animi gratitudine, percurremus.

Luc. 11. v. 27.

Cant. 4. v. 10.
Cant. 1. v. 3.

Virginis Deiparæ benedictus vterus nobis fuit consecratus.

ventre Deum-hominem suscepit:

Et venter quidem ille beatus nobis seruiuit, quando Creatori suo & nostro, egredienti tamquam sponso de thalamo, & ingentia illa, quæ cælum inter & terram iacent, spatia emenso præbuit locum quietis. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo,* Eccli. 24. v. 12. Thronus fuit & solium eburneum, quod verus Salomon sibi parauerat: *Venter* enim *eius eburneus, distinctus sapphiris.* Sanctuarium fuit Spiritui sancto, quod primum ille in terrâ nostrâ totâ gratiæ suæ plenitudine consecrauit. Hospitium & palatium fuit summo Regi, qui à regalibus sedibus veniens, ibi primam mansionem inter filios hominum prælegit, ibi decorem induit, ibi stolâ candidâ, id est humanitate mundissimâ, decoratâ immunitate à peccatis, sese vestiuit. Quibus rebus hoc nobis fecit obsequij, vt in compensationem istius hospitij, iam fideles animæ hospitentur in palatio cælesti, quando peregrinantur ex hac vitâ mortali; cùm omnes anteà lectulos sternerent in obscuris inferni, teste Iob c. 17. v. 13. *In tenebris straui lectulum meum.*

Cant. 5. v. 14.

Pedes B. MARIÆ Virginis nobis impensi.

pedibus varia pro nobis itinera confecit.

Vt pedum B. MARIÆ laudemus obsequia, non commemorabimus, quomodo Filij sui causâ (in quo generi humano seruiebat, nutriens ipsi Saluatorem) ierit & redierit, cognatam visitans, de domo suâ in montana Iudææ; Cæsari obediens, de Nazareth in Bethleem; Herodem fugiens, de Palæstinâ in Ægyptum; captiuum filium quærens, de cubili ad Caiphæ domum; patientem sequens per tot vicos & plateas, donec cum ipso ascenderit montem Caluariæ: ibi cum ipso perfectura opus, quod vtrique mandauerat Pater; vt mundum scilicet ille patiendo, hæc compatiendo; ille satisfaciendo pro peccatis, hæc rogando pro peccatoribus, redimeret. Vbi tot quisque ingentia Virginis inueniet merita, quot eius numerabit vestigia. Sed vnicam tantùm Isaiæ considerandam proponemus sententiam, quam qui Virgini applicuerit, mirâ ex mancipatu suo cumulabitur lætitiâ. dicit enim cap. 43. v. 2. *Cùm transieris per aquas, tecum ero.* O admirabile, quod præstat nobis pedibus Deipara, obsequium! non secùs enim quàm si nobis esset à pedibus, obseruat omnes vias nostras, & comitatur nos quocumque iuerimus, vt protegat, vt defendat, vt illæsos ducat per ignem & aquam, vt in aquis tribulationum soletur, vt in aquis tentationum obumbret. Quod quâ ratione præstet, pulcherrimè exponit S. Athanasius libr. de Incarnatione Verbi: *Sicut,* inquit, *ex amianto lapide* (teste Dioscoride lib. 5. cap. 113. & Plinio lib. 36. cap. 19.) *vtpote ductili & flexili textores fila deducunt, ex eisq́ telas & vela contexunt; quæ si in ignem inijciantur, ardent quidem, sed flammis inuicta splendidiora exeunt: ita B. Virgo Agnum peperit, è cuius glorioso vellere facta est nobis vestis immortalitatis; quâ tecti nec igne comburi possumus, nec aquis concludi, aut re vllâ impediri, quin per omnia cruciamenta transeamus illæsi, & ad cælum euolemus. Cùm ambulaueris in igne, non combureris;* quia tecum erit Virgo: ipsa enim comitatur seruos suos; & si-

Vbique nos comitatur MARIA, vt protegat.

Isaiæ 43. v. 2.

est nobis columna nubis.

milis illi nubi, quam olim Deus expandit, teste Psalmistâ, in protectionem Israëlitarum ex Ægypto fugientium, & per deserta peregrinantium: præcedit eos ad ostendendam viam per deserta huius mundi, auiam & inuiam, ducentem ad regnum cælorum; per diem in columnâ nubis, vt sub ardentissimo sole cupiditatum, aut iustitiæ diuinæ, iam iam fulmina & flammas vibrare cupientis, velut sub conopeo, securi æstus atque flammarum, ambulent. O quoties vniuersum pænè genus humanum vindicis Dei iustitiæ feruor absumeret, nisi illi sese Deipara preces que suas velut alteram nubem obtenderet! Frustrà asyla quæruntur contra vindicem Dei manum, gladio, pice, sulphure, tonitruo, vltricibus flammis armatam, toto orbe sæuientem, peccata punientem; quocumque peruadere potest (quò autem ipsa non potest?) nisi pientissima Mater expanso miserationum suarum gremio nos misellos, tremulos, pauescentes iusto furori subtrahat, & obiectu intercessionis suæ exitiales nobis ardentis Solis iustitiæ radios intercipiat, perimet & disperdet peccatores. Iam si semper mundo vniuerso hoc præstet obsequium, quid non sperare licet eius mancipijs, quibus se vbique dicit adfuturam, vt eos in *columnâ nubis* deducat per diem, & per noctem in *columnâ ignis*, vt illustret ignorantiæ tenebras, & nebulas caliginesque nequitiæ, quas diabolus affundere conatur, dispellat? Pulchrè hoc indicat S. Bonauentura in Speculo cap. 3. MARIA *est nobis*, inquit, *columna nubis, iuxta illud Psalmi, Deduxit eos in nube; quia tamquam nubes nos protegit ab æstu diuinæ indignationis, & ab æstu diabolicæ tentationis, sicut dicitur in Psalmo: Expandit nubem, &c.* MARIA *quoque est columna ignis, in nocte sæculi huius illuminans mundum.* citatque illud Bernardi: *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, vbi dies? Tolle* MARIAM *hanc maris stellam, quid nisi caligo inuoluens, vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur?* Vidimus ergo, quomodo corpus, quod gloriosæ Virgini Deus, vt dignum Filij sui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante mirabiliter præparauerat; ipsa, vt generis humani tamquam mancipium redderetur, amore instigante humiliauerit, vt nos obligaret ipsi non tantùm membris nostris & facultatibus omnibus inseruire, sed etiam membra ipsius humili gratiarum actione & doxologiâ collaudare. cuius rei modum suprà indicauimus. Antiquissimam autem fuisse hanc membra Dominæ nostræ humiliter salutandi deuotionem, docet S. Ioannes Damascenus, qui eam Orat. de Natiuit. B. MARIÆ Virginis hoc modo vsurpauit.

CAPVT XXXVII.

Oratio desumpta ex S. Ioanne Damasceno, ad sacrosancta corporis Virginei membra.

VITA tua naturalis, ô Virgo, ipsam longè superat naturæ præstantiam: nec mirum, cùm non propter te tu facta sis, sed, quod multò est nobilius, propter ipsum Deum; vt nimirum saluti omnium mortalium subseruires, & per te præcipuum Dei, de Filij sui incarnatione & nostrâ deificatione, adimpleretur consilium. Nescit appetitus tuus quid sit sensualitas, sed ipsiusmet rationis exemplo se reficit sanctis affectibus: tu namque es arbor vitæ, quæ non potes nisi bonos fructus producere, præsertim postquam mundo protulisti fructum vitæ, Verbum Dei incarnatum: oculi tui facti sunt, vt semper respiciant in altum, neque vmquam à Domino Deo tuo remoueantur: aures tuæ, postquam semel per eas transiuit verbum mundo salutiferum, alijs assuetæ non sunt quàm vel dulcibus Spiritus sancti inspirationibus, vel suaui Angelorum symphoniæ: nasus non alium scrutatur odorem quàm aromata Sponsi cælestis; nam oleum effusum est nomen eius: labia ad hoc tantummodò facta sunt, vt laudent & benedicant Deum, & vt perpetuis dissuauient osculis dilectum Deo & hominibus amorem tuum: lingua tua semper distillat

ſtillat nectar & ambroſiam ſanctorum diſcurſuum: cor tuum nihil reſpirat niſi Deum, nuſquam adſpirat niſi ad Deum, nihil ſuſpirat niſi eumdem Deum: venter tuus incircumſcripti eſt habitaculum, omnia circumſcribentis: vbera tua fontes ſunt lactis & mellis, quæ nutriuerunt auctorem vniuerſi: manus tuæ ſunt ſella curulis Dei: genua tua ſunt thronus Cherubim, in quo ipſa maieſtas fixit ſedem: pedes tui ſemper illuminati fuerunt charitate legis diuinæ, nec vmquam ceſſauerunt, donec inuenires Sponſum pulchræ dilectionis & animarum ſanctarum, vt eum attraheres in terram. Tu denique thalamus es ſancti Spiritus, tu mare immenſum es gratiarum, tu tota pulchra & tota vicina es Deo. Ita S. Ioannes Damaſcenus. At S. Birgitta longiore exercitatione huic affectui indulget. notandum autem, eam diuinitus edoctam fuiſſe hoc pium exercitium. Eſt enim hæc vna de quatuor orationibus, quibus in operibus eius hoc præfigitur prooemium: Cùm beata Birgitta ſemper peteret & rogaret Deum, quatenus ſibi infunderet aliquem gratum modum orandi; contigit quadam die ipſâ orante, quòd miro modo eleuata fuit in ſpiritu quadam eleuatione mentali: & tunc infuſæ fuerunt ſibi diuinitus quædam orationes pulcherrimæ de vitâ & paſſione & laude CHRISTI, & de vitâ, compaſſione & laude B. Virginis MARIÆ: quas posteà ipſa ſemper ita memoriter tenuit, quòd quotidie eas deuotè legebat. Vnde B. Virgo MARIA posteà quadam vice apparens ei in oratione, dixit: Ego promerui tibi illas orationes, ideoque, quando has legeris deuotè, viſitaberis conſolatione Filij mei. Audiamus ergo, & deuotè legamus vnam orationum iſtarum, quæ nobis erit præparatio ad prolixiorem pietatem circa membra glorioſi corporis MARIÆ Virginis.

Oratio ſanctæ Birgittæ, quarta ex reuelatis, ad membra glorioſi corporis B. MARIÆ *Virginis.*

O Domina mea, vita mea, Regina cæli, Mater Dei, quamuis ego certa ſum, quòd tuum corpus glorioſum à totâ cæleſti Curiâ cum canoro iubilo inceſſanter laudatur in cælis; tamen ego, licet indigna perſona ſim, toto corde meo deſidero omnibus tuis membris pretioſis laudes & gratias, quas valeo, reddere in terris. Idcircò, ô Domina mea, Virgo MARIA, laudetur cæſaries tua cum capillis tuis diademate gloriæ decorata, quia ſolis iubare clariores ſunt. Nam ſicut crines capitis computari nequeunt, ita virtutes tuæ innumerabiles exiſtunt. O Domina mea, Virgo MARIA, frons & facies tua honeſtiſſima ſuper lunæ albedinem collaudentur; quia nullus fidelis in hoc tenebroſo mundo te aſpiciebat, qui non aliquam conſolationem ſpiritualem à tuâ viſione ſibi infundi ſentiebat. Benedicta ſis tu, ô Domina mea, Virgo MARIA, cuius ſupercilia cum palpebris claritatis nitore radios ſolares excedunt. Benedicti ſint oculi tui pudiciſſimi, ô Domina mea, Virgo MARIA, qui nihil concupiebant de rebus tranſitorijs quas in hoc mundo videbant; quia quotieſcumque oculos tuos leuabas, eorum aſpectus ſtellarum excellebat nitorem coram totâ cæleſti Curiâ. O Domina mea, Virgo MARIA, collaudentur maxillæ tuæ beatiſſimæ ſuper auroræ pulchritudinem, quæ pulcherrimè cum colore rubeo & candido exoritur: ſic & maxillæ tuæ ſpecioſæ, dum in hoc mundo fuiſti, coram Deo & Angelis claritatis nitore fulgebant, quia illas numquam pro mundanâ pompâ vel vanâ gloriâ oſtendiſti. O Domina mea, Virgo MARIA, venerentur & honorentur aures tuæ honeſtiſſimæ ſuper omnes vires maris & omnium aquarum motum; quia contra omnem fluxum immunditiæ mundani auditus, ſemper ipſæ aures tuæ viriliter militabant. O Virgo MARIA, Dominatrix mea, glorietur naſus tuus ſuauiſſimus, qui ex virtute Spiritus ſancti numquam anhelitum attraxit vel emiſit, quin tota cogitatio tua ſemper eſſet apud Altiſſimum: & quamuis aliquando dormiebas, voluntatem tamen tuam ab eo

numquam mutabas. Sit igitur semper odor suauitatis, laudis & honoris eidem naso tuo, cum naribus tuis beatissimis, super commixtionem odoriferam omnium aromatum & omnium herbarum, quæ delectabilem fragrantiam de se solent emittere. O Domina mea, Virgo MARIA, laudetur lingua tua, Deo & Angelis gratissima, super omnes arbores fructiferas: nam omne verbum quod lingua tua protulit, nulli personæ vmquam nocuit, sed in alicuius commodum semper venit: erat enim ipsa lingua tua prudentissima, omnibus dulcior ad audiendum, quàm aliquis dulcissimus fructus ad gustandum. O Regina & Domina mea, Virgo MARIA, laudetur os tuum benedictum cum labiis tuis, super rosarum & omnium florum amœnitatem, & specialiter pro illo tuo benedicto verbo humillimo, quod eodem ore tuo pretioso Angelo Dei respondisti, quando ipse Deus suam voluntatem, quam per Prophetas prædixerat, per te in mundo voluit adimplere: cuius virtute potentiam dæmonum in infernò diminuisti, & Angelorum choros in cælo honorificè restaurasti. O Virgo MARIA, Domina & consolatio mea, honoretur perpetuè collum tuum cum humeris tuis, & tergò tuo, super omnium liliorum venustatem, quia numquam dicta membra tua inclinasti nisi propter aliquid vtile, vel honoris Dei, nec etiam erexisti: nam sicut lilium ad flatum ventorum motum facit & inclinationem, ita omnia membra tua mouebantur ad Spiritus sancti infusionem. O Domina mea, virtus mea, & dulcedo mea, benedicantur brachia tua sanctissima cum manibus & digitis tuis, & æternaliter honorentur super omnes gemmas pretiosas, quæ tuis virtuosis operibus comparantur: quia sicut virtuosa opera tua Filium Dei ad te alliciebant, sic & brachia & manus tuæ ipsum materno amoris amplexu dulciter stringebant. O Domina mea, & illuminatio mea, benedicta sint vbera tua sacratissima super omnes dulcissimos fontes aquarum: quia sicut aqua ipsorum scaturiens præbet solamen, & sitientibus refectionem, sic tua sacra vbera Filium Dei lactando, præbuerunt nobis indigentibus medicinam & consolationem. O Domina mea, Virgo MARIA, benedictum sit pectus tuum pretiosissimum super aurum purissimum; quia quando sub cruce Filij tui tota dolorosa stetisti, tunc gloriosum pectus tuum ex sonitu malleorum quasi in duro prælo acerrimè stringi sensisti: & quamuis Filium tuum cordialiter diligebas, maluisti tamen illam pœnam amarissimam sustinere, vt scilicet ipse pro animabus redimendis moreretur, quàm quòd ipsis perditis mors illa ab eo euitaretur; & sic tu in virtute constantiæ firmissima perstitisti, quando in omni aduersitate voluntati diuinæ te totaliter conformasti. O Domina mea, lætitia cordis mei, Virgo MARIA, glorificetur & veneretur cor tuum reuerendissimum, quod ad Dei honorem ita ardentissimum erat super omnes creaturas cæli & terræ, quòd flamma charitatis eius in cælorum celsitudinem ad Deum Patrem conscendit, propter quod Dei Filius à Patre cum Spiritus sancti feruore in vterum tuum gloriosum descendit: qui tamen à Patre separatus non extitit, quamuis secundùm Dei præordinationem in tuis virgineis visceribus humanatus honestissimè fuit. O Domina mea fecundissima, & virginissima Virgo MARIA, benedictus sit venter tuus beatissimus super omnes agros fructiferè germinantes: quia sicut semen quod cecidit in terram bonam, de se fructum affert possessori centesimum, sic venter tuus, Virgo, fecundissimus benedictum fructum Deo Patri attulit plusquam millesimum: & sicut ex fertili abundantiâ fructus agri dominus gloriatur, ac etiam auiculæ, & animalia delectanter pascuntur, sic ex benedicto fructu fertilis agelli ventris tui summè Deus in cælo honoratur, Angeli gratulantur, & homines in terrâ largiflué sustentantur & viuunt. O Domina mea, Virgo prudentissima, laudentur æternaliter pedes tui sacratissimi super omnes radices incessanter fructum afferentes:

tes: sic itaque sint pedes tui benedicti, qui Dei Filium gloriosum, fructum dulcissimum, in tuo corpore portabant inclusum, tuo corpore incorrupto existente, & virginitate tuâ illæsâ semper permanente. O quàm honestè incedebant pedes tui sacratissimi! verè de quolibet eorum vestigio Rex cælestis consolatus extitit, & tota Curia cælica gauisa & iucundissima fuit. O Domina mea, Virgo MARIA, mater omnium, Deus Pater, simul cum Filio & Spiritu sancto, in suâ incomprehensibili maiestate æternaliter collaudetur pro cellâ illâ sacratissimâ totius corporis tui, in quo Dei Filius suauissime requieuit; quem totus Angelorum exercitus collaudat in cælis, totaque Ecclesia venerantur adorat in terris. O tu etiam Domine meus, Rex meus, & Deus meus, sit tibi perpetuus honor, perennis laus, benedictio & gloria cum infinitâ gratiarum actione: qui illam tam dignissimam & honestissimam Virginem creasti, & eam tibi in Matrem tuam elegisti pro omnibus qui in cælo & in terrâ quomodolibet consolati fuerunt; atque pro his qui in Purgatorio per eam adiutorium & solamen habuerunt. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XXXVIII.

Quòd nobis omnibus membris sit seruiendum B. MARIAE Virgini.

QVAM legem talionis Exod. 21. v. 23. Dominus vindictæ & furoris (vt S. Augustinus ait) non fomitem, sed limitem iustum posuerat; eamdem nos hîc adhibere oportet in gratitudinis regulam & seruitij MARIANI incitamentum. Lex est: *Reddet animam pro animâ, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.* Quâ in lege duo notanda. Primò, quòd in vindictæ ratione eam egredi non licebat: nam *licentia retributionis*, inquit Tertullianus, *prohibitio erat prouocationis.* Secundò, in eâ subintelligendum esse, si personæ sit æqualitas; alioquin si Rex rusticum percusserit, nemo dicet, Regem debere ab eo repercuti; aut si contrà acciderit, vt vilis conditionis homuncio alapam Principi aut Regi infregerit, quis putabit iniuriæ satisfactum, si vicissim homo ille à Rege percutiatur? Quæ ideò adferuntur, vt clarè videamus, cùm omnia fecerimus quæ potuerimus, quàm serui non solùm inutiles, sed etiam ingrati simus. Cùm enim beneficiorum ac iniuriarum vti tota natura diuersa, ita etiam hæc contraria sit ratio, quòd in hisce reponendis frenum, in illis retribuendis calcar à ratione adhiberi soleat; quòd in beneficijs benefaciendo superare gloriosissimum sit, iniurias autem vel obliuisci, maximè laudandum. Quid magni nos facere arbitrabimur mancipando nos totos B. MARIÆ Virgini; si, vbi membra singula ei impenderimus, nondum eò gratitudine pertigerimus, quò furori atque vindictæ licebat peruenire? Nam faciamus (quod numquam accidet) nos æquè magnâ curâ, diligentiâ, amore membra nostra in B. MARIÆ Virginis seruitium dedicare, atque ipsa se nostris obsequijs impendit; adhuc manebit inter ipsius beneficium & nostram gratitudinem ex personarum diuersitate propemodum infinitum interuallum. Quantum enim ex personæ vilitate augetur iniuria, si eam digniori intulerit; tantum ex eiusdem dignitate crescit beneficium, si quâ ratione persona dignior se viliori impenderit. Rideat ergo quis rustici stoliditatem, qui se Regi, quem alapâ percusserit, simili ictu satisfacturum existimat; sed idem etiam, quantacumque dignitate sit prædictus, animum ad sese reflectat, suamque vilitatem cum illo cæli terræq; quod in MARIA colimus, dominio componens, non existimet se nimis gratum existere, si corporis sui membra, membrorumque singulorum obsequia isti Imperatrici exhibeat; quæ tam beneuolè impendit & superimpendit omnia non tantùm membra, sed etiam misericordiæ viscera, vt nos sibi

Lib. 22. contra Faust. c. 6. *Lege talionis Virgini reddenda membra nostra.*

Lib. 2. contra Marc. cap. 18.

sibi obstringeret. Diligenter igitur & sæpiùs percurrant & examinent se mancipia, num quod in se membrum vacet, quo possint impensiùs, quàm hactenus fecerint, Dominæ suæ inseruire. Iuuerit ergo diebus maximè sabbatinis in recollectione, de quâ diximus, hunc breuem tractatum percurrere; vt Virgini animam pro animâ, cor pro corde, oculum pro oculo, &c. reddant; & simul Virginei corporis membra, quâ possunt amoris & gratitudinis significatione, collaudent. Præiuit, modumque præscripsit ipse, qui Virginem nobis fecit ita laudatam atque ita vehementer amabilem. Auctor est Rupertus lib. 3. in Cant. in illud cap. 4. *Quàm pulchra es amica mea! oculi tui columbarum: O*, inquit, *pulchritudo admirabilis, quam sic admiratur & colit pulcherrimus auctor pulchritudinis! septem præconijs considerauit oculos, capillos, dentes, labia, genas, collum & vbera; & pro singulis dilectis singula decantauit digna laudationis capitula. Laudatur in oculis simplicitas, in capillis cogitationum tuarum munditia; in dentibus innocentia, in labijs doctrina, in genis verecundia, in collo humilitas, in vberibus tuis admiranda cum fecunditate virginitas.* Ita Rupertus. Quàm delectetur hoc Matrem suam dilaudandi modo Dei Filius, etiam clariùs ostendit S. Birgitta in Reuelationibus lib. 5. vbi, post interrogationem nonam (vt titulus habet) pulcherrimè laudat omnia membra Virginis MARIÆ Matris suæ, moralizans ea spiritualiter, comparando ea virtutibus; & pronuntiat eam dignissimam reginali coronâ. Etiam illa Filij Dei verba huc transferemus, vt clariùs pateat, quo exemplo & auctore hoc octauum præscribamus exercitium. Dicit ergo: *Ego sum coronatus Rex in deitate meâ, sine principio & sine fine; nec initium habet corona, nec finem; significans potestatem meam, quæ non habuit principium, neque habebit finem. Verùm ego aliam coronam habui custoditam in me: quæ quidem corona sum ego ipse Deus. Hac autem corona præparata fuit ei, quæ maximam charitatem haberet ad me: & hanc coronam dulcissima Mater mea vicisti, & traxisti ad te cum iustitiâ & charitate. Nam de hoc testimonium perhibent Angeli & alij Sancti, quòd in te ardentior fuit charitas ad me, & castitas tua purior omnibus, quæ placuit mihi super omnes. Caput quippe tuum fuit quasi aurum fulgens, & capilli quasi radij solis; quia tua mundissima virginitas, quæ est in te quasi caput omnium virtutum, & continentia omnium illicitorum motuum, placuerunt & fulserunt in conspectu meo cum omni humilitate; ideò meritò vocaris coronata Regina super omnia quæ creata sunt: Regina, propter munditiam; coronata, propter excellentem dignitatem. Frons tua fuit incomparabilis albedinis, significans verecundiam conscientiæ tuæ, in quâ plenitudo est humanæ scientiæ, & dulcedo diuinæ sapientiæ lucet in eâ super omnes. Oculi tui fuerunt in conspectu Patris mei sic lucidi, quòd se speculabatur in eis: quia in spirituali visu tuo, & intellectu animæ tuæ, videbat Pater omnem voluntatem tuam, quòd nihil volebas nisi ipsum. Aures tuæ fuerunt mundissimæ, & apertæ tamquam fenestræ pulcherrimæ, quando protulit tibi Gabriel velle meum, & quando ego Deus factus in te caro. Genæ tuæ fuerunt de optimo colore, scilicet albo & rubicundo; quia fama operum tuorum laudabilium, pulchritudo morum tuorum placuerunt mihi; quibus quotidie inflammabaris. Verè ex pulchritudine morum tuorum gaudebat Deus Pater; & numquam auertit oculos suos à te, & ex charitate tuâ omnes obtinuerunt charitatem. Os tuum fuit quasi lampas intus ardens, & lucens ab extrà; quia verba & affectiones animæ tuæ fuerunt ardentes interiùs diuinâ intelligentiâ; & exteriùs splendentes ex dispositione laudabilium tuorum motuum corporalium, & concordantiâ pulcherrimâ tuarum virtutum. Verè, Mater charissima, verbum oris tui traxit quodammodò deitatem meam in te, & feruor diuinæ dulcedinis tuæ numquam separabat me à te; quia verba tua dulcia sunt super mel & fauum. Collum tuum est nobiliter erectum, & pulcherrimè eleuatum: quia iustitia animæ tuæ plenè est erecta ad me, & secundùm velle meum mobilis;*

Quando obeundum hoc pietatis exercitium.

Præiuit ipse Virginis Filius.

mobilis; quia numquam inclinata fuit ad aliquod malum superbiæ. Sicut enim collum curuatur in capite, sic omnis intentio & operatio tua flectebatur ad voluntatem meam. Pectus tuum plenum fuit omni virtutum suauitate, in tantum, quòd non est bonum in me, quod non sit in te; quia traxisti omne bonum in te ex morum tuorum dulcedine, quando Deitati meæ placuit intrare ad te, & humanitati meæ habitare tecum, & bibere lac mamillarum tuarum. Brachia tua pulchra fuerunt per veram obedientiam & tolerantiam laborum; ideò corporales manus tuæ tractauerunt humanitatem meam, & quietus fui inter brachia tua cum humanitate meâ. Venter tuus fuit mundissimus sicut ebur, & sicut locus ex virtuosis lapidibus splendidissimus; quia constantia conscientiæ tuæ & fidei numquam tepuit, sed nec in tribulatione potuit vitiari. Huius itaque ventris, id est, fidei tuæ parietes fuerunt quasi aurum fulgentissimum: in quibus notatur fortitudo virtutum tuarum, & prudentia tua, & iustitia, & temperantia, cum perfectâ perseuerantiâ; quia ipsæ omnes virtutes tuæ perfectæ fuerunt diuinâ charitate. Pedes tui mundissimi, & loti erant, quasi pleni herbis odoriferis; quia spes & affectus animæ tuæ erant recta ad me Deum tuum, & odorifera ad aliorum exemplum & imitationem. Hîc itaque locus ventris tui tam spiritualis quàm corporalis tantum mihi erat desiderabilis, & tantum anima tua mihi placita, quòd à summo cælo descendere ad te, & in te morari non abhorrui, imò suauissimè delectatus sum. Ideò, Mater charissima, corona illa quæ custodiebatur in me, (quæ quidem corona sum ego Deus, qui debebam incarnari) nulli debuit imponi nisi tibi; quia es verè Mater, & Virgo, & Imperatrix omnium Reginarum.

Nos studio imitandi virtutum omnium exemplar Filium Virginis, & desiderio præstandi Dominæ insigne aliquod seruitium, examinabimus, quid membris nostris ei præstare possimus obsequij; & simul conabimur membra ipsius dignâ gratiarum actione celebrare.

Quomodo corpore & animâ seruire debeamus Dominæ nostræ Virgini MARIÆ.

Obsecro itaque vos fratres (Apostoli verba sunt) *per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Rationabile*, inquit, *obsequium.* quasi dicat: Volo, ô fideles, vt exhibeatis corpus vestrum quasi hostiam Deo, non corporalem, non irrationabilem, sed rationabilem & spiritualem; vt scilicet à purâ & sanctâ mente, ratione & spiritu quasi animatum, viuificatum, directum & gubernatum Deo offeratur ipsum corpus, omnesque corporis motus & actus. In hoc sumus, vt Virgini Deiparæ profundissimâ hyperduliæ veneratione, de corpore nostro singulisque eius membris, singulorumque membrorum motibus & actibus, quodammodò immolemus hostiam. Procurandum ergo est, vt, ex mente Apostoli, sit rationabile obsequium nostrum: quod fiet, Primò, si limites rationis non excedamus, sic offerentes omnia Deiparæ, vt subintelligantur eadem Deo ante Virginem, & magis adhuc peculiari ratione quàm Virgini oblata. Secundò, rationabile erit obsequium, si non corpus tantùm, sed anima cum corpore, seu corpus à purâ & sanctâ mente directum, offeratur; ideò hîc animam corpori adiungimus. Tertiò, rationabile erit, si Virginem MARIAM remuneremur quàm simillimo munere de facultatibus & membris nostris, ei offerentes obsequia similia ijs, quæ ipsa nobis iisdem præstitit. Iam proprietates quasdam hostiæ tribuit Apostolus, quæ nequaquam debent sacrificio membrorum nostrorum abesse. *Viuentem*, inquit, *sanctam, Deo placentem.* Viuet autem, si vitam, hoc est CHRISTVM, in se gerat; & offerens sit vnus eorum qui dicere possunt: Mortem IESV in corpore circumferimus, vt & vita IESV in corpore nostro manifestetur. Sancta erit, si corpus nostrum separatum ab omni seruitio iniquitatis, sanctissimo Dei Virginisque Deiparæ

[Margin: Rom. 12. v. 1.]

[Margin: Quomodo fiet rationabile oblatio membrorum.]

[Margin: Conditiones hostiæ Virgini offerendæ.]

Deiparæ cultui & seruitio addicatur. Deo placebit hostia, si non displiceat offerens; is autem displicere non poterit, si sit professione & reipsâ Deiparæ mancipium. Obsecro itaque vos, Sodales, per viscera misericordiæ cæli ac terræ Dominæ, quæ portauerunt æterni Patris Filium, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum, redlubentes animam pro animâ, & corpus pro corpore: & quemadmodum Virgo Deipara gratias ipsas accepit, & auxit in obsequium nostrum; ita nos omnia gratiæ dona referamus ad augendam ipsius gloriam. Corpore verò seruiemus Primò, si in memoriam eius, quòd ipsa de corpore suo nobis præparauit medicinam, corpus nostrum custodiamus ab omni corruptelâ sanctum & immaculatum. Secundò, si pro eo quòd ipsa præbuit de corpore suo hostiam summo Pontifici, exhibeamus corpus nostrum, vt dixi, hostiam ipsi per singulorum membrorum obsequia offerendam. Tertiò, si in gratiarum actionem, quia ipsa nos pascit Filio in Eucharistiâ, nos subtrahamus corpori nostro, vnde pascamus Filium eius in pauperibus.

Quomodo animâ & corpore seruiendum Deiparæ.

Oratio ad corpus & animam B. MARIÆ *Virginis.*

Sancta & intemerata Virgo, Domina mea, vide quid mihi dederit bonitas tua fiduciæ, vt audeam compellare te, & pio venerationis affectu, ac profundissimo hyperduliæ cultu, corpus tuum & animam adorare. Adoro ergo flexis in terram poplitibus tuam animam, omnium virtutum gymnasium, omnium gratiarum sacrarium, omnium donorum cælestium thesaurum; corpus verò ipsius castitatis templum, pudicitiæ sedem, verecundiæ domicilium. Rursum demisso capite adoro animam tuam, quâ, vnicâ Filij tui exceptâ, nulla ingeniosior, nulla sanctior, nulla rerum diuinarum capacior est creata; corpus item, quo nullum pulchrius, nullum perfectius, nullum ad obeundas virtutum exercitationes aptius est formatum. Tandem toto pronus in terram corpore, veneror & adoro, Domina mea, iterùm iterumque & millies animam tuam, cui Pater per rerum cælestium species instruxit memoriam; Filius per conceptus sublimissimos erudiuit intellectum; Spiritus sanctus per amorem castissimum perfecit voluntatem: corpus verò, quod Pater formauit, Filius amauit, Spiritus sanctus fecundauit. Rogo te, Virgo singularis, per animæ corporisque tui sanctitatem & munditiem, vt mihi à SS. Trinitate, cuius tu paradisus fuisti, impetrare digneris eas animæ corporisque virtutes, quas tu mihi nosti conuenire, vt esse possim in æternum tuum Filijque tui mancipium.

CAPVT XXXIX.

Quomodo corde seruiendum B. MARIAE *Virgini.*

BINAS omnium gratiarum officinas optimus fidelium magister CHRISTVS Dominus ostendit Mechtildi; & simul modum docuit, quo posset inde ad omne genus necessitatis vtilia depromere: fontes vitæ aperuit, & quomodo ex ijs haurire deberet aquas salientes in vitam æternam non abscondit: thesauros manifestauit, & artem ijs vtendi dedit. Primus est ipsum cor suauissimum Redemptoris, Patris nimirum sancti amoris; quod cùm eam varijs affectibus salutare docebat, media porrigebat, diuitias quæ in eo absconduntur, in vtilitatem suam conuertendi: & fuit, cùm pro suo candore fateretur, si fauores, quos istâ ratione cælitus obtinuerat, scriptis consignarentur, ingentibus voluminibus suffecturos materiem. sed de hisce iam non est agendi locus. Alter ergo thesaurus, fons & officina, cuius clauem potestatemque, quoties luberet, intrandi accepit; est cor item Matris pulchræ dilectionis, & pectus sacratissimum Virginis MARIÆ. quod cùm suprà ostenderimus, quomodo nobis seruiuerit, duo hic docenda sunt: primùm, quomodo huic ipsi præstabimus honorem & reuerentiam; deinde, quomodo

Cor Seruatoris & B. MARIAE Virginis duæ gratiarum officinæ.

modo ei viciſſim noſtrum trademus ad omne obſequium paratiſsimum. Ac prius quidem abundè nos in Mechtilde, de quâ agere cœperam, docuit ſanctarum ſponſus animarum Filius Virginis: cùm enim per Aduentus tempora ſolicitiùs rationem quæreret, quâ poſſet Virgini MARIÆ gratum præſtare obſequium, pulcherrimum amoris exercitium eam docuit natus de Virgine Amor cæleſtis. *Salutabis*, inquit, *cor Matris meæ, eiq; gratulaberis eam gratiarum abundantiam, quâ illud ſupernè fuit impletum: ſalutabis cor illud, vt preditum maximâ poſt cor meum puritate; nam prima mortalium* MARIA *virginitatis vexillum ſuſtulit: ſalutabis tamquam humillimum; eius quippe humilitas me de ſinu Patris in terram attraxit: ſalutabis vt ferventiſsimum; quòd nullus vmquam fuerit tantâ in Deum & proximum charitate: ſalutabis vt pientiſsimum; Virginis enim ſuſpiria & lacrymæ verè cauſa fuerunt ſalutis humanæ: ſalutabis vt prudentiſsimum, quòd nulla infantia, iuuentutis perfectæq; ætatis meæ actio ei innotuerit, quæ cauſa non fuerit ſpiritualis alicuius profectus: ſalutabis vt patientiſsimum, vtpote mille doloris gladijs paſſionis tempore percuſſum: ſalutabis vt fideliſsimum, cùm non reformidarit vitam meam Patri offerre pro redemptione mortalium: ſalutabis vt maximè ſolicitum, quia verbis exprimi non poteſt, quâ curâ naſcenti primùm Eccleſiæ aduigilauerit: denique, ſalutabis tamquam omnium maximè contemplatiuum, nam verbis exprimi nequeunt beneficia quæ mortalibus vi orationis ſuæ impetrauit.* Quiſquis venam hanc repererit, vt extrahat inde aurum cæleſte, citò replebitur diuitijs omnium gratiarum: quiſquis cor ſuum ita cordis MARIANI laudibus impenderit, occupationem ei dederit omnium honeſtiſſimam, mancipio Deiparæ digniſſimam, & verò ſibi vtiliſſimam. Operæ pretium eſt Virginis mancipia 2. Regum 7. capite videre Prophetam Regium inter gratam beneficiorum Dei recordationem quaſi extra ſe poſitum verba quærentem, quibus gratitudinem animi ſui ſignificet; vt æquè tenero ipſi affectu diſcant Dominæ ſuæ ſemper de ipſis ſolicitæ gratias agere. non eſt hic totam Orationem repetendi locus, tantùm mirabilem quem aſſumit loquendi modum breuiter noto: verſu enim 27. dicit: *Propterea inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret te oratione hac.* Conuertat ad ſe quiſque occaſione iſtius vocis ſermonem, & dicat: Numquámne ergo inueniam ego cor meum, vt amem cor iſtius Virginis, quæ tot nominibus merita eſt, vt non alio corde viuam quàm amore cordis ipſius? Siccine inter aculeatas diuitiarum curas, inter viſcoſas ſenſualitatis delicias, inter fallaces ambitionis vanitates, miſerrimè miſerum cor meum peribit? Sempérne vel reciprocis mundanorum negotiorum fluctibus iactabitur, vel anxijs vitæ præſentis ſolicitudinibus ſubmergetur? numquámne ſui memor ad ſe & veram quietem redibit? ecquando tandem has ſtolidorum nugas, atque hæc puerorum crepundia abijciet, vt guſtare poſſit delicias electorum, & ſibi placere in ijs rebus quæ tot viros cæleſtium auidos perfundunt voluptatibus? an numquam illa illuceſcet miſero dies, quâ cor meum cordi Virgineo per amorem agglutinabitur, vt hauriat ex eo gaudium, voluptatem & delicias cæleſtes? O Mater pulchræ dilectionis! ô ſi foret hæc mihi votorum ſumma: ſed venire nequeo, niſi cordis tui cæleſtis magnes ferream attraxerit molem, quam pro corde ego circumfero. Trahe, trahe cor meum ad te, Virgo potentiſſima; vt, vinculis omnibus turpiter id captiuantibus expeditum, tibi ſeruiat liberâ ſeruitute, omnéſque potentias & fibras ſuas amori cordis tui Filijque, qui tibi corde ipſo eſt charior, impendat, aut ſaltem quæ tu mihi corde præſtitiſti, quâ fieri poteſt rependat. Omnis affectus ſpecimen cor B. MARIÆ Virginis pro ſalute noſtrâ deprecantis capere ſuperiùs diximus, in eóque, tamquam in officinâ, cudi omnia inſtrumenta noſtræ ſalutis; vt nos cor noſtrum viciſſim exerceamus crebris in eam affectibus, geſtemuſque eam veluti ſignaculum ſuper cor noſtrum, infi-

Modus ſalutandi cor B. MARIÆ Virginis.

Crebris affectibus erga Virginem eſt exercendum cor noſtrũ.

quorum primus est perpetua eius memoria. Isaiæ 26. v.8. Eccli 49. v.2.

mam saltem gratitudinis obligationem ei persoluentes, ingem benefactricis memoriam; vt sit *nomen eius & memoriale* eius *in desiderio animæ* nostræ, quod iucundissimum erit eam amantibus: nam *in omni ore*, quantò magis in amantis corde, *quasi mel indulcabitur eius memoria*. ex quâ memoriæ dulcedine sequetur quod Psalmista dicit: *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt*. Si enim *memoria iusti cum laudibus*, Prouerb. 10. v. 7. quantò magis memoria Virginis, per quam nobis CHRISTVS factus est iustitia? Quare omnium affectuum, qui hic fusè commemorandi essent, fundamentum, quos corde exhibebunt Dominæ suæ mancipia, sit hoc super cor eorum signaculum, perpetua Virginis memoria, quam externis mancipatus sui indicijs sæpiùs renouabunt; repetantque hæc Psal. 136. v. 6. verba crebriùs: *Si non meminero tui, & si non proposuero Ierusalem*, id est, te ô MARIA, *in principio lætitiæ meæ*: id est: Si non fuerit mihi præcipuum de te & in te gaudium, si non omnes affectus mei à te incipiant, in te post Deum conquiescant, *obliuioni detur dextera mea*; id est, omnia reliqua opera mea nullius sint valoris, nullius meriti: quandoquidem certum est, parum valere, quidquid aut Virgini aut per Virginem non fuerit oblatum.

Psal. 144. v. 7.

Nouum amoris inuentum.

Ingeniosa res est omnis amor; sed ingeniosissimus iste, qui animatus igne cælesti, nullâ constat ex turpitudinis sordibus concretione; habetque id cum subtilissimo atque purissimo elementorum, cui similis est, commune: quòd, vt ille numquam quiescit, sed nouam semper suis flammis alendis materiam quærit; ita ipse numquam non procudat nouas inuentiones, suis nutrimenta incendijs. Soleo quidem ego à rigidis Theologorum rationibus nullâ ratione deduci; nec vmquam temerè asserere, quod cum eorum regulis non vsquequaque conueniat; scio tamen multa esse intellectui imperscrutabilia & imperceptibilia, nisi priùs ea gustauerit affectus: inter quæ præcipuæ sunt cælestes quædam deliciæ, charitatisque diuinæ, vt sic dicam, priuilegia, quæ sentientibus quidem nota sunt, nominibusque possunt ab ijs etiam certis indigetari; nequeunt tamen ab alijs qui eadem non senserunt, quamuis audiantur, intelligi. Sic, verbi gratiâ, qualitas ista, quâ sensus afficitur, dum ei color iste obijcitur quem nos rubrum vocamus, numquam poterit ab eo speculatione vllâ percipi, qui non fuerit eodem modo alteratus: & quamuis millies rubedinem nominari, eamque in gradus suos intensionis diuidi, atque ab alijs visualibus qualitatibus distingui audiat, optimeque distinctiones atque diuisiones istas calleat; numquam tamen verè naturaliter, quid sit rubedo, quidve sit rubrum videre, percipiet, nisi ipsemet semel viderit; atque eodem modo fuerit, quo ceteri rubedinem videntes, affectus. Eâdem prorsus ratione multa latent in Theologiâ mysticâ, vt vocant, mysteria, quæ nemo intelligit, nisi qui sensit; fietque sæpenumerò, vt, dum ea explicare conantur qui percepêre (quòd verbis nouis aut metaphoricis vti sit necesse) alij, qui rem illis significatam numquam senserunt, ea secùs intelligant, atque in alium sensum detorqueant, falsi ipsi, ac multos deinde fallentes. Possem ostendere eamdem rem in primis Philosophiæ principiis (quæ vtique cùm demonstrari nequeant, quasi naturali lumine debent intuitiuè videri) itemque in simplicibus metaphysicè conceptibus vsu venire: quos doctissimi Philosophorum percipientes, cùm non possent eo modo, quo ipsi intuebantur, explicare, verbis id sunt quàm aptissimis, non tamen proprijs (quæ vtique non exstabant) conati. quæ varij trahentes in varios (id est, in suum quisque sensum) cùm ad ipsam illam genuinam & quasi intuitiuam primorum fundamentorum speculationem non pertigissent; errarunt multipliciter, & veritatem, quæ vna est, in tot discrepantes Philosophorum sententias distraxerunt: quarum vt plus quàm vna vera sit, fieri non potest, & falsæ omnes omnino esse possunt. Sed ne speculationis dulcedine à materiâ & pietate

Quædam non intelliguntur, quia numquam fuerunt sensu vel experientiâ percepta.

pietate abducar, ad rem redeo: ideò enim hæc dico, quòd amoris adinuentionem pandere propositum sit. cui, si Theologorum tradatur examini, meritorum fortè parum tribuetur; si tamen interiore quodam, quem causat, sensu, qui experientiâ solâ cognosci potest, rem mensi fuerimus, fatebuntur quotcumque in eâ se exercuerint, vbi abscondita in eo cælestis suauitatis mysteria perceperint, aliquid vel in eo esse meritorum, vel eius respectu impendi fauoris, quòd non possit ita facilè ab ijs qui non perceperunt, definiri. Iam ad rem explicandam accingor, & repeto: Ingeniosa res est amor, & tam celeribus fertur ad indicandum affectus suos motibus, vt tardior sit lingua omnis, omnisque pigrior calamus, quàm vt eius possit interpretem agere. Quid ergo? quid fecit? Ægyptiorum hieroglyphicas, Arabum arithmeticas, & maximè Algebræ notas intuitus, occasionem sumpsit inuentionis, quâ posset linguæ tarditatem ad pernices cordis sui motus accommodare. Non abeamus à propositâ, quâ mancipia instruimus, materiâ. Dico ergo eam esse cordis verè MARIAM Virginem amantis naturam, quòd vellet semper cum eâ agere, numquam à colloquio & conuersatione eius diuelli: amare vult eam semper, & semper exquisitissimis modis amorem suum indicare; honorare eam vult, & secum mundum vniuersum ad pedes eius prosternere: angit ipsum, & non mediocri dolore cruciat, quòd non possit semper hos ei affectus suos plenâ amoris & dulcedinis significatione indicare. At quis modus, aut quæ ratio inter tot vitæ occupationes, totque mortalitatis necessitates, ita cum Virgine amatâ conuersandi; quandoquidem locus non est semper recitandis longis & exquisitè compositis affectuum formulis, quæ necessariæ videntur isti amoris desiderio? Inuenit, inuenit, vti dicebam, rationem amor, & difficultatibus, in quas sita eum vehementia coniecerat, ipse suo se ingenio expediuit: conuenit enim cum amatâ suâ de vocabulis quibusdam, ijsque significationem multò latiorem ex compacto indidit, quàm vulgari hominum linguâ habere intelligantur, vt ita possit paucis multa comprehendere, & verbo vnico ingentes cordis sui affectus explicare. Res intellectu non erit difficilis, si eam, quo ad praxim reduci à mancipijs potest modo, proponamus: cui sine dubio attendent ij, qui cordi Virginis totum cor suum cupient rependere. Seligant ergo diem aliquam, quam ineundo cum Virgine amorifico contractui destinabunt, atque in conspectu eius abiecti in genua, hac vel simili ratione eam alloquantur:

Tale est exercitium hoc amoris.

Eius praxis proponitur.

Exercitium nonum amoris.

Virgo sacratissima, ac Domina mea gloriosissima, cui singulari ratione datum credo, quòd tibi seruorum tuorum omne cor patet, & omnis mancipiorum voluntas loquitur: consideras enim semitas, id est secretas cogitationes, domus tuæ, hoc est seruorum tuorum, nec præterit te vllus cogitatus, & non abscondet se à te vllus sermo: ecce cor meum apertum ante benignissimos oculos maiestatis tuæ, omni post Deum honore colendæ. Vides, Domina mea, quanto te semper amandi semperque laudandi exæstuet desiderio, quantumque supra mortalitatis suæ conditionem cuperet numquam discedere ad alia necessaria quidem, sed amanti te nimiùm fastidiosa negotia: quæ cùm certò sint hanc tot votis expetitam conuersationem interruptura; iam rogo te per eas amoris delicias, quas tibi per gremium reptans Filius vnico sæpè oculorum obtutu exhibuit, quasque tu ei sæpissimè vnicâ cordis ad ipsum conuersione redhibuisti, vt mihi digneris hanc concedere breuiloquam, sed energiæ plenissimam, amoris eloquentiam, quâ verbo vnico tibi possim ingentes cordis mei affectus significare. iam enim pactum hoc solemne tecum inire volo, de nouâ verborum significatione; quam vti adinuenit amor erga te meus, ita rogo, approbare eam digneris solitâ tuâ erga me beneuolentiâ.

Protestor ergo, quoties posthac inter medias

Actus amoris.

medias occupationes cor meum ad te dirigam, breuiter suspirans, *Amo te, Domina mea, amo te, Mater benignissima*; idem me significare & intelligere, ac si dicerem: Amo te ex toto corde, ex totâ animâ, ex totis viribus; & ex toto affectu meo: amo te super omnes omnino puras creaturas: plus ego te, Domina mea & Mater, diligo, quàm corpus meum, plus quàm animam, plus quàm delicias omnes, plus quàm honorem, plus quàm sanitatem, plus quàm vitam, plus quàm ipsam salutem meam æternam; si nempe possem eâ carere, non amittendo tuam & Dei mei dilectionem. omnia quæ hoc & quocumque alio amoris actu continentur, intelligo, quando posthac dicam, *Amo te.* Recitetur actus amoris ad B. Virginem pag. 582.

oblationis, Quoties dicam posthac, *Offero tibi, Domina*; cùm nihil exprimam, omnia intelligam: voces enim has tibi significare volo: Offero tibi, Domina, cor meum, sanitatem, honorem, delicias, & vitam meam: offero tibi omnem eum honorem, omnem laudem & gloriam, quæ tibi hactenus data in cælo & in terrâ: offero tibi omnia cordis desideria, quæ vmquam elicui seruiendi tibi, omnes Sanctorum voluntates quas habuerunt laudandi te, & omnes benedictiones quæ tibi ab ipsis decantabuntur in æternum: offero tibi creata omnia, quæ tu iure stricto possides, eâ animi liberalitate, atque si ad me simili iure pertinerent.

gaudij & gratulationis, Corde & ore sæpiùs hæc pronuntiabo, *Gaudeo, & gratulor.* Sed breui hoc verbo tu intellige ingentem cordis mei lætitiam, quam percipio ex bonis tuis maiori voluptate, quàm si præstita ea mihi fuissent; perinde enim est ac si dicerem: Gaudeo & exulto propter magnitudinem & excellentiam tuam, & propter magnam gloriam tuam: gratulor tibi, quòd sis creaturarum omnium norma, sæculorum omnium negotium, pulchritudinis & perfectionis exemplar, speculum gratiæ, gloriæ miraculum: gaudeo ob felicitatem quâ frueris, potestatem quam habes, rerum dominium quod possides; & hoc specialiter gaudeo, tibique gratulor, quòd nulla vmquam creatura excellentiam tuam veneratione, dominium submissione, merita obsequijs poterit exæquare.

voti & desiderij, Si fortè inflammata cor meum eiaculetur vota, optetque breuibus verbis, *O vtinam, vtinam!* subintellige, Domina mea, totam votorum meorum congeriem: O vtinam tantum ego te honorare & laudare possem, quantum omnes simul creaturæ valent! vtinam eâ amplitudine cor meum dilataretur, quæ sufficeret ad capiendum totum amorem tuum, teque diligeret quantum mereris ab omnibus amari! vtinam omnes mundi diuitias, omnia Regna & Imperia, omnem gloriam & magnitudinem ego possiderem, vt omnia tibi simul & semel possem consecrare! vtinam omnes verticis mei capilli, omnes corporis venæ, & nerui omnes, sanguinis guttæ, omnia corporis membra verterentur in linguas, vt omnibus te benedicerem! vtinam in corda verterentur, vt omnibus te amarem!

doxologiæ, siue laudationis, Si imperfectâ oratione eructet cor meum, *Tu es, ô Domina mea, tu es*; non imperfecto sensu significabo omnes perfectiones tuas. ac si dicerem: Tu es cæli ac terræ gloria, tu es Mater incomparabilis, tu es miserorum refugium, tu es iustorum propugnaculum, tu es mihi gaudium & lætitia, tu mihi es voluptas & dulcedo, tu spes & vita, tu mihi es salus & omnia, tu es desideriorum meorum scopus, tu animæ desiderium, tu propositi mei es anima, tu propositum vitæ, tu es vita spiritus mei, tu denique es spiritus omnium affectuum meorum.

dedicandi se in mancipium. At si versâ vice dixero, *Ego sum*; memor esto hanc esse plenissimam mancipatus mei professionem. dicere enim volo: Ego sum humillimus & abiectissimus mancipiorum, indignus qui lauem pedes seruorum tuorum: ego sum filius ancillæ tuæ, humanæ scilicet naturæ, tibi iustissimè seruientis: ego sum ad omne obsequium & seruitium paratissimus, nihil tam graue quod detrecto, nihil tam vile quod dedignor: dispone

dispone tu, Domina mea, de mancipio tuo secundùm beneplacitum voluntatis tuæ; fac de me in tempore & in æternitate quod placet. felicitas tota mea erit id esse, quod tibi maximè placuerit: quia ego totaliter sum seruus tuus, ego mancipium non solùm pro hoc vitæ meæ tempore, sed pro omni retrò æternitate.

Hæc ad indicandam nouam amoris inuentionem sufficiant: possunt enim laconismi isti, aut potiùs nouæ linguæ significatiua vocabula, constitui ad singulos piæ mentis indicandos affectus. quorum significatio vt semper ab ipso pronuntiante benè intelligatur, sæpiùs repetenda erit ipsorum vis & energia per similem protestationem & conuentionem cum Matre pulchræ dilectionis; quæ nullâ magis capitur eloquentiâ quàm istis amoris delicijs: atque hoc totum, vt, quemadmodum Virgo cor suum pro nobis tot affectuum fecit hospitium, nos vicissim nostrum faciamus amoris affectuumque erga Virginem officinam. Pro eo quòd doloris gladius per cordis penetralia transiens, animam ipsius transuerberauerit, sæpiùs repetenda sunt quæ suprà de doloribus eius attulimus; & magni facienda ea pietatis exercitia, quæ septem Virginis dolores reuocant in memoriam. Pro fide & obedientiâ, quibus fundamenta posuit salutis nostræ, easdem ei reponamus virtutes, crebrò exercentes actum fidei directum ad B. MARIAM Virginem, vt habes in primâ gemmâ serti gemmati; & obediendo præceptis eius, maximè Regulis huius Sodalitatis; quæ proinde sæpiùs relegendæ.

Singula cordis Mariani obsequia similibus seruitijs compensanda.

Quomodo capite seruiendum Deiparæ.

Posteaquam ad Virginem MARIAM inclinati sunt cæli, & humiliatus est coram eâ Altissimus, oportet omnem verticem ei inclinari: capite ergo & vultu ei debemus adorationem, demissionem & inclinationem; nec tantùm ei, sed etiam nomini eius, & imaginibus eam referentibus. clamat enim Dauid: *Adorabo ad templum sanctum tuum.* & alios adhortans: *Adorate Dominum in atrio sancto eius.* indicans honorem, qui Matri exhibetur, redundare in Filium. Nemo enim Virginem MARIAM hyperduliâ super omnes Angelos coleret, nisi Filium eius latriâ super omnes creaturas adoraret. Caueant ergo mancipia ne sint duræ ceruicis; quod vel peruicaciæ est, vel rusticitatis; sed facilè flectant caput Dominæ, siue ad obedientiam, siue ad reuerentiam, idque in benignitatis illius honorem, quâ ipsa tam facilè prono capite annuit votis nostris. Do breuiter aliquam adorationis formam, vt viam monstrem ingeniosæ pietati, quomodo possit in spiritualibus exercitijs deliciari.

Psal. 5. v. 8.
Psalm. 28. v. 2.

Adoratio capitis Virginei.

Virgo veneranda, quæ plenum maiestate tollis supra omnes Angelorum choros adorandum cęlitibus Caput, ecce me mancipiorum tuorum omnium abiectissimum, prono capite ad pedes tuos prostratum, vt non quâ par est, sed quâ possum veneratione adorem caput tuum, diademate gloriæ & coronâ sublimissimi in omnia creata imperij redimitum: gratias ago maiestati tuæ, quòd diadema tam sublimis imperij humili istâ responsione, *Ecce ancilla Domini*, quâ Deum hominem, te autem Matrem Dei effecisti, admiscris; quòd inde redundauerit in me peccatorem miserrimum ea gloria, quæ sit omnibus mundi sceptris & imperijs præferenda: quòd nimirum dici & esse possim mancipium Dominæ & Reginæ dignitatis pænè infinitæ. Non est mihi facultas ad commemorandum gratias & virtutes, quibus Omnipotens vnxit caput tuum: non est scientia ad dinumerandas gemmas & stellas coronæ capitis tui: non est eloquentia ad explanandum, quomodo exaltauit caput tuum is, qui te constituit in caput omnium creaturarum. id quod possum, Domina mea, solùm præstabo tibi, vt, submisso capite, quàm fieri potest sublimissimo hyperduliæ cultu, adorem caput tuum, humiliter te, Virgo sanctissima, deprecans per caput Filij tui spinis coronatum, vt veniam mihi impetrare digne-

ris omnium peccatorum, quæ ego per elatam capitis mei arrogantiam & vanitatem admisi. O quis dabit capiti meo aquam, vt plorem die ac nocte superbiam meam; quâ ausus fui leuare caput in cælum, & peccare in conspectu tuo & Filij tui? Impinguetur, quæso, in oleo gratiæ Spiritus sancti caput meum, vt dignè plorare queam delicta capitis mei: & præsta mihi, Virgo benignissima, per eam virtutem quâ contribulasti capita draconis, vt conteratur superbia, & addatur gratia capiti meo; vt deinceps tibi possim vultu in terram demisso per humilia mancipatus exercitia inseruire, semperque caput habere pronum ad præstandum tibi, nomini atque imaginibus tuis honorem & obsequium; desque per virtutum exercitia semper augmenta capiti meo, tandemque vnà cum Filio imponas capiti meo coronam de lapide pretioso. Cui petitioni vt prono capite annuas, deprecatur te per caput tuum gloriosissimum humillimus seruorum tuorum.

Quomodo capillis præstari possit obsequium Deiparæ.

Capillis suis Virgini Deiparæ præstant obsequium, qui, reiectâ vanitate quæ maximè eâ in siluâ nutritur, non alium quærunt crinium ornatum, quàm qui dux est castitatis & comes modestiæ; neque id laborant, vt captiuas trahant aliorum animas in cincinnis capitis sui. Heu! quot gemunt æternis flammis addicti, qui primùm in hosce inciderunt laqueos, illisque, tamquam rudentibus, detracti sunt ad infernum! Absit, absit à Virginis Deiparæ mancipijs, vt pedicis hisce laqueisve alios vmquam captiuent, vel ipsi captiuentur. quantò satius cum Mariâ Magdalene ad pedes Seruatoris lacrymas diffusis siccare crinibus, quàm eos conspersos puluere tingere & pingere, atque exsiccare, ne non satis aptum præbeant ignibus æternis nutrimentum. Facto hoc proposito non peccandi comâ suâ, neque dandi proximo occasionem vt ipse peccet, poterunt hoc modo ad B. MARIÆ Virginis crines conuerti Sodales.

Crinibus multi capiuntur.

Oratio ad capillos B. MARIÆ *Virginis.*

O Sponsa Dei gloriosissima, cuius capilli sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad, nulli vmquam fuerunt laquei ad peccandum, sed omnibus eos intuentibus recreationi honestissimæ, & incitamento ad castitatem & sanctimoniam; idque tam potenter, vt vel crinis eorum vnicus sufficeret ad transuerberandum cor amantis castissimi amoris vulnere: ecce me saucium eâdem plagâ dilectionis, abiectumque, vt adorem causam vulneris mei crines tuos. Memorent fabulæ Nisi capillum, Samsonis comam Scriptura deprædicet; stupeant alij laqueos miserrimè pereuntium crispatos muliercularum crines; ego non aliâ delectabor, quàm hac comâ *capitis tui, sicut purpurâ regis vinctâ canalibus*; hanc ego pio mentis affectu exosculabor; hanc ego alligatus canalibus, hoc est locis contemplationi aptis, per quæ gratiarum aquæ iugiter decurrunt, libenter noctes atque dies considerabo: ex hac vincula funesque nectam, quos animo cogitationibusque meis inijciam, vt eæ similes fiant cogitationibus tuis, non incongruè per comam designatis. Detestor itaque, in honorem crinium tuorum, Virgo Deipara & Domina mea amantissima, omnem vanitatem istam, quam aliquando nimis exornando capillos secutus fui; firmiterque propono posthac non nisi simplicem ac decentem ijs adhibere ornatum. Tu mihi per gratiam capillorum tuorum, quâ Sponso cælesti mirum in modum placuisti, impetra, ne animi mei crines, cogitationes, inquam, meæ, crispentur in varios rerum creatarum cincinnos, sed simplici munditie, & sincerâ intentione, tibi Filioque tuo placeant in æternum.

Cant. 7. v. 5.

Aures quomodo Virgini Deiparæ consecrandæ.

Vt aures Virgini consecremus, audienda ista vox S. Gregorij: ***Grauiter tolerant, quidquid non sonat id quod amant.*** Mancipium ergo B. MARIÆ spinis aures suas sepiet, ne audiat linguam

quàm nequam, maximè eam quæ de honore B. MARIÆ detrahit, aut eum imminuit: deinde, promptum semper se ostendet ad laudes eius audiendas, siue in concionibus, quando de eâ habentur; siue in colloquijs, quando de eâ fit sermo: tertiò, libenter exaudiet pauperes per honorem B. MARIÆ Virginis deprecantes: quartò, inclinatas habebit aures ad præcepta legis, & ad consilia ipsius: denique, oratione sequenti crebrò aures Deiparæ salutabit.

Oratio ad aures B. MARIÆ *Virginis.*

Obedientissima Patris æterni ancilla & filia, fateor me, hominem incircumcisum auribus & pollutum labijs, indignum esse qui benedicam & laudem aures tuas perfectissimas; verumtamen auditu auris audiui benignitatem & affabilitatem tuam, quæ neminem reijcit, sed omnes cum fiduciâ tibi loquentes non tantùm audit, sed etiam exaudit. Hæc itaque mihi confidentiam dedit rogandi te, vt inclines aures tuas ad orationem, quâ aures tuas laudare, meas autem tibi offerre decreui. Benedictæ namque sunt aures tuæ, Virgo purissima, quæ nullum sibilo serpentis aditum vmquam præbuerunt: benedictæ sunt aures tuæ, Virgo sanctissima, quæ ad diuinas inspirationes fuerunt attentæ: benedictæ sunt iterùm, iterumque, ac infinities aures tuæ, Virgo puerpera, quæ verbum vitæ ab Angelo delatum promptissimè acceperunt. Benedicta tu, Virgo misericordissima, quæ non in genibus tantùm aures gerere, vt ijs affusum genus humanum exaudias, sed tota in aurem conuersa esse videris, vt ne minimus quidem afflictorum gemitus ad te dirigatur, quem non exaudias. Ago tibi infinitas gratias, Domina mea, pro hac benignitate & clementiâ tuâ; sed pro eo potissimùm, quòd benignissimam eam indolem tuam Domino meo IESV CHRISTO ex te nato vnà cum sanguine & lacte communicaueris, eique corpus de corpore tuo aptando, aures tales perfeceris, vt ijs nihil faciliùs quàm gemitus compeditorum exaudiat. O vtinam placeat incredibili bonitati tuæ, Domina mea suauissima, ita mihi aures perficere, vt facilè audiant sibilum auræ tenuis, in quo tu & Dominus tecum: sileant omnia rerum terrenarum murmura; non ampliùs in auribus meis argento suo auaritia tinniat, luxuria cantibus illecebrosis moduletur, vel obstrepat inconditis gula clamoribus; sed audiam quid loquatur in me Dominus, quidve consilij tu mihi des, Domina mea. Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis. Diligo ego te, Domina mea, & domum tuam, & benè mihi esse sentio apud te; ac propterea nolo egredi liber, vt seruiam dominis vilissimis, & audiam eos qui dicunt mihi, Euge, euge. Rogo te ergo, vt assumas subulam, & perfores aurem meam in ianuâ domus tuæ, vt seruiam tibi vsque in æternum: eritque id mihi in signum, quòd nullius vox mihi esse debeat imperium, nisi tua; quòd applicato mihi ad ostium & postes tuos aurem perforaueris. Ita perfice aures meas, vt tuis similes facilè moueantur ad misericordiam, quando sonabit in ijs vox pauperum & afflictorum seruorum tuorum: itaque illos exaudiant, quemadmodum ego spero à te, Domina clementissima, nunc & in horâ mortis meæ exaudiri.

Quomodo nos oporteat oculis seruire Dominæ nostræ.

Oculi inter exteriores præcipua & nobilissima corporis pars, præcipuâ curâ Dominæ seruire debent: quod obseruat Propheta: *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ.* (Psal. 122. v. 2.) Erunt ergo Primò, oculi nostri ab omni vanitate auersi: quæ res necessaria est ad castitatis custodiam; sine quâ impossibile est placere B. MARIÆ Virgini, in quantum scilicet eam cuiusque status exigit. Secundò, perpetuò erunt ad Virginem conuersi; quia inde bona omnia speramus, cùm decretum sit Deo nihil nobis concedere, quod per manus eius non transeat. fiet autem hoc per crebras orationes iaculatorias, secundùm praxim quam dedimus suprà, dum egimus de corde; vel sæpiùs aspiciendo pulchras

chras B. MARIÆ Virginis imagines, quæ pium sensum moueant, & speciem eius pulcherrimam memoriæ imprimant. Tertiò, sequendum consilium Tobiæ 4.v.7. *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini*, nec facies Dominæ. Erunt ergo mancipia oculus cæco, pes claudo, idque ob honorem Dominæ suæ. Quartò, oculi aliquando tradendi ad vigilandum in honorem B. MARIÆ; siue id fiat vesperi, antequam cubitum concedamus, pensum aliquod precum persoluendo; siue de nocte, ad iubilandum Dominæ, surgendo de lectulo, siue ægris assistendo nocturnâ vigiliâ. Quintò, ne vana sit ista oratio, *Ad te suspiramus gementes & flentes*; crebris ad eam lacrymis, aut saltem internâ compunctione, est suspirandum; vt magnâ cum fiduciâ dicere possimus verba illa tam emphatica: *Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.* quod certò faciet, si nos hosce nostros miseros ab illâ non auertamus.

Oratio ad oculos B. MARIÆ *Virginis.*

Quanto gaudio sidereus iste mundi oculus perfundit vniuersa, quando, post densam tædiosæ noctis caliginem, tamquam sponsus procedens de thalamo, auricomum infert hemisphærio nostro caput; tanto, & multò etiam maiori recreatur anima mea, Domina gloriosissima, si quando illuminas vultum tuum super me, & oculos illos tuos ad me conuertis. O quos ego commemorem oculos illos? dicámne cum Sponso, sicut columbarum? an, sicut piscinæ in Hesebon? Apta quidem vtraque, sed inferior luminibus tuis comparatio: quid ergo? carbunculis, aut sapphiris, aut alteri cuipiam pretiosæ luci gemmarum eos adæquabo? Vilent nimis hæ terræ sordes, aut Oceani eiectamenta, vt adducantur in comparationem cum oculis tuis. Sideribus aut planetis eos componam? Sed non inuenit in his maculam is, in cuius conspectu stellæ non sunt mundæ? Considerauerat hoc prudentissima mater nostra Ecclesia, quando nos clamare docuit, *Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte*; non maiorem ijs laudem posse dari existimans, quàm quòd sunt tui. Nullam ergo assumam parabolam, nullam quæram allegoriam, nullam adducam similitudinem, Domina mea, vt deprædicem oculos illos, quorum perfectissima laus est, quòd sint tui: humillimè tamen gratias ago, quòd illos tuos oculos tam multis modis mihi impenderis; vt iam benignitate & indulgentiâ tuâ etiam sint mei: mei, inquam, facti sint, non mutati in illos meos, qui per res varias fornicantes toties deprædati sunt animam; quibuscum quidem sæpiùs fœdus pepigi, vt non cogitarent de vanitate aut iniquitate aliquâ. Sed heu! quoties infidum fœdus? Sed mei facti sunt illi tui possessione & vsu, quandoquidem ea est facilitas tua, Mater misericordiæ, vt ad minimum clamorem eos ad me conuertas; vel ad alios quoscumque, pro quibus ego te deprecor indignus famulus tuus. Mei sunt, quandoquidem salutarem illam vim, quâ vnico obtutu vulnerauerunt Dilectum residentem in sinu Patris vsque ad cor, atque amore saucium detraxerunt in terram, mihi impenderunt. Mei sunt, quandoquidem pro peccatis meis toties amarissimis maduerunt lacrymis, quando Filium tuum pro ijsdem videbant lacrymis, sudore, aquá & sanguine manantem. Vtinam, Domina mea, vtinam vis ista sit lacrymis tuis amarissimis, vt pungant hæc lumina mea, quæ mihi natura dedit, pumice aridiora, & cor meum compungant verâ peccatorum contritione, vt propter me non ampliùs moretur in amaritudine oculus tuus! Da, da oculis meis fontem lacrymarum, & deducent exitus aquarum pœnitentiæ; vt ijs loti, audeant ad te respicere, & summâ humilitate cum Prophetâ dicere: *Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; ita oculi* mei ad te vnicam Dominam meam. Hoc enim remedium mihi est, ne capiar laqueo oculorum meorum, si semper eos dirigam ad oculos tuos. Hæc praxis est auertendi eos, ne videant vani-

Psal. 122. v. 2.

vanitatem, si eos conuertam vt admirentur pulchritudinem tuam. Tu, quæso, vicissim, Domina mea, si inueni gratiam in oculis tuis, firma eos super me, nec diuertas eos à me; & non desidero aliam in hoc sæculo voluptatem, nec pro futuro securitatem, quàm si cognoscam, quòd conieceris tu oculos tuos in me, & solicita sis pro me. Audio enim te Filij verbis dicentem, & exspecto vt mihi famulo tuo, paruulo & humili in oculis suis, specialiter dicas: *Videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Nemo, Domina, nemo tollet à me gaudium quod ex humili tuo mancipatu percipio, nisi qui illos tuos misericordes oculos à me auerterit. Quod ne per peccata mea aliquando ipse faciam, quæso, oculis tuis perspicacibus & potentibus prouideas & præcaueas. Non habui cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possunt audire, vsque in præsentem diem: qui enim aliud quàm te Dominam meam cogitat, nihil intelligit; qui alijs quàm tibi auscultat, surdus est; qui te solam non videt, ad quam respiciunt oculi vniuersæ creaturæ, aut lumine captus est, aut certè captus in oculis suis, nec ampliùs gaudet plenâ tibi seruientium libertate. Da mihi ergo hodie, Domina mea, cor, aures, & nominatim oculos nouos; vt posthac nihil cogitem, nihil audiam, & nihil respiciant oculi mei, nisi te & Filium tuum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM: quem cogitate, audire, & videre hîc, perfecta est sanctitas; & in cælo, æterna felicitas. Amen.

Ioan. 16. v. 22.

Quomodo nasi nariumq́ facultates conuertendæ ad obsequium Deiparæ.

Quomodo odorandí vim ac omnium vanissimas narium delicias conuertat in Dominæ suæ obsequium, facilè reperiet ingeniosus amor; quem sæpè videmus in sertis ac corollis, in herbulis & flosculis, in vnguentis & aromatibus tam profanè & molliter ludentem inter venerea turpissimæ voluptatis mancipia. Primum sacrificium, vt sic loquar, offeret Dominæ suæ sine dubio in odorem suauitatis, si ab omnibus istis leuissimis extremæ vanitatis fumis, quæ meretricio componuntur ingenio, & non castiore plerumque animo adhibentur, sese abstinuerit. quod graue non erit, si analysin vel anatomiam quamdam compositionum istarum fecerit. Vbi enim maximè eas commendat mulier mollissima Prouerb. 7. vers. 17. dicens, *Aspersi cubile meum myrrhâ, & aloë, & cinnamomo*; tertiam partem admiscet dulcedinis, vbi duas sumpserat species amarissimas, vel compositione suâ indicans, modicam voluptatem grauiter luendam esse & præsenti & futurâ amaritudine. Secundò, si quis à licitis flosculorum odoribus sese abstineat, eos vel altari vel imagini Dominæ suæ obtulerit; haud dubiè æquè suaues in eo obsequio reperiet delicias, atque in vanitate suâ experiuntur, qui fictè se profitentur, quod verè sunt, mulierculæ nescio cuius mancipia; quibus aliquando *erit pro suaui odore fœtor.* Tertiò, dum teter aliquis vnde vnde aspirauerit odor, memores simus Dominæ nostræ complexionis tenerrimæ, in Caluariæ monte inter mephitim cadauerum Deo Patri vitam & sanguinem Vnigeniti sui offerentis, atque fœtore isto sacrificium tanti valoris suauissimè condientis. Quod tum maximè vsu veniet, quando circumfusi pauperes, mollem aliàs moturi stomachum, pietatem excitabunt, vt Virginem MARIAM nobis dicentem audiamus: Ecce odor filij mei, qui sibi pauperes substituit, sicut odor agri pleni non floribus, sed cadaueribus; In quo ego stabam cooperans saluti tuæ in medio terræ. Quartò, operam dabunt, vt operibus bonis & vitæ exemplo sint CHRISTI & Dominæ suæ bonus odor, aliosque ad obsequium & mancipatum eius moribus & verbis alliciant: *Et qui audit, dicat: Veni.*

Primò, compositis odoribus abstinendo.

Secundò, flores Virgini offerendo.

Isaiæ 3. v. 24.

Tertiò, graues odores tolerando.

Quartò, odorem exempli boni spargendo.

Apoc. 22. v. 17.

Oratio ad nasum B. MARIÆ *Virginis.*

Si pingere faciem tuam sanctissimam atque honestissimam fas sit mortalibus, ijs coloribus & lineamentis quæ ipsos ars docet & natura suppeditat; licebit, spero,

ſpero, per te, Virgo benigniſſima, ſeruulo tui amantiſſimo, tuique honorandi auidiſſimo, faciem tuam diuinam ſummâ cum modeſtiâ ac veneratione accuratiùs cognoſcere, vt paſcat ſe eâ pulchritudine, quæ toties in ſtuporem rapuit Sponſum cæleſtem, & quam nemo mortalium vmquam potuit ſine nouo pudicitiæ amore intueri. Pulchritudinis verò quaſi index homini eſt naſus; ideoque non omiſit æſtimator formæ tuæ curioſiſſimus eum aptiſſimâ ſimilitudine commendare: *Naſus*, inquit, *tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* ac ſi diceret: Quemadmodum turres in mœnibus ædificatæ ſolent accedentium oculos rapere, mirificeque ſtructurâ & altitudine ſuâ oppidi pulchritudinem commendare: ita naſus tuus decenti proportione, & ceteris quæ in pulchritudine commendantur dotibus, faciem tuam inſigniter exornat. Omitto dicere, quòd laus eius ſit, eum ſuper facie pulcherrimâ erectum eſſe, quemadmodum turris illa ſuper amœniſſimo Libani monte: quòd commendetur à rectitudine, vt turris facta ad perpendiculum: quòd grauitate pariter ac maieſtate condiat præcellentem illam faciei pulchritudinem; vt petulantibus incutiat pauorem, quemadmodum turris illa Syriæ latrunculis. innumeras, inquam, laudes tales vnico comprehenſas verſiculo prætermitto, quòd non pulchritudinis tuæ, Virgo ſpecioſiſſima, encomiaſten ago, ſed veneratorem. Quapropter ſummâ animi demiſſione adoro te, Domina mea, quòd hoc præcipuum faciei tuæ ornamentum conuerteris in ſalutis noſtræ inſtrumentum; quandoquidem & fœtorem cadauerum in monte Caluariæ pro redemptione noſtrâ iam olim ſuſtinuiſti, & quotidie ſuſcipias minima obſequia ſeruitutis noſtræ in odorem ſuauitatis: quia nimirum coniungis ea cum meritis Filij tui; de quo meritò Patri dicis: *Ecce odor Filij mei ſicut odor agri pleni.* Rogo te, Domina mea, ſuſcipe etiam hoc meum ſacrificium in oblationem ſuauiſſimi odoris, quo tibi offero omnes narium facultates; vim ſcilicet odorandi, diſcernendi, reſpirandi, ſubſannandi; iis poſthac tuo fauore non aliter vſurus, quàm ex Filij tui beneplacito ac voluntate; cuius me, quæſo, bonum odorem efficias.

Cant. 7. v. 4.

Geneſ. 27. v. 27.

Quomodo labijs ſit ſeruiendum Dominæ vniuerſorum Virgini MARIÆ.

Quæ loquendo Virgini præſtare debemus obſequia, ori tribuemus, præcipuo vocis inſtrumento: de labijs tamen & linguâ etiam quædam dicemus in particulari. Et de labiis quidem; quòd ex pio erga Dominam affectu crebris oſculis mancipium venerabitur imagines B. MARIÆ Virginis, roſarium, veſtes, aut alias ſiue Reliquias, ſiue res obſequio ipſius & honori conſecratas: in gratam memoriam, quòd ipſa ſponſum animarum noſtrarum per gremium ſuum reptantem ſuauiſſimè fuerit exoſculata. Et crebrò ipſi hanc labiorum eius ſalutationem recitabit:

Pio oſculo venerando imagines & Reliquias.

Oratio ad labia B. MARIÆ *Virginis.*

Domina, labia mea aperies, & annuntiabo laudem labiorum tuorum. Etenim ſicut vitta coccinea oculis amœniſſima, & fauus diſtillans, ad deoſculandum ſuauiſſima labia tua: rurſum lilia diſtillantia labia tua tantâ ſuauitate, tantâque pulchritudine nihil aliud excitantia, quàm caſtitatis omniumque virtutum ſingularem amorem. Diligebas enim cordis munditiem, & propter gratiam labiorum tuorum habebas amicum tuum Regem, qui diffudit gratiam in labiis tuis tantam, vt verbo vnico, quod prudentiſſimè diſtinxerunt labia tua, ipſum Regem de celſo ſolio ſuo in caſtiſſimum vterum tuum attraxeris, vt factus homo, labiis tuis figeret deſideratiſſima iſta oſcula, quibus tu creauiſti fructum labiorum pacem. O vtinam non incircumciſus labijs ego forem, vt labijs exultationis laudare poſſet os meum admirabilem fructum iſtum! Da, Virgo prudentiſſima, ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, nominis ſcilicet tui dulciſſimi per Angelicam Salutationem *Aue Maria*; vt eo, tamquam carbone ignito,

ignito, purgentur à veneno aspidum quod latet sub ipsis, vt dignè reddere tibi valeam vitulos labiorum meorum, & sacrificare hostiam laudis, hic inchoandæ, & totâ deinde æternitate continuandæ in cælis.

Quid lingua præstare debeat obsequij.

Linguæ gustûs facultatem assignamus, vt loquelæ multiplex officium ori reseruemus. Gustate ergo & videte, quàm suauis sit Domina, dici potest ijs qui gustum habent ciborum delicijs non nimiùm deprauatum, & qui sic epulis terrenis indulgent, vt locum aliquem in mente vacuum cupedijs cælestibus relinquant. quod sanè non faciunt, qui cibo ac potu non corpus solùm, sed mentem etiam ita obruunt, vt nullus ipsis testet non dicam hominis, sed ne bruti quidem animalis sensus: à quo vitio ij maximè se abstinere debent, qui res alienas creditas sibi habent, de quibus ijs sæpiùs est reddenda ratio; vti sunt B. MARIÆ Virginis mancipia, quæ Dei ac Dominæ suæ gloriam, atque animæ sibi ab ijs concessæ salutem procurandam susceperunt: quorum vtrumque necessariò ebrietate amittitur. Sed non summa mancipiorum laus est, abiectissimis vitiorum abstinuisse. Studebunt ergo sabbatinis ieiunijs, aut parciore saltem diætâ, quam etiam in vigilijs Festorum Dominæ repetent, linguam suam ei, cuius toti esse volunt, consecrare. Solent quidam Virginis amatores quotidie suauissimè cum eâ epulari; ac proinde numquam de mensâ surgere, nisi aliquid de ijs quæ apposita erant, Filio eius in pauperes distribuendum reliquerint. Hos si imitentur mancipia, non illaudabili praxi linguam suam per gustus mortificationem Dominæ suæ dicabunt.

Dissuadetur ebrietas;

& suadetur victus parsimonia.

Oratio ad linguam B. MARIÆ *Virginis.*

Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, Domina mea clementissima, & nominatim linguæ tuæ, in quâ est lex ipsa clementiæ minimè aspera, morosa, clamosa, iracunda; sed lenis, blanda, modesta, suauis. Tardioris linguæ ego sum, quàm vt sequi possim calamum illum Spiritus sancti velociter scribentis omnium virtutum characteres; imò calamum illum, quo Spiritu eodem cooperante Verbum illud incomprehensibile scriptum & exaratum est in visibili pergameno humani corporis; quando scilicet lingua tua egregio hoc tractu mouebatur: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Sublimia sunt hæc linguæ tuæ encomia, Virgo Deipara, propter quæ omnes populi, tribus & linguæ tibi seruient, & tacitæ venerabuntur linguæ tuæ excellentiam; cum quibus ego prostratus ad pedes tuos, quâ possum animi demissione colo & veneror linguam tuam omnis nobis felicitatis causam; & gratias ago non tantùm pro verbis tuis salutiferis, sed etiam pro silentio, quo non minùs quàm verbis ipsis fuisti admirabilis: denique pro fame & siti, quâ pro me & vniuerso genere humano linguam afflixisti: aruit enim haud dubiè lingua tua siti in desertis illis Ægypti, quando Herodem fugiebas; & multa passa fuisti toto exilij istius tempore, per quæ veniam impetrare possis intemperantiæ linguæ meæ: quod vti facere digneris, te per ieiunia & abstinentiam tuam Filijque tui amantissimi rogo & obtestor, Dominâ mea suauissima.

Lucæ 1. v. 38.

Quomodo os nostrum consecrandum B. MARIÆ *Virgini.*

Cùm seruitium quod ore debemus Virgini, in loquelâ consistat, oratioque sit diuisa in affectus pænè infinitos, reuocari huc debent quæ de corde diximus: hæc enim verbis expressa oris faciunt obsequium. Hic autem quæ tangemus, ijs breues innectemus sententias; quas, loco orationis formandæ ad os B. MARIÆ Virginis, licebit pio affectu repetere. Debemus ergo Dominæ nostræ

Primò, laudationem. *Laudationem Dominæ loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini sancto eius.* & Psal. 49. vers. 23. ipsa dicit: *Sacrificium laudis honorificabit me.*

Psal. 144. v. 21.

Secundò, superexaltationem super omnes Sanctos & Angelos, seu cultum hyperduliæ, quem habes verbis expressum suprà cap. 26. *Laudate & superexaltate* eam *in sæcula. Quis enim inuestigabit magnalia eius? Virtutem autem magnitudinis eius quis enuntiabit? aut quis adijciet enarrare misericordiam eius?*

Dan. 3. Eccli. 18. v. 3.

Tertiò, orationem. Oranda est enim sine intermissione, quia assiduè parata est pro nobis exorare: hæc enim fratrum amatrix & populi Israël, id est Christianorum videntium Deum per fidem: hæc est quæ multùm orat pro populo & pro vniuersâ ciuitate sanctâ Ierusalem, hoc est Ecclesiâ militante, sicut dicitur 2. Machab. 15. vers. 12. de Prophetâ Ieremiâ.

Quartò, confessionem: Primò, magnalium eius per fidem, cuius actum dedimus in serto gemmato gemmâ primâ: Secundò, peccatorum coram illâ; vnde dicitur: *Confiteor Deo omnipotenti,* B. MARIÆ *semper Virgini,* &c. vt ipsa nobis sit testis in cælo fidelis, quòd peccata nostra confessi simus, atque de iis doluerimus.

Quintò, benedictionem: nam benedicentes ei hereditabunt terram, maledicentes autem disperibunt. Benedicenda ergo die ac nocte in prosperis & aduersis: benedicendæ actiones eius singulæ, singulaque ipsius membra, prout ostendimus initio huius octaui exercitij; sæpiùs repetendo: *Beata viscera* MARIÆ *Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium.* & ad Christum: *Beatus venter, qui te portauit; & vbera, quæ suxisti.*

Luc. 11. v. 27.

Sextò, elucidationem. *Qui* enim *elucidant me,* ait ipsa, *vitam æternam habebunt.* Fit autem non tantùm scriptis libris, sed etiam aptis colloquiis & sermonibus, hæc mysteriorum vitæ eius elucidatio.

Eccli. 24. v. 31.

Septimò, prædicationem: nam *surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt,* Prouerb. 31. v. 28. & Psalmista hortatur: *Annuntiate inter Gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius.* Felix sors eorum quibus contigit tam sublimis vocatio; vt ad elucidandam atque prædicandam Virginem assumantur.

Psal. 95. v. 3.

Octauò, adde his cantationem, gratiarum actionem, salutationem, & quidquid demum lingua hominis ad exprimendam laudem, honorem, gratitudinem, magnificentiam, vel ad aucupandam gratiam alterius, potest fabricare; totum id & millies amplius ita debemus Virgini, vt, cùm semper sit de eâ loquendum, nulla loquela sufficiat, quia nulla æquare potest merita aut dignitatem ipsius. Pergo ad alia membra, vt videamus quomodo iis sit Virgini seruiendum.

Quâ ratione collum & humeri impendendi seruitio B. MARIÆ *Virginis.*

Iniјce in torques illius collum tuum, & subiјce humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis eius; monet Ecclesiasticus: vt nimirum sciamus seruos nos esse & mancipia, & præparemur ad supponendum humeros omni sarcinæ, quam Hera tam potens voluerit imponere, & collum flectamus ad omnia mandata illius, circumdemus vincula collo nostro in memoriam officij, & in piam ostentationem status tam sublimis, atque est dici & esse domestica eius mancipia: cuius compedes sunt famulis in protectionem fortitudinis & bases virtutis, & cuius torques in stolam gloriæ. Vt ergo collo & humeris seruiamus Heræ nostræ, præparandum est collum ad obedientiam, humeri ad patientiam & constantiam; vt neque detrectemus iugum ipsius refractariâ ceruice, nec impositum excutiamus: quod breui ad collum humerosque Virginis oratione ita faciemus.

Eccli. 6. v. 25.

Oratio ad collum & humeros B. MARIÆ *Virginis.*

Benedictum sit collum & dorsum tuum, Virgo Deipara, quia vtrumque semper habuisti Dei mandatis subiectum. Benedicta sis tu, quam nobis Omnipotens veluti totius Ecclesiæ collum dedit, vt per te ad nos transeat, quidquid à capite, quod est Filius tuus, membris esurientibus communicatur.

Bene-

Benedicta sis iterùm, quia veluti Ecclesiæ dorsum omnia eius onera suscipis; & ita suauiter portas pro nobis, vt iam cesset murmuratio, quòd imponantur onera grauia ab iis, qui ea digito nolint attingere. dicis enim tu: *Venite ad me omnes qui onerati estis, & ego reficiam vos.* Ecce ego, Domina mea, oneratus sum, & graui peccatorum sarcinâ oppressus, ita vt adhæserit in terrâ venter meus, & nequeam lumen cæli aspicere: iniquitates namque meæ sicut onus graue grauatæ sunt super me. auferatur, quæso, onus earum ab humeris meis, & iugum earum à collo meo: computrescat iugum à facie olei diuinæ gratiæ, cuius spero per preces tuas non auaram diffusionem. O mea & creaturarum omnium Domina, liceat mihi te pro magnâ earum parte alloqui & dicere: Herus noster prior diabolus; cui, prô pudor! turpissimâ seruitute fuimus mancipati, durissimo iugo nos pressit: tu leuiora impera quàm herus iste, & paululùm de onere subleua, vt seruiamus tibi. Non diuertimus ab oneribus dorsum nostrum, sed rogamus, vt onera peccatorum graui pondere vsque ad lassitudinem nos prementia contabescant & conterantur, vt tibi seruiamus humero vno, & imponamus iugum tuum collo nostro, ac singuli cognoscant cui debeant oneri mancipari, legibus nimirùm mancipatus tui obseruandis, & iugo tuo, quod vtique graue non est, sustollendo. Cui rei paratum est cor meum, Virgo Deipara, paratum dorsum & collum meum; nihil reijcio, nihil detrecto, nihil excutio: quidquid tu iusseris, gratum erit; quidquid imposueris, leue: tu enim potentissimo gratiæ diuinæ auxilio exaltas iugum super maxillas seruorum tuorum, & non finis eos deficere in viâ, donec eos perducas in patriam; vbi, sublato omni iugo, eis impones coronam immortalitatis & stolam gloriæ.

Matth. 11. v. 28.

Quomodo seruiendum B. MARIÆ *Virgini brachijs & manibus.*

Vt fidelia se præstent Virginis mancipia Sodales, dictum sibi existiment, Quidquid potuerit operari manus tua, constanter operare. Primò ergo manus suas extendent inopi, crebrò ad gloriam Dominæ suæ dantes eleëmosynam, vt vestiant nutriantque Filium eius in pauperibus. Secundò, libenter adhibebunt manus ornandis statuis, altaribus & sacellis Dominæ suæ. Tertiò, gestabunt in brachiis armillas, aut in digitis annulos, in signum sui mancipatus. Quartò, operam dabunt ante omnia, ne polluantur vllâ immunditiâ, vt semper leuare possint ad Dominam puras manus. Quintò, crebrò sese in manus Dominæ suæ resignabunt, dicentes: *Ecce seruus tuus, vel ancilla tua in manu tuâ est, vtere eâ vt libet,* Genes. 16. v. 6. vel, *In manus tuas,* Domina, *commendo spiritum meum.* Sextò, crebrò benedictionem à Dominâ suâ petent, maximè dum manè è lectulo surgunt, aut dum vesperi cubitum concedunt, hoc vel simili versiculo: *Nos cum prole piâ benedicat Virgo* MARIA. Denique, Virginis Deiparæ brachia & manus salutabunt, & obsequium manuum suarum ei offerent, prout sequitur.

Psal. 30. v. 6.

Oratio ad brachia & manus Virginis Deiparæ.

Brachium Domini cui reuelatum est, nisi tibi, Virgo Deipara? ex te enim natum brachium sanctum eius, per quod ipse fecit & refecit omnia. Et fecit potentiam Deus in brachio suo, vt secundùm magnitudinem illius tibi faceret magna, qui potens est, extenderetque potentiam tuam & brachium tuum à fine vsque ad finem, tam admirabili dignatione, vt nusquam ille manum suam porrigat, quò dextera tua non pertingat. O Domina mea potentissima, tremens ego factus sum, & timui, quando vidi brachium Domini extensum in vindictam peccatorum, quorum ego nequissimus, quòd verear, ne in me primùm ira eius desæuiat: rogo te ergo humillimè, vt illi coëxtendas brachium, & iustitiæ isti propriam tibi opponas misericordiam. Ligasti olim & pannis inuoluisti brachia & manus Iudicis mei seuerissimi, nunc illa

misericordiæ fasciis ita constringe, ne, quod iustissimè potest, extendat ea in perniciem meam sempiternam. Recepi quidem ego tot beneficia manuum tuarum, quando Seruatorem meum portasti, nutriuisti, vestibus induisti, eique circumfusa Mater omni curâ inseruijsti, vt nemo computare ea possit, vel satis magni æstimare: sed quid tanta iuuat accepisse, si viuere me contingat & mori omnibus hisce ingratum? si propter peccata mea iusto Dei iudicio ignibus addicar sempiternis; vbi suppliciis omnibus grauiores audiendæ erunt, &c, pró dolor! nisi tu Domina prohibeas, etiam dicendæ in te Filiumque tuum blasphemiæ? Quod malum, vel solâ cogitatione formidandum, vt auertas, offero tibi brachiorum & manuum mearum obsequia: volo enim, volo tibi quàm fieri potest humillimè inseruire: tu me impende, Domina, vtere, abutere, &c, si mancipium me esse non est satis, iumenti loco habe, cui nullam concedas ab obsequiis tuis requiem, modò suppedites obsequendi potestatem per gratiam, quam mihi promeritus est IESVS CHRISTVS Filius tuus. Amen.

Ad vbera & vterum B. MARIÆ *Virginis.*

De vberibus & vtero venerantèr agendum.

Magna decet mancipia & seruos modestia & reuerentia circa personam Domini aut Dominæ suæ: eapropter, licet ingens vberum de cælo repletorum sit suauitas, maxima vteri Virginei, vnde nobis fructus vitæ prodiit, vtilitas, vt Sponsus ideò iucundissimè in Canticis ludere videatur, iam vbera botris, iam ventrem aceruo tritici stipato liliis comparando, quæ castissimo succendant contemplantes amore; non tamen omnibus omnia licent, & quæ casti amoris deliciæ sunt in Sponso, possent esse proiectæ signa audaciæ in seruo. Propterea ex eodem spiritu humilitatis, quo se famulatui huic mancipauerunt, sese deliciis istis abstinebunt, quas ex vberum tam admirabili suauitate manantium spirituali contactu, ex benedicti ventris tantâ nostrâ vtilitate fecundi assiduâ contemplatione percipiunt ij qui ad sublimiorem sponsi aut filij gradum vltrò à Virgine assumuntur, tantâque eius familiaritate honorantur, vt etiam infuso in os lacte Virgineo refecti quidam esse legantur. Contenta erunt mancipia, Dominam suam totâ animi submissione rogasse, vt dignetur vbera ista mundum cælo, homines Deo, peccatorem Iudici conciliantia, Filio suo affectu materno ostendere; vt extremam eis perniciem deprecetur, quando iam iam stringenda erit irreuocabilis de totâ æternitate sententia: tunc illa pectus suum denudet, tunc, vt matres ceteræ, non per vteri sui, quos nullos sensit, labores, sed per diuturnas, quas Filio istic commoranti præbuit delicias, obtestetur, ne pereat aliquis eorum qui sese mancipatui eius addixerunt: ne dicatur tam gloriosa Domina vel noluisse, vel non potuisse seruare suos, vt iam commemorare ipsi non liceat ampliùs sermonem istum magnificum, qui sufficit ad orbem terrarum seruituri eius mancipandum: *Quos dedisti mihi, custodiui, & nemo ex eis perijt.* in hoc enim etiam ostentauit Filius Matris misericordiam plus quàm suam, quòd ipse adiunxerit, *Et nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis*; ipsa autem siue exceptione dicat, *Et nemo ex eis perijt*, nec fuit in iis filius perditionis. Vt sciamus, Filium Patrem esse & Iudicem, Virginem autem totam Matrem, totam transijsse in misericordiam. Vt ergo impetrent Dominæ suæ tam potens patrocinium in die calamitatis & miseriæ, nunc simplicibus doctrinæ lac infundant, & omnibus ostendant vbera Matris Dei; hoc est, omnes doceant eius misericordiam, vt omnes pertrahant ad eius mancipatum, crebriusque cum Ecclesiâ ingeminent:

Virgo neminem perdidit ex suis.

Ioan. 17. v. 12.

Orationes ad vbera & vterum B. MARIÆ *Virginis.*

Beata viscera MARIÆ *Virginis, quæ portauerūt æterni Patris Filium, & beata vbera, quæ lactauerunt Christū Dominum.*

Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Luc. 11. v. 27.

Benedictus fructus ventris tui IESVS.

Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ? Cant. 8. v. 1.

Quo-

Quomodo seruiendum B. MARIÆ *Virgini genu & pedibus.*

Primò, genua incuruanda ante altaria & imagines ipsius, & ad augustissimum nomen MARIÆ, si in pedes erecti istud audiuerint, aliàs caput inclinandum. Secundò, obeundum genuflexionum aliquod exercitium, exemplo multorum Sanctorum, præcipuè verò legendo Rosarium mancipijs proprium septuaginta duorum granorum, prout tradidimus Lib.4. ad Regulam 3. vel legendo Coronam duodecim Stellarum, ad singulas stellas: vel denique faciendo exercitium membrorum, singulos quos salutabimus Virginis artus humili genuflexione venerantes. Tertiò, pedes semper habendi parati & veloces ad Dominæ obsequia. Quartò, crebrò visitandæ imagines & Ecclesiæ B. MARIÆ Virginis, vt dici possit de nobis: ***Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem.*** Huc referuntur peregrinationes ad loca, quæ Virgo dignatur miraculis reddere celebratiora. Quintò, abstinendi pedes ab omni malitiâ, ne declinent in viam iniquitatis.

Psal.121. v.2.

Oratio ad pedes Virgineos.

Venio ad te, Domina mea, incuruus & inclinatus in terram, vt adorem vestigia pedum tuorum: locus enim in quo stas sanctus est, quantò magis sancti & perfecti pedes tui! Gaudio summo mihi est, pedes tuos deosculari, adorare vestigia tua, lingere puluerem pedum tuorum, imò lauare pedes seruorum tuorum; in gratiarum actionem, quòd cum festinatione in montana contenderis, vt incarnationis fructum nobiscum communicares; quòd iueris in Ægyptum, vt nobis Seruatorem seruares; quòd flens & dolens perditum Filium quæsieris; & quòd difficillimis itineribus eumdem sis passionis tempore comitata. Quale hoc erat iter tuum quod pedibus conficiebas in montem Caluariæ, æquè dolore & compassione, ac Filius cruce & vulneribus grauata! Quis vmquam reperietur adeò ingratus, qui obliuiscatur itineris illius? quis non erit paratus pro tali Dominâ etiam in mortem ire, quæ pro nobis tot passus confecit qualibet morte duriores? O si hæc aliquando mancipio tuo obtingeret felicitas, vt pro nominis tui defensione ire iuberetur vel in carcerem, vel in crucem! Quamquam quid opto miserrimus peccatorum iter tam gloriosum, qui hactenus ambulaui vias ignominiosissimas? quid spero martyria, qui hactenus nihil spiro nisi peccata? Hoc igitur te ante omnia quàm possum obnixissimè rogo, Domina mea, vt firmes gressus meos, nec des in commotionem pedes meos, ne subuertantur ab inimicis: euellas eos de laqueis peccatorum, & libera de neruo pœnarum, in quo eos posuit iniquitas sua.

CAPVT XL.

EXERCITIVM NONVM.

De augustissimo nomine B. MARIÆ Virginis, in cuius honorem Mancipiorum Sodalitas instituta est, acturus sum Libro VI. imitatione viri illius maximi, qui, postquam de Cælesti hierarchiâ egerat, de summi Hierarchæ nominibus scripsit. Visum tamen est tractatum hunc breuem, qui de praxibus colendi propagandique nominis MARIANI agit, non differre, sed exercitia omnia pietatis, quæ Mancipijs singulari ratione opto commendata, simul tradere: quorum licet ordine postremum sit hoc, quod cultum tradit ter venerandi nominis MARIÆ, non idcircò Sodalibus in postremis habendum, cùm ferè ideò in familias Magnatum mancipiorum famulorumque turba adsciscatur, vt latiùs per eos fulgeat splendor nominis herilis. Non alio est opus ad hoc testimonio quàm patris istius familias, qui omni horâ exit vt conducat seruos mittendos in vineam suam: cùm enim maximè probum frugique seruum reperisset, ait: ***Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & Regibus:*** indicans in vineâ suâ eos vtilissimè impendere operam, qui quantas possunt nominis herilis ducunt propagines.

Seruorum est, nomen heri propagare.

Act.9. v.15.

Tam

Tam altè in pectoribus humanis insedit isthæc de officio seruorum opinio, vt passim vel nomine herili mancipia inscribant, vel famulorum vestibus gentilitia domini insignia apponant, vel certè concolori panno domesticos omnes insigniant, vt quocumque deinde pedem, eòdem nominis herilis ferant recordationem; vel brutas ipsas animantes ornatu suo plerique volunt in hoc esse officiosas: & volucres fama est erudijsse ambitiosam impietatem, vt Psaphonem qui eas nutrierat, vagâ deinde garrulitate Deum vbique proclamarent. Exemplo Mancipijs B. MARIÆ Virginis, ne quam prætermittant laudandi nominis herilis occasionem; præsertim cùm titulus Sodalitatis indicet, ideò maximè conuenisse in vnum lectissimam nobilium seruorum turbam, vt in hoc officij genere excellant, quandoquidem dicuntur Virginis Deiparæ, eiusque sanctissimi nominis mancipia, habentque aptissimam ad id tesseram, verba scilicet ista sacrosancta, quibus Virgo ab Ecclesiâ toties salutatur, *Aue Maria*. Non exhortationi, sed præscriptioni & explicationi piorum exercitiorum hunc quintum Librum destinaui: itaque si cui etiamnum circa pectus obhæret glacies, is Librum sextum percurrendo se poterit ad cultum nominis MARIANI inflammare; hîc tantummodò, quid per nominis MARIANI cultum intelligam, claritatis causâ explicabo. Nam nomen alicuius colere videtur, quisquis res gestas ipsius virtutesque quacumque ratione celebrat, earumque famam facit ad eos qui vel loco sunt dissiti, vel tempore posteriores, peruenire; sed eâ ratione hîc non loquimur, quando agimus de peculiari nominis MARIANI cultu: sic enim exercitium hoc omnes pietatis praxes complecteretur, quibus Virgini Deiparæ qualiscumque reuerentia exhibetur. Et præcipuè hac significatione nomen eius colunt, qui de rebus gestis ipsius, de priuilegijs, de virtutibus, ceterisque laude dignis proprietatibus vel verbo vel scripto agunt: non enim possunt hæc de eâ commodè prædicari, nisi nomen Virginis adferatur, quod significat adæquatè subiectum quarumcumque ei conuenientium prædicationum. Verùm iste non est peculiari ratione nominis MARIANI, sed potiùs MARIÆ cultus; quamuis fieri vix possit, vt aliquis sic MARIAM colat, qui non simul etiam celebret MARIÆ nomen. Vt tamen clarè distinguatur, aliud esse nomen MARIÆ, aliud MARIAM colere; ponamus, ipsam se videndam præbere concioni alicui Virginem Deiparam, concionatoremque varijs eam celebrare encomijs: fieri id poterit, licet & ipse & concio vniuersa MARIÆ nomen ignorat. Cultus ergo nominis MARIÆ, de quo hîc agimus, non est quæcumque MARIÆ veneratio, sed ea tantùm quæ nomini isto τῷ MARIA exhibetur, quià Virginem MARIAM significat; vel (si ita quis malit loqui) qui MARIÆ exhibetur cultu, seu potiùs operatione quadam externâ circa nomen ipsius versante: eâ ferè ratione quâ de imaginum Reliquiarúmve cultu & veneratione loqui solemus. Nihil ergo hoc nono exercitio propono quàm praxes, quibus cultu externo, versando circa materiale nomen MARIÆ, Virgini Deiparæ cultus & honos exhibetur. Vti nulla est earum gratiarum, quas in Sanctos suos tam variè sparsit indulgentissima Dei bonitas, quæ non reperitur in Virgine Deiparâ singularibus auctâ priuilegijs; ita nullus est cultus aut honos qui rei cuipiam propter vllum Sanctorum venerandæ præstari debet aut potest, qui non possit nomini sanctissimo MARIÆ, & verò debeat à pijs eius mancipijs exhiberi; tum quòd vnius Virginis gratia & gloria perfectior est, quàm sit omnis quorumlibet Sanctorum & Beatorum in vnum collecta; tum quòd nihil eam perfectiùs significet, vel potiùs tangat, quàm nomen illud sacrosanctum. Quod cùm sit ei proprium, necessariò significat eam non tantùm vt cæli Reginam, vt virgineâ fecunditate, vt diuinâ maternitate, aut quocumque alio priuilegio excellentem; sed ipsam Virginem, quæ est & horum & multorum

Quid per cultum nominis MARIANI intelligamus.

Nomen B. MARIÆ supra omnia alia quæ ad Sanctos pertinent venerandum.

rum

rum prætereà diuinissimorum prædicatorum subiectum. Tu mihi nunc animo per orbem Christianum proficiscere, singula Regna, Prouincias, vrbes, loca quæuis perlustra: attende, quantum, à quàm multis, quàm varijs modis, & publicè & priuatim imagines Virginis & Sanctorum, Reliquiæ item & res ab illis vel tactæ, vel in pretio habitæ, tum sacrata Ecclesiasticis vsibus vasa colantur; ac posteaquam istiusmodi honores rebus istis iure impensos, tot & tantos fauores fueris demiratus, vnum aliquem ex illis consla: quantus ille erit? ah! longè maiorem illo exigit honorem & cultum augustissimum nomen MARIÆ; cuius qui esse cupit studiosissimus, poterit ex hisce, quas confusè proferam, praxibus exercitium vnicum conficere, conflando in vnum earum præcipuas, prout cuique sua dictabit pietas.

Prima praxis colendi nominis sanctissimi MARIAE. Primum ergo cultus & reuerentiæ genus est, quandocumque scribendum, pingendum aut sculpendum est nomen MARIÆ; id eo nitore & decore facere, vt intuentibus deinde appareat aliquid fuisse in artifice, quod eum hîc reddiderit quàm alijs in rebus accuratiorem. Huc studia eorum pertinent, qui illud solaribus radijs includunt, idque ita publicè tamquam maximè venerandam imaginem proponunt; prout Mancipiorum Sodalitas quæ Bruxellis est in nostro Conuentu, illud publicè præfert in labaro depictum: &, quò multorum in manus deueniret, ære excudit in chartâ, prout Libro secundo expressi. Votum erat Venerandi P. Simonis Roxas, à quo acceptam sub nomine MARIÆ Mancipiorum Sodalitatem ad Belgas detuli, vt quidquid in orbe figurâ præstat, aut splendore aliquo insignitur, nomen hoc sacrosanctum exprimeret; hoc omni auro insculpi, hoc gemmis omnibus & lapidibus pretiosis inscribi, hoc ab ipsis astrorum viuacibus flammis cupijsset varijs suis choreis adumbrari, vt mundus vniuersus nosceret & coleret eius maiestatem. Certè praxim deuotionis pulcherrimam docemur in Canticis, quam pu- to scribendo aut sculpendo Virginis Sanctissimæ nomen posse exerceri: *Pone me*, inquit, *vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* *Cant. 8. v. 6.* De Radegonde Regis Clotharij vxore legitur, quòd ferro candenti Virginis Deiparæ nomen carni suæ impresserat. Franciscus Binanrius è Familiâ Minimorum illud scalpello carni item suæ insculpserat. Credo, vt huic exhortationi Canticorum satisfacerent, & simul vt Virginis Deiparæ se mancipia isto cauterio profiterentur. Non tantum exigo à Sodalibus rigorem; opto tamen vt nemo eorum sit, qui non è brachio aut collo, vnà cum catenâ seruitutis indice, appensum nomen MARIÆ gestet. Ad venerationem quæ scriptione fit, pertinet etiam illa praxis quæ Regulâ Sodalitatis præscribitur, vt epistolarum capitibus hæc duo verba *Aue* MARIA præponant. Sunt qui vasis & vtensilibus suis hoc ipsum nomen imponant, vt testentur heram familiæ suæ esse Virginem Deiparam, se verò humillima eius mancipia; & quòd existiment sub nullo sigillo tutiùs sua asseruari, quàm sub nominis MARIANI custodiâ.

Secunda praxis. Altera colendi nominis MARIANI praxis consistit in reuerenti eiusdem pronuntiatione: atque hîc quæstio oboritur, an crebrò id pronuntiare reuerentiæ sit officium, an potiùs hæc imperet illud perquàm rarò proferre, ne assiduitate vilescat. Neutri sententiæ vel rationum robora vel historiarum exempla desunt quibus se tueatur: nam si exempla petantur, de S. Gerardo constat, quòd S. Stephanum Pannoniæ Regem induxerit, vti Hungaris suis ediceret, vt quàm parcissimè Virginis Deiparæ nomine vterentur, sed eius in locum appellatiuum nomen Dominæ substituerent: vnde mos ille fluxit ad plerosque Europæ populos, vt non nisi Dominæ titulo Virginem vulgariter appellent. Contrà verò habemus de Eustachio Ordinis Cistertiensis monacho, quòd crebrâ pronuntiatione nominis MARIÆ id meruerit gratiæ, vt mortui in ore, orantis more aperto, au-

reis literis sibi inscriptum nomen MARIÆ lingua exhiberet. Et historiæ Indicæ produnt miram feminæ Ethnicæ superstitionem, quæ centies & quadragies millies Amidæ idoli nomen quotidie pronuntiare consueuerat; néve dormiendo tempus huic cultui destinatum amitteret, quotidie à diabolo excitabatur. hæc deinde fide nostrâ imbuta, cùm, versâ in pietatem superstitione, MARIÆ sacrosanctum nomen toties pronuntiare cœpisset, Angelorum ministerio, ne officio deesset, quotidie fuit expergefacta; satis aperto indicio, non ingratam Reginæ cælorum fuisse tam crebram nominis sui inuocationem. Iam ratio dictat, quantò zelus vtilitatis propriæ, quæ ex crebrâ pronuntiatione suauissimi nominis percipitur, nos acriùs incitat ad sæpiùs illud vsurpandum, tantò reuerentiam nos debere cautiores reddere, ne studio vtilitatis propriæ leuiter pronuntiemus nomen, quod Angeli ipsi proferre timent. Ne tamen hic incertâ dubitatione suspensos teneamus Sodales, ad praxim hanc possumus dare regulam: *Ama, & fac quod vis.* Valet enim hîc in primis illud, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Qui enim abstinet à pronuntiatione sacratissimi istius nominis ex amore & reuerentiâ, & appellatiua quædam honoris cultusque plenissima ei substituit vocabula, praxi vritur laudabili, & paranymphum cælestem imitatur, qui in legatione istâ diuinâ primùm præ reuerentiâ Deiparæ nomine abstinuit, vt testatur S. Bernardinus Tom. 3. Tract. de B. Virgine Sermone 1. dicens: *Fortè non nominauit eam Angelus, volens potiùs venerari silentio, quod non potuit exprimi eloquio.* Qui verò nullum facit nominandæ Virginis finem, modò ex amore animoque colendi Dominam suam id præstet, si non meliùs facit, praxi certè vtitur multis rationibus suauiori, & sibi, nisi me fallat erga nomen hoc pietas, multò vtiliori: cùm apertè testentur Sancti, quòd ne quidem memoriæ portas ingredi possit nomen MARIÆ sine insigni recordantis vtilitate; quantò

Rom. 8. v. 28.

magis succo deuotionis plenam exercitationem suppeditabit pronuntiatio? hac autem prorsus caret sicca ista præ reuerentiâ à pronuntiatione abstinentia. Non tamen nego optimè præscriptam legem illam à S. Stephano Hungariæ Rege, vt scilicet publicè cautela adhiberetur, ne temerè & irreuerenter tam sanctum ac venerabile nomen pronuntiaretur à vulgo: quâ in re vehementer peccant non ij tantùm qui falsis iuramentis, turpibus & obscenis sententijs illud contaminant, sed ij etiam qui admirationis loco illud sine veneratione passim vsurpant.

Verùm iam tempus est praxes enumerandi, quibus possumus nomen MARIÆ ore ac sermone colere. Harum autem prima est, vel pro concione, vel inter familiaria colloquia cultum nominis MARIÆ commendare, vtilitatem suauitatemque istius pietatis proponere; & omnes, quantum fieri potest, pertrahere, vt Sodalitati Mancipiorum huius suauissimi nominis inscribantur. Rursum, verbo colet nomen Virginis, qui sibi tempus quotidie statuet, quo magnâ cum veneratione illud sæpiùs pronuntiabit, genua toties flectendo, & animum excitando semper nouis erga Virginem amoris reuerentiæque stimulis. Vsurpatum multis Sanctorum pietatis exercitium, & quod sæpè insperatos edit subitâ animi commotione effectus. Poterit hoc etiam fieri Litaniis quibusdam de B. MARIA Virgine, in quibus nomen hoc sæpiùs repetitur; quales Libro 4. Cap. 32. in vsum Mancipiorum dedimus. Quàm grata sit B. MARIÆ Virgini crebra ista nominis sui commemoratio, ostendit Hermanno isti, quem ipsa in sponsum assumpserat, & Iosephi nomine donarat. Cùm enim hic in officio persoluendo, Hymnisque & Horariis precibus recitandis, negotiis curisque distractus, negligentior euasisset; occurrens illi quadam die non formosâ, vt solebat, sed anili figurâ & fronte rugis deformatâ, Ecce, inquiebat, talis appareo, qualis tibi iam sum; tempora illa requiro, in quibus me millies memora-

morabas, salutabas, laudabas. Nec te pudet in hac re esse remissum, mei memoriâ senescente. Rem narrat Surius in eius Vitâ 5. Aprilis; & nos docet, quàm sedulò debeamus crebrâ nominis sacrosancti pronuntiatione conseruare pietatis vigorem & animi quasi iuuentutem, ne Virginis erga nos fauor & amor senescat. Aliud exercitium, quo nominis huius suauissimi crebrâ pronuntiatione lambimus dulcedinem, proposui suprà, quando vsum dedi Rosarij nominis MARIANI, quo septuagies bis repetuntur hæc sola verba *Aue* MARIA, in memoriam totidem annorum quibus vitam hanc mortalem vixisse putatur Deipara. quibus salutationibus si adiungantur totidem genuflexiones, augebitur, credo, deuotio, & exercebitur corpus simul & anima in obsequium Dominæ, nullo vmquam honore satis colendæ.

Tertia praxis: Tertia praxis colendi nominis MARIANI consistit in recitandis Psalmis aut Hymnis, aut certis Orationibus incipientibus à quinque litteris sacratissimi nominis MARIÆ. Modus hic nominis alicuius honorandi vsitatissimus est ipsis profanis Poëtis, qui inter obsequiorum officiorumque genera, quibus sibi Mæcenates suos demereri consueuerunt, Acrosticha solent conscribere, quæ litteris carminum initialibus nomina eorum exprimant. Quem profanum & vanum adulandi modum solidè sanctèque ad pietatis praxim reductum esse, nota quidem passim, sed hîc necessariò commemoranda, docet Historia: narrant eam Vincentius Bellouacensis lib. 7. Hist. cap. 116. Pelbertus lib. 6. Stellar. p. 1. art. 13. Thomas à Cantiprat. lib. 3. cap. 29. Ioann. Maior Spec. Magn. exemp. tit. B. MARIA Virgo, exemp. 42. edit. 3. è quibus ita commemorari potest. Cantuariensis Archiepiscopus, cui nomen Thibaldus, anno 1160. ex Italiâ redux, Audomaropoli ad sancti Bertini Monasterium diuertit; atque ibi in exhortatione habitâ ad Religiosos inter cetera commemorauit, familiare fuisse in Sinâ Monachis quotidie recitare quinque Psalmos, quorum initiales litteræ nomen sacratissimum Virginis MARIÆ exprimerent, præmissâ singulis eorum Salutatione Angelicâ. Intererat concioni Ioscio quidam beatæ recordationis istic Religionem professus, & praxim propositam auidè arripuit: subiungens prætereà cuique Psalmo versiculum *Post partum virgo*, &c. vnà cum Oratione quam infrà dabo. Quàm grata fuerit Virgini Deiparæ constans eius in honorando nomine suo pietas, eâ quæ sequitur ratione docere voluit. Anno 1163. cùm Monasterium illud Leo Abbas, Theodorus Comes Flandriam, regeret, ipsâ Vigiliâ S. Andreæ Apostoli ad Matutinas preces Religiosi conuenerant; & Supprior aduertit Fratrem suum, ipsum quo de agimus Ioscionem, præter morem abesse: itaque cellam eius petit, si fortè dormiret excitaturus. Vt ingressus est, miro stupore hæsit attonitus: Ioscionem enim iam reddito Creatori suo spiritu compositum, &, mirum dictu! defuncti in facie quinque viuacissimo colore vernantes rosas comperit: quarum vna ex ore, ex auribus oculisque singulis singulæ aliæ proueniebant; erant autem in iis descripta litteris aureis elementa quinque sanctissimi nominis MARIÆ, vnà cum Psalmorum principiis, quos solitus fuerat in eius honorem recitare. Nemo Religiosorum ausus fuit signatum à Virgine Deiparâ corpus attingere: rem itaque integram ad Andream tum Atrebatensem Episcopum deferunt. Hic, institutâ Supplicatione, cum solemni pompâ mortuum inuisit; & rosam quæ ex ore prodibat summâ cum veneratione decerpsit: ea cristallo recepta, atque in altari cunctis ad videndum proposita, pristinum semper vigorem conseruabat, aliis quatuor paulatim marcescentibus. Corpus verò Sancti ad pedem summi altaris terræ mandatum innumeris deinde claruit miraculis; attestante quotidie è sepulchro Ioscionis Virgine Deiparâ, nomen suum eam virtutem aspirare illud crebrò venerantibus, quæ etiam

 post

post mortem corporibus adhærescat, spiretque in posteros non tantùm fragrantissimum sanctitatis, sed etiam miraculorum saluberrimum odorem. Psalmi autem, quibus ille tam feliciter nomen hoc viuificum descripserat, hi quinque enumerantur,

M *agnificat.* Luc. 1.
A *d Dominum.* Psal. 119.
R *etribue.* Psal. 118.
I *n conuertendo.* Psal. 125.
A *d te leuaui.* Psal. 122.

Singulis, vt dixi, Psalmis præponebat *Aue Maria:* subiungebat autem,

℣. *Post partum virgo inuiolata permansisti.*

℟. *Dei Genitrix intercede pro nobis.*

Oremus.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine, perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere; & gloriosâ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitiâ, & æternâ perfrui lætitiâ. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Affine huic exercitio est alterum è Psalterio S. Bonauenturæ concinnatum: cuius vsum commendat B. MARIÆ Virginis beneficium quod Conuentui nostro Romæ ad S. MARIAM de Populo concessit, prout narrat Frater Carolus Stengelius Ordinis S. Benedicti in Medicamine spirituali Dilingæ edito.

Anno 1470. Romæ in Conuentu Patrum Augustinianorum ad S. MARIAM de Populo, Pastor vnà cum collegâ suo subitò peste extinctus fuit. quæ res omnes, qui mox cum iis egerant, Religiosos mirum in modum afflixit. Prior itaque conuocatos cœpit quâ potuit ratione consolari; & simul votum edidit, si pestis inter eos grassari cessaret, quòd vnus Religiosorum quotidie recitaret quinque Psalmos ex Bonauenturæ Psalterio, qui litteris initialibus nomen B. MARIÆ Virginis describerent. Accepit votum Virgo Deipara; &, res mira! ex quo cœperunt Psalmos recitare, nullus vmquam eorum peste fuit contaminatus. Operæ pretium ergo est tam præsens hic proponere remedium contra dirum istud generis humani flagellum. Quinque Psalmi ex Psalterio S. Bonauenturæ nomen B. MARIÆ Virginis exprimentes sunt,

M *agna es Domina.*
A *d te Domina clamabo.*
R *efugium tu es Domina.*
I *n te Domina confido.*
A *d Mariam cùm tribularer.*

Vt variè ludere possit in nomine sanctissimo, mancipiorum erga Dominam suam pietas, etiam quinque Hymnos dabo, qui litteris suis capitalibus nomen MARIÆ pingant.

M *agnificat.*
A *ue Regina cælorum.*
R *egina cæli lætare.*
I *nuiolata, integra & casta es, Maria.*
A *ue maris stella.*

Rursum fieri potest exercitatio pia combinando varios B. MARIÆ titulos, qui nomen eius exprimant: vti, verbi gratiâ, quòd sit

M *ediatrix nostra,*
A *uxiliatrix Christianorum,*
R *eparatrix vitæ,*
I *nuentrix gratiæ,*
A *duocata peccatorum.*

vel ex ipsâ etymologiâ nominis MARIÆ,

M *aris stella,*
A *marum mare,*
R *eseramentum portarum paradisi,*
I *lluminatrix,*
A *qua pluuia.*

Quæ praxis variam dabit pietati exercitationem, siue precationibus aptè compositis, siue emblematis ingeniosè excogitatis, siue orationibus ad Rhetorum regulas exactis, siue aliis quibusdam modis, quos cuique suus suggeret erga Virginem amor, titulos illos velint celebrare.

Quarta praxis. Quarta & postrema praxis colendi nomen B. MARIÆ Virginis in externis quibusdam operationibus consistit: quarum prima est, Sodalitati Bruxellensi Mancipiorum vsitata, quæ nimirum singulis diebus Sabbatinis quinque panes distribuit pauperibus, vt iis quinque litteras nominis MARIANI qua-

quasi practicè describat. Sunt qui diebus Festis B. MARIÆ Virginis quinque pauperes inuitant; & possunt (nam licet etiam in pietate deliciari) ij deligi, qui capitalibus nominis sui litteris exprimant nomen B. MARIÆ Virginis, vt ita viuacior sit nominis istius sanctissimi recordatio. Sunt qui passim in distribuendis eleëmosynis numerum hunc quinarium obseruant, vt altiùs memoriæ suæ sacrosanctum Virginis nomen inscribant. Sunt denique qui simili quadam ratione volentes honorare Matrem Dei, quâ Pater cælestis honorat Filium suum; nihil negant eorum quæ postulantur in nomine Virginis Deiparæ, memores illius: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Voto simile propositum confirmauerat lumen istud Vniuersitatis Parisiensis & mundi vniuersi Alexander Alensis; & voto suo captus fuit, vt sublimitati doctrinæ suæ sancti Francisci humilitatem adiungere cogeretur: nam, prout scribit S. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 8. quodam tempore eum adiens Ordinis S. Francisci Religiosus, instanter per sacratissimum nomen B. MARIÆ Virginis obtestari cœpit, vti Ordinis sui habitum susciperet. Mirabatur Alexander, maximè quòd numquam eius sibi venisset in mentem; ratus tamen diuinitus sibi adhibitas istas preces, & voti sui memor, negare noluit quod petebatur. Itaque receptus in Ordinem, illum seque mirum in modum illustrauit. Iamdudum fuerat apud S. Gerardum toties commemoratum in Hungariâ Præsulem hæc praxis vsitata: de quo vulgò sciebatur, quòd nihil negaret in nomine Dominæ suæ rogatus: itaque hac machinâ passim eum supplices expugnabant.

Ioan. 16. v. 23.

M. FR. BARTHOLOMÆI DE LOS RIOS
DE
HIERARCHIA
MARIANA
LIBER SEXTVS.

PROOEMIVM.

Nominis acquirendi cupiditas innata omnibus,

NOMINI acquirendo studet, quidquid hominũ adhuc retinet aliquam rationem istius nominis. Testatur id congregatum in vnum concilium genus humanum, cuius hæc Genes. 11. v. 4. communis vox est: *Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum; & celebremus nomen nostrum antequam diuidamur in vniuersas terras:* non aliam insanæ substructionis mercedem totque laborum ac sumptuum pretium petit, quàm nominis sui apud posteros notitiam. quæ licet ibi stolidè sit affectata ab imprudentibus; non tamen omnino reijcienda est eius cupiditas, cùm in eodem libro legamus, hanc Abrahamo factam promissionem ab ipsâ Sapientiâ, Genes. 12. v. 2. vbi Patriarchæ dicit Dominus: *Magnificabo nomen tuum, erisq́ benedictus.* & reputauit id Abraham totaque eius posteritas non exiguum fidelitatis atque aliarum virtutum prẹmium, quòd ita benediceretur. Qui enim signauit super nos lumen vultus sui, lumini calorem addidit; eum scilicet, quo ipse, ad zelum vsque & feruorem succensus, nominis sui vel propagandi vel propugnandi, est

oritur ex ipso lumine rationis,

studiosissimus. qui calor cùm ab ipsâ rationis face accendatur, quam excitat cupiditatem, eam & maximè rationalem, &, quod inde sequitur, honestissimam generosissimamq́ue solemus appellare. Atq; hinc ortum est obsequiorum omnium gratissimum & maximum, quod rationalis creatura cuipiam potest impendere; vt quem videt honestis atque heroicis factis ad laudem grassari, ei studeat, nomen ipsius celebrando, quasi manum porrigere, & tenebris extractum famæ tradere, quæ eum deinde publicâ gloriæ luce circumfundat. Hæc est obsequiosissima seruorum conspiratio, vt non tantùm obiectu laterum à præsentis vitâ domini, sed etiam verbis ac calamo à nomine absentis omnem iniuriam prohibeant. Vel à vitio, quod omnem virtutem insequitur, discere licet, quanta esse debeat gratia hoc obsequij genere rectè vtentium: nam adulatores tantum vbique inualuerunt, vt iam tamquam vir prisci sæculi ac nimis seueræ Philosophiæ sectator negligatur, ac etiam sæpè rideatur, si quis non nouit fucatis quibusdam improbissimè mentientium delicijs virtutem effeminare, & vel à factis improbis nomen potentium celebrare. Fecit sæpè, fateor, ista tam nequiter parta ab hominibus vilissimis

estq́, proinde honestissima:

hinc maximum seruorum obsequium est, propagare nomen domini sui:

quo adulatores tam peruersè vtuntur, vt ferè suspectam reddant eo benè vtentium fidem.

vilissimis apud Magnates gratia, vt, cùm calamum sustulissem, iustissimè verissimeque per amplissimas Domini mei Philippi Quarti eiusque germani fratris Ferdinandi laudes decursurum, eum rursus deponerem, timens, vt tanta veritatis lux tam exiguo calami mei vibrata radio satis offusas ab adulantibus tenebras vinceret; néve fieret, vt, cùm multi sceleratissimos etiam Principes celebrandos sibi desumant, ego, si optimos laudauissem, adulatoribus istis solâ mentiendi formidine & materiæ felicitate maior, vix eò veritatem promouerem, quò ipsi mendacia prouexerunt. Quòd tamen scirem nominis celebrandi obsequium tam esse gratiosum, ad nomen eius laudandum me conuerti, cuius vel vnicum apicem Principes isti omnibus suis titulis præponerent; quodque desiderant supra omnia facta sua gloriosissima decantari, humili mancipatu nominis MARIÆ professi, nihil se nisi in eiusdem nominis virtute perfecisse. Vnde fit, vt non possim nomen B. MARIAE Virginis celebrare, quin simul facta eorum insignia laudem, saltem in causâ quam ipsi fatentur præcipuè eorum effectricem. Ne autem, posteaquam scio quàm frigidè de Dominâ meâ eiusque hierarchico principatu discurrissem, nomen hoc attingere reformidarem, animos suggessit Senensis Bernardinus Tom. 3. Serm. 2. dicens: *Quia* MARIAM *vt meretur non possumus laudare, saltem nomen eius extollere procuremus.* Non quòd facilius putem dignum quid afferre tanto splendore nominis, quàm æquale sublimitati maiestatis, *cùm de gloriâ nominis huius nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, nec erudita possit locutio parturire*; sed quòd satis fuerit, à bono aliquo auctore impelli, quò sponte animus propendebat. Accedit & istud Philonis lib. de Decalogo, quòd *semper nomen rem tamquam vmbra corpus sequitur.* Lassus ergo rem ipsam tam longè supra vires meas positam sequendo, tandem ad vmbram eius perueniens, illic statui quiescere, vt dicere possim, *Sub vmbrâ illius*, quam *desideraueram, sedi*; sperans, quòd fiet *fructus eius dulcis gutturi meo.* Ita fore persuadet, qui eum degustauerat, S. Bernardinus Senensis Tom. 2. Serm. 49. *Per nomen Domini* (inquit, idem est de Dominâ) *peruenitur ad rem nominis.* Rem hanc toto hoc volumine, imò totâ vitâ quæsiuimus, vt nimirum Deipara sit nobis MARIA, id est Domina; nos verò eius famuli, serui, atque infimo obsequiorum genere mancipia; cùm in familiâ eius nemo possit ascendere, nisi qui sponte descenderit, ac statim, qui infimum locum elegerit, iubeatur primum occupare. Rem hanc omnium optatissimam, per nomẽ sanctum tuum te oro, Virgo Deipara, concede huic mancipiorum tuorum infimo; & simul gratiam impetra, vt non omnino indignè de nomine sancto tuo sermonem instituat: quod post Hierarchiam MARIANAM vti molirer ad extremum, auctor fuit Hierarchicus Doctor, qui postquam de Cælesti atque Ecclesiasticâ Hierarchiâ, id est, de sacro Dei in cælo terrâque imperio discurrisset, tandem scripsit de Diuinis nominibus; vt intelligeremus nominum, quo tantus Hierarcha compellandus est, dignitatem. Etiam non parum me mouit ista ratio, cur nomen MARIANVM in hierarchico eius opere celebrarem; quòd ipsa totam hanc dignitatem, quâ rerum omnium Domina constituta est, obtinuit occasione profundissimæ humilitatis: quâ virtute cùm maximè studuerit nomen suum abscondere, nostrum è contrario est, qui inde sumus ad mancipiorum eius dignitatem euecti, illud quà ingenij ceterarumque facultatum patiuntur vires, celebrare. Restat, vt quâ possum animi demissione inuocem nomen Dominæ, vt mihi concedat rem eam nominis sui, quâ illuminationem significat, vt in lumine isto fidei videam lumen, ne mens aut calamus aberrans à viâ, quam signauit nobis Ecclesia rectè sentiendi regulam, indignum quid proferat nomine isto, cui laudando totus hic labor impenditur: diuino ad hoc radio opus est ab isto nominis MARIANI sole; quem suf-

Hinc nomen Dominæ celebrandum sumpsi,

maximè quia ipsam infra dignitatem celebraui,

& quòd nomen eius sit vmbra, sub quâ quiescendum.

Cant. 2. v. 3.

Mouit etiam S. Dionysij exemplum,

& Virginis Deiparæ humilitas:

eius inuocatio,

susceptum exiguâ ingenij mei face, per hasce deducam humani discursus semitas: vt primò agam,

& discursus distributio.

CAPVT PRIMVM.

Quid ista vox nomen *significet.*

CVM de nomine tota futura sit disputatio, interrogare sub initium, quid significet, & vnde dicatur nomen, non erit hîc quæstio de nomine: in tot namque significationes vocem hanc diuisit loquendi vsus, vt difficile sit intelligere, quâ de re agatur, cùm de nomine Virginis sermo instituitur, nisi præmissâ hac distinctionis face.

Nomen significat Primò, articulos debitorum, debitorem, debitum, & etiam creditum:

In primis, teste Budæo, nomina dicuntur capita, vel (vt hodie loquimur) articuli rationis argentariæ, in quibus descripta sunt nomina debitorum, quibus pecuniæ expensæ feruntur. Cic. 3. Verr. *Satis te elapsurum omni suspicione arbitrabare, si quibus pecuniam credebas, iis expensum non referres? neque in tuas tabulas vllum nomen referres, cùm tibi tot nominibus acceptum Curtij referrent? quid proderat tibi expensum illi non tulisse?* Aliàs nomen accipitur pro ipso debitore. Columel. lib. 1. cap. 7. *Vel optima nomina non appellando, fieri mala fænerator Alphius dixisse verissimè fertur.* Seneca 5. de Benefic. cap. 22. *Segnes & tardi, lenta nomina, non mala.* & Cicero in Epist. *Ego sum assecutus, vt bonum nomen existimer.* Sæpè pro ipso debito nomen ponitur. Cic. ad Attic. lib. 16. *Nomina mea per deos expedi.* Aliquando etiam pro ipso credito ponitur. Cic. pro Quintio: *Cùm æris alieni aliquantum esset relictum, quibus nominibus pecuniam Romæ curari oportet*, &c. Atque hæc sit prima nominis significatio.

Secundò, famam & gloriam, atque his similia:

Secunda spectat ad famam & gloriam, eò magis mancipiis notanda, quòd etiam seruorum sit, famæ & gloriæ Dominæ suæ impensè studere. Ponitur ergo *nomen* pro decore, gloriâ, famâ, existimatione, prædicatione & sermone hominum, multiplici & variâ iterùm significatione. Suppetunt exempla sacra & profana. Ex profanis est illud 2. Æneid.

Auulsumq; humeris caput, & sine nomine corpus.

& illud eodem in libro:

— Et nos aliquod nomenq; decusq; Gessimus. ——

item Ouidij 10. Metamorph.

— Magnum & memorabile nomen.

Ex sacris habes Prouerb. 22. v. 1. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* hinc etiam nominari, pro celebrari, dicitur ad Ephes. 1. v. 21. *Supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* & Hebræis tritum est vocare *viros nominis*, eos quos nos famâ inclytos diceremus.

Tertiò, gentem & sobolem:

Tertia nominis significatio gentem vel sobolem notat. Gentem apud Virgilium: *Nostrumq; in nomen ituras*, Sobolem in Scripturâ, 2. Reg. 14. v. 7. vbi Thecuitis Dauidi dicit: *Quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, vt non superſit viro meo nomen*, id est filius. Et rursum apud profanos Scriptores inuenies nomen Iuli pro eius filio positum. Martialis lib. 6. de filio Domitiani ait:

Nascere Dardanio promissum nomen Iülo,
Vera Deûm soboles, nascere magne puer.

In hac significatione licet aliquando nomen Dei, Filium Dei interpretari; & certè eum semper nomine isto ineffabili, quod tantâ erat apud Iudæos in veneratione, significatum fuisse, non paucorum est sententia: ita nomen Virginis significare posset Filium Virginis IESVM; quo nomine nihil adorandum magis.

Quartò, potentiam, robur, virtutem:

Quartò, nomen aliquando significat potentiam, robur, seu virtutem. Ita quotidie nos signantes dicimus: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* hoc est, in virtute Patris ordior hoc vel illud opus.

Quintò, auxilium & protectionem:

Quintò, significat auxilium & protectionem. Ioan. 17. v. 11. *Pater sancte, serua eos in nomine tuo*; hoc est, serua eos sub tuâ protectione & tutelâ.

Sextò, causam:

Sextò, ponitur nomen non rarò pro causâ.

causâ. Cicero de Amicitiâ: *Ab amicitiâ Qu. Pompeij meo nomine se remouerat, vt scitis, Scipio.* Cæsar 3. Belli Gall. *Odisse etiam suo nomine Cæsarem & Romanos.*

Septimò, ipsum hominem.

Restat alia significatio, quæ nisi accuratè à propriâ & vulgari distinguatur, parere potest plurimum confusionis; distincta autem etiam augebit deuotionem: ponitur enim sæpissimè vox hæc *nomen* pro ipso homine, credo propter vicinitatem, quòd significet eam vocem quæ vbique pro homine supponitur. Testimonia vbique reperiuntur. Apocal. 3. v. 4. *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua. Nomina*, inquit S. Ambrosius, *dixit pro viris nominatis & famosis ob eximiam virtutem; qualis est, inter malos esse bonum.* Tibullus in Eleg.

—Nec fidum femina nomen.

Horatius:

— Pater ô relictum
Filia nomen. ——

& de Deo Deuter. 18. v. 5. *Ipsum elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, vt stet, & ministret nomini Domini*, hoc est, ipsi Domino. & Psal. 5. v. 12. *Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum*; hoc est, qui diligunt te. Sed quid auctoritates congero, cùm dicamus quotidie, *Sanctificetur nomen tuum?* id est, fac vt ipse, ô Deus, ab omnibus vt sanctus colaris & celebreris, tuaque maiestas & sanctitas ab omnibus item colatur & celebretur.

Etymologia nominis.

Atque hæ omnes sunt significationes vocis huius impropriæ: vt autem perueniamus ad propriam, indagandum est, an etymologia nihil dare possit subsidij. Sunt enim, inter quos Festus, qui nomen quasi *nouimen* dictum autument, quòd res per id noscatur: at meliùs Cyrillus Dialog. 4. à *notamine* deriuat. & S. P. noster Augustinus lib. de Genes. ad litteram cap. 6. ait: *Nomen appellatur quasi notamen, quòd rem notet.* Non enim nomen explicat quid res sit, quod definitione perficitur, sed eam notat siue significat. Quod clarius erit, vbi habebimus nominis definitionem, eiusdemque accuratam ex-

Definitio nominis.

plicationem, per quam mox veram eius significationem indagabimus. Cicero definit: *Nomen est, quod vnicuique personæ attribuitur, quo quæque suo proprio & certo vocabulo appellatur.* Nomen ergo est vox quæ substituitur pro eo, de quo quid dicitur; vel Philosophico loquendi & speculandi modo, nomen est hoc ipsum quod nominatur, non secundùm esse illud quod habet à parte rei, quodque accepit à causis suis etiam physicè efficientibus, sed secundùm esse quoddam quod habet ab ore vel intellectu eam intentionaliter in se causantibus. Curiosæ sunt hæc Philosophiæ mysteria, sine quibus ægrè peruenire licet ad sanctissimum illud nominis MARIANI arcanum, quod hac scriptione imus reuelatum, vt in nomine eius omne genu flectatur.

Intelligentium perfectio est, fieri omnia:

Notandum ergo cum Philosophis, non curiosè magis quàm subtiliter, rerum intellectu & ratione vtentium, quantum ad eam ipsam facultatem attinet, vel (quemadmodum ipsi loquuntur) intellectualium vt sic, perfectionem in eo consistere, vt ipsæ in substantiâ suâ simplices & indiuisæ, fiant quidlibet: quâ re videntur ad Deum accedere, eique quadam ratione assimilari. *Deum* enim, vt inquit Doctor Hierarchicus de Diuinis nominibus cap. 5. §. 5. *cuncta participant, & à nullo entium recedit; & ipse est ante omnia, & vniuersa in ipso consistunt; & simpliciter, si quid quomodolibet exsistit, in ipso præ ente tum est, tum intelligitur, tum saluatur.* Huius perfectionis assimilationem appetere videtur omnis creatura rationalis, in eâque ponere non exiguam suæ felicitatis portionem. Consistit autem in eo assimilatio, vt quæque earum sit per se mundus quidam perfectissimus, & in quaque cernatur tota rerum vniuersitas. Sic, exempli gratiâ, vt omnes sint in me, & ego in omnibus, ac consequenter omnium essentiam ego contineam, & singulæ earum meam, proindeque illæ me & ego illas amplectamur arctissimo quodam vinculo vnionis; per quam ita admirabiliter multa conflentur in

vnum, vt neque multitudini vnitas, neque vnitati numerus contradicat; sed sit quædam arctissima vnitas diuersorum, & simul inconfusa diuersitas vnius. Vt cùm ordine pulcherrimo recreet oculos explicata diuersitatis multitudo; in eâ tamen ipsa emineat, & quasi lenocinetur luminibus, posita in Regali solio maiestas vnitatis: per quod creatura quàm potest proximè æmulatur factorem suum, qui in distinctâ personarum Trinitate retinet vnitatem naturæ; & in tantâ perfectionum incomprehensibilium varietate, persistit in perfectissimâ simplicitate essentiæ. Aduertens autem natura, quòd consisteret in multiplici istâ vnitate & vnitâ diuersitate rerum perfectio, sagaciter prouidit (naturantem intelligo; sine quâ non est prouidentia) modum quo perficeretur admirabilis ista vnio: vt nimirum res, præter esse illud reale, ac quasi rude crassumque, haberent aliud quoddam esse dilutius ac subtilius, quod intentionale dicimus: vt, cùm primo existendi modo non sint nisi vno certo in tempore & loco, secundùm hoc spiritualius esse possint & multa vno loco sine confusione consistere, & vnum item vno eodemque tempore multis in locis. Rem oculis cernere licet in speculis, quando res vna multoties à diuersis effingitur, & inde toties varia sine confusione ad oculos venit, & ab illis animæ offertur. Existunt ergo res omnes non tantùm physicè à parte rei, sed habent prætereà esse quoddam intentionale, de quo iam diximus; quod non ab animâ tantùm & oculis intelligendo & videndo, sed ab ore etiam loquendo efformatur; suntque idem in esse isto intentionali, quod sunt à parte rei. Idem dico repræsentatiuè & intentionaliter, quamuis modo existendi diuerso: nam à parte rei habent esse re verâ firmum quoddam ac permanens, in ore autem vel intellectu tantùm repræsentatiuum, mobile, & à leuitate ipsius dependens. verbo, physicè sunt res ipsæ intentionaliter tantùm imagines & vmbræ rei; imagines tamen quæ vicem gerunt rerum, & pro iis substituuntur: vnde iam clara est Aristotelis lib. Peri herm. cap. I. doctrina, quòd nomen sit imago siue repræsentatio rei nominatæ, vel personæ quæ nomine significatur. Iam notandum, duplicis generis formari à nobis nomina, seu duplices nos formare rerum imagines. Vel enim mente hoc facimus, & oritur imago naturalis; vel ore, & prodit artificialis: hanc ordinariè per nomen intelligimus, licet prior illa magis propriè sit nomen & imago rei. Nos hîc de posteriore agimus, quòd interna ista ostendi non possit, & spiritualior sit quàm vt cultu aliquo externo adoranda proponatur.

quod assequitur per esse rerum intentionale:

quale illud sit,

& quotuplex:

CAPVT II.

Vnde nominibus sit vis significandi.

HISCE satis explicatum suppono, quàm varia vox ista ***nomen*** significet, & quâ significatione sumam hîc, quando disputo de sanctissimo MARIÆ nomine: in posterum ergo de nomine vel nominibus loquens, non de voce ***nomen***, sed de significato eius, seu de nominibus rebus impositis agam. De quibus hæc primùm occurrit quæstio, instituto nostro non tantùm apta, sed etiam necessaria: vnde nominibus vis significandi insit, an naturaliter quibusdam ea insit, an tota sit ab arte & instituto. Circa quam rem prorsus admiranda est quorumdam aliàs non pessimè philosophantium simplicitas: nam sunt qui seriò opinantur, hominem naturaliter, si nullo idiomate imbueretur, aliquo vsurum sine magistro aut disciplinâ; idque putant vnum aliquod esse, in quod omnes conspirarent qui procul à vocis humanæ auditu educarentur: existimant ergo, si consequenter speculentur, vel rebus agnata quædam esse nomina, ita naturæ earum congruentia, vt simul ac illæ oculis, hæc menti offerrentur, si eæ non forent aliis nominibus præuentæ: vel certè vim eam inesse intellectui nostro, vt singulis dare possit nomina ita apta, vt nihil possit excogitari conuenientius. Nisi enim vel alterutrum, vel potiùs

Non sunt vlla rebus agnata seu connaturalia nomina:

tiùs vtrumque ſtatuamus, non video, quomodo ab inſaniâ defendemus opinionem aſſerentium, quòd omnes naturaliter conſpirabunt in eaſdem voces. Qui conſenſus nullâ ratione eſſe poteſt, niſi ſit aliquod perfectiſſimum, quò omnes pertingant: nam ſi admittatur latitudo quædam, vt aptius dici poſſit, quàm tu hoſce autodidactos affirmas eſſe dicturos; iam non erit, cur hoc potiùs quàm illo modo omnes à perfectiſſimo aberrent. Similem me cerebellis iſtis putarem, ſi operoſiùs ſtoliditatem eorum dicam potiùs, quàm opinionem, impugnarem: per quam via latiſſima, &, ſi conſequenter loqui velint, certiſſima ſternitur omni illi ſuperſtitioni & inſaniæ, quâ quidam à fide aberrantes nominibus miram vim ac poteſtatem contulerunt. Neque opus eſt, vt tam pueriliter operam ſuam inſumant pueris in ſolitudine per beſtias educandis, vt tandem audiant quid primùm ſint prolocuturi; cùm mediis in oppidis ſatis multi educentur qui eos docere poſſunt, quod tanto labore tantâque inhumanitate quærunt in ſiluis. Quot enim ſurdi à natiuitate naſcuntur, eos omnes experientia docet mutos quoque exiſtere; non vtique defectu organi, aut propter linguæ impedimentum (cùm plerique eorum voces inconditas & clamores inſulſos quàm celerrimè & quàm altiſſimè edant) ſed defectu ſcientiæ: quòd enim rerum nomina à nemine audiuerint, neſciunt linguam ad ea formanda inflectere. Conceſſero tamen facilè, ſi duo vel plures ita educarentur extra hominum ceterorum conſortium, quòd paulatim ipſi inter ſe idioma formarent, quo res plurimas inditis à ſe appellarent nominibus. Patet ex eo, quòd ſurdi & muti inter ſe aptiſſima quædam ſigna inueniant, atque de iis conueniant, quibus cõceptus ſuos exprimere poſſint: quantò magis inſtinctu quodam naturali, ſi organum loquendi vel audiendi non haberent impeditum, ipſi compendij causâ vocibus quibuſdam inderent vim eam ſignificandi, quam iam ſignis tribuunt, iiſque paſſim vterentur? Sed quis non videt, voces eas non naturaliter, ſed ex inſtituto ſignificaturas id quod ipſi vellent? Affines errori iam dicto ſunt alij, qui in Scripturâ legentes Geneſ. 2. v. 20. *Appellauitq; Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cæli, & omnes beſtias terræ*; & paulò ſuperiùs, *Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius*; mirè aſſurgunt ad nominum vim proprietatemque extollendam, tamquam iis aliquid naturaliter inſit quod cum re ipsâ conueniat, habeatque quamdam cum eâ ſympathiam: quam ab Adamo obſeruatam fuiſſe, putant hîc à Scripturâ indicari, cùm nihil minus ex eo loco colligi poſſit. Imò ſi conſiderare quis velit, aduertet, Adamo, antequam imperioſâ iſtâ actione perfungeretur, à Deo infuſam fuiſſe perfectiſſimam idiomatis, quo ipſe vſus eſt, ſcientiam: quâ informatus, conſideratâ ſingulorum animalium naturâ, propenſione, viribus, formâ aut prærogatiua, fingeret ex idiomate, quod iam callebat, nomen aliquod, quo aptè ad ea quæ iam dixi alluderet, itaque videret quid vocaret ea; non exprimens totam ſingulorum animantium naturam (quod fieri nequit) ſed alludens ad aliquam vel aliquas proprietates, ab eâque nomen formans, quo deinceps talem animalium ſpeciem ſignificatam volebat. Sic intelligenda verba Procopij dicentis: *Adam non ſine ſingulari prudentiâ & ſolertiâ, quam à Deo accepit, nomina dat creaturis, quæ ipſarum ſubſtantias quaſi in ſpeculo repræſentent.*

Marginalia: *nec homines procul ab hominum conſortio educati vllo idiomate loquerentur,* — *niſi eo quod fortè paulatim inter ſe formarent.* — *Adamus callebat ſuum idioma antequam rebus nomina imponeret.*

Notandum autem, niſi antè formatum fuiſſet idioma, quo animæ paſſiones, actiones corporis & motus, cetera-que multa iam ſua habuiſſent nomina, quòd non potuiſſet Adamus vti tantâ in imponendis nominibus prudentiâ: quæ in formando nomine aliquo primigenio nulla poteſt eſſe, niſi fortè per onomatopœiam imitando ſonum, aut minuta quædam in litteris collocandis ſolertia. Totum ergo in quo hîc elucebat Adami prudentia, vel ab etymolo-

mologiâ petendum est, vel ab aliis quibusdam obseruationibus litterarum, quæ significationis proprietatem adiuuant ex similitudine vel contrarietate cum aliis vocibus. quod ideò non est negligenter considerandum, quòd posteà multis agemus de Dei in MARIÆ nomine ex etymologiæ ratione imponendo prudentiâ. Confirmat quæ diximus Rupertus Abbas lib. 2. c. 24. vbi ait: *Videlicet singulorũ considerauit naturas, & ex qualitatibus diuersis diuersa formauit vocabula; vt, verbi gratiâ, Latinus caballum à cauando nuncupat, asinum ab asidendo, percum quasi spurcum, eò quòd spurcus sit, & canem, eò quòd canorum continet venando latratum, & multa huiusmodi. ita nimirum ille in linguâ primitiuâ, quæ, factâ diuisione linguarum, in gente remansit Hebræâ, nomina formauit singulorum, consideratis proprietatibus naturarum.* Occurrit verò notandum, vti in intellectu quandoque formamus imaginem, quæ multis rebus sit similis, quandoque vnius tantùm rei in particulari; quòd ita sæpè vox formetur quæ rem significat prout similis est multis, & hæc sunt nomina generalia seu vniuersalia; quandoque quæ eam significat prout est distincta ab omnibus aliis, & hæc sunt nomina propria. Iam vt in nomine proprio imponendo eluceat prudentia & cognitio quam imponens habet de re, oportet vt deriuetur ab aliquo vocabulo quod significet multas, aut saltem signatam aliquam qualitatem, quæ in re, cui nomen imponitur, emineat. quamuis hoc nullâ ratione sit necessarium, vt nomen verè significet eam personam, ad quam significandam imponitur: tam enim vox *blictri* significaret equum quàm vox *caballus*, si ad eum significandum assumpta esset, quamuis non ingereret illam cauandi proprietatem; & *scindapsis* verè significaret pisonem, si ad hoc instituta fuisset, quamuis non alluderet ad pisa plantandi scientiam. Vnde sequitur, licet MARIÆ nomen, vt posteà ostendemus, plurimas habeat deriuationes aptissimas ad significandum Deiparæ proprietates; potuisse tamen assumi ad eamdem significandam quoduis aliud vocabulum, quod non haberet ad istas significationes allusionem. Nihil enim inest vocabulis per se sumptis, cur non æquè hoc quàm illud possint significare. At, præsuppositâ, vti dicebam, linguæ alicuius proprietate, iam locus est prudentiæ, vt aptè cuipiam nomen imponatur; ac proinde non omnium promiscuè officium rebus nomina dare: quorum autem hoc sit, iam inquiremus.

Nominum alia sunt communia, alia propria.

In quo spectetur prudentia imponentis alicui nomen proprium.

CAPVT III.

Ad quos spectet rebus imponere nomina.

CVM nomina distinguantur in generalia & particularia, aliter de horum quàm de illorum impositione est statuendum: nam generalia nomina formare pænè philosophantium est, particularia autem rebus imponere, dominorum. De generalibus quod dixi, patet. Cùm enim Philosophorum, & maximè Logicorum, sit diuidere & coniungere; eorumdem erit, rebus, prout ipsas vel distinxerunt ab alijs, vel coniunxerunt, sub vnâ formalitate aut conceptu nomina dare, vt deinceps possint de ijs sine confusione discurrere. Oppones, cuiusque esse, in suâ arte fungi hoc distinctionis munere; nec Medicum egere Philosopho, vt medicinas & morbos; minùs Astrologum, vt sidera eorumque influentias distinguat, eisque nomina imponat. Quibus facilè respondetur; neque Medicum, neque Astrologum, nec vllum omnino artificem posse ingredi artis suæ penetralia, nisi vtatur hac omnium scientiarum claui, quam Logicam vocamus: ipsumque quà diuidit & coniungit, esse Logicum; quà verò in hac vel illâ materiâ hoc perficit, esse huius aut illius scientiæ professorem. Sed satis de his. Ad particularia venio, quibus nomina imponere Dominorum esse dicebam. Ita Dauid explicaturus Dei in stellas dominium: *Qui numerat*, inquit, *multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina*

Communia nomina fabricare, est Philosophorum.

propria imponere, Dominorum.

mina vocat, Psal. 146. v.4. Nabuchodonosor, seu eius præpositus eunuchorum, potestatem suam in tres pueros Hebræos, Ananiam, Azariam & Misaëlem ostensurus, vocauit eos Sidrach, Misach & Abdenago, & Danielem vocauit Baltassarem. Et Adamus, in signum dominij sui in bestias & volatilia, eis imposuit nomina, Genes. 2. v. 20. cuius augustum dominium suum in hac actione prodentis speciem loco probationis habes ex Fernandio, qui dicit, hoc Moysen Bar-cepham aliosque monumentis suis tradidisse. Considebat, inquit, Adamus vti regio throno in editiore quodam loco paradisi, vnde ad illa longè lateque patentium amœnitatum nemora patebat prospectus: fortè cælestium orbium situ, magnitudine ac mirabili specie oculos mentemque pascebat, & inde altiùs in contemplationem summi rerum omnium creatoris euectus, sui nescius, Dei totus amore delinitus tenebatur, cùm subitò ex omnibus terræ plagis concursus fit animantium. Erat Adamus augustâ facie, diuinitus splendente vultu, regiâque maiestate venerandus (qualis fulgor ex Moysis ore legitur emicuisse) deinde attollens altiùs vocem, vt longissimè audiri posset, animantia proprijs nominibus suo cuique speciei indito compellare cœpit. præcessit, verbi gratiâ, leo bestiarum principatu gloriabundus, non tam caperatâ, vt modò se ostentat, fronte horribilis, diffusis tamen per colla iubis, conditis intra vaginas acuminatis vnguium mucronibus, suppresso oris hiatu & rugitu, placidè capite demisso Adamum auscultans, nomineque suo audito, supplex præteriuit. sic belluarum maximus elephas, carneâ illâ mole, portentosâ dentium magnitudine, & insanâ proboscide spectandus, audito suo nomine venerabundus illicò discessit. Ecce tibi accedit equus, gloriæ ac triumphis natum animal, agglomerato pedum gressu, quasi ad studium & certamen Olympicum se accingens, argutum caput erigit; pronuntiari se proprio nomine audit, & submisso deinde capite, regium Adami

Quantâ cum maiestate Adam animantibus nomina imposuerit.

vultum augustiore quadam maiestate præfulgentem rectis oculis intueri non ausus, recedit. Similiter de tauris, tigribus, pantheris, deque serpentibus atque alijs omnibus terræ animantibus philosophandum est. Videre etiam erat, arboribus, plantis, herbis ac floribus paradisi infinitam auium multitudinem insidentem, arrectis, suspensis mutisque auribus suum cuique proprium nomen ab homine pronuntiandum exspectare. nominatus ergo proprio nomine pauo, pennarum diuersicolorum pulchritudine gestiens, gemmantes caudæ oculos expandit ad solem, nictantia cæli sidera in duellum de fulgore deque venustate prouocaturus. ad hunc modum reliquæ auium species suis auditis nominibus, capite submisso supplices, & voce in cantum modulatâ, velut gratiam homini habentes, ad consuetas nemorum sedes iterùm deuolarunt. Hæc Fernandius. Quibus conclusionem subnectit S. Chrysostomus Homil. 14. *Vidisti, inquit, consummatam potentiam? vidisti dominij auctoritatem? perpende cum alijs etiam hoc, quòd & leones, & pardi, & vipera, & scorpij, & alia etiam illis truculentiora ad Adamum quasi dominum omni cum subiectione accesserunt.* & paulò pòst: *Omnia ferocia perinde ac mansueta seruitutem agnouerunt & dominium; id quod monstrat manifesta nominum impositio.* Non poterat vllo discursu probari clariùs, domini esse nomina dare. *Est enim*, vt ait Procopius, *domini suis iumentis & possessoribus ponere nomina.* & Moyses Bar-cepha Comment. de Paradiso p. 1. cap. vlt. *Penes quos est rerum quarumdam dominium, ij quibus volunt nominibus res eas censent; sicut possessor ea quæ possidet.*

Nec opponas, quòd non singulis, sed speciebus tantùm nomina indiderit Adam: hoc enim signum est amplitudinis ac diuitis dominij; pauperis enim est numerare pecus. Adde, quòd hanc possessionem non tanti faceret, vt ita particulari curâ ei intenderet, quam reseruabat meliori possessioni, mulieris & filiorum: ideò enim adducebantur

Cur speciebus tantùm & non singulis indiuiduis nomina dederit Adam.

 ad

ad eum animalia omnia, vt videret, an in ijs esset aliquod adiutorium simile sibi, quod inde seligeret, ac particulari ratione suum efficeret, eique de nomine suo nomen imponeret. Perlustratis enim sedulò animantium omnium naturis & affectionibus, nec Deus ipse conditor nec etiam Adamus inuenerunt in ijs adiutorium simile homini. dicitur namque: *Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius.* Non enim aut facie, aut loquendi facultate, aut staturâ compositioneque membrorum simile quid sibi reperit Adamus, quod nimirum homini esset ad vitæ societatem, & ad commercium coniugale prolisque propagationem, adiutorium simile & congruum: ideoque nomen suum nemini communicauit, quod postea fecit Heuæ, vocans eam viram seu viraginem pro nomine sexus, dans præterea ei nomen proprium personæ. Signum est enim non tantùm dominij, sed etiam curæ amorisque herilis, quando rei cuipiam indiuiduæ imponit nomen: ita videmus pastorem, si quam ouiculam habet in delicijs, ei imponere nomen: ita patremfamilias fidæ canum custodiæ dare nomina: ita denique Principes, qui equis delectantur, nomine suo quemque cognoscere; vt etiam iam Bucephalus Alexandri, Castoris Cyllarus, & Citatus Neronis, & apud nostros Bauicca magni Cid, magnam acceperint ex nomine suo famam, nominenturque ac celebrentur apud posteros. Ex hoc scilicet amore & curâ fluxit illa communis gentibus omnibus consuetudo, solemni aliquâ cærimoniâ pignoribus suis charissimis imponendi nomina: cumque parentes optent filijs suis omne bonum, bonorumque mortalium summum, ac hominum proprium, sit honor & gloria, quæ per nomen cuiusque debeat celebrari; sæpè particulari studio solent seligendis nominibus incumbere.

Genes. 2. v. 20.

Etiam amoris signum est, dare alicui nomen proprium.

CAPVT IV.

Quando & à quibus soleant infantibus nomina imponi.

SOLENT omnes circa vitæ suæ principia esse curiosiores, atque indagare accuratiùs, quo anno, die, horâ, atque etiam quonam horæ momento in lucem prodierint; deinde hoc etiam magni referre existimant, quibus parentibus, auis ceterisque maioribus sint progeniti; quòd hæc vel ad indolis bonitatem, vel, ex astrorum conceptionis aut natiuitatis tempore micantium influentiâ ad vitæ felicitatem plurimum conferre videantur. Quam curiositatem, modò ad superstitionem non inclinet, vti non damno, quòd omnibus innatus sit quidam sciendi, id est, causas principiaque rerum indagandi amor; ita nec improbari volo studium paulò diligentius de tempore imponendi nomina, eorumque impositionibus, disputandi. Ego enim sic statuo, triplicem vitam esse, quam viuere mortales possumus ac debemus: prima caduca & fragilis est, multis obiecta periculis, obnoxia morbis ac doloribus, morte acerbâ post exiguum temporis spatium terminanda; ea scilicet ad quam à parentibus in lucem edimur, cuius scilicet diem natalem tantâ cum lætitiâ & plausu celebramus. Altera diuina est atque immortalis, libera curis, secura à periculis, omni voluptate & gaudio circumfusa, perpetuâ duratione ipsi æternitati coæquanda; ad quam nos virtus solet, obstetricante diuinâ gratiâ, per mortis, veluti partus, dolores in felicitatem perpetuam procreare; atque huius dies natales videmus à Dei Ecclesiâ quàm studiosissimè obseruari. Tertia vita inter has media, neque tam vilis est atque prior illa, neque tam sublimis atque hæc posterior; ea nimirum quâ gloriæ & famæ, mortali quidem, non tamen ante mundi dissolutionem interituræ, nascimur, viuimusque vitam supra mortalem hanc conditionem pænè innumeris priuilegijs exaltatam: nam cùm illa vni affixa sit loco,

Triplex est hominum vita, naturæ, gratiæ, famæ.

loco, hac, de quâ agimus, vno eodemque tempore orbem quà patet vniuersum, felicibus subuecti gloriæ pennis, peruagamur: cùm illa exiguo duratura sit tempore, hac æuum viuimus omne, quo mortales terræ dabit alterna nascendi moriendique vicissitudo. Atque huius vitæ natalem diem illum ego existimo, quo primùm inter mortales nominamur, nomenque ipsum esse totius vitæ huius fundamentum: quod paulatim studijs liberalibus atque honestis artibus nutritum incrementa sumit, ac tandem heroicis operibus confirmatum, ad vtramque solis domum se extendit. Huius vitæ natalem, quo scilicet nomina imponuntur, *nominalia* vel *nominum solemnitates* Tertullianus appellat lib. de Idololatriâ cap. 16. Erat dies hic apud Romanos pueris nonus, puellis octauus à natiuitate: quod cur ita factum, disputat Plutarchus eâ super re ex professo institutâ quæstione. quamquam nihil fuerit apud eos perpetuò hac in parte obseruatum: nam Antoninus Philosophus, teste Iulio Capitolino, *primus iussit apud præfectos ærarij Saturni vnumquemque ciuium natos liberos profiteri, intra tricesimum diem nomine imposito.* Valerius pueros ante virilem togam, puellas ante nuptias nulla habuisse nomina confirmat. Plura de hoc ritu tractat Festus Pompeius lib. 10. & Alex. ab Alex. lib. 2. Gen. dierum, cap. 25. Apud Græcos, teste Aristotele, septimo die, vel, vt Suidæ placet, decimo nomina imponebantur, fiebantque pro puero sacrificia; & vocati ad conuiuium puero atque puerperæ dabant munera; ac puer Ceteri & Libero initiabatur. Sed non est quòd gentium ritus recenseamus, cùm tota hæc augustissimo MARIÆ nomini inseruiat disputatio: cuius si diem impositionis rimari velimus, potiùs ad Hebræorum instituta transeundum. solebant autem hi octauo die peractâ circumcisione nomen imponere, vt clarè patet Lucæ 2. v. 21. *Postquam consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius* IESVS. Hoc de pueris; at de puellis quæ circumcisioni non erant subiectæ, nihil inde nisi opinandi colligitur probabilitas, quòd scilicet in ijs alteram saltem solemnitatem die octauo celebrauerint. Aliò tamen propendet Nicephorus 1. Hist. cap. 7. dum ait: *Postquam puella è materno prodiit loco, MARIAM statim eam nominauit, ænigmate acceptam gratiam declarans.* vbi statim à natiuitate nominatam insinuat. Quem morem Turcas etiamnum seruare scribit Barthol. Georgeniz lib. de Moribus Turcarum. Non improbabiliter statui posse videtur, decimo quinto à natiuitate die Deiparæ nomen fuisse impositum. fundamentum opinandi est, quòd Leuit. 12. v. 2. dicatur: *Si pepererit masculum, immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstruæ, & die octauo circumcidetur infantulus*; at de puellis v. 5. *Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menstrui.* Cùm enim dilatum fuerit in maribus sacramentum legis scriptæ & impositio nominis ad reuerentiam, quamdiu mater erat immunda; ratio exigere videtur, vt similiter dicamus de puellis, eas tempore immunditiæ maternæ neq; sacramentum legis naturæ neque nomen accepisse. Hæc de tempore impositionis nominis MARIANI, incerta quidem, sed ob solam nominis reuerentiam commendanda; cùm de sublimibus & cælestibus etiam pauca imperfectè scire melius sit, quàm de inferioribus multa certò. Ego certè exiguam de Christo & Dominâ meâ Virgine scientiam omnibus Romanorum & Græcorum antiquitatibus censeo anteponendam. & videmus, quanto labore quidam cum blattis tineisque decertent, vt hinc inde aliquod malè fundatum de ijs dubiolum excutiant.

Age ergo, etiam quorum fuerit nomina imponere inquiramus, vt mox perueniamus ad nomen MARIÆ dulcissimum, quò iam dudum aspirat calamus. Ad matrem id pertinuisse sentit Montanus in cap. 7. Isaiæ, ductus non tam auctoribus quàm Scripturæ exemplis: nam à matribus nomina

Huius natalis est dies quo nomen accipitur.

Quando apud Romanos infantibus imposita nomina.

quando apud Græcos,

quando apud Hebræos pueris,

quando puellis.

Cuius sit nomina imponere.

na acceperunt in primis Cain & Abel, Gen.4. v.1. Moab & Ammon, Gen.19. v.37. & 38. Iacob, Genes.25. v.25. vt D.Chrysost. ibi Homil.51. interpretatur; omnes filij Iacob, Gen.29:30.& 36. Phares & Zara, Genes. 38. v.29. & 30. Samson, Iud.13.v.24. Samuel, 1.Reg.1. v.20. Salomon, 2. Reg.12. v.24. Iabes, 1.Paralip.4. v.9. Christus Dominus, Isaiæ 7. v.14. iuxta Hebræum; vbi non est, *Et vocabitur nomen eius Emmanuel*, sed, *Et vocabis*, &c. scilicet Virgo conceptura & paritura, vt notat Galatinus lib.3. de Arcanis cap.18. quod tandem clarius exprimitur Lucæ 1.v.31. Ad patrem verò spectasse sentit Pineda in suo Præuio Salomone lib.1.c.16. cum alijs quos citat. neque desunt exempla: nam à patribus nomina acceperunt Enos, Gen.4. v.26. Noë, Gen.5. v.29. Isaac, Genes.21. v.3. Manasses & Ephraim, Gen.41. v.51.& 52. & Gersam & Eliezer, Exod.2. v.22. & ratio id postulare videtur, cùm, vt iam diximus, dominij potestatisque sit actus nomina imponere. Videtur autem filiorum dominium magis patri quàm matri competere: certè paternæ potiùs quàm maternæ potestati filij subijciuntur. Mihi autem cum Mendozâ in 1.Reg. c.1.v.20. potius videtur, neutram in partem determinatum fuisse, ad vtrum parentum ius hoc pertineret, cùm par ferè sit in vtramque partem exemplorum numerus, & aliquando simul vterque parens hoc functus sit munere, vt patet in Ismaël, Gen.16. v.11. & 15. in Ioanne Baptistâ, Lucæ 1.v.60.& 63. in Christo Domino, Matth.1.v.21. vbi etiam Iosepho hoc munus committitur, vt, quà licebat & conueniebat, gauderet veri parentis priuilegijs. Imò fuit, cùm alter parentum vnum, alter alterum nomen imponeret, vt patet Gen.35. v.18. vbi quem Rachel mater Benoni vocat ob dolorem suum, Iacob pater Beniamin nominat ob speratam ei benedictionem. Neque semper parentes hoc fungebantur munere, cùm de Salomone 2.Reg.12. v.25. dicatur, quòd Nathan Propheta *vocauit nomen eius, Amabilis Domino*.

CAPVT V.

Virgini Deiparæ nomen à Deo fuisse impositum.

IAM propiùs ad agendum de Virgineo nomine accedimus. de quo ante omnia inquirendum, quisnam id primùm Virgini dederit: nam veluti frigidâ sub initium aspergere videntur feruorem nostrum, qui obijciunt hoc nomen, quod omni animi affectu deprædicandum suscepimus, non fuisse à Deo reuelatum. Egregia verò, inquiunt, nominis istius dignitas, quòd Deus id femineæ prudentiæ reliquerit, cùm etiam idololatræ Ismaëlis sibi reuelandum putarit, neque illud voluerit Abrahami serui sui prudentissimi iudicio committere; quasi verò non foret prona in errorem femina, nec referret ad Matris Dei gloriam, habere digniorem nominis sui auctorem. An non legis in Genesi, Adamum omnibus bestiis & volatilibus aptissima imposuisse nomina; Heuam verò turpissimè lapsam in nominibus duorum filiorum suorum? nam primum Cain, hoc est possessionē, vocauit, eũ scilicet, qui vanitatis plenissimus nec possidebatur à matre propter studium libertatis, nec possessus rem eius augere poterat; quia nihil in eo nisi fumus vanitatis: alterum verò, recti iustitiæque studiosum, Abelem, hoc est vanitatem, dixit, cùm hunc per mores bonos virtutemque solidam verè possideret, pretiosissimaque eius esset possessio.

Heua grauis error in nominibus imponendis.

Quibus non ita respondebo, vt, quod facillimè possem, Heuam cum Annâ conferam, ac huius prudentiam cum illius stoliditate, huius filiam cum illius filiis componam; ac tandem id conficiam, Heuam, quò propiùs aberat à plagâ mortiferâ generis nostri, eò magis à Deo desertam fuisse, vt per lapsus frequentes agnosceret infirmitatem suam; Annam verò, quò magis accedebat ad plagæ istius remedium, eò magis prudentiâ & sapientiâ illustratam fuisse, vt per diuinam in actionibus suis assistentiam disceret ei confidere, qui per eam ac filiam eius facturus

Heua & S. Anna collatio.

facturus erat salutem magnam: proindeque nihil mirum esse, si illa errauerit, hæc rem tetigerit, quando proli suæ imponebant nomina. Verùm illam ingredi viam non licet; quòd hic mediocribus inhærere, quando ad maiora patet aditus, quodammodò præuaricationis sit genus. quapropter absolutè contra obiectionem statuo; nomen sanctissimum MARIÆ non humanum esse inuentum, sed diuinum mysterium; non ex archiuo aliquo antiquitatis erutum, sed ex thesauris diuinitatis euolutum; non à matre Annâ aut Ioachimo patre excogitatum, sed à Patre eius æterno, qui iam inde ante omnia tempora inter prædestinationis suæ arcana eam vocabat nomine suo, primò vocatum; à Filio, qui Matrem suam totâ æternitate præcedebat, nominatum; à Spiritu sancto, qui Sponsam adornabat, approbatum ac celebratum fuisse. Quâ de re ne cui in mentem veniret dubitare (licet id ratio ipsa satis conuincat) voluit eius, simul atque quidpiam moliebatur, non obscura dare argumenta, & quædam ipsi rerum moli, quam alibi diximus propter MARIAM fuisse constitutam, imprimere symbola.

MARIAE nomen à totâ SS. Trinitate impositum.

Vt ergo inde ordiamur, vnde tota rerum machina suum sumpsit exordium, nónne legis Genes. 2. v. 19. *Quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius?* at quòd terræ, mari, diei, nocti aut firmamento nomen posuerit, non legis. Rationem autem cur ita factum, facilè erues, si consideres cur Adamo Deus fecerit cetera nominandi potestatem. Quod ita indicat Basilius Seleuc. Oratione 2. *Esto Adam nominum artifex; quando rerum esse non potes: formentur à me, nominentur à te: partiamur fictricis huius solertiæ gloriam, me cognoscant artificem naturæ lege, te dominum intelligant appellationis nomine: inde nomen, quibus ego essentiam.* optimè, & ad rem nostram accommodatè, scilicet in dominij signum data est Adamo res nominandi gloria. *Partiamur*, inquit, *fictricis huius solertiæ gloriam, me cognoscant artificem naturæ lege, te dominum intelligant appellationis nomine.* An non clarè satis concessioni huic hanc exceptionem inesse cognoscis, vt quorum appellatio Adamo non conceditur; eorum non sit dominus? appellat ergo bestias, & volatilia, & omnem animam viuentem; at mare, terram, diem, noctem, firmamentum non appellat suis nominibus: habebant enim ea nomina sua priusquam Adam ea posset nominare. Iam cape ex verbis Basilij mysterium: *Formentur* (inquit apud ipsum Dominus) *res à me, nominentur à te*; illæ scilicet quæ referunt genus tuum, quod comparatum est iumentis insipientibus, & simile factum est illis; at mare, terram, diem, noctem, firmamentum non nominabis; quia eam referunt quæ prima inter feminas est à me nominanda. Ecce quinque magnas nominis MARIANI litteras; quibus sub initium illud Deus ita obscurè scribebat, vt tamen satis indicaret nomen illud fore admirabile, quod ipse hisce quinque tam ingentibus characteribus præfigurabat: nam vastissimum aquarum elementum, quod mare vocatur, non tantùm naturâ suâ Virginem, sed pænè etiam nomine nomen præ se ferens; quid istâ collectione vndarum, nisi inundationem gratiarum; quid amaritudine, nisi doloris acerbitatem; quid post receptionem & emissionem tot fluminum æquabili semper plenitudine, nisi nusquam redundantem per tot gratias MARIÆ humilitatem adumbrat? Iam terra florum varietate, numquid virtutum fragrantiam; herbarum medicinalium potestate, numquid vim salutarem omnis noxiæ facultatis expertem; tot plantis & arboribus, numquid omnium gratiarum diuersitatem significat? Si autem firmamentum vel ex nomine suo; vel ex situ, quòd sit in medio aquarum; vel ex ornatu, quòd sint luminaria in firmamento cæli; vel ex operatione, quòd annuntiet opera manuum eius, describam: occurret vbique ea quæ sicut Sion firmata est; occurret quæ inter binas deliciarum

Adam terra, mari, diei, nocti & firmamento nomina non imposuit.

quia symbola erant Deiparæ.

aquas, cælestes amauit, terrenas contempsit; quæ inter populos (nam *aquæ* multæ, *populi* multi, Apocal. 17. v. 15.) per sui amorem separat cælestes & electos à terrenis & præscitis; occurret quæ omni cælesti fulgore exornata rutilat Filij sui humanitate & diuinitate; occurret denique ea quæ potentiæ & sapientiæ diuinæ opera (his enim veluti manibus Deus operatus est) omnia annuntiauit Apostolis & Euangelistis: ita vt omni firmamenti proprietate MARIA satis aptè denotetur. Quàm verò eam clare dies repræsentet, qui discursu probari cupit, videtur sibi velle in ipsâ meridie facem accendi: neque enim solùm vidimus & audiuimus, sed manus nostræ etiam contrectauerunt, quòd dies diei eructauit verbum, quando Pater æternus Verbum suum carnem fieri voluit in vtero MARIÆ. Potiùs nocti accendenda est aliqua discursus exigui fax, ne tenebris suis nomen MARIANVM obscuret, neque satis appareat quomodo ipsa fuerit MARIÆ symbolum, itaque eneruet totam hanc probationem nostram, quòd ideò hæc ab Adamo nomina non acceperint, quia eorum significatum non erat nomen ab vllo Adami filio aut filiâ accepturum. Canit Propheta Dauid: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Diem, vt dixi, lucidissimam vocat Patrem, qui habitat lucem inaccessibilem; diem item MARIAM Virginem. Et quis dubitabit num ipsa dies? considera actionem illam quando eructauit ei verbum, & inuenies diei huius manè, meridiem & vesperam. Manè salutatum veniebant clientes patronos; & numquam crebrior inter homines salutatio quàm primùm illucescente die: itaque Angelus conspiciens albescere iam cælum, & auroram huius diei reserare plena rosarum atria; officiosam istam salutationem adfert, dicens *Aue*; subitoque, quia non stat sol in die hoc, sed exultat quasi gigas ad currendam viam, animaduertens se peruenisse ad meridiem, ait, *Gratiâ plena*, indicans in eâ esse sicut in meridie plenitudinem caloris & luminis. Verùm non in hoc sistit nuntius, qui in mandatis habebat ambulare vsque ad vesperam; quam appropinquare videns, ait, *Dominus tecum*. Sol enim vespere terris fit propinquior: & ecce cadunt de montibus vmbræ, virtute Altissimi obumbrante Virgini, *factumq́ est vespere & manè dies vnus* & singularis, ipsa scilicet Virgo Deipara: *vespere* obumbrante ei virtute Altissimi, *manè* Spiritu sancto in eam superueniente: *vespere* in refrigerio carnis Christi, *manè* in illuminatione Spiritus sancti. ad quam diem alludit Psalmista Psal. 77. v. 14. *Deduxit eos in nube diei, & totâ nocte in illuminatione ignis.* Factum, inquam, est *vespere* in fine veteris Testamenti, & *manè* in principio noui: *vespere* dum terminatur Regnum Iudæorum; & *manè*, dum inchoatur Imperium Christianorum; dies vnus, singularis, electus ex millibus: dies, inquam, Virgo MARIA; cui nos cum Psalmistâ dicere oportet, *Vespere, manè & meridie narrabo & annuntiabo*, &c. Psal. 54. v. 18. Huic diei alter iste dies Pater cælestis eructat verbum, idque tanto in lumine diei non potest esse obscurum. At, quomodo *nox nocti indicet scientiam*, non ita clarum: quin nox obscura, prima mater viuentium Heua suo errore MARIAM doceat obedientiam, non est dubium. solent enim naufragia pereuntium, qualibet hydrographicâ chartâ potentiùs pericula docere nauigaturos. Sed noctem vocari MARIAM vix apparet, qui sine horrore cogitari, & sine blasphemiâ dici possit. Persistit tamen Propheta; & qui noctem vocauit Heuam, eam, cui indicat illa scientiam, etiam vocat noctem; vt, si in istâ obscuritate hallucinemur, aliunde petamus lucem, quæ non deerit Scripturarum arcana studiosè perscrutantibus. inueniemus enim quòd tenebræ, quæ alibi obscuritatem, confusionem, miseriam & tristitiam significant, alibi augeant maiestatem & gloriam. *Et caligo sub pedibus eius*, dicit Regius Psaltes 2. Reg. 22. v. 10. & 12. *Posuit tenebras in circuitu suo*

Quomodo D. Virgo sit dies: Psal. 18. v. 3.

Gen. 1. v. 5.

quomodo eadem sit nox.

suo latibulum; quando Dei maiestatem sibi proponebat augustissimam. & ipse Dominus Exod. 10. v. 9. vt conciliaret sibi auctoritatem, ait Moysi: *Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te.* rursum Eccli. 50. v. 8. dicitur: *Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ.* vt ostendatur, fortiùs emicare splendorem, quando à tenebris affusis intenditur; maximè quando de diuinis agitur, quæ nullam admittunt nubeculam, nisi quæ intendat maiestatem. Quod igitur in Heuâ est nox miseriæ, in MARIA est nebula gloriæ; & sic nox nocti indicat scientiam: nox obscura, suffusa tenebris ignorantiæ, obiectâ densissimâ peccatorum nube nocti quæ constat ex tenebris lucidissimis, non aliâ ratione obscuris, quàm quòd desit nobis intuendi facultas, cùm abundet in ipsâ iucundissimâ ac plenissimâ maiestate visibilitas. Maneat ergo breuiter probata noctis cum Virgine Deiparâ similitudo, vt constet ideò Deum omnia circumspicientem, & sensus etiam morales & accommodatitios Scripturarum suarum ante omnes præmeditantem, quinque magnis istis vniuersi partibus nomen indidisse, vt istis quasi litteris præfiguraret nomen illud pentagrammaton, quod ipse erat Matri suæ inditurus; neque permissurus vlli mortalium tantum potestatis in suam Genitricem, vt ei nomen imponeret. Notat Venerabilis Beda in cap. 2. Ioannis, nomen primi parentis formatum esse ex quatuor litteris, quæ initiales sunt quatuor mundi partium. Græcè enim quatuor partes sunt, Ἀνατολὴ, Δύσις, Ἄρκτος, Μεσημβρία, hoc est, Oriens, Occidens, Septemtrio, Meridies; easdemque litteras numerum eum constituere quo corpus humanum in vtero materno formatur: α enim vnum, δ quatuor, α iterùm vnum, & μ quadraginta constituit; simul quadragintasex, quot nimirum diebus corpus secundi Adam in vtero Virginali formatum ac perfectum est. Per quod designabatur, primum Adam per orbem dispersum, per

Acrostichon nominis Adam.

secundum, hoc est CHRISTVM, colligendum, atque in vnionem fidei congregandum. Vide autem quanto nomen Virginis Deiparæ augustius, quod non litteras initiales habet mundi partium, sed cuius litteræ quodammodò sint quinque totius vniuersi partes nobilissimæ; sic tamen, vt non nisi figuratè illud exprimant, destinatione eius qui ipsas propter MARIAM creabat. Ridebit hîc fortassis nasutorum aliquis, & exiguum quod traxi ex Scripturâ fundamentum, nasi adunci spiritu difflabit; longissimè quæsitam esse pronuntians hanc probationem. Non pugnabo ego cum homine isto, quòd vincere non possum, pertinaciùs, modò non abnuat, vel hanc ipsam cogitationem non abhorrere à Filij in Matrem reuerentiâ. Cùm videam quinque hos mundi quasi cardines apud multos fore Matris meæ symbola, nolo iis ab Adamo aut mortalium vllo nomina dari; vt vel hac ratione ostendam, nullum præter me ipsi nomen inditurum. Sed age, solidiora ex ratione & Patrum auctoritate inquiramus, vbi rationem dederimus, cur non clariùs Scriptura declarauerit nomen hoc Virgini à Deo fuisse impositum.

Quinque præcipuæ mundi partes litteræ sunt nominis MARIANI.

CAPVT VI.

Cur Scriptura non prodat nomen Virgini Deiparæ datum esse à Deo; item, cur Patres antiqui id ignorauerint.

QVANTI ad Virginis Deiparæ gloriam referat, ei nomen non ab hominibus, sed à Deo inditum fuisse, ex rationibus & auctoritatibus constabit, quibus mox id ita factum esse probabimus: iam non sine stupore prætereundum videtur, rem tanti momenti tantæque dignitatis non fuisse à Scripturâ disertè indicatam, vt possemus constantis fidei obsequio hanc in nomine MARIANO venerabilitatem colere, quòd sit ab ipsâ Sapientiâ excogitatum. O quàm parum scimus æstimare diuina beneficia, ignari quædam

Vtiliùs quædam negantur nobis à Deo quàm conceduntur.

maiore vtilitate nostrà negari quàm concederentur. Non tantùm noxia hic voco, quemadmodum de parentibus dicitur, qui cultrum puero sibi oculos effossuro, licet ploret, eripiunt, ingenti beneficio; sed etiam ea quæ erant profutura si concederentur, modò negata maioris vtilitatis præstent materiam. Fuisset sanè magni faciendum, si placuisset diuinæ bonitati nobis de MARIÆ augustissimo nomine reuelare, quòd vocatum sit in cælo, antequam nuntiaretur ab Angelo, vel inderetur à parentibus: sed vide, an non maiori id nostro bono fuerit omissum. Iam credo ratione, experientiâ, & tot Patrum id affirmantium auctoritate satis notum est, quòd Deus *nil nos habere voluit, quod per* MARIÆ *manus non transiret.*

Vti in manu Deiparæ est salus nostra. S. Bernardus.

Iam dudum legem hanc tulit Deus generi nostro in primis salutarem, eamque ingentibus vbique miraculis publicauit; vt penes Matrem suam sit omnium thesaurorum cælestium dispensatio. Quis ergo non videt, nihil magis optandum esse humilitati nostræ, quàm occasiones inuenire, quibus possimus insigniter tantam Dominam nobis obstringere; vt quæ sponte suâ propendet ad benefaciendum, acceptis à nobis beneficiis impellatur ad magis naturæ suæ obsequendum? Hasce occasiones nobis obtulit Deus, quando non omnia quæ ad nominis MARIANI gloriam spectant, reuelauit: dedit nimirum hunc industriæ nostræ campum, in quo possimus non minore vtilitate quàm iucunditate exerceri; vt noua indagantes tanti nominis magnalia, flectamus in nostri amorem ista misericordiæ viscera, quibus sufficit ad benefaciendum titulus miserendi. Qui ergo posuit in manibus MARIÆ vitam & salutem nostram, ne putaremus, non satis securè ibi esse collocatam, vicissim studio & industriæ nostræ commisit quasdam gloriæ ipsius circumstantias; per quas nomen eius amplificando pelliceremus in certamen beneficiorum generosam MARIÆ indolem, minimum sibi præstitum obsequium centies duplicato

ita in manibus nostris circumstantia sunt quadam gloria MARIANAE.

fœnore redhibituram. Nostrum igitur est asserere quod Scriptura tacuit, tanti fuisse Patri æterno Filiam, Filio Matrem, Spiritui sancto Sponsam, vt noluerint ei ab alio quàm à sapientissimo suo concilio nomen imponi. quamquam quid dico Scripturam celauisse, quod silentio suo, omni sermone clariùs est prolocuta. Verto stylum, & dico, nullum esse de Virgine mysterium, quod sacræ Paginæ non sufficienter nobis indicauerint. Cui hoc paradoxum videtur fide maius, is Cardinalem doctissimum audiat ex ipsis Sodomæ & Gomorrhæ cineribus veritatem eius eruentem. Scimus Abraham Deum rogasse, vti ciuitatibus istis parceret, si vel decem iusti in eis reperirentur: quodque fiduciam non extenderet vlteriùs, infregisse quodammodò vires misericordiæ diuinæ, cupientis se per preces eius iustitiæ tot peccatis incitatæ opponere. Igitur iusto Dei iudicio in cineres aguntur pulcherrima oppida; nec est qui vindictam euadat nisi Lot cum familiâ suâ, licet vehementer vxoris infortunio mutilatâ. Hic si quæratur, an pro viro hoc iusto rogauerit Abraham, nihil eo certius putat Caietanus; at Scriptura non prodit. Respondet ille, Quomodo sine perissologiâ proderet rem, de quâ nemo poterat dubitare? an enim pro alienis supplicaret Abraham, & suos negligeret? an propter decem iustos, si fortè reperirentur, etiam sceleratissimis vellet ignosci, & iustum vnum tam stupendâ raritate æstimandum sineret cum pessimis incendio inuolui? Frustrà sunt verba, vbi res ipsa loquitur; non opus indicio pro eo quod oculis cernitur. Ita de precibus Abrahami ratiocinatur Caietanus. Cur de Virginis Deiparæ priuilegiis, deque sanctissimo eius nomine nobis pari ratione non liceat argumentari? non scribitur nomen eius à Deo fuisse reuelatum; at hoc ipso magis affirmatur, quàm si scriberetur: tam enim necessariâ id videbat sanctus Spiritus ex maternitate Dei trahi consequentiâ, vt superfluum videretur mentionem facere: nam si

Scriptura quædam tacendo manifestat.

neque

neque defectu neque abundantiâ peccare potest sermo diuinus; quod omissum non parit defectum, id narratum videretur superfluum. Quis autem defectum esse dicet in Scripturâ, quòd tam multa B. MARIÆ Virginis priuilegia prætererit, cùm satis potuerint omnia ex Filij dignitate intelligi? At iterùm instas: Esto, colligatur vel ipso Scripturæ silentio, non casu à matre nominatam, sed iudicio à Deo vocatam Virginem Deiparam nomine suo sanctissimo MARIAM; cur id antiquis Patriarchis negatum fuit solatij, vt scirent nomine compellare quam tot votis expetebant, perciperentque tot antè sæculis suauitatem eam & potentiam, quam mox dicemus ex ipso illo vocabulo, tamquam ex fauo dulcissimo, existere? Facit hæc quæstio ne diutiùs reticeam cogitationem, quæ mihi solet accendere vehementer erga nomen Virginis pietatem. Videtur enim, toto quod Dei incarnationem præcessit tempore, certauisse cum paucorum pietate mundi totius malitia: Sancti enim summis ac imis votis Dei incarnationem expostulabant; reliqui verò mortales extremis flagitiis eam retardabant. Deus autem in nomine hoc dulcissimo mira incluserat mysteria, vimque tantam ei dederat attrahendi, vt vix posset ipse resistere, quin eo audito descenderet, seque hominibus homo factus admisceret. Ipse ergo videns propter tot scelera mortalium adhuc immaturum esse tempus remedij, ne vim maiorem facerent pientissimi Patriarchæ, quàm cui facilè posset resistere; studiosiùs MARIÆ nomen celabat, ne eo quasi incantatus manus daret, ac descenderet antequam venisset plenitudo temporis. Vnde in mentem mihi hoc venerit, quæris? per symbola ad significata, per vmbras ad rem soleo procedere; suspenso tamen gradu, quasi tentabundus, quando viam inuenio nondum Patrum tritam vestigiis. quod dixi, inter ista repono. Suggessit autem id Iacobi Patriarchæ lucta, qui vix auroram (nomen accommodatitium Virginis) nominari audiuerat, cùm statim nerui isti fortissimi, quibus contra Deum præualuerat, remiserunt vim suam, & ipse altero pede infirmior claudicabat: vt sciremus, Deum, qui nocte totâ incarnationis lucem præcedente precibus Patriarcharum reluctabatur, simul atque ab Angelo MARIÆ nomen audiuit, illucescente istâ aurorâ pugnam remisisse; & hominem factum, alterâ naturarum infirmiorem inter nos claudicasse, languores nostros portantem, & omnium infirmitatibus grauatum. Iam ratiocinari, vt sic dicam, à posteriore & ex re factâ licet: Si tanta vis fuerit nominis MARIANI, vt eo audito nequiuerit Deus ampliùs resistere mortalium votis, statimque descenderit; profectò non conueniebat eam vim Deo adhiberi priusquam venisset plenitudo temporis, quo, secundùm æternæ prouidentiæ suæ consilia, sciebat conuenientissimum esse venire. Celabat ergo quasi studiosiùs vocabulum hoc potentissimum, quod sufficiebat ad vim faciendam Omnipotenti in veteri lege, ne vis sibi importuna fieret: in nouâ autem operæ pretium non erat dicere se id reuelasse; tum quòd nemo videretur de eo posse dubitare, tum vel maximè, vt nobis daretur gnauæ pietatis materia, dum rationes pro eâ sententiâ conquireremus, quam non cogeremur sub infidelitatis anathemate asserere. Age ergo, huic studio incumbamus, & Virginem nobis, licet non dignis, beneuolis tamen, demereamur hac in parte obsequiis.

Cur Patribus antiquis non fuerit reuelatum nomen MARIAE.

Nominis MARIAE vis admiranda.

CAPVT VII.

Probatur Deum imposuisse nomen Virgini Deiparæ.

SANCTVS Cyrillus in illud Ioan. 1. v. 42. *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, ait: *Et Simonem iam in posterum ipsum vocari non permittit, eum sibi vindicans vt proprium.* indicans impositione nominis significari possessionem & ius imponentis in eum qui illud accipit. atque hac ratione suprà

dicebamus, parentem nostrum suum in animalia exercuisse dominium. Et Dio Cassius lib. 46. dicit, ijs qui adoptantur, vel mutari vel inflecti nomina, vt intelligantur in aliam transiisse familiam, atque alteri à priore potestati esse subiecti. Ex quo primum formare licet argumentum, nomen Virgini Deiparæ non ab alio fuisse inditum quàm ab ipsomet Deo; qui eam ita sibi elegerat & prælegerat in possessionem particularem, vt nollet quemquam aliquid in eam iuris prætendere: ideò etiam de sterilibus ac prouectæ ætatis parentibus voluit eam generari, vt vix esset naturæ filia, sed tota Deo tribueretur: qui ergo tot miraculis eam sibi vindicauit, nominis impositionem, quæ publicum est dominij signum, nequaquam omiserit. *Penes quos est rerum quarumdam dominium*, inquit Moyses Bar-cepha Commentr. de Parad. p. 1. cap. vltimo, *ij quibus volunt nominibus res eas censent; sicut possessor ea quæ possidet.* Atqui MARIA tota erat ancilla Domini, tota eius possessio, vix quidquam in eâ parentes agnoscebant, quod non esset supernaturaliter donatum; & gratia eam ita transformauerat, vt potiùs gratia diuina carne vestita, quàm Virgo gratiâ exornata videretur. Debuit ergo ab eo nomen accipere, cuius tota erat per miracula, per gratiam, & per singularem adoptionem. quæ etiam fuit ratio, cur eam omni cognomine carere voluerit; ne scilicet haberet quidquam cum alijs commune.

Maria tota erat Dei.

Aliam rationem, vnde colligamus nomen Virgini à Deo fuisse impositum, suggerit Plato, qui dicit, non esse cuiusuis hominis nomina rebus dare, sed doctissimorum & præstantissimorum, vt qui rei naturam perspectam habere debeant, vt nomen illi adæquent. Iam certum est, tantam fuisse, & ad tam magna electam Virginem MARIAM, vt nemo ea capere potuerit, nisi qui elegit. Nemo ergo potuit ei nomen conueniens imponere, nisi is qui tantam eam facere decreuerat. Imò verba S. Petri Damiani Serm. de Annuntiatione aliquid indicant; vnde, si humano more de maiestate diuinâ agere liceat, colligamus, ne mediocri quidem Dei studio hoc nomen fuisse inuentum. sæpiùs citanda sunt verba Sancti, quæ continent tot tantaque nominis MARIANI mysteria. *Init Deus*, inquit, *de redemptione hominum consilium, & statim de thesauro diuinitatis MARIÆ nomen euoluitur; & per ipsam, & in ipsâ, & de ipsâ, & cum ipsâ, totum hoc faciendum decernitur; vt, sicut sine ipso nihil factum est, sine ipsâ nihil refectum sit.* Nota vocem *euoluitur*; vt intelligas, Deum inter diuinitatis suæ thesauros, inter æterna sapientiæ suæ consilia, vt dicebam more nostro loquendi, diutiùs quæsiuisse quod tandem Virgini Dei genitrici nomen imponeret: faciliusque quodammodò fuisse videtur tot tantaq; quibus excellit Deipara, priuilegia ei conferre, quàm omnia, prout decebat, conuenienti nomine comprehendere. Siquidem nouum non est, politioris simul & sublimioris doctrinæ viros, postquam librum aliquem diligenti studio elucubrauerunt, variâ apteque inter se connexâ materiâ commendandum, plus deinde sudare vt titulo qui aptè materiam omnem comprehendat, eum insigniant, quàm fere toto in opere laborarint. Librum magnum ex pergameno virgine Deus confecerat, quando sibi Matrem elaborauerat. vocat eam sic aliàs nobis explicatus Isaias, quando dicit cap. 8. v. 1. *Sume tibi librum grandem*; vt scilicet in eo scriberetur stylo hominis. Quantum, Deus bone, quantum tui in hunc librum transfudisti! quantâ cum curâ & solicitudine sapientia tua excogitauit, potentia confecit, amor perfecit! quot quantaque in eo scripsisti mysteria, explicuisti ænigmata, manifestasti consilij tui arcana! Profectò si omnia hæc titulo vno aliquo sunt comprehendenda, mihi quidem videtur facilius tibi fuisse librum conficere, quàm inscribere. Si enim librum grandem eum appellaueris, commune est: si prophetiam vocaueris, parum est: si apocalypsin dixeris, etiamnum parum: si legis Scripturarumque compendium, si cæleste prodigium, si cæli terræque mita-

Solus Deus eam noscebat.

miraculum, si creaturarum omnium portentum; nihil hæc omnia ad tanti libri dignitatem, nihil ad explicandam tam variam tamque prodigiosam eius materiam. Audi quid in libro hoc, qui MARIA est, contineatur, vt æstimes, quis ei sit titulus ponendus. Paginam eius vnicam compendio refert S. Petrus Damianus suprà: *Traditur*, inquit, *epistola Gabrieli, in quâ salutatio Virginis, incarnatio Redemptoris, modus redemptionis, plenitudo gratiæ, gloriæ magnitudo, multitudo lætitiæ continetur.* In libro autem toto nihil ab initio ad finem nisi gratia, nihil nisi puritas, nihil nisi sanctitas reperitur. Et, vt verbo dicam, si spectes, quòd MARIA debebat Mater Dei existere, diuinitatem carne humanâ vestire, incomprehensibilem corporis sui angustijs claudere, immensum visceribus suis arctare, æternum in tempore concipere, Creatorem creaturam efficere; totus liber ænigmaticus, totus mysteriosus est: si consideres lætitiæ summæ quam humana mens capere, & item tristitiæ in eodem gradu sine conflictu & pugnâ existentiam; totus comicus, totus item tragicus est: si aduertas quòd ipsa sit polus nauigantium, & stella maris huius vasti & tempestuosi; iam fiet Mathematicus: si myrrham amaram contempleris, fiet Herbarius; si Oceanum immensum gratiæ & excellentiæ, Physicus fiet Theologus; si lumen solis & lunæ radios exsuperans, Astronomus; si cæli ac terræ Dominam, Politicus; si insignem redemptionis nostræ historiam, Historicus. omnia fit liber iste, per quem refecta sunt omnia. Quidquid dixerunt Sancti, quidquid pij contemplati sunt, quidquid scripserunt interpretes, quidquid voce gratulatoriâ Christiani acclamauerunt vlli creaturæ, totum hoc continetur libro isto, & totum fuit titulo exprimendum. Et etiamnum dubitabitur, an ab aliâ potuerit is sapientiâ proficisci, quàm ab eâ quæ sola MARIAM nouerat, quia fecerat? Certè non poterat sibi ipsi Virgo dignum nomen imponere, quia non satis capiebat quæ acceperat: dum enim maximè ea ponderare volebat, obruta eorum mole & copiâ, nihil aliud exprimere potuit, quàm, *Fecit mihi magna qui potens est.* Quid Virginem dico nomini suo exprimendo imparem fuisse, cùm Dauid nescio quid de Sapientiâ ipsâ indicare videatur? *Te decet*, inquit, *hymnus Deus in Sion*; imò, vt Septuaginta vertunt, *Te decet silentium in Sion.* Hyperbole est, quæ tamen nullâ ratione superet nostrum agendi & intelligendi modum. dicit enim tantam esse hanc Sion, quam sibi in palatium ædificauerat Deus, vt vix sit verbum reperire, quo eius magnitudo & excellentia debitè hominibus explicetur: quapropter potiùs, aut saltem æquè, decere videatur silentium in eâ & de eâ, quàm prædicatio. Et ita decere, Deus re ipsâ ostendit, quando tam parcè de eâ locutus est, vt, præter mysteriosissimum nomen eius, vix quidquam sit in laudem eius prolocutus; quasi timeret, ne posteriori aliquo encomio gloriam suam, quam inueniendo tam apto MARIÆ titulo consecutus erat, obscuraret.

Psal. 64. v. 2.

Tertiò probari potest à Deo MARIÆ Virgini nomen fuisse impositum, argumento communi quidem, sed fortissimo. Nihil Virgini negandum cuius capax est, quod alijs quibusdam datum esse fatemur. concessam autem scimus hanc gratiam, vt nomina ante ipsam natiuitatem acceperint, viris omnino quinque, tribus nimirum veteris, & duobus noui Testamenti. Hoc priuilegium esse & gratiam, testatur Beda in Luc. 1. v. 13. *Singularis*, inquit, *meriti indicium datur, quoties hominibus à Deo nomen imponitur.* Et ex Abulensi notat Pererius in cap. 16. Genes. quòd in cuiuslibet eorum vel denuntiatione nominis, vel in ipsâ eorum conceptione ac natiuitate animaduertere liceat miracula aliqua contigisse. Primus eorum fuit Ismahel; cuius conceptum semel mortuum, iterùm fuisse viuificatum Hebræi opinantur. quidquid hac de re sit, mira sanè de eius ingenio, moribus & posteritate per Angelum prænuntiata sunt Genes. 16. quamquam

Quinque virorum nomina fuerunt ante natiuitatem reuelata.

quam de eius meritis ac sanctitate nihil ibi singulare, sed potiùs contrarium insinuatur. Alter fuit Isaac, cuius nomen prænuntiatum est Gen. 17. & generatio ex sterilibus parentibus omnino admirabilis exstitit. Tertius censetur Iosias; in cuius aliquot post sæcula nasciturì prænuntiatione duplex contigit miraculum: nam & altare idolorum vltrò discissum est, diffusique cineres, & brachium Regis Ieroboam arefactum, vt narratur lib. 3. Regum cap. 13. In nouo Testamento fuêre duo, quibus priores illi nullo modo comparandi: vnus fuit Ioannes Baptista, cuius generatio cap. 1. Lucæ ab Angelo denuntiatur, tot miraculis ac scimus eam comitantibus. alter fuit IESVS CHRISTVS Dominus noster, cuius conceptio & natiuitas tot inconceptibilia habet miracula. Nulla quidem enumeratur femina, cui hoc priuilegii contigerit; sed ideò est nulla, vt inter eas singulariter sit benedicta MARIA, quæ & hac & omnibus omnium Sanctorum gauisa est prærogatiuis. Habent hoc beneficia, vt pretium subinde mutuentur à raritate: *Si* (quemadmodum Seneca loquitur) *aut nemo illis alius dedit, aut nos nulli alij*; & exemplo confirmat. Alexandro Macedoni, cùm victor Orientis animum supra humana tolleret, Corinthij per Legatos gratulati sunt, & ciuitate illum suâ donauerunt. Cùm risisset Alexander hoc officij genus, vnus ex Legatis; *Nulli*, inquit, *ciuitatem vmquam dedimus alij, quàm tibi & Herculi*. Libens accepit delatum honorem, & Legatos inuitatione aliâque humanitate prosecutus, cogitauit, non qui sibi ciuitatem darent, sed cui dedissent, & ad socium honoris à dantibus respexit. Hæc me inter ceteras ratio mouit, cur studiosiùs hoc munus coner Virgini adstruere, quod paucis adeò concessum in sacris Litteris inueniam: in neutro scilicet Testamento feminarum vlli, in nouo viris duobus, quorum alter Angelus dicebatur, alter Deus erat; vt proinde nefas sit Dei Genitricem ab hoc tam singulari priuilegio remouere.

Raritas auget beneficium.

Vis & hanc mantissæ loco rationibus rationem adiungi, quòd omnibus stellis dederit Deus nomina; ergo & huic stellæ maris? Quòd si auctoritatibus stabilienda sit hæc assertio, eæ suppetunt, quæ non tantùm rem asserant, sed etiam eamdem vehementer illustrent. nam apud S. Hieronymum Histor. de Ortu Virg. Angelus Ioachimo dicit: *Vxor tua pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius* MARIAM. & paulò pòst: *Missus sum ad te, Anna, vt annuntiem filiam nascituram, quæ* MARIA *vocata, super omnes mulieres erit benedicta*. Vbi hoc est notandum, quòd non secùs ac IESV, nomen vtrique parenti separatim indicetur. Eadem habet Idiota lib. de Contemplat. cap. 5. & S. Bonauentura in Psalterio: *Benedictum sit gloriosum nomen, quod os Domini mirabiliter nominauit*. Fulbertus Sermone de Natiuitate Virginis ait: *Non fortuitò, aut solo parentum placito, sicut plerique, sed diuinâ dispensatione nomen accipit*. Sed consideranda sunt S. Petri Damiani verba Sermone de Annuntiatione, qui admirabiliter de hoc nomine dicit: *De thesauris diuinitatis nomen* MARIÆ *euoluitur*. Quot verba tot mysteria; quæ nefas sit sine aliquâ admiratione transire. Quid? an reuelatum sit Virginis nomen dubitas? Ego verò non tantùm reuelatum, sed ex ipsis thesauris diuinitatis euolutum aio; de thesauris, inquam. Vide quæ res sit quantaque nomen Virginis Deiparæ: non mihi illud inter chartas & tabulas etiam diuino Spiritu dictatas quæsieris: licet enim nullum in iis sit iota, quod non pretiosissimis mundi vnionibus præponderet; altioris tamen ordinis est nomen hoc, quàm vt inter chartas computetur. Tabularium habebat Deus in terris sacras Paginas, in quas res duas sanctissimas, leges & acta populi sui referri curabat; non tamen reperies in eo nomen hoc sanctissimum. Archiuum habebat in cælis, Angelorum memoriam, cui per multiplices reuelationes admirabilia mysteria inscripserat; non est tamen in iis nomen hoc admirandum.

Ex diuinitatis thesauro est erutum MARIAE *nomen.*

dum. Chartophylacium habebat aliud, seu librum grandem, quem in duo cælorum hemisphæria explicabat, hisce gloriam & opera diuinitatis suæ rutilantissimis astrorum characteribus inscripserat; nequiuerunt tamen stellæ tot choreis nomen hoc diuinissimum & lucidissimum exprimere. Neque hic ergo quærendum est nomen Virginis: non enim inter scripturas aut chartas Dei asseruatur. nam de thesauris diuinitatis euoluitur: inter gemmas lapidesque pretiosos, inter opera ita affabrè facta, vt propter artem omne pretium excedant; inter ea quæ ob raritatem Deum ipsum in stuporem solent rapere, quoties, vt more nostro loquar, ea intuetur; inter thesauros denique non quoslibet, sed ipsius diuinitatis, nomen hoc reponitur. Magnum erat, nomen aliquod, cuius locus videbatur esse in chartophylaciis, inde eximi, & inter thesauros collocari, vt gemmis ac lapidibus pretiosis æquale existimaretur: at nomen hoc non inter thesauros quoslibet, sed inter ipsius diuinitatis thesauros collocatur; vt iam sit omnibus iis quæ in cælo terràque aspiciuntur pretiosius; quandoquidem diuinitatis thesaurus, vnde nomen hoc euolutum est, res est abscondita, quæ non nisi tardò creaturis, ad pompam & magnificentiam Domini demonstrandam, ostenditur. Et fuisse inter pretiosa diuinitatis nomen hoc Virginis, vel inde patet, quòd hoc tum protulerit, quando omnes thesauros suos excutiebat, vt inueniret pretium quo mundum redimeret; tunc enim Angelum misit ad Annam & Ioachim, sanctissimorum par coniugum, vt filiæ ex se nascituræ, MARIÆ admirabile nomen inderent, quò ipse de MARIA materiam sumeret, quam mundo redimendo impenderet. Dicit autem non otiosè Sanctus, quòd nomen ex thesauris diuinitatis euoluitur; tum vt sciamus, non leui Omniscientis studio esse excogitatum, tum vt intelligamus, illud, telæ adinstar Phrygio opere depictæ, aut tapetis pulcherrimè elaboratı, multa continere mysteria, quæ sint ordine

Nomen MARIAE est tapes varia depictus mysteriis.

quodam in eo spectanda: quod nos deinde per otium faciemus. Hic tantùm propter vocem *euoluitur*, quæ nomen Virgineum in vestiariis thesauris fuisse indicat, noto, in Regiis (quod ex Danielis & Estheris Historiâ constat) præter vestiarium commune, vnde ministris vestes & ornamenta suppeditantur, esse thesaurum vestium, vbi asseruantur ea quæ regalibus personis sunt propria. Indicat autem Aman, Esther cap. 6. non posse Regem maiore quemquam honore afficere, quàm si ei de thesauro isto vestem donari iubeat. Quod in humanis Regiis est vestis, hoc in cælesti curiâ sunt nomina gloriosa, quibus dilectos suos vestit, induit, circumdat & coronat Deus. Iam esse apud Deum vestiarium commune, vnde Sanctorum nomina eruuntur, patet ex eo quòd apud Lucam gaudere suos velit Dominus, quòd nomina eorum scripta sint in cælis. at alius est thesaurus, in quo recluduntur diuina nomina propria personis diuinis: thesaurus ita absconditus, vt Dominus ipse Exod. 6. v. 3. dicat, *Et nomen meum Adonai non indicaui eis.* Statuit ergo sanctus Petrus Damianus, non ex vestiario isto communi, vnde Sanctorum aliorum sanè pretiosa & veneranda prodeunt nomina; sed ex diuinitatis thesauro, ex arcanis illis, quibus vtitur ipsa Deitas, MARIÆ nomen euolutum fuisse; vt non miremur, quòd diuini nominis æmuletur claritatem. Hæc tum fient clariora, cùm posteà ostendemus, quomodo omnia diuina nomina Virginis nomen participet.

Duo nominum thesauri apud Deum.

CAPVT VIII.

Nomen B. MARIAE Virginis variè ante ortum eius præfiguratum & indicatum.

MAGNA tardè nasci, & duratura per æuum, ferè idem spatium requirere ad ortum, quod habitura sunt ad vitam; contrà verò, citò perire quæ citò fiunt, natura docet, & ipsi discimus quotidianâ experientiâ. Terra

Magna & diuturna tardè proueniunt.

flosculos quosdam ridentes, & grato aspectu oculis intuentium lenocinantes, nocte vnâ quasi ludendo protrudit: & ecce dum aspicis, dum naribus admoues, dum facilè ludentis naturæ miraris ingenium; doles flosculum vixdum natum consenuisse; & inter manus tuas emarcidum maiore pernicitate cucurrisse ad interitum; quàm ad vitam prodierat. At lignum istud, quod iam sæcula aliquot audis stetisse, & vides durare contra omnes cæli iniurias, non vno natum est anno; paulatim terræ visceribus radices suas immisit, paulatim robustum illum nodauit stipitem, paulatim congregauit tam latè diffusam comarum gloriam: verbo, tardè creuit, si tardè perit. Animantia cerne: insecta quædam fortuito nascuntur elementorum concursu; perfectis verò producendis multis opus est dispositionibus, multoque tempore. hominem nonus mensis, elephantem maiorem nonus denique producit annus: reliqua proportione suæ vel magnitudinis, vel durationis plus minúsve requirunt temporis. Nos ipsi ab ingenij fœtibus, si quos subito calore profundimus, non exigimus vt ferant æuum; sed facilè patimur ludendo interire, quod ludendo concepimus: at si quod opus æternitati volumus dedicatum, id scilicet circummorsos morosiore calamo requirit vngues; id tempore longiore premimus & polimus. Scio non eamdem Deo præscribi regulam: ipse enim, vt S. Dionysius ait libro de Diuinis nominibus cap. 5. *principium & mensura æuorum, & temporum entitas, & entium æuum*, à temporis lapsu in operationibus suis non dependet, neque dispositionibus eget ad efficiendum aliquid, cùm disponat omnia prout vult; communiter tamen in negotiis quæ ad salutem nostram peraguntur, captui nostro se accommodat, & magna non sine magnis præparationibus molitur. Exemplorum omnium exemplum maximum post IESVM est MARIA, de quâ Sophronius Sermone de Assumptione: *Quidquid humanis dici potest verbis, minus est laude, quia diuinis est & Angelicis excellentiùs prædicata & laudata praconiis; à Prophetis quidem prænuntiata; à Patriarchis figuris & ænigmatibus præsignata; ab Euangelistis exhibita & monstrata; ab Angelis venerabiliter atque officiosissimè salutata.* Et S. Ildephonsus Serm. 1. de Assumpt. ait: *Ecce ad quam concurrunt omnia eloquia Prophetarum, ad quam omnia ænigmata concurrunt Scripturarum.* Tot scilicet præfigurabat sæculis opus illud admirabile quod sibi ædificabat, postquam se nobis statuerat in carne nostrâ impendere. Quod in Virgine factum, idem in nomine eius obseruatum ego existimo, in quo non minore industriâ (si ita loqui fas est) insudabat Deus, quàm in ipsâ Virgine moliendâ: nam si ædificium erat non hominibus sed Deo præparatum Deipara, ædificij inscriptio erat eius nomen: si liber erat vitæ, libri titulus erat MARIA. Fit autem non raro, vt æquè laboretur inscriptione commodâ aut titulo apto inueniendo, atque in domo fabricandâ aut libro componendo fuit sudatum; præsertim quando rei magnæ & insolitâ plurimáque diuersa complectentis titulus breuis excogitandus est, qui rem adæquet, nihilque eorum quæ continentur omittat. quod in Virginis nomine factum posteà demonstrabimus. Puto itaque plurimis figuris & ænigmatibus, tum in profanis tum in sacris paginis, nomen hoc adumbratum & prænuntiatum fuisse. Pauca hîc de multis adferam, vt pateat, non solùm reuelatum fuisse nomen Deiparæ eius sanctissimis parentibus, sed etiam Patribus præfiguratum. Præcipuum legis antiquæ symbolum, quo redemptionem generis humani, hominumque post eam felicitatem adumbrabat, est populi Dei ab Ægyptiacâ seruitute liberatio. in eâ autem mysterio non vacat, quòd Israëlem per Mare rubrum præcederet virgo quæ Maria dicebatur, vt scilicet rem cum figurâ componeremus, quando in verâ redemptione, homini-Deo nos per sanguinis oceanum deducenti adiunctam videremus

Nomen Virginis variè præsignificatum.

Maria ducit Israel per mare.

remus Virginem Deiparam, quæ & Maria diceretur, & esset, secundùm nomen suum, verè cæli terræque Domina. *In veteri Testamento*, inquit sanctus Ambrosius Exhort. ad Virginitatem, *terrâ ac mari clausum Hebræorum populum* Maria (hoc verbi addo) *virgo per maria pedes duxit*; *in Euangelio auctorem mundi & redemptorem* Maria *Virgo generauit.* Non poterant quidem inde certò colligere libertatis nostræ post Deum auctricem eodem nomine compellandam, quo sua colliberatrix vocabatur: sed nobis licet re peractâ mysterium agnoscere, & venerari tanto tempore præfiguratam nominis antiquitatem. Virginis nomen ex Sibyllinis hausit & cecinit Maro, inquit Baronius in Apparat. ad Annal. Ecclesf. sed nesciens mysteriorum quæ de Christo ex Virgine nasciturо prædicta erant, tribuit Salonino filio Pollionis; sed de Verbi incarnatione ea esse intelligenda Constantinus Imperator aduersus Gentes egregiè pro concione ad cœtum sanctorum Episcoporum disputauit, subinde versus hos allegans Cumanæ Sibyllæ apud Virgilium Eclogâ 4.

Virgilij carminibus comprehensum nomen Virginis.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo:
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.

Quomodo ex his versibus colligat reuelatum fuisse Maroni nomen Virginis, non prodit; vix tamen puto, quòd facilè in aliis versibus tam signanter expressum toties Mariæ nomen inuenies: nam in primo in duabus syllabis *iam car*, habes nomen *Maria* per anagrammatismum in recto; in secundo, tribus primis verbis exprimitur; in tertio, item in duabus *iam re*, habes illud in obliquo. & si minutias has sectari velimus, plusquam sexies omnes nominis Mariani litteras in tribus hisce lineis reperies. & virgineum quid sonare videtur totus hic versus,

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

in quo repetita toties *m* littera facit vt quodammodò castiore & pænè clauso ore sit pronuntiandus. Sunt hæc gemina iis quæ Hebræi super Isaiæ 9. v. 7. *Multiplicabitur eius imperium*, commentantur. quibus verbis, quòd ibi de Saluatoris natiuitate agatur, simul prodi volunt nomen matris: ita ibi *Miriam Sarah*, id est, Maria Domina, inclusum inueniunt, & propter clausum *mem* in medio dictionis, virginitatem eius indicari dicunt. Age, ex doctissimis Blasij Viegas in Apocal. Commentariis hoc transscribamus; habet is cap. 12. comment. 3. sect. 20. hunc discursum: Quis commemoratam sententiam in speciem considerans, existimare possit, in eâ latêre aliquod virginitatis sanctissimæ Deiparæ argumentum? & tamen nescio an elegantiori alio vaticinio ea in sacris Litteris expressa pronuntiataque fuerit. Quod vt illustrius reddatur, illud in primis animaduertere oportet, certissimum esse, eo loco Isaiæ v. 6. sermonem haberi ad litteram de Messiâ. ita verò habet integrum vaticinium: *Paruulus*, inquit, *natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius; & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis: multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Quæ omnia palàm est in vnum Regem Messiam conuenire; nec vllo pacto quadrare posse in Ezechiam filium Regis Achaz, vt quidam Hebræi impudenter contendunt. Deinde aduerte, pro eo quod nos habemus, *multiplicabitur eius imperium,* haberi Hebraicè לםרבה המשרה, id est, *ad multiplicandum imperium.* in quibus Hebraicis dictionibus nomen sacerrimæ Virginis includitur, quod Hebraicè est *Miriam.* id quod ita ostenditur: in dictione המשרה, habemus duas litteras huius nominis, M & R; in dictione autem לםרבה habemus alteram M: vnum tantùm jod desideratur, quod Hebræi arcano quodam mysterio ita ex iisdem dictionibus colligunt. Etenim in duabus commemoratis dictionibus sunt duo ה, vnum in dictione posteriore,

item ab Isaiâ prædictum.

alterum in dictione priore. Cùm igitur littera ה apud Hebræos sit nota numeri quinarij, efficitur vt duo ה significent vnum denarium, cuius nota est littera jod; atque adeò duo ה valent vnum jod, quod additum reliquis litteris integrum nomen *Miriam* conficit, quod Hebraicè est nomen sanctissimæ Virginis. Rursus aiunt in dictione illâ priore includi tres litteras שרה, quæ hanc dictionem *Sarah* conficiunt, quæ dictio Dominam significat; itaque in duabus illis dictionibus duo ista nomina includi *Miriam Sarah*, hoc est, MARIA Domina: atque adeò cùm eo loco de Messiæ aduentu ad litteram agatur, eo planè mysterio in illis dictionibus, in quibus Messiæ principatus & imperium declaratur, nomen MARIÆ inclusum esse, vt simul indicaretur nomen Matris eiusdem Messiæ, illumque filium qui nobis datus, & paruulum qui nobis natus dicitur, cuiusque imperium toto orbe propagandum prædicitur, ex feminâ quadam clarissimâ, quæ MARIA Domina appellaretur, fuisse nasciturum. Hæc ibi Viegas: qui posteà ostendit quod *m* clausum virginitatem Deiparæ ibidem significat. Quæ breuitatis causâ omitto, & simul hæc missa facio, quòd magis delecter argumentis solidioribus; accipit tamen nostra in Virgilium commentatio ab Hebraicis istis aliquid auctoritatis, cùm Virginis nomen sæpiùs & multò clariùs in iis contineatur quàm in istis. Et potuit sanè Virgilius ab Hebræis aliquid de hisce mysteriis accepisse. nam Herodes Rex Iudæorum cùm Romam venit, sæpè Pollione, vt Iosephus scribit de Bello Iudaico lib.7.cap.12. vtebatur hospite. Solent autem Reges quidam ex doctioribus comitari, cum quibus non est absimile vero doctissimum iuxtà ac curiosissimum Poëtam de mysteriis legis ipsorum contulisse.

Argonautis indicatum nomen Deiparæ.

Illustrius est, & auctoritatibus non inferioribus confirmatum, quod de Argonautis proditur: hi enim capto Cyzico, augustissimum templum erexerunt; consultoque numinis oraculo, cùm, cui dicandum esset, sciscitarentur, ex cortinâ tale tulêre responsum:

Assiduâ sublime decus virtute parate,
Atq; vnum (sic mando) Deum, qui cuncta gubernat
Cælesti residens solio, colite atq; timete:
Illius æternum atque ante omnia sæcula Verbum
Nescia virgo viri quodam partu tenera edet;
Qui velut igniferis impulsa sagitta procellis,
Edomitum reddet grato pro munere mundum:
Huius, quam MARIÆ *nomen manet, alma vetustas*
Agnoscet templum proprium sibi ritè dicatum.

Hoc oraculum tanti fuit apud veteres, vt illud æreis & vncialibus litteris in marmore impressis posteritati commendandum putarint. Quâ ratione verum, & non vanum, fuisse vaticinium illud ostendi queat, suggerit Cedrenus in Historiâ, Simeon Metaphrastes apud Surium Tom.4. in Vitâ Procopij, & Martyr Procopius. quorum postremus sic inter alia loquitur iudici Flauiano: Cùm Iason Princeps eorum qui dicuntur Argonautæ, de templo, quod Athenis primum constructum est in arce, sciscitatus esset Delphicum Apollinem, & dixisset: Prædic nobis Propheta Phœbe Apollo, cuiusnam erit hæc ædes, & ad quid futura sit in posterum? sic respondit: Quæcumque ad virtutem quidem & honestatem vos incitant, facite; ego autem tres cupio, Deum vnum regnantem apud Superos, cuius Verbum ab interitu alienum, conceptum in simplici virgine, qui tamquam ignitus arcus percurrens mundi medium, omnes capiens, eos adducat donum Patri: huius erit hæc ædes, MARIA autem erit nomen eius. Et quamuis ab Argonautis ædes illa Rheæ deorum matri dedicata fuerit, & sic irritum videri posset oraculum; tandem tamen cùm imperaret Zenon, ad Christianæ pietatis vsum conuersa, egregium templum Deiparæ Virgini

MA-

MARIÆ præbuit, multisque fuit singulari venerationi. ita ex aliis Canisius lib. 1. cap. 1. & multi deinde ex illo alij. Et vt congeramus similia de Virginis nomine vaticinia, tempore Honorij Papæ & Frederici II. Imperatoris, Zonarâ, Suidâ & Cedreno testibus, inuenta est capsula, in quâ liber vetustissimus, tribus linguis exaratus, hæc continebat: *Filius Dei nascetur ex Virgine* MARIA, *& pro salute hominum patietur.* De futuro loquitur; vnde, si nihil fraudis (quod in hisce rebus facilè potest contingere) subfuerit, constat scriptum fuisse ante natiuitatem Christi. Huius generis est & illud quod narratur super pectus mortui (Platonis, vt creditur) olim inuentam esse tabulam in hæc verba: *Credo in* IESVM CHRISTVM *nasciturum de Virgine: ô sol, sub Irena & Constantini temporibus iterùm me videbis.* Denique inter profana nihil religiosiùs vel ab ipsis Christianis cultum quàm Sibyllina oracula: quæ vt ipsum Euangelium magnâ ex parte prædixerunt, ita non omiserunt nomen Matris Dei, quam sibi præcipuè videbantur sumpsisse celebrandam. nam lib. 8. Oraculorum Sibyllæ Erythrææ reperis:

Idem tabulis ante eius natiuitatem inscriptum;

& à Sibyllis prophetatum.

Et breuis egressus MARIÆ *de Virginis aluo*
Exorta est noua lux.——

Atque hisce oraculis clarè annuntiatum est MARIÆ nomen. Sunt prætereà qui ex aliis quibusdam vel numeris vel literis illud vestigando indagant. Huc spectat quod ex Francisco Veneto in Harmoniâ mundi Cant. 1. Tom. 5. cap. 5. & Rutilius Benzonius super Cant. Magnificat lib. 3. c. 34. refert, inter reconditissima arcana Hebræorum illud celeberrimum haberi, vnam apud Deum esse primam omnium creaturarum, quæ omnium reliquarum perfectionem continet: quam illi appellant *Principem facierum*, quia semper stat ante faciem Imperatoris, iusque habet introducendi benemeritos ad præsentiam ipsius: & hanc dicunt locutam fuisse cum Moyse in rubo, eumque subuexisse, vt tandem loqueretur cum Deo facie ad faciem. Hoc autem munus (est enim nomen hoc officij, non personæ) antequam MARIA nasceretur, vicariâ potestate Seraphinorum supremus obiuit. Magis autem proprium hoc munus esse MARIÆ, colligunt Hebræi, quòd extremæ litteræ vocis *Mitraton Serapenim* eumdem numerum constituant, quem facit vox MARIA, scilicet *999*. Sed ne ad Massoretarum & Cabalistarum declinemus subtiles minutias, sufficiat hæc retulisse; tum vt constet, nomen Virginis ante eius ortum subobscurè indicatum; tum vt sciamus, vndique ei conquisitam fuisse, etiam ab illis Rabbinis, venerabilitatem, quam nos deinceps ex solidioribus eruemus fundamentis.

Hebræi quomodo dicant nomen Virginis figuratum.

CAPVT IX.

Quomodo post Virginis natiuitatem nomen eius ad Gentes sit delatum.

AB *ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus*, dicit Dominus Malachiæ 1. v. 11. & mox v. 14. *Et nomen meum horribile in Gentibus.* ac si diceret: Nolo ampliùs exiguis Iudææ finibus contineri nominis mei notitiam, arcta mihi est Ierusalem, angustum templum, coarctor in Palæstinâ; cælum enim & terram ego impleo, quare par est vt totus mundus mihi sit templum, vt omnes Gentes vbique me colant victimis & sacrificiis; quocircà breuî per Christum efficiam, vt nomen meum Gentibus toto orbe prædicetur, illæque me vbique agnoscant, adorent, celebrent: sicque fiet iis terribile nomen meum, hoc est, tremendum & reuerendum. Reuerentia enim, quando est eximia, ex profundâ consideratione tantæ maiestatis generat tremorem, horrorem & stuporem: ita de nomine suo Dominus. Quid nos de Dominâ, eiusque celeberrimo nomine dicemus, quod ipsa statim in adolescentiâ orbi vniuerso reuelauit, vt sit magnum nomen eius in Gentibus? Scimus quantâ festiuitate soleat Epiphania Domini celebrari, eò quòd Seruator omnibus

 natus

natus eo die Gentibus sese manifestauerit. quod tanti fecit magnam partem ex Gentibus congregata Dei Ecclesia, vt pari honore celebraret diem quo cognouerat & quo acceperat Saluatorem. A Filio proxima est in omni discursu ad Matrem transitio, maximè quando vel de dignitate eius in se, vel misericordiâ erga nos agitur. Quemadmodum ergo datum mundo Saluatorem magni facimus, sed Gentibus, vnde nos orti, reuelatum magis gratâ & iucundâ adoratione celebramus: ita sanctissimum Virginis Deiparæ nomen à Deo mortalitati nostræ concessum, inter singularia eius beneficia reponimus; sed hoc ipsum Gentibus reuelatum & datum à Virgine, suaui & vtili deuotione colimus. Virgo autem præsaga mysterij, quòd scilicet maximè coleretur in Gentibus, & fortè excitata prophetiâ Malachiæ de nomine Filij sui, quam attulimus, & incitata à Spiritu qui eam docebat prophetare, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* statim, vt dixi, in adolescentiâ suâ Gentibus nomen suum augustissimum tradidit, & in tabulas earum publicas referri curauit. Res colligitur ex Lucæ Euang. cap. 2. v. 5. iis verbis: *Vt profiteretur cum* MARIA *desponsatâ sibi uxore pregnante.* vbi innuitur, non Iosephi tantùm, sed etiam MARIÆ nomen relatum fuisse in tabulas censuales. Quod disertè affirmat Tertullianus lib. aduersus Iudæos cap. 9. *Fuit de patriâ Bethlehem, & de domo Dauid, sicut apud Romanos in censu descripta est* MARIA, *ex quâ nascitur Christus.* O non molestos (vt eos appellabat Marcion, cupiens cap. 2. Lucæ ex Euangelio eradere Cæsaris census) sed census nobis gratissimos, orbi saluberrimos, & Regno tuo, Auguste Cæsar, auspicatissimos: per hosce enim Reliquias, quibus tunc orbis non habebat religiosiores, archiuis tuis intulisti, scriptum scilicet, ipsâ profitente, augustissimum nomen MARIÆ, quod ibi omnia gubernante prouidentiâ fuit accuratè seruatum, vt videre est apud Tertullianum lib. 4. aduersus Marcionem

Nomen suum in tabulas Romanas referri Deipara curat. Luc. 1. v. 48.

cap. 7. *Censum Augusti, vt testem fidelissimum Dominicæ natiuitatis, Romana archiua custodiunt.* Sequebatur hæc propagatio nominis MARIANI, non claudendi Iudææ angustiis, ex prædictâ per Malachiam nominis IESV propagatione. quod indicat S. Bonauentura in Spec. cap. 8. *Quia Dominus nominatissimus, siue famosissimus, famosissimè est tecum; ideò & tu es formosissima & nominatissima secum. O celeberrimè nominis* MARIA, *quomodo posset nomen tuum non esse celebre?* Consequentia hæc est Doctoris Seraphici: Si ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen Domini in Gentibus, non potest angustioribus terminis Dominæ nomen includi. Si enim ita famosè Dominus est cum illâ, vt gloria Matris & Filij non diuersa censenda sit, sed eadem (vt alibi ex Arnoldo Carnotensi docuimus) non potest Filij gloria ad Gentes propagari, quin eôdem Matris nomen perueniat. Ipsa Virgo hoc indicat in Cantico suo: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes; quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* ideò enim celebrandam se dicit, quia accepit magna non solùm à potenti, sed ab eo, cuius nomen sanctum; vt indicet etiam nomen suum cum eius nomine celebrandum. Profiteatur ergo nomen suum Censoribus, scribatur in tabulis, in archiuo seruetur, vt, annuntiato deinde nomine Filij, ipsæ Gentes nomen Matris ex tabulariis suis eruant, gaudeantque tam sacratis Reliquiis, easque tot templis honorent, tot encomiis extollant, tot magnificis inscriptionibus celebrent, vt Alexandri, Pompeij, Cæsares, & quidquid est magni apud eos nominis, splendore IESV & MARIÆ obscuretur. Ad hoc enim censeri in Matre Dominus voluit, vt non tamquam extraneus, sed tamquam ciuis Romanus à Gentibus celebraretur. Paulus Orosius lib. 6. ad finem hoc suggerit, dicens: *Nec dubium, quòd Dominus noster* IESVS CHRISTVS *Romam in hunc Regni apicem prouexerit, cuius potissimè voluit esse cùm venit, dicendus vtique*

Propagatio nominis MARIÆ *sequitur ex nominis* IESV *propagatione.*

Luc. 1. v. 48.

Christus factus est ciuis Romanus per nomen Matris.

vtique ciuis Romanus, census professione Romani. Vnde etiam Isidorus Pelusiota admiratur patientiam Christi; qui, cùm posset, vti noluit iure appellationis tamquam ciuis Romanus. Multa occurrunt in hac professione nominis MARIANI, quæ excitare possent nostram erga sacratissimum nomen hoc pietatem: atque in primis indicatur, quanta speranda sit à nomine isto vtilitas, quod ne quidem Gentibus traditur sine munere. Nam siue more Iudæorum instituebatur census, dandum erat dimidium sicli, iuxta illud Exodi 30. v. 11. *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Quando tuleris summam filiorum Israël iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram templi.* Si verò iuxta ritum Romanum peragebatur, dubium non est, quin aliquid constitutum fuerit, quod ad professionem nominis offeretur. Quis non scribat, pingat, pronuntiet, ruminetque sæpiùs nomen illud, quod sine summâ vtilitate tractari nequit? Audi S. Bernardum de prec. ad Virginem: *O pia, ô magna, ô multùm amabilis* MARIA! *Tu nec nominari quidem potes, quin accendas; nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te: tu numquam sine dulcedine diuinitus tibi insitâ memoriæ portas ingrederis.* Quæstuosa ergo res nomen MARIÆ; quod dicit Gilbertus in Cantica Serm. 5. de nomine Christi. De hac nominis MARIANI vtilitate infrà latiùs ex professo. Alterum quod in hoc censu notandum est, quòd multipliciter Filium sibi obligauerit Deipara hac nominis sui professione: nam, vti notabam ex Orosio, ciuis Romanus effectus est ex professione census Romani: vnde moralis accessit patientiæ eius æstimatio, quam Pelusiota expendit, quòd vsus non sit priuilegio appellationis Romanæ. Quàm grata erit Christo nominis illius celebratio, cuius professione passioni eius accessit pretium? Si ob exiguum Magdalenæ obsequium, quo Christum in conuiuio honorabat, ei promittit tantam nominis sui celebritatem, vt nusquam Euangelium sit annuntiandum, quò non perueniat eius fama nominis; quid non merita est professione hac nominis sui Deipara; per quam tantum accederet Filio bonum? Tertiò, Euangelij præparatio fuit professio nominis MARIANI: vt discamus nominis huius crebrâ inuocatione præparare animas nostras ad gratiæ diuinæ abundantiam, & ad illuminationem multiplicem intellectus, quam MARIA significat: quia ad nominis sui inuocationem semper eam præstat. Discant hîc etiam mancipia dulcissimi huius nominis, libenter tributa pendere suæ seruitutis; quandoquidem Virgo Deipara id exsoluit, vt nobis nomen suum faciliùs innotesceret.

Nomen MARIAE sine vtilitate tractari nequit.

Passioni Dominicæ pretium accessit, eò quòd nomen suum Virgo in tabulas retulerit.

CAPVT X.

De etymologiâ nominis MARIAE, *ac in primis de modo significandi nominum propriorum.*

PLENA sunt omnia obseruationibus nominum, quibus vel omina, pro felici aduersâve fortunâ, vel magnum ad laudem aut vituperium momentum inesse quidam arbitrantur: hinc etymologiæ sæpè obtorto collo adducuntur; hinc anagrammatismi conuersis & immutatis variè litteris excogitantur; hinc etiam per syllabas quasque nimis accuratâ diligentiâ significata produntur, quæ deinde applicantur ei cuius est nomen, vt sic vel vnius nominis liber conficiatur. Quæ si fortè in aliis apparent ridicula, in venerando Deiparæ nomine, quod tantâ sapientiâ à Deo nominatum est, omnia erunt pietatis argumenta, & diuinæ auctoritatis arcana. Vt enim in Scripturis diuinis accommodatitij quidam sensus, qui aliàs vanè & leuiter excogitari viderentur, ideò non tantùm tolerantur, sed etiam sine fastidio & cum aliquâ vtilitate leguntur; quòd is qui verba illa reuelauit, non tantùm litteralem, allegoricum & anagogicum

cum intellexerit, sed sensus etiam omnes præuiderit, in quos ea essent à pijs Scripturarum indagatoribus accommodanda: ita in nomine MARIÆ, (quod posteà ostendemus esse totius Scripturæ compendium) omnis obseruatio religiosa est, quæ in alijs superstitiosa videretur. Vtique si in vastis Scripturarum voluminibus omne iota atque omnis apex suum habet, cur obseruetur, pretium; profectò in Virginis nomine, quod quinque literis tot voluminum describit compendium, nullum erit punctum, quod non contineat mysterium. atque ideò Lectorem rogo, vt, remisso tantisper quo alia censurare solet supercilio, hæc quo par est animo voluat, pleno scilicet obseruantiæ, pleno pietatis erga Dominam suam. Ne tamen hac piâ animi inductione abuti videar, ita conabor inter hæc versari mysteria, vt solidè fundetur tanti nominis venerabilitas; quare præmitto conclusionem elucidatoriam de significatione, seu modo significandi nominum propriorum. Cùm ab eâ quam hîc subiungo conclusione, non solùm venerabilitatis, quam nomini MARIANO inesse contendo, solida probatio, sed etiam plurimarum tum in Theologiâ, tum in Philosophiâ, quæstionum enodatio dependeat; necessariò paulò fusiùs erit explicanda. plurimas enim hallucinationes Doctorum in soluendis subtilissimis quæstionibus reperias, ex eo quòd modum significandi nominum propriorum prorsus ab omnibus alijs distinctum non animaduertant. Dico ergo: Nomina propria significant rem indiuiduam absolutè, non secundùm aliquam formam aut formalitatem; sed materialiter prout est.

Nomina propria significant rem prout est absolutè.

Pro explicatione conclusionis sunt quædam notãda; ac in primis, proprium hîc sumi non prout metaphorico opponitur (quo sensu Doctor Angelicus q. 13. art. 3. disputat, vtrùm aliquod nomen dicatur de Deo propriè) sed prout opponitur appellatiuo; quod cap. 1. ex Cicerone definiuimus, *Nomen quod vnicuique personæ attribuitur, quo quæque suo proprio & certo vocabulo appellatur*. Vel quod absolutè semper & vbique pro re potest substitui: quale est, verbi gratiâ, Petrus, Paulus; &, si extendas ad irrationabilia, Bucephalus, Cyllarus, &c.

Notandum Secundò, quod D. Thomas q. 13. art. 2. ad 2. dicit, *in significatione nominum aliud quandoque esse à quo imponitur nomen ad significandum, & id ad quod significandum nomen imponitur*; hoc in nominibus proprijs semper vsu venire: quando ab aliquo deriuantur, ad significandam seu indicandam certam quamdam proprietatem aut qualitatem. Exemplum D. Thomæ est: Nomen lapis imponitur ab eo quòd lædit pedem; non tamen imponitur ad hoc significandum, ita vt significet lædens pedem; sed ad significandam quamdam speciem corporum; alioquin omne lædens pedem esset lapis. Iam hoc in nominibus proprijs semper vsu venire patet; quia nomina propria imponuntur ad significandam personam seu rem hanc indiuiduam: ergo, vndecumque formes id nomen, cùm forma ista, seu res vnde sumis, sit vt minimum formaliter quid aliud quàm res hæc indiuidua materialiter sumpta; clarum est, quòd numquam significet id à quo formatur nomen, sed quid aliud, scilicet rem istam vnam singularem.

numquam significant id à quo deriuantur.

Notandum Tertiò, vehementer distingui nomina quæ significant actionem, formam, naturam, essentiam, &c. quæ non nisi vni conuenit; & proinde antonomasticè collocari possunt loco nominis & ipsa nomina propria: propria enim significant ex vi institutionis suæ rem istam singularem; illa verò non rem istam, de quâ verificantur, significant ex vi institutionis, sed formam, actionem, naturam, seu essentiam istam. per accidens autem est significationi eorum, quòd ista non nisi in vno reperiantur. Exemplum est: Primogenitus Iacob & Ruben. Licet enim primogenitus Iacob sit Ruben; non tamen hoc est nomen proprium: accidit enim significationi vocis istius, quòd primogenitus Iacob verificari non possit nisi de homine isto qui est Ruben: si

Distinctio nominum propriorum & antonomasticorum.

enim

enim alius ante ipsum natus fuisset, non esset primogenitus Iacob Ruben: at significationi vocis *Ruben* non accidit, quòd hunc hominem significet: ad hunc enim in particulari significandum est assumpta. Idem est in vocibus, verbi gratiâ, *infinitus*, *creator mundi*, imò & in voce *Deus*: horum enim significatis accidit, quòd nonnisi reperiantur in isto, quem proprio & ineffabili nomine *Iehouah* dicimus. quod est impositum (vt D. Thomas loquitur q. citatâ art. 11.) *ad significandam ipsam Dei substantiam incommunicabilem, & (vt sic liceat loqui) singularem.* Eâdem ratione de Virgine solâ pronuntiare possumus, quòd sit θεοτόκος, siue Deipara; non tamen est hoc nomen eius proprium, sed MARIA.

Notandum quartò, si res vna varijs appelletur nominibus proprijs, ea omnia esse merè synonyma, hoc est, prorsus idem eodem modo significare. Patet hoc ex alijs synonymis: ideò enim mucro & gladius sunt synonyma, quia vtrumque impositum ad significandam eamdem armorum speciem: atqui nomina omnia propria vnius rei imponuntur ad significandam eamdem rem indiuiduam simpliciter prout est: non ergo magis distinguuntur nomina propria quoad significationem quæ eidem rei tribuuntur, licet diuersis gaudeant etymologijs, quàm si diuersis eadem explices idiomatibus. Sic mulier & femina Latinè, quamuis illud à mollitie, hoc fortasse à fetu deriuetur, non magis distinguuntur, quàm si diuersis idiomatibus feminam expresseris. Et in proprijs Simon & Petrus idem sunt; quamuis hoc à petrâ, illud ab obedientiâ formetur. Id ergo quod S. Thomas 3. p. q. 37. art. 2. dicit, *Nomina quæ imponuntur aliquibus diuinitus, semper significare aliquod gratuitum donum eis diuinitus datum*; explicandum, quòd formentur à verbo quod donum simul indicat; nobisque propter formationem illud in memoriam reducit.

Aliud est, significare quidpiam; aliud, hoc in memoriam reducere.

Pro quo notandum quintò, aliud esse, nomen hoc vel illud significare; aliud, hoc aut illud in memoriam reducere: lapis enim in memoriam reducit læsionem pedis, non tamen eam significat: & qui Romæ mirabilia vidit, quorum aspectu fuit maximoperè delectatus, audiens vocem *Roma*, istorum recordabitur; quamuis id Roma non significet. applica hoc nominibus proprijs formatis a dono aliquo cælitus dato. Ex dictis sequitur, nomina propria, siue formata sint à verbis quibusdam significatiuis, siue prorsus sint originalia, noua, aut barbara, prorsus idem & æquè multum significare. ratio est, quia imponuntur vt significent suppositum absolutè; non secundùm aliquam formam, actionem aut relationem, sed absolutè suppositum materialiter totum, prout est subiectum omnium formarum, formalitatum, actionum, relationum, &c. Non dico, quòd significet subiectum, suppositum, seu indiuiduum, sub ratione formali subiecti, suppositi, seu indiuidui; sed id quod est suppositum sub nullâ formalitare, prout est capax omnium; ita vt nihil sit affirmare de subiecto quod non significet nomen proprium, eo modo quo est in subiecto: significet, inquam; non quòd imponens vel audiens debeat intelligere rem significatam secundùm aliquam perfectionem, sed tantùm in confuso secundùm nullam perfectionem in particulari. Explico me, & indico quid propriè significent nomina propria. Cùm intellectus noster nihil possit perfectè subsistens concipere, nisi per modum formæ inexistentis; non potest, vt D. Thomas ait, *formas simpliciter per se subsistentes intelligere secundùm quod sunt*, sed intelligit eas ad modum rerum compositarum habentium formas in materiâ; imponensque eis nomina etiam secundùm naturam, adfert semper concreta significantia naturam in aliquo supposito. nam si solam naturam cócipiat, examinans conceptum suum, inueniet se rem concepisse per modum abstracti, hoc est, per modum rei imperfectæ: qui conceptus, aut vox eum significans, non potest rei tam perfectæ conuenire. vnde fit, nomina ista concreta, quantum est ex vi significandi,

Nihil possumus perfectum concipere nisi per modum concreti.

Oooo esse

esse communicabilia, eò quòd significent formam illam abstractam inexistentem alicui supposito; per accidens autem est significationi eorum, quòd forma, quam significat, fortè sit talis, quæ non possit nisi vni aut paucis inesse. At cùm simili formæ, vel ipsi Deo, imponimus nomina non ex parte naturæ, sed ex parte suppositi, secundùm quod considerantur vt hoc aliquid; illud nomen est nomen proprium & omnibus incommunicabile: sicut fortè, inquit D. Thomas, est nomen tetragrammaton apud Hebræos. Hinc docet Galatinus lib. 2. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 10. ex Rabbi Moyse in lib. More 1. p. cap. 40. nomen Dei tetragrammaton non significare quidpiam commune Deo & creaturis, sicut alia nomina Dei significant; vt sapiens, &c. reliqua enim nomina dicunt expresse aliquam vel actionem vel proprietatem, &c. quam à creaturis acceptam transferimus in Deum, non affirmantes eam prorsus in Deo vt in creaturis existere; sed, vt S. Dionysius loquitur, conuenientem Deo rationabilitatem & sapientiam declarantes. At nomine proprio non aliquam similem proprietatem declaramus, sed simpliciter eum qui omnibus istis Deo conuenientibus proprietatibus est præditus, prout est hic singularis: quod nulli creaturæ potest conuenire. Atque hæc prænotata sufficiant de significatione nominum propriorum: nam accuratiùs ea probare, argumentaque contraria refutare, & dubia quæ oriri possent resoluere, non est huius loci. his ergo iam venerabilitatem nominis MARIÆ superstruamus.

CAPVT XI.

Sanctissimum nomen MARIA *significat omnes omnino alios Deiparæ titulos, & meliùs eam refert qualibet imagine; ideò super omnes venerandum.*

QVI ceperit ea quæ Capite superiore de significatione nominis proprij disputauimus, declaratione non egebit pro intelligendâ conclusione quam hoc Capite asserimus: nam si non de etymologiâ vocis MARIA, de quâ mox, sed de significatione verâ huius vocis MARIA agamus, cùm ipsa sit nomen proprium Virginis; id est, ex vi suæ impositionis significet eam feminam, quam nos supplici hyperduliâ vt Dei matrem veneramur, prout est materialiter, seu prout est substratum omnium titulorum quæ de eâ possunt enuntiari; certum est MARIAM significare omnes istos titulos, siue certum quemque titulum esse exiguam aliquam explicationem nominis MARIÆ. Nam si Mater Dei est honorificus titulus; MARIA est Mater Dei, & quid amplius. Si virgo, si Domina, si vita, si dulcedo, &c. ingerant suauem aut venerandam aliquam opinionem; hæc omnia, & multò etiam amplius dicitur, quando MARIA nominatur. Atque hinc fit, vt ceteris quidem titulis MARIA honoretur, nomini autem MARIÆ honor exhibeatur tamquam ei quod ipsam significet, cui omnia ista tribuuntur. Vel si comparatione vti velimus, reliqui tituli sunt vt manus, pedes, collum, caput, & ceteræ partes statuæ alicuius, vnde diua Virgo effingitur; MARIA verò vt integra eius statua. Iam non fit ordinariè, vt partibus statuæ separatis tribuamus honorem, nisi reflectamus ad totam imaginem, easque veneremur tamquam ad totam concurrentes: ita si quem aliis titulis deferamus honorem, non fit nisi immediato respectu ad nomen MARIÆ, quòd scilicet ei sublimissimo titulo omnia conueniant. Vt enim partes statuæ non sunt immediatè imago Virginis, & ideò non sunt ita immediatè venerandæ: sic nomina reliqua, cùm non immediatè significent Virginem Deiparam prout est à parte rei, nec pro eâ immediatè supponant, non solent cum tantâ veneratione referri; at nomen MARIA cùm immediatè supponat pro Virgine, eâdem cum illâ veneratione est adorandum. Non ingredior hîc disputationem istam Theologorum famosissimam, an eâdem prorsus

Alij Virginis tituli venerandi sunt cum respectu ad nomen eius.

ſus adoratione nomen Virginis, prolatum aut ſcriptum, cum ipsâ perſonâ Deiparæ ſit adorandum, an verò cultu quodam particulari etiam interno nomen ſeparatim ſit adorandum; ita vt terminus vltimus totius adorationis ſit ipſum nomen, & non ſignificatum nominis; cùm eam iam doctiſſimè tractauerit Vaſquez in 3.p.q.25. art.3. diſputat. 108. & Suarez ibid. diſp. 54. licet alter ab altero de more diſſentiat: de quo poſteà fortè mentem meam indicabo. Nunc quàm venerandum ſit nomen Virginis indago, nec puto errauero, ſi id non tantùm omnibus Virginis nominibus, ſed omnibus etiam quas habemus eius Reliquiis cunctiſque imaginibus venerabilius aſſeruero. Quid enim immediatiùs eam ſignificat, quid mentem promptiùs ad memoriam eius citat, quid frequentiùs vice eius fungitur, quàm venerandum MARIÆ nomen? Nec iis aſſentior, qui verbis primò mentis noſtræ conceptus, ſcriptis verba immediatè ſignificari aſſerunt: ſiue enim ſcribam, ſiue loquar, non quid ego concepero aut dixero, ſed quid de re ſit indicare volo. Et quamuis de vniuerſalibus vocibus & orationibus formatis fortè contrarium quis exiſtimaret; adhuc de nominibus propriis particularis videretur ratio, quæ rei imponuntur vt eam ſignificent prout eſt à parte rei, non prout ſubſtat alicui conceptui. Itaque immediatiſſima Virginis Deiparæ imago dici poſſet ipſius nomen: quòd ita promptè determinet mentem audientis ad eius recordationem & voluntatem, ad pium eius cultum, vt vix vmquam practicè fieri exiſtimem, vt audiens nomen MARIÆ ipſum veneretur, ſed totus feratur in venerationem prototypi. Eæ autem, ſecundùm Doctorem noſtrum Hierarchicum, optimæ ſunt rerum ſublimiorum figuræ ſiue imagines, quæ ſic mentem noſtram ad eas transferunt, vt quàm minimùm ſiſtant in hiſce inferioribus. Ipſa magni Patris verba admetiar, quòd ex iis quiddam elici poſſe videatur, quod vehementer commendet nominis MARIANI dignitatem.

MARIAE nomen Reliquiis eius omnibus venerabilius.

Nomen Deiparæ optima eius imago.

Ponebat lib. de Cæleſti Hierarchiâ cap. 2. §.2. obiectionem aliquorum hiſce verbis: *Sunt & qui dicunt, Theologos oportere, dum ad omnino incorporearum rerum corporationem veniunt, propriis illas, &, quoad fieri poteſt, cognatis efformare atque explicare ſpeciebus earum quæ apud nos ſunt præſtantiſſimarum, & ex parte immaterialium ac tranſſcendentium ſubſtantiarum; & nequaquam cæleſtibus ac deiformibus ſimplicitatibus terrenas illas infimas circumdare multiformitates. Siquidem id noſtræ magis etiam conduxiſſet ſublimationi, neque ſupermundiales explanationes ad incongruas diſſimilitudines coëgiſſet: hoc autem & diuinas nefandè virtutes eleuat, atque noſtrum pariter errare facit intellectum, dum immundis iſtis inhæret compoſitionibus: & fortaſſis etiam putabit ſupercæleſtia leoninis quibuſdam & equinis examinibus referta eſſe, nec non mugitu reboantibus laudum canticis, & auicularium gregum præfecturis, aliiſq; animalibus, ac vilioribus materiis, quas ad abſurditatem & ſpurcitiam ac paſſionem prouocando, per omnia diſſimiles eiuſcemodi elucidantium eloquiorum ſimilitudines deſcribunt.* Hæc erat aliquorum obiectio: cui pulcherrimè ex ſublimiori diuinitatem contemplandi modo ſatisfacit Sanctus, docens, quemadmodum duorum modorum, quibus in diuinitatis cognitionem venimus, magis proprius eſt is, per quem, non quid eſt affirmatiuè, ſed quid non eſt, negatiuè dicimus; ita magis conuenire res cæleſtes & ſupermundiales per rerum inferiorum quàm per ſublimiorum ſimilitudines adumbrare: aitque §. 3. *Quòd verò abſonæ ſimilitudines magis mentem noſtram erigant, nemo, vt opinor, cordatus contradicet: in nobilioribus enim formis effingendis credibile eſt errare aliquos, qui exiſtiment eſſe naturas cæleſtes ſpecie quadam aureâ, viros quoſdam micantes, fulgore decoros, veſtitu ſplendido amictos, igneum quiddam innoxiè vibrantes, & quæcumque aliæ eiuſmodi formæ ſunt, quibus Theologia cæleſtes mentes figurauit. Quod quidem ne*

ne iis eueniat, qui nihil altius quàm illa pulchra & speciosa quæ apparent mente complexi sunt; SS. Theologorum sapientia, quæ sursum ducendi vim habet, ad dissimilitudines absonas sanctè se deiicit, non permittens id quod in nobis materiale est, illis indecoris imaginibus inhærendo acquiescere; sed ipsâ deformitate figurarum excitans & stimulans superiorem animæ portionem, tamquam nefas sit, & ne iis quidem qui rebus terrenis valdè affixi sunt, verosimile videatur, tam absurdis formis similia reuerà esse illa supercælestia & diuina, quæ in symbolis cum admiratione spectantur. Ita S. Dionysius de symbolis inferioribus & materialibus ratiocinatur, per quæ nos ad supercælestium cognitionem erigimur: quod nobis optimè licet imaginibus B. MARIÆ Virginis & eius sacrosancto nomini accommodare. Vtraque enim adhibetur, vt per ea mens ad venerationem & cultum absentis Dominæ nostræ excitetur: at si quæratur, vtrum ad munus istud sit aptius; cum sancto Doctore respondeo, quòd nomen MARIÆ magis mentem nostram erigat: nemo, vt opinor, cordatus contradicet. In imaginibus enim aliis effingendis credibile est errare aliquos, qui intuentes egregiâ formâ depictam virgunculam, igneum quiddam à facie innoxiè vibrantem, sceptro & diademate insignem, aureis purpureisque circumdatam vestibus, aliisque exornatam insignibus, quibus ars pictoria variè conatur Regiam eius dignitatem virtutumque admirabiliter conspirans in eâ concilium exprimere, nihil altius mente complectantur, hæreantque in istâ imaginis adoratione, artemque potiùs quàm prototypon venerentur: at nomen sacrosanctum MARIÆ cùm istis careat pulchræ similitudinis illecebris, & polleat virtute immediatiùs Virginem repræsentandi; quis non videat esse aptissimam omnium imaginem, quæ rectà nos ducit ad prototypi venerationem? Non dico malè ab Ecclesiâ adhiberi laudatissimum imaginum vsum; neque sanctus Dionysius dicebat, malè Scripturam vti sublimioribus istis symbolis: *Nam veritatis*, inquit, *vti reor, indagatio demonstrat sacratissimam eloquiorum sapientiam in cælestium effictionibus intelligentiarum, vtrumque luculenter præuidisse, vt neque virtutes diuinæ (vt ita quis dixerit) contumeliosiùs extenuarentur, neque nos humi repentibus imaginum vilitatibus tenaciùs affigeremur.* posteà tamen, cùm vtrorumque symbolorum fit comparatio, dicit quæ attulimus: vt nos, cùm imaginum vsum laudauerimus, nominis MARIANI vim sursum deducendi & Virginem in memoriam reuocandi potentiam non reformidaremus præponere; præsertim cùm vicaria sit vbique vox ista ipsiusmet Deiparæ, sic vt vbique pro ipsâ substituatur, sitque omnium laudum eius subiectum & instrumentum. Omitto eam vocis MARIÆ cum imagine collationem, quam curiosus quidam Auctor profert, quòd, cùm vox illa in ratione imaginis seu similitudinis cum iis conueniat, vt affirmat Aristoteles lib. 1. Peri herm. cap. 1. *Rerum similitudines voces sunt*; excedat in eo quòd vitalis sit, & inter humanas actiones computanda. Sic crucis, inquit, signaculum vincit potentiam stabilem, quam habet eiusdem crucis figura, etiamsi quoad cultum & adorationem parem exigant reuerentiam; fortassis quòd transiens illud signum habet defluentem vitam à pio animo profectam, eique valdè coniunctam. Quare si illud crucis signum, quod simul atque formatum est definit esse, linquit salutares effectus, etiam tunc cùm expressa figura præteriit; & quia viuum signum est, plura & efficaciùs operatur quàm lignea aut aurea eius figura, quamquam tota efficacia à Deo est non ab homine, vt ex Patribus & ratione existimant nonnulli; superest idem ius ad statuendum maius inesse robur prolationi nominis MARIÆ, quàm vel scripto vel imagini ipsius: atque ideò omitto, quia de potentiâ nominis agemus inferiùs. At quia pictura vt plurimùm non est similis Deiparæ, sed ab hominibus lineamenta

Vox MARIA est imago quodammodò viua Deiparæ.

Pictura non benè refert Virginem, nec eius nomen.

ta pro arbitratu inuertuntur & peruertuntur, & quandoque ad non castissimarum figuram effinguntur; nomen autem MARIÆ integrè & incorruptè, prout à cælis demissum est, à nobis profertur; propterea plenius describit Virginem sanctissimam nomen à Deo impositum, quàm imago ad pictorum libitum disposita: ac multum coloris habet, vt dicatur sanctior & efficacior nomenclatio MARIÆ, quàm eius effigies. Atque hæc sufficiant de nominis MARIÆ vero & primario significato, ex quo supra omnes eius imagines & Reliquias, & supra omnes eius titulos extollitur; restat, vt etymologiam vocis scrutemur.

CAPVT XII.

Etymologia varia nominis MARIAE.

DIXI in nominibus proprijs, nihil ad significationem primariamque eorum seu quasi essentialem venerabilitatem referre, siue ab aliquo alio formentur vocabulo, siue nullâ radice significatiuâ constent; cùm primarium, imò solum eorum significatum, sit persona ista indiuidua, ad quam significandam assumuntur. Sunt tamen multa alia in nominibus tum ornamenta, tum quasi accidentariæ maioris venerabilitatis causæ, seu potiùs incitamenta quædam, quæ nos manuducunt ad eam, quam etiam sine istis debebamus, venerationem: talia sunt, auctor ipsius nominis, cærimonia quâ imponitur, nominis etymologia, literæ quibus scribitur, soni elegantia, & figuræ ornatus.

Quænam præter significationem spectentur in nominibus.

De auctore nominis MARIÆ iam fusè probaui, eum fuisse Deum ipsum. & magna est Virginis Deiparæ gloria, quòd tanti eam fecerit, vt non alteri voluerit nominis eius impositionem committere. Quamuis enim poneremus, futurum fuisse vt idem nomen Virgini Deiparæ à parentibus imponeretur, quod à Deo nominatum est; gloriosissimum tamen est Virgini, id non à parentibus sed à Deo accepisse. In humanis hoc patet: licet enim æquè multùm valeret aureum numisma quod ab amico mihi, atque id quod à Rege conferretur; quantæ tamen maioris æstimationis moralis esset, Regem mihi id dare? Iam verò cærimonia quâ dedit, quæ poterat esse solemnior, quàm demittere è cælis Legatum qui id annuntiet separatim vtrique parenti, vt suprà est probatum? nolebat enim deferri hoc totius Scripturæ compendium à Legato minoris dignitatis, eo qui Scripturam ipsam & legem annuntiauerat. Ex quibus duabus circumstantijs sequitur altera, quæ largiorem nobis suppeditabit discursus materiam, mirabilis etymologia nominis MARIÆ, quæ miram nominibus proprijs addit elegantiam. Deus enim, cuius perfecta sunt opera, quando nomen imponit, solet id deriuare à dono aliquo gratuito à se dato; vt dum vocem audimus, non tantùm intelligatur quis eâ vocetur; sed etiam recordemur excellentiæ istius, propter quâ hoc potiùs nomine quàm alio quolibet eum Deus censuerit nominandum: & elegantia nominum tantò est maior, quò ijs plura & magis conuenientia dona, priuilegia, virtutes, facinora, &c. personæ in memoriam reducuntur. Cùm ergo tanti fecerit Deus nomen Virginis, vt à se id imponendum, & per Angelum vtrique parenti nuntiandum putaret; haud dubiè noluerit illud carere istâ laude, quòd aptissimè fuerit ad multas Virginis proprietates exprimendas formatum. quibus indagandis & explicandis iam imus impensum qualem qualem nostram operam, ad laudem & gloriam eius, cuius nomen cupimus cum Filij nomine in æternum celebrare. Si enim S. Chrysostomus Hom. 3. in Epist. ad Rom. dicat, *Est & in nudis ipsis nominibus magnum inuenire thesaurum*; quos non speremus thesauros ex ditissimo Virginis MARIÆ vocabulo? De quo cùm SS. Patribus affirmare audemus, quòd sit *Scriptura totius compendium & collegium sanctitatis*; & cum Concilio Ephes. quòd sit *salutaris reconciliationis panegyris*; imò quòd in hoc contineantur omnes MARIÆ laudes & encomia. Singulari enim Dei in Virginem amore & prouiden-

In congruâ ratione etymologicâ consistit magna nominum elegantia.

Etymologia nominis MARIANI alludit ad omnes Deiparæ laudes.

uidentiâ factum est, vt in vnam Virginem diuinitus collata tot beneficia, quot numquam Sancti omnes simul ausi fuerunt sperare, in vnum vocabulum compingerentur ab eo qui optimè linguarum omnium vim & energiam nosceret: in quo Dei sapientia prorsus aliam iniuit viam, quàm infirmitas nostra hactenus in ipso dilaudando triuerit, & etiamnum in Virgine honorandâ seruat. Ait enim S. Bernardinus Tomo 3. Serm. 1. de nomine Virginis: *Sicut Deum ipsum non tantùm vno nomine nominamus, sed multis, vt sic eius incomprehensibilitatem enuntiemus; sic & gloriosam Virginem multis nominibus designamus, & nunc lucem, nunc solem, & huiusmodi nominare solemus, vt sic ad sublimitatem eius cognoscendam aliquantulùm pertingamus.* Quid autem Deus? vt suam nobis in fingendis nominibus ostenderet sapientiam, Virginem vnicam pænè infinitis præditam gratijs & prærogatiuis vnico appellauit nomine, sed eo quod magnam donorum & virtutum ipsius copiam voce simplici significaret; ita vt pænè æquè laborandum sit in attingendâ vocis istius significatione, atque in explicandâ Virginis Deiparæ dignitate. Hîc etymologias simpliciter ex Patribus & bonis Auctoribus prodemus; eas deinceps pluribus Capitibus examinaturi. Audiamus ex ordine Doctores. S. Ambrosius lib. de Institut. Virgin. cap. 5. ait: *Speciale* MARIA *Domini hoc nomen inuenit, quod significat Deus ex genere meo. Dicta sunt & antè Mariæ multa: nam & Maria soror Aaron dicta fuit, sed illa Maria amaritudo maris dicebatur.* Beatus Albertus Magnus Tract. super Missus cap. 167. obseruat ipsum nomen MARIA idem esse quod Latinè *maria.* S. Hieronymus de Nominibus Hebraicis, titulo de nominibus ex lib. Exodi ait: MARIA *illuminatrix mea, vel illuminans eos; aut smyrna maris, vel stella maris.* in titulo de Euangelio Matthæi hæc addit: MARIAM *plerique existimant interpretari, illuminant me isti, vel illuminatrix, vel smyrna maris; sed mihi nequaquam videtur: melius autem est vt dicamus sonare stellam maris, siue amarum mare: sciendumq; quòd* MARIA *sermone Syro Domina nuncupatur.* Eucherius lib. 2. Instruct. cap. 5. MARIA, inquit, *illuminata, siue stella maris, sed sermone Syro Domina.* Idem docent D. Epiphanius Serm. de Laudib. Virg. S. Ioannes Damasc. lib. 4. Fidei orthodoxæ cap. 15. Petrus Chrysol. Serm. 146. & Beda in cap. 1. Lucæ. S. Thomas opusc. 8. *Conuenienter vocatur* MARIA *illuminatrix in alios.* & ibidem: *Conuenienter vocatur* MARIA *illuminata in se.* S. Epiphanius: MARIÆ *nomen interpretatur illustrata.* S. Ildephonsus Sermon. 1. de Assumpt. *Secundùm verbum Hebraicum* MARIA *interpretatur stella maris.* S. Epiphanius suprà: *Rursum nomen illud* MARIA *interpretatur myrrha maris.* Ita Patres in interpretando nomine MARIÆ feliciter suam posuerunt operam: vt, quod facilè ex sequentibus patebit, variâ interpretatione comprehenderent quidquid ferè hactenus de Virgine Deiparâ dictum est sublimius. Sed priusquam etymologiarum explicationem aggredimur, etiam radices quasdam adferamus ex P. Cornelio in Prouerb. cap. 8. v. 27. vbi sic habet: Nota, S. Ambrosium censere nomen MARIA, vel, vt Hebræi dicunt, *Mariam*, per crasim dici quasi *Merechem ia*, id est, *ex vtero Deus*; quia scilicet ipsa vtero concepit & genuit Deum. Secundò, S. Epiphanius nomen MARIA autumat dici, quasi *Mor iam*, id est, *myrrha maris.* Tertiò, alij MARIAM deriuant à *iara*, quod in hiphil *hora* idem est quod ostendere, docere, dirigere; vnde *more* est Doctor; hinc MARIA est doctrix, vel illuminatrix maris, quia ipsa omnes in hoc sæculo veluti mari procelloso, se inuocantes docet, illuminat, & ad portum salutis æternæ dirigit. Quartò, alij MARIAM interpretantur *pluuiam maris: more* enim etiam pluuiam significat, quia ipsa gratiarum copiam, & quasi mare, è cœlo suis precibus elicit, & in homines depluit. Quintò, multi MARIAM exponunt, vt idem sit quod Domina maris. *Mara* enim Syriacè est *Domina* (vnde *Maran ata* idem est

Radices variæ nominis MARIÆ.

est quod *Dominus noster venit*, 1.Corinth.16. v.22.) *iam* est mare, quia ipsa maris, terræ, totiusque mundi est Princeps & Domina. Sextò, alij interpretantur MARIAM per anagramma, quasi *Rum iam*, id est, *celsitudo maris*, vel *rama mi iam*, id est *excelsior mari*; quia ipsa omnes huius sæculi ærumnas, persecutiones, tribulationes, mortes, &c. longè superat & transscendit. quare ipsa sicut puritate est virgo, & pietate mater omnium viuentium veriùs quàm Heua; sic pariter omnium dolores & afflictiones ipsa in se concipit, concludit, absorbet, dum eos ad se suspirantes solatur, curat, sanat, exhilarat, viuificat, corroborat.

CAPVT XIII.

MARIAE *nomen continet nomina sacrosancta Iehouah & IESVS; item significat eadem quæ vox Deus. & de primâ eius ratione etymologicâ, quæ est*, Deus ex genere meo.

QVAM sibi ita similem effecerat Deus, vt multis modis res vna eademque cum ipso dici posset, prout Lib.5. ostendimus, ei voluit nomen tribuere, quod diuini nominis sui vim virtutemque contineret. Vt Adam nomenclaturam suam, inquit Fernandius in Genes. cap.2. sect.15, n.4. mulieri suo de latere fabricatæ indidit; sic planè sublimiori quodam modo suum Deus nomen Iehouah; & suum Verbum caro factum IESVS communicauit Virgini Deiparæ. Vtrumque enim in sacrosancto & ineffabili nomine MARIA Hebraicè continetur; vt verè & perdoctè (inquit ipse) ostendit eruditissimus Doctor & Magister meus Blasius Viegas in cap.12. Apocal. com.2. sect.1. vbi hic Blasius docet Primò, tria nomina esse tetragrammata, seu quadrilittera, ineffabile Dei, IESV Redemptoris, & MARIÆ Deiparæ: Secundò, nomen *mitraton*, quod Hebraicè *principem facierum* significat, eumdem constituere numerum, quem nomen MARIA, scilicet 999. Tertiò, IESV & MARIÆ nomina ascendere ratione arithmeticâ ad

MARIAE nomen continens Dei & IESV nomina.

numerum *berith*, id est pactum; vnde Cabalistæ ex Ieremiæ c. 33. v. 20. *Nisi pactum meum esset*, &c. colligunt, mundum à Deo conditum propter Deum & MARIAM. Quartò, docet in istis Isaiæ 9. v.7. *Ad multiplicandum imperium*, MARIÆ nomen contineri. Ad hunc igitur curiosum Lectorem remitto; vt scrutetur quomodo illa duo sanctissima nomina in vno tertio MARIÆ contineantur: vt, quemadmodum solet eum, qui erat in principio apud Deum; factum hominem simul & Deum permanentem in vtero Virginis adorare; ita nomen illud ineffabile, quod erat Dei solius, & alterum Dei simul & hominis, in nomine MARIANO colat. Vt vndique cum rebus nomen hoc conueniat; etiam illa non minùs curiosa quàm pia est animaduersio, quòd MARIÆ nomen eadem connotet quæ vox *Deus* significat. S.Damascenus lib.1. de Fide orthodoxâ c.12. Vox *Deus*, ait, vel à verbo θέειν, hoc est currere, est ducta, quòd discurrens quasi per omnia creata, singula foueat atque conseruet; vel ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, hoc est prospicere. de quo S.Thomas q.13. art.8. in corpore: *Imponitur hoc nomen Deus ab vniuersali rerum prouidentiâ: omnes enim loquentes de Deo, hoc intendunt, nominare Deum, quòd habet prouidentiam vniuersalem de rebus; vnde dicit Dionysius 12. cap. de Diuinis nominibus, quòd Deitas est, quæ omnia videt prouidentiâ & bonitate perfectâ.* vel denique formatur vox *Deus* à verbo αἴθειν, quod est vrere; quoniam Deus ignis dicitur vitia absumens. Quam vocis etymologiam, præter D.Thomam citatum, etiam tradidit Athanasius lib. de Definitionibus, paulò post initium; & ex parte probauit Nazianzenus Orat.16. num.70. Iam MARIÆ vox, ex plurium sententiâ apud Canisium lib.1. cap.1. à radice Hebraicâ deducitur, quâ non tam cursus quàm raptus & proiectio denotetur: *iarah* enim (vnde nomen hoc sacrosanctum formant) tam proijcere quàm docere significat. Deinde myrrham sonat MARIA, quæ cadauera fouet atque conseruat; atque in eo Deo

Nominis MARIAE etymologia conuenit cum etymologiâ vocis Deus.

est

est similis: qui inde dicitur, auctore Damasceno, quòd res omnes confoueat. Tertiò; non quidem vrendi significationem inuenies in MARIÆ nomine clarè expressam, sed illuminandi: quæ nobilior est ignis virtus, & numquam sine calore diffunditur. Vnde etiam alterum Dei significatum, quòd omnia perspiciat, quasi consecutiuè deducas: nam si illustrat atque illuminat omnia MARIA, haud dubiè eadem perspicit: nec enim cæca radios suos vspiam dimittit, sed videns quem illuminet. Et S. Epiphanius Orat. de ipsius laudibus, *Multoculam & Seraphim incomprehensæ visionis* eam appellat. Notandum hìc occurrit quod dicitur Genes. 2. v. 23. de feminâ: *Hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est.* Vbi ratio datur, cur feminæ nomen flectatur à nomine viri; quòd scilicet hæc de carne & ossibus eius formata esset: vt idem agnoscas mysterium in eo quòd MARIÆ nomen Dei nomina contineat; quia scilicet Deus Verbum caro factum ex ipsâ natum est, atque ob hanc rationem super omnem rerum creatarum nomenclaturam nomen eius extulit, idque de suo nomine formauit. Itaque Virgo Deipara tribuens Deo propriam carnem & sanguinem, vt ipsi similis posset in infirmitate nostrâ pati & mori, accepit ab eo de nomine sibi proprio formatum nomen; quo Deo, quantum creaturæ status admittit, simillima, immortali cum eo gloriâ celebraretur. Iterùm in nominibus Abrahæ & Saræ hoc adumbratum notant mysterium, qui accuratiùs Scripturæ nomina excutiunt: ideò enim vtriusque coniugis nomini *he* litteram nominis sui apponebat Deus, quòd esset ex stirpe eorum nasciturus; at Virgini MARIÆ totum suum nomen tribuit, quòd ipsa futura erat eius Mater. Quanti faciunt aulæ Proceres, si cui eorum Rex aut Imperator permittat gentilitio scuto partem aliquam insignium suorum apponere; tanti profectò nos, seruatâ quæ Deum inter & Reges terreos atque terrenos intercedit proportione, facere debemus, quòd Domina nostra ipso suo nomine gloriosissimum Dei nomen circumferat. Si magnifiunt vel feliciter inuenta anagrammata, vel emblemata ingeniosè excogitata, quibus dignitas, aut nobilitas, aut res gestæ virorum magnorum exprimuntur; quanti faciemus hoc tam aptè à Deo inuentum anagramma, vt MARIA simul ineffabile Dei, & IESV suauissimum nomen contineat? Quanto stupore hoc emblema supra omnes Ægyptiorum notas hieroglyphicas venerabimur, intelligentes, quòd scripto MARIÆ nomine, ei intime Dei ac Redemptoris nomen inscribatur, significans Deum hominem fuisse visceribus eius inclusum, & sanguinem eius de ipsius sanguinibus formatum? Nomina Hebræa dicit S. P. N. Augustinus lib. de Doctr. Christ. cap. 16. non paruam habere vim atque adiutorium ad soluenda ænigmata Scripturarum, si quis posset ea interpretari. Si hoc de vllis nominibus, certè de sacrosanctis illis Iehouah, IESV, MARIA potest verificari. Ænigma proposuit sanè difficile Ieremias Propheta c. 31. v. 22. *Quia creauit Dominus nouum super terram: femina circumdabit virum.* Vis huius solutionem? vide quod MARIÆ nomine contineatur nomen, & Virginem virumque inueneris. Ænigma erat omnibus antiquis indissolubile, quomodo venturus erat quem exspectabant; lege autem MARIÆ nomen, & solutum videbis ænigma, si sic ratiocineris: Qui nomen suum ineffabile, nomini MARIÆ inclusum, omnibus fecit dulce & familiare; is Verbum suum vtero Virginis comprehensum omnibus fecit tractabile & salutare. Imò ipsa ratio etymologica poterat sanctos Patres ad rei obscurissimæ intelligentiam perducere, si nomen Virginis audiuissent. Sanctus enim Ambrosius MARIÆ nomen interpretatur lib. 1. de Instit. Virg. cap. 5. *Deus ex genere meo: Speciale*, inquit, MARIA *Domini hoc nomen inuenit; quod significat, Deus ex genere meo.* Quod P. Cornelius à Lapide Prouerb. 8. v. 29. format per crasim à verbis Hebraicis *merechem ia*, hoc est, ex vtero Deus. Poterátne clariùs dici, ex vtero illius quæ MARIA voca-

Cur Virgini nomen tributum, quod Dei nomen continet.

Ænigmata Scripturarum soluuntur ex MARIAE nomine.

MARIA significat, Deus ex genere meo.

vocaretur Deum nasciturum, non aliter vtique quàm hominem factum, & infirmitate nostrâ circumdatum? Sit hæc ordine prima etymologiarum nominis MARIÆ, quæ prima est dignitate: fiatque ea nominis cum re proportio, vt, quemadmodum omnium dignitatum eius fundamentum, regula & mensura est Dei maternitas, ex quâ diximus Lib. 1. oriri vt ipsa sit rerum omnium Domina, nos autem eius mancipia; ita etiam in nomine explicando primum ponatur, quod ante alia spectauisse oportet Deum sapientissimum nominis huius inuentorem, vt summam eius dignitatem primariò significaret. *Qualibet res nomen habet à suo complemento*, inquir S. Thomas 3. p. q. 60. art. 2. nec satis concinnè eum qui Rex est Comitem vocaueris, Regio titulo omisso, licet Comitis dignitate non careat. ita Deus volens vnico MARIÆ nomine ingentem dignitatum Matris suæ texere catalogum, omittere non debebat id quod in eâ erat summum, vt scilicet Mater Dei vocaretur; hoc autem MARIA significat, interprete S. Ambrosio, siue ipse id formauerit ab isto *merechem ia*, quod adfert Cornelius, siue ex alijs quibusdam Hebraicis radicibus, quæ iam nos latent. sufficit nobis tantum habere ita censendi auctorem atque est Ambrosius, qui non temerè affirmauit tantum MARIANI nominis mysterium, quòd nempe significet, *Deus ex genere meo*. *Vidisti*, inquit S. Chrysost. Hom. 21. in Genes. *appellationem diademate clariorem, purpurâ nobiliorem; quid fuerit illo beatius, qui inuocatione ornatur Dei, idq. pro nomine possidet?* agit autem de filio Seth, quem pater Genes. 4. vocat Enos, id est, virum inuocatorem Dei. At ego mancipijs Deiparæ, eiusque dulcissimi nominis, dico: Vidistis appellationem diademate clariorem, purpurâ nobiliorem, etiam diademate & purpurâ quâ ornata est cæli terræque Regina; appellationem scilicet MARIÆ, quæ non tantùm inuocatum Deum, sed ab eâ conceptum & natum significat. Contineamus ergo tantisper impetum, quo ferri nos erat pronum, vt statim mancipijs tantæ Reginæ eam nominis interpretationem proponeremus, quâ Dominam significat: nam à maiori & digniori eius significatione inchoandum est. *Et maius est hoc donum quòd sit Mater Dei, quàm, quòd sit Domina creaturarum*, inquit de Virgine S. Bernardinus Tom. 1. Serm. 52. Quando ergo tanto studio Synodus Constantinopolitana collat. 6. & sexta Synodus act. 13. sub Agathone, & Concilium Chalcedonense def. 4. & Concilium Ephesinum sæpiùs, & plurima Conciliorum Patrumque decreta statuunt, & singularibus verbis commendant vocem Θεοτόκος; quid aliud nisi Virginis MARIÆ gloriosissimum nomen interpretantur? A maiori parte, non à minori appellationes fiunt, ac nomina imponuntur, ab ijs præsertim qui laudant & honorare volunt, inquit Theod. Abucara. Atqui certum est Deum Laconicam Deiparæ panegytim fecisse, quando ei nomen imposuit, quo præcipuas eius laudes attingeret. Quis ergo putauerit Dei maternitatem in eâ omissam? Certè nemo qui laudis MARIANÆ zelum, quo Deus fertur, cognouerit; vel qui S. Ambrosio asserenti, MARIAM significare *Deus ex genere meo*, fidem habuerit. Guerricus Abbas Sermone 3. de Ioanne Baptistâ aduertit, quòd Apostolus in limine Epistolarum se seruum Dei appellat, *vt auctoritas tanti nominis primâ fronte prælati, totum deinceps opus commendabilius redderet*. Quidni Deus in ipso hoc multorum librorum verbo, in hoc totius Scripturæ compendio, in hac Reginæ cæli panegyri statim initio eam Matrem Dei appellaret, quò deinde maiori veneratione tum ipsa, tum nomen eius coleretur? Significat ergo MARIA primò, *Deus ex genere meo*: quâ nominis interpretatione nihil fingi potest sublimius.

CAPVT XIV.

ETYMOLOGIA SECVNDA.

Nomẽ MARIAE significat Dominam.

NOTIOR est quoad nos dignitas B. MARIÆ Virginis, quæ explicatur

catur per cæli terræque imperium; quàm ea quæ mysteriosis Matris Dei verbis inuoluitur, quamuis hanc illa consequatur. Ecce autem hoc ipsum nomine adumbratum: nam magis notum est omnibus, MARIÆ nomen Dominam significare, quàm Matrem Dei; licet non satis aptè tantum significaret dominium, nisi simul Dei maternitatem aliaque diuina mysteria denotaret. Quis enim, dum audit nomen hoc maximè vulgari etymo Dominam sonare, non continuò reflectens ad significationem superiùs indicatam, concludit, non posse nisi summum atque hierarchicum esse dominium, quod eidem conueniat quæ simul nomine suo præ se fert quòd sit Mater Dei? Significationem hanc nominis MARIANI, & rem significatam confirmat Primò, quòd isto Isaiæ. 9. v. 7. *Multiplicabitur eius imperium*, (quod Hebraice est, *Ad multiplicandum imperium*) vbi est sermo ad litteram de Messiâ, nomen Matris Dei contineatur: docet, inquam, Rabbi Haccados apud Galatinum lib. 7. Arc. cap. 13. in illis verbis contineri hæc duo nomina *Miriam Sarah*, id est, MARIA *Domina*, ac fusè de eo agit; vt nimirum indicaretur, MARIAM Matrem Messiæ esse Dominam vniuersi, simulque cum principatu Messiæ eius principatum multiplicandum. Vbi etiam obseruandum, verbum *lemarbeh*, id est ad multiplicandum, habere illud *mem* clausum in medio dictionis præter morem Hebræorum, qui *mem* clauso tantùm vti solent in fine dictionis. mysteria ergo multiplicia in istâ clausurâ includi Hebræi dicunt; sed illud præcipuè, quòd Messias, cuius imperium multiplicandum prædicitur, nasciturus erat ex Virgine. Sed apertiùs hæc significatio Syriacâ linguâ proditur: illâ enim passim produnt sancti Patres nomen MARIÆ *Dominam* sonare. Arnoldus Carnotensis Tract. de Laud. Virginis, qui refertur Tom. 6. Biblioth. sanctorum Patrum: MARIA, inquit, *linguâ Syriacâ Domina dicitur; licet ipsa se Christi profiteatur ancillam: hoc seruitutis genus omni Regno sublimius esse intelligit. Constituta quippe est super omnem creaturam: & quicumque* IESV *curuat genu, Matri quoque pronus supplicat: & Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quàm eamdem.* Huic adstipulatur D. Hieronymus lib. de Nominibus Hebraicis in titulo de Euangelio Matthæi, vbi ait: *Sciendumq́, quòd* MARIA *sermone Syro Domina nuncupatur.* & Eucherius libro 2. Instruct. cap. 5. MARIA *illuminata, siue stella maris; sed sermone Syro Domina.* Dicitur autem Syro sermone *Maran* Dominus; vnde 1. ad Cor. 16. v. 22. illud *Maran ata*, id est, *Dominus venit.* At nihil opus est linguarum radices eruere, cùm certiorem, &, quod quærimus; ad praxim vtiliorem modum vim nominis huius cognoscendi suggerat S. P. N. Augustinus in Psal. 9. dicens; *Qui se libenter Deo famulum subdit, cognouit eius nomen.* & S. Remigius in eumdem Psalmum neget, absque hac praxi nomen hoc posse cognosci: *Hoc nomen*, inquit, *non nouit, qui meritum ei non exhibet famulatum.* Videte mancipia Virginis Deiparæ vocationem vestram; vestrum est intelligere, quid significet nomen hoc suauissimum MARIA, quia vestrum est exhibere isti Dominæ meritum famulatum: ab hoc nomine mancipatus vester denominatur, quia Deiparæ vos vestraque omnia mancipantes, re ipsâ interpretamini quid significet MARIA; ita tamen, vt nemo intellecturus sit, quàm illud sublimem significet dominatum, nisi qui imitatione vestri intellexerit, quid sit infimus & humillimus Deiparæ mancipatus: nam hoc nomen non nouit, qui meritum ei non exhibet famulatum. Occurrit hîc quod ait Apostolus in eumdem pænè sensum 1. Cor. 12. v. 3. *Nemo potest dicere, Dominus* IESVS, *nisi in Spiritu sancto.* non esse mentem Apostoli, quòd nemo possit exprimere hoc Domini nomen IESVS, nisi in Spiritu sancto; vel inde patet, quòd plurimi à Spiritu sancto & fide alienissimi illud pronuntient; & blasphemantes nomen illud, etiam

Per mancipatum Deipara venitur ad cognitionem nominis eius.

Quid significent hæ voces Dominus IESVS.

etiam id pronuntiant, non vtique in Spiritu sancto, sed in spiritu nequissimo. Vult ergo Apostolus, neminem posse dicere & fateri IESVM esse verum Deum & Dominum, siue Iehouah, nisi in Spiritu sancto. Nec mirandum, quòd ita prædicatum subiecto proponatur, cùm hoc in Scripturâ non sit nouum: nam Rom. 10. v. 9. idem Paulus: *Quia si confitearis in ore tuo Dominum* IESVM, *& in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Cuius loci sensus est: Si confitearis in ore tuo, quòd IESVS est Dominus, hoc est, Iehouah, &c. Hunc sensum colligere est ex S. P. N. Augustino Conc. 13. in Psal. 118. vbi ait: *Nos autem ne offendamus & cadamus, opprobria eorum ne timeamus, sed respondeamus eis verbum, hoc est, verbum fidei quod prædicamus; Quia si credideris, inquit, in corde tuo, quia Dominus est* IESVS; *& confitearis in ore tuo; quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Nec desunt plurimæ auctoritates, quibus optimè probari posset, quando venerando IESV nomini adiicitur *Dominus*, significari non quodlibet dominium, sed absolutum illud atque supremum, quod nomine ineffabili Iehouah exprimitur: quod ideò legebant Adonai, & Latinè vertitur Dominus; estque nomen proprium Dei. Vide quàm faciat ad etymologiæ huius illustrationem, quòd vti Dei ineffabile nomen, quo ipse incommunicabiliter & prout est significatur, explicatur per Dominum; ita MARIÆ nomen proprium formetur à voce quæ significet Dominam. Verùm non hoc ago; sed quod inde sequitur, breui ratiocinatione exprimendum. Ait Apostolus, quòd nemo dicere possit, quòd IESVS sit Dominus, siue intelligere admirabile nomen quod dominium significat, nisi in Spiritu sancto; hoc est, nisi asscriptus sit per Spiritum sanctum numero seruorum IESV. atque in eo S. Remigius consentit: *Hoc nomen non nouit, qui meritum ei non exhibet famulatum.* Quidni ergo dicimus, Nemo dicere potest MARIAM esse Dominam, nisi adscriptus sit per Spiritus sancti inspirationem & gratiam mancipatui MARIANO? dicere, inquam, opere & veritate, non ore tantùm & linguâ confitendo dominium illud sublime quod Matri Dei conuenit, & quod nomine eius exprimitur; eò quòd in ipsâ illâ confessione agnitio & professio inuoluitur nostri mancipatus. Significatur ergo MARIÆ nomine omnis illa maiestas & magnificentia, omne ius & imperium, omnis potestas & iurisdictio, quâ Mater Dei creatis omnibus & Deo Filio suo imperitat. Verissimè Princeps & Domina Virgo est, quæ concepit & peperit Altissimi Filium, cuius Regni non erit finis: Regina vtique Mater Regis omnium creaturarum, tam grandis & augusta Domina, vt etiam Rex ipse mundi Christus Dominus Dominam suam verè sæpiùs (vt filius matrem) nominauerit; quin & de iustitiâ illi debitam obedientiam exhibuerit, illi deseruierit, ab illâ maternis imperiis dirigi consueuerit. Sunt ex recentioribus qui ex vi hac nominis MARIANI, quâ Matrem Dei & Dominam significat, contendunt rerum omnium etiam vtile dominium (quod à nonnullis in controuersiam vocatur) ad eam pertinuisse. idque probant hac ratione: In mundi primordiis, cùm omnibus ad singula æquale ius esset, id sibi quisque proprium faciebat quod priùs occupauerat: verùm si MARIA tunc fuisset inter homines, ob prærogatiuam Matris sic aliis esset anteponenda, vt nemo posset cum eâ iure contendere, aut solo occupationis titulo anteuertere dominatum. nam id tantùm inter eos habet locum, quorum par est conditio, & ius ad rem æquale: quippe in pari causâ & æquali iure, is cui possessio succurrit, melioris conditionis censendus est. quod secùs habet in iis qui alteri debent iure cedere, ob præstantiam conditionis & dignitatis: anticipata enim possessio nisi ex veniâ & permissu dignioris ius non vindicat. propterea licet homines rerum dominia manutentione acquisiuerint, & deuoluerint ad proximos vi successionis; vbi

Super Psalmum 4.

Nemo dicere potest MARIAM Dominam, nisi eius mancipiũ.

Probatur MARIÆ Virginis in res omnes dominium vtile.

vbi tamen MARIA adfuit, bonis omnibus cedere debuerunt, si ipsa & suo & Filij nomine repetere voluisset. Quod ex eo confirmant, quia nullis humanorum Principum legibus ius præscriptionis aduersus Regum & Imperatorum Reginam & Dominam induci potuit: quamobrem bonorum omnium Domina iure habenda fuit, nec nisi eâ permittente priscis dominis retinere licuit, vt de Regnis quæ in aliorum potestate fuerunt, philosophamur. Neque verò assequi possum, cur qui Regem Christum natum fatentur, tametsi alij fuerint Reges, non etiam MARIAM Dominam fateantur omnium, quamquam alij fuerint domini, quæcumque autem contra dominum duplicem in rem eamdem valent, vim eamdem exercent in Regiam potestatem. Quare antiquis rerum possessoribus fuit verum in eas dominium MARIA conniuente, per quam retinere eas licuit, cuius certè erat in illas ius longè præstantius. Et quidem in emphyteusi duo dominia diuersæ rationis statuuntur; quid mirum si duo etiam in aliis rebus dominia constituantur omnino diuersa, comparatione MARIÆ & aliorum hominum, alterum alteri subiectum, & quasi ab eo pendens? neque enim nisi ex MARIÆ permissione poterant vti homines rebus quas possidebant, aut eas repetere. Hæc Auctor quidam, quem nec probare nec improbare est meum, ex aliorum refert sermone. Certè sententiam ad laudem Virginis facientem, & aliis rationibus alibi à nobis probatam, etiam hoc adminiculo spoliare non debui: quòd scilicet eo ipso Virgini cedebat ius & dominium vtile in omnia, quo esset & vocaretur MARIA, hoc est, Mater Dei, & Domina ac Regina, titulo excellentiæ & præeminentiæ. quod ferè coincidit cum eo quod suprà posuimus, ex ipsâ maternitatis excellentiâ Virgini competere in omnia dominium. Sed hîc non tam de re quàm de nomine, non tam de dominio Virginis quàm de nomenclaturâ MARIÆ agimus. Potiùs ergo huc spectare videtur istud, quærere cur nomen adeò plenum maiestatis & reuerentiæ datum sit Virgini dulcissimæ, cuius omnia viscera transierunt in misericordiam, maximè cùm Filius eius Deus, quasi depositâ magnificentiâ, exinaniret semetipsum, & non solùm diuinitatem suam humanitate nostrâ velaret, sed etiam omnia maiestatis nomina & titulos auctoritatis suauissimo ac dulcissimo IESV nomine commutaret. *Qui futurus est*, inquit Ecclesiastes cap. 6. v. 10. *iam vocatum est nomen eius; & scitur quòd homo sit*; ex ipso scilicet nomine humanitatis benignitatisque plenissimo. Et pulcherrimè Gerson dicit Tract. 4. super Magnificat, id quod Rex Assuerus obtulit Esther, *Quid vis Esther Regina? quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem Regni petieris, dabitur tibi*; Esther 5. v. 3. id completum fuisse in Virgine, cui nimirum Deus dedit dimidium Regni sui. Regnum porrò Dei duobus ait contineri, potentiâ & misericordiâ, iuxta illud Psalmi 61. v. 12. *Duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia*; potentiam sibi reseruauit, misericordiam Virgini cessit, diuidens quodammodò cum eâ imperium. Quod si ita est, quomodo hæc nomina rebus conueniunt, vt iudicis Filij sonet benignitatem, Matris aduocatæ maiestatem? Non rebus tantùm, sed & rebus nostris aptata sunt hæc nomina, Sodales. Audimus vtique in veteri Testamento Deum terribilibus nominibus populi Israëlitici ceruicibus incumbentem, vt frangat aut flectat earum duritiem: vbique enim sonat formidabile illud, *Dominus est nomen ei; Hæc dicit Dominus; Ego sum Dominus.* quare ita exterritus erat populus iste, vt totus trepidaret ad tanti nominis maiestatem, vergeretque potiùs ad desperandam quàm petendam delictorum veniam. Quid ergo Deus? descendere & condescendere cupiens infirmitati nostræ, exuit se diademate gloriæ, vestiturque humanitate & infirmitate nostrâ; &, ne quis accedere timeat, omissâ nominis magnificentiâ, IESVM se & Re-

Cur Deipara datum sit nomen plenum maiestatis.

Redemptorem appellat. Quid actioni isti & commodis nostris hoc saluberrimo nomine conuenientius? Rursus, cùm non posset humano modo nasci ex homine, nisi vnam aliquam, creaturarum omnium felicissimam, matrem suam efficeret, consequenterque in creatæ dignitatis maiestatisque fastigio ita collocaret, vt non fineret sibi modum aliquem possibilem meram creaturam vlteriùs prouehendi: quid rursum conuenientius, quàm ei creaturæ, quam, ad nostram vilitatem descendendo, ad vsque solium diuinitatis suæ exaltauerat, imponere nomen maiestatis, quod ipse deponebat; vt vtilissimâ nobis commutatione sumeret ex Virgine naturæ nostræ induuias, & nobis, eidem Virgini Dominæ nomen imponendo, quodammodò largiretur maiestatis suæ exuuias? Ita nobis conueniebat, Sodales, vt iudex assumeret nomina humanitatis, ne desperaret mens sibi conscia scelerum; & Aduocata nostra honoraretur titulis maiestatis, vt speraremus exaudiendam ob tanti nominis reuerentiam. Domina etiam magnificentissimo nomine vocanda erat MARIA, ne tantam, vnde conflata est, benignitatem, & misericordiam verteremus in contemptum: & dulcissimo IESV nomine appellandus erat Redemptor, ne formidaremus diuinitatis auctoritatem, humanitate tamquam gladium vaginâ reconditum. Denique MARIA, hoc est Domina, vocanda erat Deipara, vt memores redderemur ipso nomine tanti boni, quod ex mancipatu eius possumus percipere: nam si Nyssenus lib. de Vitâ Moysis dicit, *ad vnum finem in hac vitâ esse respiciendum, vt serui Dei nomen assequamur*; & paulò pòst, *Virtuosæ vitæ est, &c. seruus Dei sis & voceris*; addere licet, postquam Dominæ nomen datum est creaturæ, medium ad finem istum perueniendi facillimum & certissimum esse, si quis studeat serui ac mancipij MARIÆ nomen gerere, & rem nomine significatam præstare.

CAPVT XV.

TERTIA ETYMOLOGIA.

Nomen MARIAE illuminatam & illuminatricem significat.

SI quæ foret maiestati vestis concinnanda; si quis thronus erigendus, si qua domus ædificanda; non aliunde quàm ex lumine & luce sumenda esset materia, ideò quia luce ipsâ nihil vel esse vel fingi potest lucidius. Quidquid autem sumpseris, infra dignitatem erit maiestatis, si quid reperiri possit, quod magis splendeat. Hinc Daniel 2. cap. v. 22. conciliare volens diuinæ maiestati apud incredulum Regem auctoritatem, de Deo ait: *Nouit in tenebris constituta; & lux cum eo est.* & Apostolus 1. ad Timoth. 6. v. 16. *Lucem inhabitat inaccessibilem.* & Eccli. 46. v. 18. vocatur absolutè Deus lucis. Rationem dedimus Capite superiore, cur nomen adeò plenum maiestate Virgini Deiparæ Deus imposuerit; vt significaret absolutum eius in creata omnia dominium, quia nimirum volebat eam creaturis omnibus vel nomine ipso esse venerabilem. Vide autem quàm sapienter, non spoliatam ornamentis suis proposuerit nominis MARIANI maiestatem. Domina siquidem veste lucidâ erat circumamicienda, Dominæ thronus fulgentissimus constituendus, ac domus vndique diaphana & immensis rutilans splendoribus exædificanda. quæ omnia non solùm Virgini prouidit, sed etiam ita factum esse nomine ipso significauit amator eius liberalissimus: nam hæc omnia, illuminatrix, illuminans, illuminatrix mea, illuminans eos, illuminata, nomine MARIÆ significari Patrum auctoritate suprà comprobauimus; nunc quàm ei conueniant, varijs discursibus, illuminante nos ipsâ MARIA, ostendemus. Et primùm quidem, quàm illuminata fuerit in se; deinde, quomodo illuminet alios, quæremus, ordinem docente D. Thomâ Opusc. 8. vbi dicit: Conuenienter vocatur MARIA illuminata in se, & illuminatrix in alios,

alios, quantum ad totum mundum; ideò assimilatur soli & lunæ. Illuminata fuit in se MARIA à Patre luminum, à quo descendit omne datum optimum, tot luminibus quot virtutibus. Vt ergo nemo illâ sanctior, ita nullus clarior. Illuminata fuit à Spiritu sancto, quando ipso conceptionis momento gratijs diuinis præuenta, & ipso sancto Spiritu replera fuit. Illuminata denique à Dei Filio, vero Sole iustitiæ, quando eum totum in corde suscepit, & in ventre portauit. Quî enim poterat esse non illuminata, quæ fontem luminis totum susceperat? *Signum magnum*, inquit Euangelistarum aquila, *apparuit in cælo, mulier amicta sole*. dic amabo, Propheta magne, dum hoc signum ingens miraris, quid potissimum admiraris? an mulierem, an solem illi circumdatum, an lunam scabellum pedibus substernentem, an diadema stellatum lucidissimum, an miram rot lucidissimorum planetarum & siderum in muliere exornandâ conspirationem? Infinita sunt in hoc signo significata, quæ singula possent iucundissimo stupore calamum detinere, & Lectorem suspendere. Verùm vnicum inuenio inter omnia mirabilia admirandum, quod claré videbimus Euangelistam stupere, si ita textum distinguamus, vt dicat per exclamationem, *Signum magnum!* & hîc sistat conciliaturus attentionem. At quod, quæso, signum illud, quod tantâ præparatione indicas proponendum? *Apparuit*, inquit, *in cælo mulier amicta sole*. ac si diceret: Scis quid stupeam, quid mihi signi ac prodigij maximi loco sit? Cæli à terrâ distantiam cum Astrologis metire, solis claritatem, lunæ nitorem, stellarum fulgorem contemplare: & vide, an non prodigij loco habiturus sis, quòd mihi in terra existenti mulier appareat in cælo amicta sole, stellis coronata, lunæ insistens. Quænam, Deus bone? quænam ista tantæ feminæ vnius claritas quæ inter tot luces non obscuretur? O quàm iucundo fulgore, dum sudum est cælum, noctis tenebras illustrant formosæ stellarum flammæ ex tantâ distantiæ immensitate lucentes! quàm aspectabili decore luna medijs earum choreis argenteum infert caput! Vbi tamen pater ille & fons lucis pleno vomit ore diem, fugit omnis illa pulchritudo, victa tam rutilanti mundi face, nec quidquam præter solem apparet; atque hic ipse propter spatium interiectum non maior tricubitali sphærâ, licet centum & sexaginta vicibus terræ magnitudinem ex supputatione Astrologorum superet. Quis ergo non stupeat tantam in feminâ lucem, vt soli non tantùm propinqua, sed medijs eius radijs immersa, ac prætereà coronata stellis, lunâ calceata, homini è terrâ in cælo appareat? Dubitarine potest an MARIA, hoc est illuminata, sit illa mulier quæ tantâ luce non obscuratur, quæ Dei ipsius vicinitate ac tanti solis splendore non vincitur, quo minùs appareat, & luceat, & tanto interuallo non occultetur? Vnde etiam colligere possumus, quantum Sanctis alijs plus lucis Virgo acceperit, quippe qui iuxta Virginem positi, videri à nobis in terrâ non possunt, maiore lumine victi. Quod indicat S. Petrus Damianus Serm. de Assumpt. Virginis: *In illâ, inquit, inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumque spirituum, id est hominum & Angelorum, hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint nec debeant apparere.* Nota proportionis inæqualitatem, & non miraberis exclamare Euangelistam, *Signum magnum!* Virgo ab illâ infinitâ & inaccessibili luce non obscuratur; Sancti coram ipsâ Virgine delitescunt. Nec mirum, cùm ipsa sit lux illa primigenia primo die creata, quæ diuisit lucem à tenebris; ex quâ Magister Sentent. in 2. dist. 13. formatum putat posteà fuisse corpus solis, CHRISTVM scilicet Solem iustitiæ. de hac enim dicitur: *Et vidit Deus lucem quòd esset bona.* Sicut enim nemo bonus nisi solus Deus; sic nulla anima MARIÆ comparata inuenitur perfecta: nam sicut ipse est super omnia Deus benedictus, ad Rom. 9. sic MARIA inter mulieres, id est super omnes mulieres, benedicta. Aduerte autem apparatum creationem lucis istius præcedentem. Totâ

Illuminata fuit MARIA à SS. Trinitate.

MARIA iuxta solem posita etiam apparet.

Apoc. 12. v. 1.

Genes. 1. v. 4.

Primò creationi transactarum fuit lux.

Totâ æternitate siluerat Deus, iam accingebat se, vt, producendo effectus quosdam extra se, cum creaturis quodammodò loqueretur: hæc ergo diuturna æternitatis silentia frangit voce plenâ mysterijs, & potentissimâ effectibus, *Fiat lux.* Vox digna tantâ exspectatione, digna Deo, & creaturis mox proditùris in lucem gratissima: nam facta est lux, & diuisæ fugatæque tenebræ; rebusque color quidam & ordo datus, quæ anteà tenebris, tamquam infantiæ fascijs, erant inuolutæ. Sic enim Iob loqui videtur cap. 38. v. 8. *Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulvâ procedens, cùm ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantia obuoluerem?* postea autem dicturus erat Propheta Regius: *Tempus faciendi, Domine, dissipauerunt legem tuam,* Psal. 118. v. 126. tamquam si diceret: Semel tempus erat faciendi, Domine, quando tu secundùm decretorum tuorum ordinem creaturas nihileitatis caligini inuolutas producturus in lucem, hanc priùs mysterioso illo ac potenti verbo *Fiat lux* produxisti: ecce iterùm tempus faciendi, Domine, quæcumque feceras in numero, pondere & mensurâ, optimisque firmaueras legibus, fracta, dissipata, & confusioni inuoluta sunt, vt ferè præstaret non esse, quàm malè esse rebus quas tu feceras: dissipauerunt enim prorsus legem tuam, quapropter rursum tempus faciendi ac reficiendi quæ creaueras. Quid ergo primùm post quatuor millium annorum silentium, quibus vox illa refectiua mundi exspectabatur, dixit Dominus? *Fiat lux:* fiat, inquit, MARIA tantâ lucis claritate amicta, vt etiam in illâ inaccessibili luce pelluceat. & dicit Virgini, *Dedi te in lucem Gentium*; feciique eam de tenebris lucere ac splendescere, redditusque est ordo ac color creaturis, quem rebus nox atra abstulerat, audirique cœpit Ecclesiæ canticum,

Rebusq; iam color redit
Vultu nitentis sideris;

acciniique Virgini genethliaci loco illud Prophetæ Dauidis, *Apud te est fons vita, & in lumine tuo videbimus lumen.* Cùm illuminatam in se, siue lucem dicamus Virginem, luxque sit qualitas; idem de hac luce disputari posset, quod de primigeniâ istâ luce quæritur, in quâ materiâ fuerit subiectata, an in aëre, an verò in cælesti aliquâ materiâ, quali verosimile est solem ceteraque astra constare. Et pro aëre dici posset, quòd, sicut ille diaphanus dicitur, eò quòd proprietas eius sit, luci non obsistere, sed omnibus in partibus siue extimis siue profundis lucem capere; sic MARIA nullam habuerit mentis aut corporis facultatem quæ non cælesti lumine illustraretur, nullumque ab ipsâ conceptione momentum temporis fuerit, in quo non perspicua & intus forisque illuminata existeret. Aspirate, Sodales, ad aërem hunc saluberrimum, cælesti hac aurâ vescimini, & crebrâ nominis eius sanctissimi pronuntiatione per eam respirate, non solùm vt vitam conseruetis, sed etiam vt lumen à lumine eius accipiatis, viuatisque vitâ quadam spirituali ac intellectuali, per rerum cælestium cognitionem supra terrena eleuati. Audite Idiotam istum, qui suum vel ideò occultauit, vt puriore affectu nomen Virginis sanctissimum celebraret: is lib. de Cant. Virg. c. 5. sic habet: *Tanta est virtus tui sanctissimi nominis, ô* MARIA, *quod mirabiliter mollit & penetrat duritiem cordis humani: ideò scribitur Prouerb. 20. Lucerna Domini spiraculum hominis, qua inuestigat omnia secreta mentis. sic etiam dicere tibi possumus: Lucerna Domina, id est* MARIÆ, *spiraculum hominis, quia peccator per te respirat in spe venia & gratia.* Si tamen lucem hanc in cælesti potiùs substantiâ dicamus hærere, quòd tota cælestis sit Virgo, habebimus ab alterâ etymologiâ nominis, quâ stella maris dicitur; quo sententiam hanc roboremus, quod postmodum videbimus: nunc ad lucis effectus transeamus.

Genes. 1. v. 3.

prima reficiendarum lucidissima Virgo MARIA.

Isaiæ 49. v. 5.

Psal. 35. v. 10.

MARIA tota est diaphana.

CA-

CAPVT XVI.

Proprietates lucis Virgini Deiparæ applicatæ.

POST Dei nomen nullum esse MARIÆ nomine venerabilius (quia post Deum ipsum hac nemo est melior) iam credo sæpiùs inculcatum; vtque hoc ipsum indicaret Deus, nomen Virgini indidit ab eâ qualitate, quâ nulla summi boni naturam refert accuratiùs. ideò S. Dionysius lib. de Diuinis nominibus cap. 4. §. 5. ait: *Dicendum, quòd is qui bonus est* (qui vtique, vt antè demonstrauerat, solus est Deus) *lux intellectilis dicitur, quia omnem mentem supracælestem implet lumine intellectili.* & insignis interpres ac Commentator Dionysij Corderius subiungit: *Nota verò, rem nullam magis quàm lumen referre naturam boni; bonum quidem increatum refert*, vt suprà §. 4. dicit S. Dionysius, *quatenus tenuissimum quid illius boni in eo procul resonat*; vel, vt Græca habent, κατὰ πολλοστὸν ἀπήχημα τἀγαθοῦ, pulcherrimâ, & quâ meritò sibi S. Dionysius placet, comparatione: quod Latinè, sed obscuriùs, diceremus, *secundùm multesimam* (hanc enim vocem ita Latinè reddit Lucretius lib. 6. eâ ratione quâ dicitur millesimum & centesimum) *boni extremam resonantiam.* Vt si quis, inquit S. Maximus, magnâ vociferatione aliquid dicat, qui adstant, benè clamorem & quod dictum est percipiunt; qui autem distant, minùs audiunt; qui verò longè sunt, tenuissimum sonum audiunt, sine significatione vocis: sic cogitandum, inquit, de lumine solis, si cum diuino conferatur, esse scilicet diuinum lumen infinitum, & conferri cum illo non posse, adinstar acutissimi clamoris & clarisonæ vocis cum tenuissimo & obscurissimo sono collatę.

Lux creata est extrema resonantia increata.

Hæc præmittenda, vt virtus illuminandi, creata quidem, quæ est in Virgine, sed multis etiam modis supra omnem lucis corporalis claritatem eleuata, intelligatur, &, prout debet, magni fiat: vix enim, si conferas lucem corpoream, inuenies extremam resonantiam esse istius diuinæ lucis quæ est in Virgine, cuius nobis radios illuminando communicat. Ex Doctore igitur nostro Hierarchico aliquot lucis proprietates Virgini applicabimus, vt constet quàm iustè non tantùm illuminata, sed etiam illuminatrix dicatur. Ac in primis, lumen in genere sensibili purissimum eminentissimumque apparet, imò tantum est supra omnem corporearum rerum dignitatem eleuatum, vt meritò medium quid inter spiritualia corporeaque dici possit: quippe cùm rebus corporeis communicat, quòd sensu capiatur; ita tamen spiritualia pulchrè refert, vt, nisi distinguatur subtiliter, facilè ex eorum numero esse existimes. Quid meliùs adumbrare posset Virginem ac Dominam nostram, quæ inter Deum & creaturas ita media est, vt, cùm creaturam esse fide doceamur, omnia tamen in eâ aduertamus ita diuinitatem imitantia, ipsamque ita luci inaccessibili immersam, vt Magister noster subtilissimus pænè cæcutierit, parumque abfuerit, quin aliquid diuinitatis ei inesse arbitraretur. Secundò, lumen facillimè omnium & amplissimè momentoque dilatatur. qui hoc videre amat in Virgine, vel legat ea quæ Lib. 5. de modo eius intercedendi pro omnibus dixi; vel cogitet quàm promptè omnibus inuocantibus se præstò sit, vt non sit qui se abscondat à calore eius; ita vt sæpè citiùs auxilium veniat à Dominâ, quàm plenè fuerit inuocata: luminis vtique tam prompta est diffusio, vt antè domum intrauerit, quàm fenestra omnino fuerit aperta. Tertiò, lumen innoxium occurrit omnibus, atque penetrat, & lenissimum atque blandissimum est: an non describi videtur ipsa MARIÆ indoles, quæ nocendi vi carens, omnibus salutaris occurrit, & penetrat lenissimè blandissimeque, vel supra naturam lucis, lapidea atque opaca corda peccatoris? Quartò, calorem secum fert almum, omnia fouentem & generantem atque mouentem: imaginare tibi quis mundus fuerit, antequam aurora nostra suos vibraret radios, quàm emortua, quàm ægra omnia,

Lux est quid medium inter corpora & spiritus:

momento amplissimè dilatatur:

innoxiè penetrat etiam durissima:

calorem habet fouentem omnia:

nia, quàm rarus in eo virtutis sectator, quàm pauci qui vitam viuerent spiritualem. Rursum post eius aduentum eumdem contemplare, quàm blandè fouerit in vno suo naturali innumeros adoptionis filios; quomodo animus vitaque reddita languidis, spes desperatis, gratia peccatoribus, cœperintque omnes, calore hoc è languore excitati, sentire vitæ suæ & virtutis gratiæque bonum. Quintò, lux dum adest inesque cunctis, à nullo inficitur, nulli miscetur: imago scilicet istius puritatis, quæ in mundo conuersata nihil mundani pulueris contraxit, quæ per vitæ nostræ introitum, turpissimis primigenij peccati reliquijs consputeatum, mundissima ad essentiæ vitæque limina processit; quæ peccatoribus semper addita & addicta, nihil ab ijs labis accepit; quæ denique matet effecta est, nec in viâ istâ inquinatissimâ virginitatis suæ splendorem infecit, sed intendit. Sextò, lumen est inæstimabile atque ineffabile: hoc enim nullus adhuc Philosophorum definiuit, ita vt, cùm nihil lumine clarius sit, nihil tamen videatur obscurius. Et quis Virginis Deiparæ dignitatem æstimabit, quis virtutibus eius pretium ponet, quis gratias, dona cælestia, prærogatiuas enumerabit? nihil in eâ est quod definiri possit, quæ incomprehensibilem & infinitum angustis corporis sui terminis circumscripsit. Vel ipsum nomen eius prorsus est ineffabile & inæstimabile, vt non tantùm ex nostrâ patet infantiâ, sed ex tot Patrum sanctorum eloquentiâ; qui vno ore fatentur, nihil adferri posse eius dignum maiestate. Septima denique & optima proditur à S. Dionysio luminis conditio, his verbis de sole agente: *Omnia quæ eum participare possunt illustrat; &, si quid eum non participat, non est in causâ imbecillitas aut tenuitas facultatis illuminandi, sed potiùs rem ipsam non esse expeditam ad participationem luminis, quia non sit idonea ad admittendum illud.* Quibus optimè explicatur sinus ille bonitatis & misericordiæ, quem Virgo semper habet explicatum: dicit enim cum Filio Apoc. 3. v. 20. *Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* & Cantic. 2. v. 9. *Respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos* (quemadmodum lumen vigilat ante fenestras, vt vel minimâ apertâ rimulâ ingrediatur) *præoccupat eos qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat*, Sap. 6. v. 14. Quòd autem opaca non penetret, facit corporum ineptitudo, non luminis ad penetrandum impotentia: nam cùm peruadat crystallum penetratu difficillimum, ad folij lanæque hæret mollitiem, quia hæc lumini ex se repugnant. O si non esset in mente nostrâ pertinaciæ opacitas, quàm citò cælesti lumine Virgo eam totam collustraret! lux enim eius vel in tenebris animæ lucet, sed tenebræ eam non comprehendunt. Apetiamus vel exiguam ei rimam, & diffundet lumen suum in cordibus nostris. *Quasi modica rima est*, inquit Richardus à S. Laurentio lib. 7. de Laud. Virgin. *aliquoties eam deuotè salutare, pro amore eius lubenter eleëmosynam dare, Missam suam deuotè auscultare, vel sermonem de eâ; blasphemantes eam vel iurantes acerrimè redarguere, eius magnalia firmiter credere, tutelæ ipsius sese commendare, & huiusmodi.* ibat autem, vt patet, ferè omnes Regularum mancipatus nostri pias exercitationes enumeratum, per quas, tamquam per rimas, admittendum est hoc Virginis lumen. Est quòd hîc Sodalibus reuelem magnum, ex eo quòd admissi sunt, mysterium. an non animaduertere est lumen à corpore luminoso sic vniformiter difformiter propagari, vt viciniora semper, nisi obstet peculiaris in illis incapacitas, plus illuminentur? in signum & spem certam, quòd Virgo luminis sui abundantiam primò communicabit domesticis sibi vicinioribus. Scriptura id indicat, & res acta, quid porrò sperandum sit, declarat. Benedicens filiis suis magnus Patriarcha Iacob ait: *Zabulon in littore maris habitabit*, Genes. 49. vers. 13. & Deuter. 33. v. 19. de eodem: *Inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.* Hæc figura erat, agens ex vicinitate maris de temporali felicitate & diuitijs Zabulonis. quam

à sordidis non inficitur

definiri non potest:

est sui communicatiua.

Lux viciniora priùs magisq; illuminat, nisi quid obstet.

moralizauit & ad spiritualia traduxit verus; nisi futura loqueretur, Euangelista Isaias cap. 9. v. 1. vbi ait: *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthali; & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilaæ Gentium. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Hæc prophetia est, quam explicat & veram ostendit subsequens euentus: nam terra Zabulon in primis Dominicæ incarnationis doctrinam accepit; ex eâ namque Apostoli vocati, vt lucem ortam susciperent ipsi, & mundo communicarent. Cur autem lucem primò accepit Zabulon, dicet S. Ambrôsius in Psal. 1. *Regio Zabulon, populus qui ambulabat in tenebris, lucem vidit magnam.* & post pauca: *Et quasi requirenti tibi vnde tantus splendor, tanta gratia sit*; respondet: *Quoniam puer natus est nobis, puer qui ortus ex Virgine est.* Circa mare, hoc est MARIAM (mare enim nomen eius significare iam diximus, & infrà explicabimus) erat Zabulon: MARIA autem lux est, quæ lumen effudit, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quid mirum, si primò lucem accipiat Zabulon MARIÆ vicinus? erat iuxta puerperium Virgineum: quid mirum si primus inaccessæ lucis radios intromittat, quòd abstrusissima diuinitatis secreta iam patefacta sentiat? Nemo vicinior Virgini Deiparæ fuit Euangelistâ Ioanne, qui ex illâ horâ quâ audiuerat, *Ecce mater tua, accepit eam in sua*; nec vllus clariore rerum cælestium lumine fuit illustratus. Causam dat Guerricus Abbas Serm. de Assumpt. *Quia fidelis probatus est Ioannes in obsequio incorruptæ Matris, mysteria quoque diuinitatis & arcana Verbi incorruptibilis sibi credi promeruit.* Notanda sunt verba, *Quia fidelis in obsequio incorruptæ Matris*; vt spem intendant Virginis Sodales, obsequijs eiusdem incorruptæ Dei Genitricis mancipati, sciantque maiora sibi rerum cælestium lumina ab hac eius vicinitate & obsequio communicanda.

Ioan. 19. v. 27.

CAPVT XVII.

Aliæ lucis proprietates B. MARIAE *Virgini applicatæ.*

VLTRA triginta lucis proprietates, quas adfert S. Dionysius lib. de Diuin. nominib. cap. 4. & lib. de Cælesti Hierarchiâ c. 15. & quarum præcipuas Capite superiore attigimus, & Virgini applicuimus; hîc rursum tum ex illo, tum ex aliis promiscuè quasdam adferemus; vt vndique pollucentem & rutilantem Virginem Deiparam cognoscamus. Est tamen quod doctrinæ claritatis causâ ex D. Thomâ præmittamus: disputat enim is 1. p. q. 67. art. 1. vtrùm lux propriè in spiritualibus dicatur; in corp. respondet, quòd de aliquo nomine dupliciter conuenit loqui, scilicet primo modo secundùm primam eius impositionem, alio modo secundùm vsum nominis: sicut patet in nomine visionis, quod primò impositum est ad significandum actum sensus visus; sed propter dignitatem & certitudinem huius sensus extensum est hoc nomen, secundùm vsum loquentium, ad omnem cognitionem aliorum sensuum, & vlteriùs etiam ad cognitionem intellectus, iuxta illud, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et similiter dicendum est de nomine lucis: nam primò quidem est institutum, ad significandum id quod facit manifestationem in sensu visus; postmodum autem extensum, ad significandum omne illud quod facit manifestationem secundùm quamcumque cognitionem. Si ergo accipiatur nomen luminis secundùm suam primam impositionem, metaphoricè in spiritualibus dicitur, vt S. Ambrosius ait; si autem accipiatur secundùm quod est in vsu loquentium ad omnem manifestationem extensum, sic propriè in spiritualibus. Ex hac prænotatione & dicta lucem accipiunt, & dicenda illustrabuntur. Iam pergo ad lucis luminisque proprietates, vt eas Virgini conuenire ostendam. Et primò videre est in ipsâ claritatis diffusione magnum

An lux in spiritualibus propriè dicatur.

Matth. 5. v. 8.

maternæ

Lucis diffusio multifariàm partum Virginis adumbrat.

maternæ virginitatis mysterium: diffundit enim se lumen sine vllâ sui imminutione, sine labore, sine contrariantis repugnantiâ, in instanti; nec citiùs corpus illuminosum illuminatur quàm illuminet. Quàm accuratè depicta diuinæ incarnationis & maternæ virginitatis imago! nec enim magis quàm crystallus mundissima solaris radij susceptione, corrupta fuit Virginis integritas Filij-Dei conceptione, quem sine labore portauit, sine dolore peperit: non habuit in se peccati, non voluntatis inobedientis repugnantiam; imò nec obstitit productioni instantaneæ materiæ in corpus diuinum formandæ tarditas, quandoquidem instanti temporis perfectâ organizatione femina virum circumdedit; neque citiùs illuminata erat tam diuino radio, quàm eumdem in vicinos, in Baptistam, in mundum vniuersum spargeret. *Effudit illam* (lucem quam susceperat) *super omnia opera sua, & super omnem carnem*, Eccli. 1. v. 10. Aliam lucis qualitatem subindicat Propheta Iob 12. v. 22. *Reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis.* ipsi enim peccatores, qui procul à luce æternâ in barathrum nequitiarum recessetant, & facti erant sibi vmbra mortis, nec videbantur à Deo in bonum, nec ipsi eum vllâ ratione conspiciebant; per lucem misericordiæ MARIANÆ de tenebris eruuntur, & statuuntur ante faciem Filij eius, vt oculis paternis ac misericordiam spirantibus illos intueatur, ac veniam concedat omnium scelerum ipsorum, sintque posthac non vmbra mortis, sed filij lucis. Vtilis etiam est ista lucis conditio, quòd radio suo rimas ac foramina domus patefaciat. Quàm autem certa est index defectuum lux MARIANA? vix se quisquam sincero animo mancipatui eius addixit, qui non statim videat, quot rimis & foraminibus cor suum pateat, per quæ accipiens paulatim inimicum imbrem, per occulta vitiorum stillicidia tandem ruiturus erat, vt ædificium paulatim per occulta vitia exesum. Est ergo

Lux eruit de tenebris, & Virgo à peccatis.

Vitia & rimas domus lux manifestat, MARIA conscientiæ.

lux MARIANA reuelans vestigia occultorum. rogemus eam, vt nobis immittat penetrantem omnia radium diuini timoris, quo possimus scrutari omnia vitia nostra: nam *qui timet Deum, conuertetur ad cor suum*, Eccli. 21. v. 7. conclusúsque totâ cogitatione intus, & sensuum occlusis fenestris, videbit, luce MARIANA reuelante; quot hiet vndique scissutis ac foraminibus. Lux grata est oculis sanis; Eccle. 11. v. 5. *Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem*; at lippientibus & ægris maximè inuisa. Sanctus Augustinus ait: *Palato non sano pœna est panis, qui sano est suauis; & oculis ægris odiosa est lux, quæ puris est amabilis.* Lippientibus oculis sunt Pagani, Iudæi, hæretici, blasphemi; atque ideò nihil ægrius illis accidit fulgentissimo solis MARIANI radio: nam qui malè agit, odit lucem, etiam hanc quæ statim reuelat defectus & vitia: vnde & ipsi cum superioribus sunt *rebelles lumini*, Iob 24. v. 13. Verùm *inimicos eius persequentur tenebræ*, Nahum 1. v. 8. cadentque ex hac ægritudine in cæcitatem, & tandem proijcientur in tenebras exteriores. Solis lux vtrumque illuminat hemisphærium, & MARIA Virgo vtramque collustrat Ecclesiam: dicit enim Eccli. 24. v. 45. *Illuminabo omnes sperantes in Domino.* In arcâ Noë, quæ militantem Ecclesiam significat, fenestra erat vna crystallina, per quam omne lumen accipiebat: in Ecclesiâ vnica est MARIA, per quam transire debent omnes diuinæ bonitatis radij, quibus collustrantur. De triumphante verò Ecclesiâ ipsa dicit Eccli. 24. v. 6. *Ego feci in cælis vt oriretur lumen indeficiens. Ciuitas* enim illa *non eget sole neque lunâ, vt luceant in eâ; nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus*, à MARIA scilicet natus; & *ambulabunt gentes in lumine eius*, Apocal. 21. v. 23. & 24.

Lux gratà oculis sanis, ingrata vitiosis.

Lux vtrumque illustrat hemisphærium, MARIA vtramque Ecclesiam.

Non est finis proprietatum lucis, & multò etiam minùs laudum MARIÆ, quæ iure optimo vocatur illuminatrix, vel illuminans eos: quòd, quidquid est in luce laudabile, ipsa multò emi-

nentiore ratione contineat: ipsa enim docuit & illuminauit Apostolos, qui dati erant in lucem gentium; & quotidie immittit cordibus salutiferas faces. Colligat ergo ex Scripturâ, si cui superest ad hanc pietatem otium, omnia de luce & lumine vocabula, eaque MARIÆ sic applicet, vt nomen eius in nomina omnia ista diffundat, intelligendo ea antonomasticè de Virgine, cum articulo arctante communem appellationem ad propriam & singularem MARIÆ personam: qui licet Latino sermone non exprimatur, potest tamen etiam Latinè loquenti vis ista quæ Græco inest articulo, succurrere. Cùm ergo dicimus *Aue* MARIA, dicit piissimus auctor Richardus à S. Laurentio, debemus humiliari coram eâ, tamquam serui coram Dominâ; debemus etiam de peccatis conteri, reducentes ad memoriam ipsius & Filij passionem, cui peccatis nostris dedimus causam; debemus etiam memorare, inter quæ versemur pericula, & tenebras ignorantiæ nostræ; vt sic corde contrito & humiliato, quod nec ipsa nec Filius eius despicit, impetremus ab eâ lumen gratiæ, & ducatum inter pericula.

CAPVT XVIII.

Non tantùm Virgo Deipara, sed etiam nomen eius, lux est & lumen.

CANIT in Officio de sanctissimo nomine Virginis MARIÆ Ecclesia: MARIÆ *nomen cunctas illustrat Ecclesias, cui fecit magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Quæ verba non sinunt me acquiescere in istâ nominis MARIANI interpretatione, quâ dicitur illuminatrix aut illuminans, quòd ipsa, quæ nomine hoc significatur, sit lux, lumen & illuminatrix; sed prætereà inquirere cogunt & explicare, quomodo ipsum nomen sit lux & lumen. Si enim non ipsa solùm Virgo, sed nomen etiam eius illustrat Ecclesias, necesse est vt & ipsum lux sit, aut corpus luminosum. Ad quem discursum viam sternet locus S. Bernardi pulcherrimus in Cantic. Serm. 15. vbi ait: *Vnde putas in toto orbe tanta & tam subita fidei lux, nisi de prædicato* IESV? *nónne in huius nominis luce Deus nos vocauit in admirabile lumen suum? quibus illuminatis, & in lumine isto videntibus lumen, dicat meritò Paulus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Hoc denique nomen coram Regibus & Gentibus & filiis Israël portare iussus est idem Apostolus: & portabat nomen tamquam lumen, & illuminabat patriam, & clamabat vbique; Nox præcessit, dies autem appropinquauit: abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: sicut in die honestè ambulemus. & monstrabat omnibus lucernam super candelabrum, annuntians omni loco* IESVM, *& hunc crucifixum. Quomodo lux ista resplenduit & perstrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri tamquam fulgur egrediens, claudi vnius corporales plantas solidauit & bases, multosq; spiritualiter cæcos illuminauit? numquid non ignem sparsit, cùm ait; In nomine* IESV CHRISTI *Nazareni surge, & ambula? Nec tantùm lux est nomen* IESV, *sed est & cibus,* &c. Hactenus S. Bernardus: quo discursu affirmat & probat IESV nomen esse lucem. Nota autem, prudenter Ecclesiam, quando de Virginis sanctissimo nomine idem affirmat, nominis Dei & IESV meminisse, dicendo, MARIÆ *nomen cunctas illustrat Ecclesias, cui fecit magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* vt ostendat, quâ fiduciâ audeat affirmare de nomine Matris, quod sine vllâ dubitatione dicitur de Filij nomine, quòd scilicet non solùm sit nomen Sancti, sed & ipsum sit sanctum, fulgeatque ac luceat sanctitatis radiis per vniuersum orbem. Nomina non possunt esse magna, nisi magnus sit qui iis nominatur: Virgo maxima est, quia magna ei fecit qui potens est quidquid vult efficere. *Et sanctum,* inquit, *nomen eius.* qui tanta fecit Virgini, ne dubites affirmare idem de nomine, cui, quanta potuit, fecit is cui nihil est impossibile. Quâ ergo proportione

Nomen IESV lux est.

Rom. 13. v. 12.

Act. 3. v. 6.

B. MARIÆ Virginis splendorem & lucem solemus Filij eius claritati comparare; eâdem debemus de vtriusque nominis luçe philosophari. atqui certum est, vel ex ipso Lactanrio, IESV CHRISTI nomen iisdem nitere radiis quibus Christus ipse fulgebat. quin igitur de nomine B. MARIÆ Virginis affirmemus, non tantùm nomen esse lucidissimi solis & lunæ, sed ipsum lucem habere, quæ cum iisdem sideribus possit contendere? Producenda sunt Lactantij verba, ne gratis tantam nomini laudem tribuere videamus: *Sicut Christus*, inquit lib.4.cap.27. *cùm inter homines ageret, & vniuersos dæmones verbo fugabat; hominumq́, mentes emotas, & malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat; ita nunc sectatores eius eosdem spiritus inquinatos, de hominibus, & nomine Magistri sui, & signo passionis excludunt.* Vides tenebras & tenebriones infernales tam facilè luce nominis fugari, quàm ab ipsomet sole Christo pellebantur. Idem de MARIANI nominis splendore, confirmatus Ecclesiæ auctoritate, affirmate ne dubita. Obiicis: Nomen rem velut vmbra corpus sequitur; quomodo ergo lucem vocari vis, quod verè vmbra nominatur? Multa sunt in corpore & vmbrâ, quæ rei & nomini accommodari possunt; ita vt non sit necessariò huic sensui insistendum, quòd nomen obscuriùs quàm res ipsa luceat. Verùm cùm nihil lucem faciat aspectabiliorem quàm posita iuxta eam vmbra; negare nolo, Virginis claritatem à nominis vmbrâ quodammodò intendi: idem tamen contendo, vmbram hanc qualibet aliâ luce esse splendidiorem: nam vmbram lucem esse tum Philosophia fatetur, tum experientia docet. quî enim fulgente sole residens sub vmbrâ videretur, si lucem omnem vmbra excluderet? Iam facile est colligere, ex eo quòd vmbra meridie lunaribus radiis fit fulgentior, quomodo consistat, tantùm vmbram Virginis esse nomen MARIÆ, & simul idem esse quolibet alio lumine splendidius: tam enim artificiosè eam Spiritus sanctus hac nominis sui vmbrâ sepsit, vt, cùm lucem eius directè intueri non possimus, ad hunc nominis temperatum splendorem exerceremur. quod iam aliquot symbolis, quibus lucidissimum hoc nomen comparatur, est faciendum. dicit Genes.9.v.13. Dominus: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.* ne dubium relinqueret, quid arcu isto significaret, tam disertè meminit fœderis inter se & terram, eius scilicet quod pepigit, dum, misericordiæ suæ recordatus, deleuit chirographum mortis, & regenerauit nos in spem filiorum Dei. Cuius vix habemus memoratiuum signum nobilius quàm nomen hoc sanctissimum Virginis: quod multiplici sui interpretatione non tantùm exprimit Deiparæ magnitudinem, sed etiam Dei erga nos misericordiam, atque in memoriam reducit diuinam incarnationem; indubitatâ certitudine promittens, quòd nemo periturus sit inundanti peccatorum diluuio, qui salutare hoc signum nominis MARIANI deuotè aspexerit. Varia de arcu hoc dicuntur. *At illud*, inquit Seneca lib.1. Nat. quæst. cap.3. *esse dubium nulli potest, quin arcus imago solis sit, roscidâ & cauâ nube concepta.* Ex Aristotele 1. Peri herm. cap.1. docuimus, quòd nomen sit repræsentatio & imago rei nominatæ. Solem esse MARIAM, nisi luce solis esset clarius, probarem, dicente Ecclesiastico 26.v.21. *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei; sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius.* Clarè ergo sequitur, nomen MARIÆ esse iridem seu arcum cælestem solem referentem, præsertim cùm laudes, quæ ab Ecclesiastico itidi tribuuntur, nomini MARIANO sunt propriæ. *Vide*, inquit cap.43.v.12. *arcum, & benedic eum qui fecit illum; valdè speciosus est in splendore suo. Gyrauit cælum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi aperuerunt illum.* Varia mereori ram admirabilis laus. *Valdè speciosus est*, inquit, *in splendore suo:* nam

Mille trahit varios aduerso sole colores. Ouid.5.

Quamuis nomen sit vmbra rei, non tamen desinit esse lux.

MARIÆ nomen est arcus [illegible].

Æneid.9. vnde eum vocat idem Poëta *cæli decus.* Colores tot in MARIÆ nomine habemus, quot virtutum proprietatumque eius pollet interpretationibus: qui omnes ab ipso sole trahuntur, quia re ipsâ Virgini conueniunt; vnde nomen valdè speciosum est in splendore suo, quem tamen à Virgine accepit. Subdit: *Gyrauit cælum in circuitu gloriæ suæ*; id est, ambiuit & cinxit cælum per circuitum gloriæ suæ. quod Vatablus vertit: *Gloriosâ curuaturâ suâ cælum succingit circulo.* Si nomini applicas MARIANO, videbis, quàm glorioso ambitu impleat vtrumque hemisphærium; cingatque orbem vniuersum gloriâ suâ. Dicit tandem: *Manus Excelsi aperuerunt illum.* vel alludens ad magnitudinem: nam Græcè est ἐτάνυσαν, hoc est, extenderunt; vel ad eam laudem, quòd tam admirabile opus non ab hominibus aut Angelis inuentum, sed à Deo ipso excogitatum sit atque perfectum: vti de nomine Virginis probauimus, quòd illud os Domini nominauit; & non sit hominum vel Angelorum impositio. Frustrà per alias iridis laudes discurremus, vt eas in MARIÆ sanctissimo atque admirabili nomine reperiamus; cùm ea, quam primo loco attulimus, omnium sit gratissima & maxima, quòd scilicet nomen hoc sicut iris sit signum diuinæ clementiæ & misericordiæ. quapropter iucundum erit ex SS. Patribus aliisque auctoribus iridis encomia colligere, vt inde suaues nominis MARIANI Litanias conficiamus. nam à S. Chrysostomo nuncupatur, *Dei hominibus reconciliati chirographum:* ab Hieronymo, *superna clementiæ simulacrum: cælestium induciarum pignus*, à Damasceno: ab Augustino, *diuinæ amicitiæ tessera: sempiterni fœderis obses*, à Bernardo: ab Ambrosio, *inuiolabilis virtutis Dei & multiformis gratiæ specimen: cælestis benignitatis typus*, à Cypriano: à Gregorio, *sancti Spiritus idea: beneuolentissimi numinis testimonium*, à Nazianzeno: à Basilio, *pacis sequestra*: à Bedâ, *diuinæ propitiationis symbolum:* ab Anaxagorâ, *serenitatis præludium: Thaumantis* siue *admirationis filia*, à Platone: *diuini splendoris imago*, à Pythagorâ: *multifarium lucis decus*, à Philone: à Macrobio, *benignissimum cæli prodigium: astrorum lingua*, ab Homero: *cæli decus*, à Virgilio: ab aliis denique, *diuina quædam astrologa, Superûm legata, felicitatis index, tranquillitatis præco, lætitiæ præambulatrix.* Dicam etiam quibus à moderno Poëtâ elogiis celebretur, vt excitentur ad similia de nomine MARIANO excogitanda aliquorum ingenia:

Varia iridis encomia.

Illustrissima lucis pupula, aëris alumna,
Edita patre sole, patriâ cælo,
Prodiga luminis, nuntia numinis,
Legata serenitatis, præsaga felicitatis,
Obses fœderis, hospes ætheris, ciuis sideris,
Pacis pincerna, naturæ lucerna,
Dieí spectaculum, Dei miraculum,
Cælorum progenies, colorum congeries,
Mille luminibus irradiata facies, variata maculis,
Cælorum imperatrix, eademque temperatrix,
Illustri parente illustrior soboles.

Vtinam concertent Poëtarum ingenia, vt iridem nostram, nomen sanctissimum MARIÆ, tot versibus celebrent, quot ipsum pollet ad iuuandum recreandumque mortales virtutibus! Ex occasione iridis hîc moneo, vt sæpiùs versetur nobis in ore sanctissimum hoc nomen, quod est imago MARIÆ; vt ex sæpiùs pronuntiato hoc vocabulo multiplex consurgat imago, ex eâque arcus ille admirabilis, qui orbem vniuersum cingit, Virginis gloria: nam *quidam existimant arcum ita fieri*, ait Seneca lib. 1. Nat. quæst. cap. 3. *dicunt in eâ parte in quâ pluit, singula stillicidia pluuiæ cadentis singula specula esse, à singulis ergo imaginem reddi solis; deinde multas imagines, imò innumerabiles, & deuexas, & in præceps transeuntes confundi, itaque & arcum esse multarum imaginum solis confusionem.* ego verò existimo, ex frequenti atque à multis factâ reuerenti nominis MARIAE pronuntiatione, cùm in singulis imago Virginis reluceat, arcum quemdam confici,

ci, qui vtramque Ecclesiam glorioso cingat baltheo; atque hoc esse quod canit ipsamet Ecclesia: MARIAE *nomen cunctas illustrat Ecclesias.*

CAPVT XIX.
Speculum & parelion est nomen Virginis.

DE *speculis*, inquit Seneca lib. 1. Nat. quæst. cap. 5. *duæ opiniones sunt: alij enim in his simulacra cerni putant, id est, corporum nostrorum figuras, à nostris corporibus emissas ac separatas: alij imagines aiunt non esse in speculo, sed ipsa adspici corpora, retortâ oculorum acie, & in se rursus reflexâ.* hæc ille, pulcherrimo explicans symbolo duplicem Theologorum sententiam quæ circa nominis MARIANI honorem statuitur. Alij enim in ipso quasi simulacrum dignitatis Virgineæ esse contendunt, atque ob eam rem nomen in se aliquo, sed inferiore quàm Virgo, honore colendum esse dicunt: alij dignitatem aiunt non esse vllam in nomine, sed ipsam in nomine coli Virginem, acie mentis occasione nominis in eam directâ. Quid horum verosimilius videatur, nihil hîc attinet statuere. sufficit tam aptè speculi naturam referre nomen MARIÆ, vt quæ subtiliter de illo dubitantur, etiam circa hoc vocentur in controuersiam: vt verè ei conueniat, quòd sit speculum sine maculâ; nec tantùm hoc, sed speculum vndique luce circumfusum, vndique illuminatum & illuminans, vtpote semper soli suo oppositum, quem numquam non referat, ac referendo mundum collustret. Speculum dicebam prorsus sine maculâ, quia nullius infamiæ fuit vmquam conspersum labeculâ, vnde reddit imaginem eodem splendore quo eam accepit, nullâ ratione detortam vel obscuratam; hincque fit, vt sæpè tam celeriter dæmon fugiat, mens illustretur, ac gratijs cælestibus dotetur, nominatâ Virgine, quàm eâdem conspectâ. Certè, ex mente eorum Theologorum qui negant diuersâ adoratione imaginem siue nomen à re adumbratâ seu nominatâ posse adorari; necesse est mens non secùs afficiatur audito nomine, ac conspectâ Virgine, maximè in sententiâ eorum qui putant, non secùs in nomine & imagine rem animo adorari, ac Philosophi, de quibus suprà, existimant, in speculo non simulacrum rei, sed rem ipsam oculis conspici. Quòd si vlteriùs nomen Virginis cum speculo conferre lubet; inuenies, speculum ab arte habere, quòd solem referat, &, quòd hoc vel illo gradu perfectionis referat; at positâ ab arte figurâ & politione, cæterisque ad referendum necessarijs, iam naturaliter; quotiescumque soli opponitur, eum repræsentat: ita venerandum MARIÆ nomen ab arte seu institutione habet, quòd Deiparam repræsentet; sed, positâ intellectâque institutione, iam naturaliter offert intellectui totam, quam ipse formare solet, Deiparæ maiestatem. Prætereà, non est negligenda ea matronarum curiositas, quæ specula de cingulo dependunt ad ornatum, & multiplicem ac frequentem vsum; vt doceantur Sodales Virginis curiosiores, scriptum in chartâ, vel effigiatum in annulo, vel alio quocumque modo expressum MARIÆ nomen circumferre, in eoque, tamquam in speculo, vitam suam recognoscere: ipsum enim offert totam MARIANÆ virtutis congeriem, ex quâ facilè quis colligat, quid sibi desit, quid distortum sit, quid abundet. Nam Virginis nomen se habet ad ipsam Virginem, non secùs ac meteora quædam quæ parelia vocantur, ad solem. de ijs Seneca lib. 1. Natural. quæst. cap. 11. *Aliud quoque virgarum genus apparet, cùm radij per angusta foramina nubium tenues, intenti distantesq; inter se diriguntur; & ipsi signa imbrium sunt. Quomodo nunc me hoc loco geram? quid eas vocem? imagines solis? Historici soles vocant; & binos ternosq; apparuisse memoriæ tradunt: Græci parelia appellant, quia in propinquo ferè à sole visuntur, aut quia accedunt ad aliquam similitudinem solis.* Parelion, inquam, Dominæ nostræ, quæ vtique electa vt sol, est nomen MARIANVM; tum quòd eam

Virginis nomen est speculum.

Cur parelion dicatur nomen MARIAE.

eam tam perfectè referat, vt, cùm nihil minus sit quàm Virgo, omnem tamen virtutem, bonitatem, clementiam & maiestatem Virginis exhibeat; tum quòd difficile sit distinguere, quid sit quod venereris, dum MARIAM nominari audis, an nomen, an rem: vti difficile, aiebat Seneca, est statuere, quomodo soles istos apparentes appelles, aut à sole vero distinguas. Adde, quòd parelia nihil sint, nihil lucis habeant, nisi à sole essentiam & splendorem suum accipiant: ita nomen Virginis ter venerandum cùm ita fulgeat, vt omnes illustret Ecclesias; nihil tamen habet dignitatis aut venerabilitatis, nihil lucis aut virtutis, quod non sit à Virgine. Verè igitur dici potest nomen hoc parelion, quia verè sol dici potest ea quæ refert solem; quia *electa vt sol*, Cant.6. v.9. Sol, quia Pater ipse testatur Psal.88. v.38. dicens Filio suo: *Thronus eius*, id est beata Virgo (vt doctissimè ostendit Spinellus scripto de hoc pientissimo volumine) *sicut sol in conspectu meo*. Sol, quia Eccli.26. v.21. dicitur: *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei; sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius*. Sol denique, propter multiplicem eius cum sole similitudinem. Nam si sol ille pater luminum ita dicatur, quòd solus mundo sufficiens, parem nullum agnoscat; beata Virgo, vt Sedulius canit,

Diua Virgo sol est.

nec primam similem visa est, nec habere sequentem;

& sola post Deum sufficit ad illuminandum orbem. Vnde S. Bernardus: *Tolle* MARIAM, *quid restat nisi tenebræ?* Quæ sit solis huius vtilitas, claritas, calor, aliæque proprietates, vide apud Richardum à S. Laurentio lib.7. de Laud. B. MARIÆ, qui fusè id tractat: ego hîc tamquam non solùm ab illo, sed & à Scripturâ Patribusque satis probatum suppono, solem esse & dici posse MARIAM. vt verè affirmare liceat, nomen MARIAE perfectissimum esse parelion: quod, tamquam salutiferum meteorum resplendens in cælo, multa nobis præsagit bona: est enim signum imbrium cælestium gratiarum quæ affatim depluunt in animum eius quem parelion hoc collustrarit: semper enim, vt inquit Seneca, in propinquo ferè à sole visitur; nusquam autem sol MARIANVS propinquat, vbi non producit admirabiliter clementissimi sideris sui effectus. Quamquam vel ipsum parelion sufficit ad eosdem effectus: in eo enim superat meteorum istud virgarum, cui nomen compatamus, quòd ipsum radij eius non totum solùm imitantur, sed & imaginem eius figuramque, ceterùm nihil habent ardoris, hebetes ac languidi; at parelion nostrum ijsdem pollet virtutibus quibus sol ipse quem refert: non enim figuram eius tantùm refert, sed totam eius defert bonitatem, virtutem & potentiam. Suprà id testatus est Lactantius in IESV nomine; de nomine autem MARIÆ hîc audiendus ille Idiota, qui vt Virginis celebraret nomen, suum subticuit. *Nomen Virginis*, inquit, *tantæ virtutis & excellentiæ est, vt ad eius inuocationem cælum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant, dæmones contremiscant, & infernus conturbetur. Tanta est virtus tui sacratissimi nominis, ô semper benedicta Virgo* MARIA, *quod mirabiliter emollit & penetrat duritiem cordis humani*. Ita ipse lib. de Contempl. Virg. cap.5. maiorem omnino dicens commotionem & alterationem totius vniuersi oriri ad inuocationem nominis MARIÆ, quàm fiat orto sole in eo quod collustrat hemisphærio. Habet ergo parelion nostrum eamdem cum sole suo virtutem. quod clariùs tum patebit, cùm infrà de potestate nominis MARIANI tractabimus; nunc ad alias pergo nominis eiusdem interpretationes.

Serm. de Natiuitate Virg.

CAPVT XX.

ETYMOLOGIA QVARTA.

Nomen Virginis significat Stella maris.

NONDVM abimus à lumine, quamuis nouâ interpretatione nomen lucidissimum B. MARIÆ Virginis explicemus: illuminatricem sonat, vt intelligamus, eam supra omne quod corporalis lucis splendore micat lucidissimam,

mam, ac ſole ipſo præſtantiorem; iam etiam ſtellam maris ſignificat, ne putemus vllam in aſtris virtutem aut influentiam, quam Deus huic Virgini non incomprehenſibiliter perfectiùs communicauit. Circa quam nominis etymologiam Primò oſtendendum occurrit, quòd ſtella ſit Virgo. Secundò, quærendum qualis ſtella ſit: nam ſtella maris variè poteſt ſumi. Tertiò, inuitandi nauigantes, vt hoc ſidus ſuum obſeruent. In ſtellâ ſex conſideranda ſunt, eademque Virgini tribuenda, vt inter ſidera referatur, ſitque re, quod nomine, ſtella maris; materia, forma, quantitas, ſitus, motus, & virtus.

Stellarum materia eſt incorruptibilis.

Materia in rebus omnibus lunâ inferioribus, corruptionis ſubiectum, in ſideribus incorruptionis eſt fundamentum: tam enim conſtant ea nobili ſubſtantiâ, vt nullo contrariarum qualitatum conflictu alterari poſſint aut corrumpi. Tali profectò conſtitiſſe materiâ eam neceſſe eſt, vnde corpus aſſumpſit, quem non ſiuit Deus videre corruptionem: quamquam etiam in ſe ſatis oſtendit hanc materiæ incorruptibilis virtutem, cùm incorruptâ virginitate peperit, & corpore omnis putredinis experte in cælos aſſumpta fuit. Sunt ergo ſtellæ incorruptibiles naturâ, MARIA gratiâ: quod multò eſt præſtantius priuilegium. Non excutio ſecundas, quas Medici vocant, qualitates, à materiâ per primarum temperaturam exorientes; quòd hæ, ſicut nos de ſtellis latent, ita in Virgine prorſus ſint obſcuræ. Solemus enim omnes ſtellarum influentias operationeſque vel primis, vel tertijs, ſeu occultis qualitatibus aſcribere: ita quidquid vel in ipsâ Virgine admiramur, vel ab eâ ſperamus, non ex naturæ eius proprietate aut viribus, ſed ex occultâ latente in eâ virtute Spiritus ſancti progreditur.

forma eſt rotunda.

Forma ſtellarum ea eſt quæ inter geometricas figuras eſt perfectiſſima. Omnis enim ſtella eſt plena & perfecta, id eſt ſphærica: vt ad eam reflectamus quæ ſalutatur ab Angelo gratiâ plena; & cui dicitur, *Beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.* vbique circulum implet Virgo, nihil in eâ vacuum, nihil hiuleum, & tamquam circino ducta eſt peripheria circuli tam admirabilis. Ieremias ait cap. 31. v. 22. *Creauit Dominus nouum ſuper terram: femina circumdabit virum.* Punctum in medio circuli eſt vir ille, de quo S. Dionyſius lib. 1. de Diuinis nominibus: *Reuocans ad ſe, ſibiq; iungens humanam humilitatem, ex quâ ſimplex* IESVS *ineffabili modo conſtitit*; centri adinſtar vnicus & indiuiſus, à Virgine tamquam à circumferentiâ circumdatus.

Luc. 1. v. 45.

magnitudo mira.

Tertium quod in ſtellis conſiderandum, eſt quantitas, mirabilis quidem in illis: nam & minimæ apparent, & ſunt reuerà maximæ, cùm vix vlla orbe terrarum minor ab Aſtrologis perhibeatur: at hæc magnitudo nonniſi ſubtilibus eorum ratiocinationibus agnoſcitur, nulli ſenſuum noſtrorum perceptibilis. adeò hæc ſtellæ noſtræ conuenit in æſtimatione paruitas, vt fuerit qui ſtillam potiùs quàm ſtellam maris dicendam putet, contendatque hanc eſſe nominis etymologiam. nata quidem eſt hæc apud auctorem nequiſſimum interpretatio; quem ego non contradicendo refutare, ſed, accipiendo quod adfert, exarmare volo. Cùm enim minimæ inſtar ſtellæ aut ſcintillæ appareant aſtra, non ideò negandum eſt, ſtellam eſſe maris Deiparam, quòd ſtilla appareat; ſed vel ideò ſtella dicenda, quòd, maxima cùm ſit, appareat ſtilla: admirabiliter namque in Virgine virtutes omnes quantumcumque in ſpeciem repugnantes concordant, vt mirum non ſit, nomine eius res in ſpeciem repugnantes ſignificari. mox latiùs de hoc diſcurremus, dum lunam eſſe dicemus Virginem. Huc facit, eam ſtellis in hoc quantitate eſſe ſimillimam, quòd magna ſit, & parua appareat ijs oculis, qui non ſunt docti cæleſtium æſtimatores: at ſi quis penitiore mentis intuitu cælos peruaſerit, ac ſolitus ſit familiariùs cum aſtris conuerſari; is eam inueniet in Virgine magnitudinem, cui maxima comparata vix appareant. Quod vel eâ ratione colliges, quâ Aſtro-

nomi solent stellarum magnitudinem supputare: cognitâ scilicet earum altitudine, facilè concludunt opticis suis ratiocinationibus, quantum esse debeat quod in tantâ distantiâ, istâ vel istâ quantitate apparet. eâdem ratione tantò altiorem cæli empyrei situm si consideres, audiasque Euangelistam, diuinum illum Astrologum & Theologum, affirmantem, quòd inde è terrâ Virginem ibidem muliebri magnitudine conspexerit; facilè concludes, hanc guttam esse mare magnum, hanc stillam esse stellam præclarissimam, hanc denique scintillam esse luminare quod illustrat vtramque Ecclesiam.

situs altissimus:

Quartò, in stellis considerandus est situs: sunt enim altissimo mundi loco, tamquam nobilior eius pars, firmamento infixæ. Si rationem quæris, continuò occurret: *Nemo lucernam accendit, & ponit eam sub modio, sed supra candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* aspectabili qualitate præcellentes astrorum globi, non alio quàm altissimo in loco erant constituendi, vt videri possent ab omnibus qui sunt in hac amplissimâ mundi domo. Et Virgo tota illuminata, tota luce cælesti circumamicta, accensa vt luceat in caliginoso loco, & vniuersam illustret Ecclesiam; an non in altissimo Ecclesiæ fastigio ad ipsam Filij sui dexteram collocata est, vt neminem tanta lux possit latere, nisi qui sponte oculos clauserit? ideò Eccli. 24. v. 7. dicit, *Ego in altissimis habitaui*; semper fixa in firmamento cæli per iugem mandatorum Dei contemplationem, & amorem rerum cælestium.

Luc. 11. v. 33. Matth. 5. v. 15.

motus circularis:

Iam motus stellarum quinto loco veniebat considerandus: est autem omnibus motus circularis, alijs quidem tardior, alijs celerior, constans tamen & æquabilis; ita vt nobis annos, menses, dies & horas designent, componantque tot ingentibus rotis certissimum mundi horologium, ac nobis tempus admetiantur. Si omnium astrorum in hoc vicem motu suo Ecclesiæ supplere Virginem dixero, fidem faciet annus pulcherrimè per vitæ eius mysteria distributus: sic enim à Filij ipsius natiuitate per eius adolescentiam ad passionem, resurrectionem, ascensionem, Spiritus sancti missionem, Virginis assumptionem, aliaque vitæ MARIANÆ mysteria quotannis voluimur, vt à stellæ huius vnius motu toti pendere videamur. Quòd si aliter motum eius æstimes, videasque, à Deo omnia accepisse quæ mira & magna possedit, omniaque in eum retulisse, vt semper in se parua maneret, etiam poteris vel ideò circularem appellare.

effectus stupendi.

Vltimum quod in quaque stellâ considerandum notabam, est virtus; quæ singulis est verè admirabilis. non quòd superstitiosè putem, in illis descriptum esse, quid quisque sperare, quid timere debeat; aut quòd existimem, fata nostra in iis posse notari; sed quòd videamus, magnâ ex parte rerum admirabiles effectus, mutationes, terræ fecunditatem, tempestatum temperaturam, multorum etiam ingenium & indolem ab earum influentijs dependere. O stella, ó astrum nostrum Virgo MARIA, quàm certò, quàm infallibiliter fata nostra descripsit in manibus tuis, qui tibi dedit vitæ nostræ salutisque æternæ arbitrium! nam *sicut, ô beatissima, omnis à te auersus & à te despectus necesse est vt intereat; ita omnis ad te conuersus & à te respectus impossibile est vt pereat.* S. Bonauentura lib. 1. Phar. cap. 5. ex S. Anselmo. Quàm admirabiles tu operaris effectus, si quando illos tuos misericordes oculos ad aliquem conuertis! quantas inducis subitò mutationes, vt fugiat ea quæ priùs expetebat, expetat quæ fugiebat! quantâ tu fecunditate soles Ecclesiæ agrum benedicere, si quando sereniore vultu illuxeris! quàm subitò mentes fœdis tentationum procellis iactatas tranquillare, si fortè te aspexerint! ô quàm benignâ indole, quàm facili ingenio, quantâ cælestium temporaliumque rerum felicitate beare soles eos, quibus contingit sub benigni sideris tui horoscopo concipi, aut mundo nasci, vel Ecclesiæ renasci! Patuit in S. Ildephonso, Bernardino, Bernardo, & nuperrimè in Alphonso nostro Orozco.

CAPVT XXI.

Cur B. Virgo sit stella maris.

Vita hominis est mare:

PRÆSENS vita pelagus quoddam est perturbatum, inquit sanctus Chrysostomus in Matth. Homil. 82. Et sicut in mari hoc diuersi sinus diuersis tempestatibus aguntur, ac Ægæus propter ventos difficilis est, Tyrrhenum verò fretum propter angustias; Charybdis, quæ Libyam respicit, propter syrtes & breuia; Propontis verò, quæ iuxta Pontum Euxinum sita est, propter magnitudinem fluctuum impetumque; Oceanus autem Hispanicus, propter solitudinem & infrequentiam locique ignorationem; atque alia pars pelagi aliis de causis: ita quoque vitæ nostræ vsu venit. Ac primùm in eâ videre licet pelagus quoddam puerilis ætatis multis procellis agitatæ, cùm propter imprudentiam, tum propter flexibilitatem, tum quia nondum firmata; quapropter illi pædagogos magistrosque præficimus, defectum naturæ diligentiâ supplentes, sicut ibi arte gubernatoriâ. Post hanc ætatem adolescentiæ succedit mare: hîc venti vehementiores, vt in Ægæo pelago, crescente in nobis concupiscentiâ: & vel hæc maximè ætas directione destituitur, non solùm quia magnis turbationum fluctibus quatitur, verùm etiam quòd peccantes non redarguuntur, cùm & pædagogus & magister subtrahantur. Cùm igitur & maiori turbine venti spirent, & gubernator sit imbecillior, considera tempestatis magnitudinem. Post hæc altera pars ætatis virilis illa instat, quam rerum vrget dispensatio: tunc vxor, nuptiæ, prolis procreatio, & plurimæ curæ mentem obruunt; tunc auaritia inuidiaque maximè vigent. Si igitur vnamquamque partem ætatis cum naufragiis peragamus, quomodo hanc vitam transibimus? quomodo æterna fugiemus supplicia? nam si nihil sinceri atque integri in primâ ætate didicerimus, si iuuenes modestè non vixerimus, nec auaritiam viri superauerimus; ad senectutem, quasi in ætatis quamdam sentinam, deuecti, animæ nauiculâ iam tempestatibus obrutâ, cùm fluctibus compagines defatiscant, in portum tandem deferemur non spiritualibus mercibus, sed luto ac sordibus onusti. vnde diabolo quidem risum mouebimus, nobis verò perpetuam mœstitiam adsciscemus, intolerabili ac sempiterno cruciatu diuexati. Hæc ille Oratorum eloquentissimus ad explicandam nominis MARIANI etymologiam, quâ Stella maris dicitur, accommodatissimè. Iam enim quærendum non est, quodnam illud mare, cuius stella MARIA: nam cùm maria omnia in vnicâ hominis vitâ per diuersas ætates quasi sinus varios periculosâ descripserit; horum vtiq; ex nomine suo stella est MARIA, omnes ętates dirigens, vitam vniuersam regens atque componens ex suâ Filiique sui voluntate. Illud tantùm restat disquirendum, quodnam illud sit astrum quod Stella maris dicitur. Sunt qui maris stellam propriè lunam dicendam putent, quòd, ex communiore Philosophorum sententiâ, æstus marini virtute eius moueantur, magnumque exerceat in vastum illud elementum imperium. Sunt qui luciferum, sunt qui stellam polarem eo gaudere epitheto contendant. Ego omnia admitto: nam omnia virtute suâ complexa est stella nostra, & habet ad vitam nostram quemcumque astra illa ad mare respectum. De lunâ se intelligere subindicat S. Bernardus, dum Sermone de Natiuitate Virginis ait: *Tolle corpus hoc solare quod illuminat mundum, vbi dies? Tolle* MARIAM *hanc maris stellam, maris vtique magni & spatiosi, quid nisi caligo inuoluens & vmbra mortis, & densissimæ tenebræ relinquuntur?* Soli quidem comparat stellam illam; sed vel ideò lunam eum intelligere quis dicat, quæ noctem illustrat non secùs atque sol diem? ipsa etenim est luna, de quâ Ecclesiasticus cap. 43. v. 7. *Luminare quod minuitur in consummatione.* & v. 8. *Crescens mirabiliter in consummatione.* Minui lunam, eamdemque rursum crescere, licet inter magna cæli por-

huius stella est MARIA.

Stella maris quibusdam est luna.

Luna tam decrescens quàm augescens perficitur:

portenta numeretur, iam tamen ob frequentiam rei nemo miratur; at vtrumque fieri in consummatione, vt hîc testatur Siracides, non caret admirabilitate. De augmento non est quòd probem: nam oculis patet id fieri, donec orbem totum expleat, perfectaque ac consummata appareat: at imminutionem quoque facere ad perfectionem eius quî capietur; maximè si dicatur, magis eam perfici decrescendo quàm crescendo; nisi aduerras, eam, quò obscurior minorque nobis appatet, eò soli luminis sui largitori fieri propinquiorem? &, vt Plinius ait, ***omnem suæ lucis haustum eò regerere vnde accipit?*** Aduertite, Sodales, lunæ vestræ ingenium, quod toto hoc Libro proponimus: partim enim in plenilunio eam suo spectamus, quando auersi tantisper à sole directis eam oculis intuemur in splendore suo; quem tamen à sole eam accipere cognoscimus; hîc eam Dominam, hîc Reginam, hîc Imperatricem cæli & terræ vocamus, hîc gratiâ plenam, hîc Dei Matrem; hîc infinitis eam gloriosis titulis appellamus: partim in nouilunio eam aspicimus, vbi Deo se coniungens, eique semetipsam componens, omnem suæ lucis haustum eò regerit vnde accipit, seruam, ancillam, mancipium Domini sese vocans; nihil se habere, nihil esse profitens, quod non à sole isto acceperit. Iam dic, amabo, vtra lunæ nostræ species gloriosior, vtra perfectior, an dum Dei maiestatem, quantum creatura eam capere potest, nobis in plenilunio suo ostentat; an dum coniuncta Deo, genibus ipsius affusa, omnem splendorem nobis abscondit, vt ei soli luceat, à quo omnia habet, quibus iam gloriosa apparet? Hæ sunt alternæ lunæ nostræ vices, quibus crescit & decrescit, sed vtrimque ad perfectionem: hoc est quod nomen ipsum Virginis dicit: quam enim hîc Stellam maris, hoc est lunam, interpretamur, eadem stilla maris dici potest; quòd tam parua sit in oculis suis, vt sese vix creaturarum stillam, imò omnium ancillam agnoscat; tam parum lucis ostentet,

Idem MARIAE conuenit:

vt ipsa Dei virtus & gloria non splendorem ei addere, sed vmbram facere videatur. quò enim propiùs ad eam accedit, eò se magis abscondit, ad ancillarum mancipiorumque obscuritatem declinans, nihil præter ancillaria ministeria appetens, nihil præter humilitatem sonans; optime docta ludum eum, quem semper in cælis sol & luna ludere videntur. ***Quantò magnus es, humilia te in omnibus; & coram Deo inuenies gratiam.*** Vix enim coram nobis magna & plena est, cùm statim se, accedendo ad solem, humiliare, ac luce suâ quoad nos spoliare incipit; vt cotam eo, hoc est, eâ parte quâ à sole respicitur, inueniat lucem. Ab hac lunæ mutatione mare trahit mirabilia incrementa & decrementa; & nos vitam nostram ad lunæ huius mutationem conformemus, vt iam filij, iam sponsi titulo à Matre nostrâ honorati, quasi in æstu pleno eius fauoris nos ostentemus; iam vilitatem nostram agnoscentes, ad mancipiorum obscuritatem descendamus: sic enim ei per humilitatem coniunctiores illustrabimur eâ parte quâ ipsam aspicimus, hoc est, gratiis ditabimur cælestibus; licet obscuriores forte simus coram mundo, & pauperiores à rebus temporalibus. Quòd si visionem oblatam Euangelistæ Apocalypseos cap. 12. attentiore animo considerare velimus, fortè etiam ibi lunam dici MARIAM inueniemus: mulierem enim istic descriptam, licet contextam gerat ex solis splendore tunicam, coronamque stellarum duodecim fulgore radiantem, non esse Virginem, sed Ecclesiam militantem ex bonis malisque compositam, partus dolores clamoresque loquuntur; quibus ita liberam fuisse constat MARIAM, vt eos vel metaphoricè ipsi attribuere, religio pænè reformidet. Est ergo mulier ibi ostensa, Ecclesia; luna quæ pedibus substernitur, MARIA. Ne mireris autem mulieris pedibus subiectam lunam, tamquam minoris æstimetur MARIA quàm Ecclesia: si quidem non semper abiectionis subiectionisve signum est substerni, sed situs ille, prout signo-

Eccli. 3. v. 20.

In quo nobis imitanda.

signorum gestuumq; externorum plerique, variam habet ex circumstantiis diuersis interpretationem. Si serpens pedibus Virginis substernatur, res ipsa loquitur eius conculcationem contemptumque significari; at basis columnæ non ad sui contemptum, sed ad columnæ molisque superiniectæ securitatem & firmamentum subiicitur. Et mulier in aëre, loco vtique incerto mutabilique, lunæ insistens, non potest eam calcare, vt parui faciat atque contemnat, sed premere, vt inter cornua eius tuta sit, securaque consistat. Si vlteriùs ludere hîc quis velit cum piissimis Auctoribus, multa inueniet in lunâ MARIÆ symbola, quibus confirmabit hoc Cant. 6. v. 9. *Pulchra vt luna.* Et videri potest Alcazar in Apocalyps. cap. 12. v. 1. notat. 2. qui etiam habet eam interpretationem nominis, quâ Stella maris dicitur MARIA. & Richardus à S. Laurentio lib. 7. de Laud. B. MARIÆ: vnde noto hoc pænè facetæ pietatis; *Luna*, inquit, *crescit vsque ad decimumquartum diem, & tunc luna plena apparet, & circa 14. annum vel 13. Filium Dei creditur* MARIA *concepisse; & tunc apparet in medio lunæ, quo signatur vterus virginalis, quasi imaguncula hominis pendentis, vel quasi rusticus oneratus fasce spinarum: hic est Christus, qui suspensus in patibulo Crucis, nostrorum portauit onera peccatorum. sicut dicitur 1. Petri 2. Qui peccata nostra pertulit in suo corpore super lignum, id est, pænam peccatorum, quæ designatur per spinas. Isaiæ 53. Verè languores nostros ipse tulit. Circa decimumquintum verò diem incipit luna decrescere; quod &* MARIÆ *contigit, quando audiuit à Simeone, Tuam ipsius animam pertransibit gladius, Luc. 2. Computa diem pro anno, sicut dicitur Ezechielis* 4. Hæc ille. Addi posset gnome Plinij lib. 2. cap. 9. vbi vocat lunam omnium quæ in cælo prænosci possunt magistram: talis namque est Virgo nostra, miris consolationibus docens suos quòd sint filij prædestinationis æternæ: quod est omnium quæ in cælo prænosci possunt maximum. Item ait: *Omnem admirationem vincit lunæ sidus terræ familiarissimum.* quod non de lunâ, sed de MARIA omnem admirationem vincente dictum videtur: cuius deliciæ sunt esse cum filiis hominum. Sexcenta colligi possunt similia ad illustrandam hanc interpretationem nominis; sed aliò vocat S. Ildefonsus Sermone 1. de Assumpt. Virginis, qui ait: *Secundùm verbum Hebraicum* MARIA *interpretatur Stella maris. Hinc agite, dilectissimi, vt lucifer ille qui nescit occasum, oriatur in cordibus vestris, dum in hoc sæculo estis: nam mare prorsus sæculum est, stella autem B. Virgo* MARIA. Vbi facile est intelligere, quomodo lucifer & stella matutina dicatur Virgo MARIA; sed quâ ratione cupiat luciferum stellam maris dici, non capio, nisi fortè ad Poëtas alludens, qui eum eumdem cum Venere fabulantur, quam ortum habere fingunt ex mari; haud dubiè propter singularem aliquam istius astri, quæ me latet, cum mari sympathiam. ad quam nescio an alludat Ouidius 6. Fastorum, dum ait:

—Vigil lucifer exit aquis.

Communior ergo Patrum interpretatio & Astrologorum mens est, vt per stellam maris astrum polare intelligatur. Ita S. Hieronymus in Psal. 118. Eucherius lib. 2. Instruct. Beda lib. 1. in Lucam cap. 3. Isidorus lib. 7. Etymolog. cap. 10. & S. Bernardinus Senensis Tom. 3. Sermone 1. art. 3. applicat his verbis: *Nec inconuenienter situs stellæ maris, cùm sit in Aquilone, conuenit* MARIÆ; *quoniam per Aquilonem persecutio vel tribulatio designari solet, propter ventorum & procellarum vehementiam: ideò locus* MARIÆ *in Aquilone est, vt per eam austeritas persecutionis inflictæ humaniùs temperetur.* Aliam rationem dat ibidem art. 2. cap. 1. *Ipsius autem & Filij eadem est natura, ergo idem locus erit; quapropter & merito & loco vicinissima erit Filio suo, non secùs ac stella polaris polo suo.* Duas tetigit Sanctus stellæ huius in MARIA proprietates, plagam mundi, & vicinitatem cum polo; quibus addi potest, quòd hæc stella ferè sit immobilis, cùm aliæ rapidissimo

Varia luna & Virginis comparatio.

Stella maris alius est lucifer.

Aliis astrū polare stella maris dicitur.

Tres polaris astri proprietates.

mo impetu modò in Orientem, modò in Occidentem ferantur: quemadmodum Sancti alij variis agitabantur motibus; modò ad vitia procliues, modò ad virtutem feruenti zelo raptati; at MARIA neque tentationibus moueri poterat ad peccandum; neque vllis promissis Angelicis induci vt votum castitatis mutaret: eò enim sub initium ignorahti conceptionis modum res spectate videbatur. Verùm præcipua ratio, cur stella polaris stella maris appelletur, est, quòd nautæ eam diligenter obseruant; quòd eâ deperditâ cursus sui ignari iactantur; eâ inuentâ, quo mundi climate resideant, statim coniicere possunt ex eius supra caput suum eleuatione: si enim altior sit supra eos eleuata, ad Septemtrionem se declinasse; si depressior appareat, ad Æquatorem accessisse se certò sciunt. Hæc scilicet est præstantissima Virginis MARIÆ conditio, quare Stella maris dicitur. Nauigamus omnes mare periculosum, turbidum, & fœdissimis tempestatibus infame; heu quoties amisso cælesti lumine cæcâ in nocte iactamur, cursus omnis vixque ignari! quoties ad ipsas inferni portas pænè nauem frangimus, agitati turpissimis cupiditatibus! quæ autem in desperatissimo isto statu spes salutis, nisi vnica Stella maris MARIA? hanc si videre, eiusque supra caput nostrum eleuationem dimetiri contigerit; simul intelligemus quantum à salute distemus, facileque eam in viam redibimus quæ ducit ad vitam æternam. Multis abundant mancipia Deiparæ ex tam benignæ Heræ famulatu priuilegiis; at ego semper hoc inter præcipua soleo numerare, quòd hoc astrum eis sit fixum in viæ indicium, sine quo, cùm necesse sit tam turbido in æquore multis iactari tempestatibus, semel de viâ abducti certò perirent æternùm: nec enim peccatorum vllus ad veniam reducitur, qui non debeat huic stellæ polari suam in viam reductionem. Quare mellifluam S. Bernardi hîc subiungam orationem, quâ nos inuitat vt hanc stellam assiduè respiciamus, & MARIAM inuocemus.

Præcipuus eius vsus est, viam ostendere.

CAPVT XXII.

Crebrò inuocanda Stella maris MARIA.

QVANTI fecerint sancti Patres symbolicas eas nominis MARIANI interpretationes, ex vnico S. Bernardi loco fiet manifestum, quo nouissimè allatam explicationem confirmat, & cunctos inuitat vt ad stellam istam polarem respiciamus. Is Sermone 2. super Missus ita ait: *Loquamur pauca super hoc nomine, quod interpretatum Maris stella dicitur, & Matri Virgini valdè conuenienter aptatur: ipsa namque aptissimè sideri comparatur: quia sicut sidus sine sui corruptione emittit radium, sic absque læsione Virgo peperit Filium; nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Iacob orta, cuius radius illuminat vniuersum orbem; cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes quàm corpora, fouet virtutes, & excoquit vitia: ipsa namque est præclara & eximia stella, super hoc mare magnum & spatiosum necessariò subleuata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in huius sæculi profluuio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne auertas oculos à fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgunt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum; respice stellam, voca* MARIAM: *si iactaris superbiæ vndis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis; respice stellam, voca* MARIAM: *si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concusserit mentis; respice ad* MARIAM: *si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias perturbari tristitia, vel absorberi desperationis abysso; cogita* MARIAM: *in periculis, in angustiis, in rebus dubiis* MARIAM *cogita,* MARIAM *inuoca: non recedat ab ore, non recedat à corde; & vt impetres eius*

Cur MARIA *stella comparetur.*

In omni necessitate inuocanda MARIA.

eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum: ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras: ipsâ tenente non corruis, ipsâ protegente non metuis, ipsâ duce non fatigaris, ipsâ propitiâ peruenis: & sic in te ipso experiris, quàm meritò dictum sit, Et nomen Virginis MARIA. Nihil dici poterat, quo vel clariùs multiplex stellæ huius officium proponeretur, vel fortiùs mortales ad eam inuocandam excitarentur: nam si aliquod nautis luceret sidus eâ potestate, vt solo aspectu æquora turbata pacaret, tempestatem sedaret, cælo lucem & ponto cælum redderet; quàm putas intento id oculo obseruaretur ab omnibus periclitantibus? at si idem illud astrum eâ deinde esset benignitate, vt inuocatum statim se visendum præberet; an putas momento eius aspectu hemisphærium nostrum vacaret propter frequentiam id inuocantium? Iam cùm nec cogitando fingi possit tanta in vllo astrorum potentia, neque tam facilis ad iuuandos mortales influxus, quàm re ipsâ in stellâ nostrâ polari quotidie experimur; quid cessamus in vota preceśque? quin die ac nocte hanc stellam obseruamus? quin spem omnem perueniendi ex nauigatione hac difficili ad portum salutis æternæ in eâ reponimus? Aberrauimus à viâ? densis vndique peccatorum inuoluti tenebris, ignari hominumque locorumque erramus? nubes densissima ignorantiæ pontumq; diemque eripuit oculis? crebris diuinæ vindictæ micat ignibus æther? horrendùm mugiunt rauca minarum cælestium tonitrua, & præsentem omnia mortem intentant? vna salutis spes, vna euadendi via, si stellam hanc polarem aspexerimus. si adhuc minimus erga eam pietatis radius mentem illustret, nondum periimus; imò spes certa euadendi, modò hanc lucem non deperdamus. *Non recedat ab ore, non recedat à corde*, inquit S. Bernardus. *Non recedat ab ore nomen vtique Virginis*, aiebat Idiota, *tanta virtutis & excellentiæ, vt ad eius inuocationem cælum rideat, terra lætetur.* Ex fœdâ nimirum tempestate, solâ inuocatione MARIANI nominis, in risum lætitiamq; vertitur cælum & terra; abstersisque imbrium lacrymis, cessantibus tonitruum singultibus, aspectu gratissimo arridet sese dulcissimo hoc nomine resonanti. *Non recedat à corde.* hoc enim supra magicam omnem incantationem potentius habet breuissimum hoc trium syllabarum carmen, vt vel cogitatum vires suas exerat, nec ingredi possit memoriæ portas, minùs hærere in cordis penetralibus, quin vbique vestigia imprimat suæ virtutis. Quid lux huius stellæ polaris faciet, si vel vmbra eius, hoc est nomen, quod semper rem, sicut vmbra corpus, sequitur, solâ cogitatione mentem illustret? Nescio, an non præcipuum stellæ polaris sit beneficium, quòd, cùm sit vnicum errantium auxilium, semper sui præbeat opportunitatem; neque, vt stellæ ceteræ, alternâ vicissitudine nobis oriatur & occidat, sed polo affixa hæreat, quasi è sublimi statione despiciens, num quis eam sit respecturus. Magnum profectò benignæ prouidentiæ argumentum; quâ Deus necessaria & vtilia nobis obuia esse voluit, ne beneficij gratiam imminueret difficultas eo vtendi. Applica hoc Dominæ tuæ, quisquis ei deuotâ mente famulatis: est ipsa errantium via, naufragantium auxilium, pereuntium salus, spes desperantium: est, inquam, stella polaris omnibus nauigantibus necessaria, sine quâ cursus omnis noster periculum, progressus perditio, nauigatio interitus, lux tenebræ, vita mors vocari possit. Miseros ergo nos, si stella hæc vel temporis momento occidat, cùm spatio ampliori non sit opus ad exitium nostrum sempiternum! Quid autem diuina bonitas, quæ nobis MARIAM ponebat in auxilium tam necessarium? eâ scilicet in parte cæli eam collocauit, vbi semper nobis benigno astro luceret, numquam occideret. Non abutor nomine, cùm Deum, sine quo vbique infernus est, cælum appello: in hoc duo poli sunt, Arcticus vnus, alter Antarcticus, sibi è diame-

Sola nominis MARIANI inuocatio saluat periclitantes.

Deipara semper in auxilium nostrum parata.

Deus cælum, quinam in eo poli.

diametro oppositi, Misericordia & Iustitia. Circa hos enim vertitur quidquid agit ille, qui immotus ipse dat cuncta moueri: sub Antarctico Iustitiæ polo ij habitant, qui absconditi in inferno numquam vident amicam Dei faciem; ibi nox perpetua & tenebræ Cymmeriis horribiliores; illic

Æneid. 6. *Luctus, & vltrices posuêre cubilia curæ.*

Miseri quos ita præcipites à cursu suo egit cupiditas, vt delati ad hosce nostros antipodes, polum illum semper intueri cogantur, nullâ remeandi spe aut libertate. Sub altero Clementiæ polo viuimus, quicumque mortali hac aurâ etiamnum vescimur in terris, eum plus minúsve habentes supra caput eleuatum, prout ipse nos per æternæ prædestinationis prouidentiam meliore sub climate voluit habitare, & vitæ huius cursum peragere; sic vt nulli vmquam polus iste occidat, quamdiu vitæ cursum tenet. Verùm quòd oculi nostri ad cælestia sint hebetiores, difficile est tanto interuallo immobilem istum poli verticem cernere, nisi stella polaris addatur, quæ paruo interuallo inde distans, atque exiguum describens circulum, ipsum polum visibili circumdet peripheriâ; vt iam cerni possit, qui aliàs lucem quidem habitabat, sed inuisibilem & inaccessibilem. apparuit enim humanitas & benignitas Saluatoris nostri Dei per circulum, quem ei circumscripsit MARIA, quando femina carne nostrâ circumdedit virum. Cùm ergo nos Dei benignitate sub polo isto Clementiæ viuamus, necessariumque sit eum sæpiùs intueri; eâ in cæli parte collocata est Virgo, quæ semper vertici nostro imminet, nec vmquam occidit quamdiu viuimus. O felici sidere nata mancipia B. MARIÆ Virginis! quæ non obliquam habitant sphæram, sed quorum capitibus astrum hoc polare benignissimæ influentiæ imminet, rectosque mittit misericordiæ suæ influxus, parum aut multùm à ceteris declinat, prout varios habent professionis negotiorumque suorum status: at mancipijs, quorum professio est, seruire Deiparæ; quorum vnicum negotium est, Heræ suæ procurare negotia; in idem punctum cum zenith concurrit, vt nihil timere debeant quorum vertici imminet polus diuinæ Clementiæ, astrumque illud, quod eam nobis admirabilibus operationibus manifestat. Respicite stellam, inuocate MARIAM, Sodales, & pyxidem nauticam ex cordibus vestris conficite; quæ numquam quiescat, nisi astrum suum & polum suum respiciat; nusquam delectetur, nisi in suauissimo Deiparæ eiusque sanctissimi nominis cultu & veneratione. ita fiet, vt securi inter pericula, læti inter aduersa, inter tempestates propemodum otiosi, cursum dirigente hac stellâ polari, perueniatis ad portum salutis æternæ.

MARIA tamquam astrum polare detegit polum Clementiæ.

directè sub hoc polo viuunt mancipia MARIAE.

CAPVT XXIII.

ETYMOLOGIA QVINTA.

Nomen Virginis mare amarum exponitur.

THALETIS sententia erat, orbem terrarum aquâ sustineri & vehi more nauigij, mobilitateque eius fluctuare, dum dicitur tremere: hanc ineptam sententiam quamuis vocet Seneca, rei tamen suæ applicat: nam inquirens fontium & fluminum perpetuò manantium causam, *Non est ergo*, inquit, *mirum, si abundat humor ad flumina, cùm mundus in humore sit totus.* Ego licet sententiam illam de mundo nauigante putem ineptissimam, vtpote qui pondere suo libratus nullo eget, præter idem pondus suum, sustentaculo, potest tamen pulcherrimè B. MARIÆ Virgini, propter eam nominis etymologiam, quâ mare significat, aptari: nam verissimè de hoc mari dicitur, quòd eo terrarum orbis sustentetur. Quis hoc neget eorum qui legerit audieritque aliquando traditam à tot fide dignis Auctoribus historiam, quâ SS. Francisco & Dominico vno eodemque tempore oblatam narrant visionem irati Numinis fulmine trisulco, quo armata eius erat dextera, extremam rebus perniciem minitantis; nisi in tempore occurrens

Mundus fluctuat instar nauigij in mari MARIANO.

rens Virgo Deipara vindictam fuisset deprecata, lacrymisque suis mare fecisset, cui rursum mundus incumberet, iam pænè desertus à pristino patientiæ ac longanimitatis diuinæ sustentaculo? Quis, inquam, neget hoc mari instar nauigij vehi mundum, cùm omnis tremor eius & concussio fiat ab exortis in MARIA tempestatibus? Numquam maiori mare hoc amarum concussum fuit procellâ, quàm dum in Filij Dei morte totum obductum est tenebris & caligine, omnibus ijs partibus, quæ sine defectu moueri poterant, agitatum. Vide autem quanta mox in nauigio hoc, quod eo sustentatur, commotio: nihil in eo manet inconcussum, solidissimæ eius partes confringuntur, lumen exstinguitur sole & lunâ obscuratis, rimas agit apertis sepulchrorum compagibus; &, vt nauigantes sciant quàm propè absint ab interitu, non mors tantùm, sed & mortui ipsi de sepulchris suis surgentes omnium oculis obuersantur, veluti præsagia, non mortem solùm instare singulorum, sed vniuersalem mundi interitum, diemque fatalem iudicij. Tempestas est prætereà in mari isto, quoties sceleribus nauigantium offenditur: & offenditur numquam, quin statim nauigium iras sentiat, multisque partibus iam fame, iam bello, iam peste, iam aliis iactetur incommodis; quæ numquam contingerent, si factâ cum elemento suo pace, curasset non commoueri mare MARIANVM. Accommodatam prætereà vibrat Philosophus noster de mari sententiam, obiter hîc notandam: *Ignis*, inquit, *exitus mundi est, humor primordium.* Deum ignem esse, apertius Scriptura dicit, quàm vt sit probandum; at aquam, siue mare, esse MARIAM, nomen ipsum indicat, quod iam mare interpretamur. Quid autem? *Ignis exitus mundi, humor primordium:* dubitas? Isaias affirmat c. 9. v. 19. *In irâ Domini exercituum conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis.* & iterùm cap. 33. v. 10. *Nunc consurgam, dicit Dominus: nunc exaltabor, nunc subleuabor. Concipietis ardorem, parietis stipulam: spiritus vester vt ignis vorabit vos; & erunt populi quasi de incendio cinis.* Ignis gloria & exaltatio est, vrere & omnia consumere; ideò inquit, *Exaltabor, & subleuabor*, quando scilicet vertet populos omnes in cinerem: nam *exitus mundi ignis*, id est, Deus in iustitiâ suâ iras & flammas vomens destruet & consumet omnia. at *humor primordium* MARIA, quæ humor est, quæ mare est, mater est viuentium, clementiæ suæ suaui vapore non tantùm languentes excitans ad vigorem, sed mortuos etiam suscitans ad vitam. ipsa primordium est mundi: nisi enim ipsa creanda fuisset, & ex eâ nasciturus homo-Deus; vix operæ pretium erat tanto molimine appendere fundamenta terræ, tanto artificio librare fontes aquarum, aut æthera firmare sursum. Primordium ergo ipsa est mundi; prout causa finalis, propter quam omnia fiunt, rerum dici potest primordium. Primordium prætereà est mundi, quia nisi hac misericordiæ MARIANÆ aquâ temperatus esset diuinæ iustitiæ ignis, fortè non creasset hominem peccaturum; certè perditum non eo modo refecisset, quo iam eum excitauit ad spem tam certam & tam sublimem filiorum Dei.

Omnis concussio mundi à turbatâ MARIA *oritur.*

Exitus mundi à Deo; *initium verò est à Virgine.*

Mare est Virgo Deipara, de quo dicitur Eccle. 1. v. 7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* & Eccli. 40. v. 11. *Omnes aquæ in mare reuertentur.* Numquid omnes aquæ dulces gratiarum, priuilegiorum, donorum cælestium intrant in MARIAM? & illa adeò non redundat per iactantiam, non intumescit per superbiam, non egreditur littus humilitatis suæ per aliquam vanam complacentiam, vt potiùs gurgitem & abyssum profundiorem aperiat, & quò plus cepit, plura capere possit: vix enim acceperat apertis cæli cataractis impetum istum aquarum, *Aue gratiâ plena, Dominus tecum, Spiritus sanctus superueniet in te*; quin statim aperuerit immensam illam mancipatus sui abyssum, *Ecce ancilla Domini.* quâ apertâ, iam non ista solùm flumina, sed aquam infinitam, primamque gratiarum omnium originem, Dei Filium capere potuit, & incircumscriptas illas

MARIA quantumcumque accipit, non redundat.

Lucæ 1.

aquas, quæ super cælos omnes sunt, sinu suo concludere; &, quod omnium est admirabilissimum, tum adhuc canere, *Ego dixi in abundantiâ meâ: Non mouebor in æternum*; sed intra humilitatis meæ limites consistam, eruntque mihi aquæ ipsæ murus & littus, dum ædificauero constantiam humilitatis ex ipsâ plenitudine virtutis. Iterùm mare est MARIA, quia exhauriri non potest, quantumcumque perpetuò fluant ex illâ fontes & flumina gratiarum in nos. *Pluuia potest facere torrentem*, inquit Seneca, *non potest autem æquali inter ripas suas tenore labentem*. Sancti alij diuersis temporibus rorem cælestem depluentes, salutari comparantur pluuiæ, qui sæpè torrentes efficiunt quosdam, dum in magnâ abundantiâ clientibus suis gratias imperrant: sed vt perpetuò in omnes ita fluat gratia, non efficiunt; vti mare nostrum, ex quo omnia flumina oriuntur, omnes fontes scaturiunt. Siue ergo spectes flumina gratiarum intrantia in MARIAM, siue exeuntia de MARIA; dicere potes cum Ecclesiastico cap.1.v.2. *Profundum abyssi quis dimensus est?* Nusquam fundus, nusquam mensura aut finis, vndique mare vastum & spatiosum; aut cum Poëtâ,

— cælum vndique, & vndique pontus.

Per hoc mare infinitis dignitatis spatijs distans à nobis Seruator mundi adnauigauit infirmitati nostræ, apparens inter nos, & conuersatus nobiscum. Per hoc mare Israëlitæ transierunt, transeuntque indies siccis vestigijs, submerso Pharaone & Ægyptiis: ipsa vtique vniuersas hæreses interemit, ipsa ducem earum patrem mendacij submersit. Per hoc mare breuissimum est & securissimum iter ad portum Regni cælestis: nulla tam exigua cymba est quæ hîc timeat periculum; nullus tam inexpertus nauigandi magister qui hîc faciat naufragium. mare namque tranquillum est atque pacificum, nullæ in eo charybdes, nullæ syrtes, nulli infames scopuli. Nam quòd amarum dicatur esse mare, non est quòd nauigantibus aliam quàm salutarem præbeat amaritudinem; qualis est vel a salsis pœnitentiæ lacrymis, quæ potæ causa sunt internæ dulcedinis; vel à nauseâ rerum terrenarum, quas mare hoc omnes vertit in amaritudinem; & efficit è contrario, vt inundationes maris, id est, gratias per MARIAM impetratas, quasi lac sugant, Deuteron.33.v.19. Fuit tandem ipsum amarum, quando exustum nimio Solis in meridie pendentis ardore, radios charitatis ab eo immissos nouo amore reflectens, exurebatur vsque ad fundum abyssi, penetrabanturque omnes recessus cordis eius nimio ex amore dolore; vnde tota bibit salsedinem & amaritudinem, vel ex ipsis, quas largiter per oculos distillabat, aquis animaduertendam. tunc committebatur in mari hoc mirabilis illa naumachia, quâ plenis velis amor Dilecti sui pugnabat cum resignatione voluntatis, & amore mortalium. Quis explicet, quot vulneribus tunc mare nostrum proscissum, quanto sanguine cruentatum, quantâ amaritudine fuerit replêtum? nemo crederet, ex tam amato Virginis corde, quod alibi descripsimus, posse oriri tam dulces erga mortales affectus, nisi quotidie videremus, quod Trismegistus exclamat, *Oceano aquam diffluere dulcem.* Quàm gloriosum sit hoc nomen Virginis, quo amarum mare dicitur, facilè ex S.Hieronymo lib.1. contra Iouinianum colliget, qui nouit præcipuam ex bellicâ fortitudine existere gloriam: *Commissâ*, inquit, *pugnâ vacant nomina dignitatum, & sola fortitudo quæritur.* quod idem est ac si diceret: Commissâ pugnâ sola sunt nomina dignitatum quibus fortitudo exprimitur: non iuuat in bello claris ortum esse parentibus, vt nobilissimus; multos euoluisse libros, vt doctissimus; immensas opes possidere, vt ditissimus appelleris; sed forti animo præditum esse, torosis lacertis valere, hostes strauisse iuuat, vt victor, vt triumphator sis atque vociteris. Ita B.Virgo, dum agitur de certamine, dum venitur ad fatalem illam arenam, in quâ de exitio nostro sempiterno vel inferni expugnatione agebatur; omissis aliis dignitatum nominibus, hoc nomen assumit gloriosissimum, quod pugnam

Marginalia: Psal.29. v.7. — MARIA quantumcumque dat, non exhauritur. — Natural. Quæst. lib.3. — Cur mare amarum dicatur Virgo. — Mare amarum gloriosum est Virgini nomen.

gnam eius atque patientiam, quod fortitudinem & tolerantiam explicat; quòd scilicet tum mare amarum fuerit, potueritque tot fluctus amarissimos recipere, nec mergi doloribus; tantam tristitiam suscipere, & stare; tam multis & supra omnem hominum fidem acerbis cruciatibus cor & pectus præbere, nec cedere; conuerti tota in amaritudinem, non secùs ac mare versum est in salsedinem, & interim dulcissimas effundere in Deum amoris, in homines misericordiæ aquas: hoc dicitur, quando Virgo & Domina nostra MARIA, id est mare amarum, nuncupatur. Non ergo vocetis eam Noëmi, id est pulchram, non vocetis Dominam, non maris stellam; sed vocate eam Mara seu MARIAM, quia amaritudine eam valdè repleuit Omnipotens.

CAPVT XXIV.

ETYMOLOGIA SEXTA.

MARIA *significat pluuiam.*

SVNT qui nomen Virginis à *More iam* flectunt; vnde pluuiam maris, & quidem temporaneam, significare volunt. Nihil pugno multiformi nominis inflexioni, cùm plures in formas se vertat ipsa, omnibus omnia facta, vt omnibus benefaciat, quàm nos possimus nomen ipsius flectere, vt multiplicem virtutem eius, & diffundentem se vndiquaq; bonitatem significemus. In duo genera diuisas reperio aquas, cælestes scilicet & terrenas: terrestrium omnium fons & origo est mare, cælestium nubes & pluuiæ. qui autem diuisit aquas ab aquis, has inferiores in magnam abyssum diffundens, vt inde flumina, riui, fontes, putei, lacus, infinita alia ad commodum & vsum vitæ humanæ existerent; cælestes verò pepli adinstar aut conopei in aëris medio suspendens; vtrisque MARIAM figurabat, vtrasque nomine eius significabat. de terrenis dictum, restant de cælestibus pauca dicenda. Et quis non libenter audiat, MARIAM pluuiæ comparari, quando isto in nomine tam admirabiliter continetur beneficentissimum eius ingenium? nam de aquâ pluuiali Cornelius Celsus ait: *Primæ bonitatis est aqua pluuialis, tamquam maximè aërea, lenissima ac dulcissima; deinde aqua fontalis; tertiò, fluuialis; quartò, putealis; quintò, niualis; sextò, quæ à lacubus & stagnis refunditur.* Nullum est ex his aquarum generibus cui Virgo non possit comparari: nam fons est gratiæ perennis & indeficiens; flumen est, propter abundantiam & impetum gratiarum; puteus, propter occultam gratiæ præsentiam; nix est, propter virginitatis candorem, vimque refrigerandi libidinis calorem; piscina seu lacus, quia in eâ viui homines perseuerant: at pluuialis aquæ sibi nomen assciuit, quia illa maximè aërea, lenissima atque dulcissima est; imò, quia nulla mundo vtilior, nulla effectis salubrior. Quidquid enim producitur vel in terræ ornatum, vel ad hominum brutorumque necessitatem, hoc quasi lacte nutritur: pluuia in granum herbescit, solidatur in arborem, ducitur in culmum, flectitur in vineam, serpit in hederam, in florem coloratur, in omnes denique terræ fructus variatur: & cùm sit vnicus vniusque substantiæ humor, in tot diuersa abit, vt omnibus prosit. Pluuia est MARIA, & pluuia temporanea, quæ numquam nocet, quocumque inciderit: sperentur igitur similes pluuiæ ab eâ effectus: cadit in virginem, fouet castitatem; adest Martyri, roborat constantiam; inuocatur à Confessoribus, docet perseuerantiam; venit ad Doctores, inspirat sapientiam. rursum, in desperantibus excitat spem, in peccatoribus ciet pœnitentiam, infirmis confert sanitatem, pereuntibus salutem procurat: omnibus opportuna, omnibus temporanea, salutares vbique producit effectus. Stilla maris est, vt suprà diximus, quòd non, densi adinstar imbris aut nimbi formidabilis, sternat sata læta boumque labores; sed quòd pluuiæ concisæ in morem, paulatim gratiam instillet, alteque penetret vsque ad ossa eorum quos diutiùs compluerit. Iam intelligis, quæ sit nubes ista candida, de quâ Apoc. 14. v. 14.

Omni aquæ comparatur Virgo.

Pluuia vtilitas.

MARIA pluuia omnibus opportuna.

v. 14. *Vidi, & ecce nubem candidam*, per virginitatem & innocentiam, *& super nubem sedentem similem Filio hominis.* Ea nubes MARIA est: argumento sit, quòd ei insideat similis quidam Filio hominis, pura ipsemet Filius eius. nubes, quæ leuissimo Spiritus sancti afflatu tamquam vento ferebatur; nubes, quæ infirmis oculis nostris Solis æterni temperauit fulgorem; nubes expansa in protectionem filiorum Israël; nubes vehementer impulsa vento persecutionis tempore passionis Filij sui; vnde tunc resoluta fuit in lacrymarum stillicidia; nubes denique refrigerans, vmbramque ac solatium præbens operantibus salutem suam in sudore vultus sui. Ecce nubem candidam, ecce pluuiam temporaneam ipso nomine suo significatam: quam rogemus, vti frequenter irriger corda nostra imbre gratiarum omnia conuertenre in salutem.

Cur nubes dicatur Virgo.

CAPVT XXV.

ETYMOLOGIA SEPTIMA.

MARIA *est myrrha maris.*

SANCTVS Bonauentura in Meditationibus Vitæ Christi cap. 3. scribit, B. Virginem cuidam personæ sibi deuotæ (quam ipse putat fuisse S. Elisabetham) hæc verba dixisse: *Filia, dico tibi, quòd nullum donum, gratiam vel virtutem habui à Deo sine magno labore, continuâ oratione, ardenti desiderio, profundâ deuotione, multis lacrymis, & multâ afflictione; dicendo cogitandoq; semper placita sibi, sicut sciebam & poteram; exceptâ sanctificationis gratiâ, quâ sanctificata fui in vtero matris:* ipso scilicet instanti conceptionis gratiis præuenta, antequam corrumperet eam peccatum. addítque, *Pro certo scias, quòd nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem & corporis afflictionem.* Idem sibi dictum fuisse scribit S. Birgitta in suis Reuelationibus. Vnde facile est concludere, cùm nemo ad gratias Virginis vel per vmbram accedat, neminem æquè orationi & mortificationi institisse. Meritò ergo rebus conueniens nomen in omen abiit, myrrhaque appellata fuit, quæ semper eius amaritudinem sibi adhibuit. De hac mox dicemus: nam tantisper subsistere facit adiecta particula quâ myrrha maris vocatur, cogitque inquirere, quid ea sit, quidve habeat cum Virgine commune. Myrrham inter gemmas numerat Apollinaris carm. XI.

Myrrha est gemma.

Myrrhina, sardonyches, amethystus Iberus, iaspis.

& Arrianus in Periplo bis lapidem appellat myrrhinum; Statius verò de comâ Earini ait:

—Myrrhasq; graues crystallaq; portat.

& Lucanus lib. 4.

Non auro myrrhâque bibunt.———

Denique Pausanias in Arcadicis: *Crystallus & myrrhina, & alia ex lapide ab hominibus facta, & vasa fictilia à Stygis aquâ franguntur.* Est ergo myrrha lapis pretiosus, siue gemma. Nascuntur autem gemmarum pretiosissimæ in mari; proinde non simpliciter myrrha, sed *myrrha maris* Virgo appellatur, quòd ipsa gemmas maris omnes pretio, pulchritudine & vtilitate excellat. Dedimus inter octo mancipiorum exercitia modum, quo possint Sodales collo Dominæ sertum gemmarum appendere, laudando & imitando præcipuas eius virtutes, quas ibi gemmis comparauimus. Quod exercitium etiam pertinere ad honerandum MARIÆ nomen, iam patet ex hac etymologiâ, quâ *myrrha maris* dicitur, scilicet gemmarum omnium quæ ex mari oriuntur præstantissima. Quod etiam S. Ioannes Damascenus affirmat Oratione 1. de Natiuitate Virgin. dum ait: *Commoueatur mundi mare: in ipso enim concha gignitur, quæ cælitus ex diuinitatis fulgetro in vtero concipit;* affirmans non gemmam tantùm præstantissimam esse MARIAM, sed prætereà vnionis istius matrem, qui solus continebat pretium redemptionis nostræ. Sed notandum quod Arrianus suprà dicit, *Lapis myrrhinus fit in Diospoli*, id est, *Thebis*; vnà cum eo quod Martialis lib. 14. & Plinius lib. 37. cap. 2. indicat myrrham in pocula destinari: vt intelligamus, quid sibi velit myrrha nostra,

MARIÆ conueniunt quæ de myrrhâ dicuntur.

nostra, id est MARIA, de se loquens: *In ciuitate sanctâ coram ipso ministraui.* Diospolis enim Iouis seu Dei ciuitas est, in quâ myrrha gignitur, hoc est, *in ciuitate sanctâ. Ministrare* verò ad mensam pertinet istius ciuitatis, vbi poculis myrrhinis ministratur à Virgine, vt impleat titulum quem ei dat S. Bonauentura in Cantico, vocans eam *cælestis curiæ pincernam.* Notum est enim, quòd in cælesti Ierusalem, vbi paterfamilias transiens ministrabit discumbentibus, otiosa non erit Mater hæc nostra familias; sed imitata Filij diligentiam, exhibendo varias ex plenitudine suâ delicias, augebit epulantium lætitiam, non tantùm in pincernam, sed etiam in poculum mutata, vt vasa ipsa augeant bibentium iucunditatem.

Eccli. 24. v. 14.

Hæc de myrrhâ gemmâ; nunc de vulgariore eius significatione videamus. Plinius lib. 12. cap. 15. scribit, myrrham esse arborem, id est, arbustum altum quinque cubitos, spinosum, caudice duro & intorto, crassiore quàm cortice thuris, leui folio oliuæ, sed crispiori & aculeato, iubâ olusatri: quæ bis per annum inciditur, vt resina, puta liquor myrrhæ, defluat: sudat autem, inquit, sponte priùs quàm incidatur, quæ vocatur stacte siue lacryma myrrhæ, eáque myrrha est præstantissima: sicut inter aliarum arborum resinas lacryma, quæ sponte fluit, est optima, ac inter vina lacryma, quæ ex vuis maturrimis sponte distillat, est sapidissima. Myrrhæ lacryma etiam gutta vocatur, & ea quæ sponte manat; in sacris Litteris dicitur *myrrha electa*, & *myrrha probatissima.* Præstat verò myrrha odore & potentiâ conseruandi etiam cadauera à putredine; estque vnguentis aptissima. Iam notandum ex Theophrasto lib. 6. de Causis plantarum, quòd *omnia fermè odorata amara sunt. Cùm verò illa duo*, inquit, *contraria inter se sint, dulce atq; amarum, alterum veluti initium grati saporis, alterum grati odoris esse videatur; & quodammodò magis primordium dixerim amarum grati odoris.* Pone stuporem, quisquis ambitiose miraris tantam nominis fragrantiam, quæ cælum & terram implet gratissimâ odoris suauitate. MARIA enim myrrha est amarissima, amarum autem initium est grati odoris. Contraria inter se sunt dulce & amarum; hoc odoris, illud saporis boni initium: ergo si sapor delectat, si dulcia sectaris, si vitam in deliciis transigis; percipies quidem gustus suauitatem, at carebis boni nominis fragrantiâ, fœtebit vita tua coram Deo & Angelis, & in turpitudine tuâ, tamquam in sterquilinio, computresces. Myrrha maris est quæ afflat odoris suauitatem; castimonia, sobrietas, vigilantia, labor, pericula, aduersorum tolerantia, hæc sunt quæ spirant myrrhinum vitæ odorem. A MARIA myrrhâ nostrâ electâ id disce: in ieiuniis, paupertate, vigiliis, exiliis, tyrannorum persecutione, Pharisæorum subsannatione, in Filij tormentis & morte, in diuturnâ vitæ austeritate, in animæ suæ perpetuâ amaritudine demoratur; & hinc spirat tantam nominis fragrantiam, vt omnes curramus in odorem vnguentorum ipsius. Ipsi conuenit ænigma, quod de myrrhâ proditur:

Myrrha arbustum.

Eccli. 24. v. 20. Cant. 5. v. 3.

Ex myrrha amaritudine oritur boni odoris fragrantia.

De lacrymis, & pro lacrymis mea cœpit origo:
Ex oculis fluxi, sed nunc ex arbore nascor:
Lætus honos frondis, tristis sed imago doloris.

arbor est gloriosissima, quà patet Oriens & Occidens diffusa, &

— quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice in tartara tendens.

Arbor hæc lætissimum quidem habet frondis honorem; seruat tamen in myrrhæ significatione tristissimam doloris & mortificationis MARIANÆ imaginem, ne speremus aliter quàm per scissuram & vulnera myrrhinum nominis nostri odorem exhalandum. Quæ si spontaneâ mortificatione assumamus, myrrha nostra erit electa & probatissima, sicut erat Dominæ nostræ, quæ ideò Eccli. 24. v. 20. ait: *Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.* & Cant. 5. v. 5. *Manus mea stillauerunt*

Mortificatio spontanea est optima.

runt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatiſſimâ. Manus & digitos nominat, cùm more gentis Iudaicæ poſt lotionem corpus totum inunxiſſet, totaque ſtillaret myrrham; vt indicet ſe ſponte adhibuiſſe mortificationem manibus ſuis, quâ fragrans ſponſo pulſanti, & immiſsâ per oſtij foramen manu, peſſulum aperire conanti occurrebat.

Cur maris myrrha vocetur Virgo.

Tam autem copioſè ſe Virgo inunxit vnguento hoc odoratiſſimo, vt iam non vncta, ſed vnguentum ipſum videretur; ideoque vocata ſit MARIA, id eſt, *myrrha maris. maris;* propter abundantiam; vel *maris,* hoc eſt, mundi huius, quòd ipſa ſufficeret ad omnes inungendos: nam de plenitudine Filij eius, quem ipſa mundo veluti vnguentum pretioſum effudit, omnes accepimus. vel *maris,* quòd vnguentum hoc pretioſiſſimum vltramarinum eſſet, ac procul & de vltimis finibus pretium eius: venit enim ad nos trans mare illud rubrum, imò Oceanum magnum paſſionis Dominicæ, à quâ traxit præcipuum ſuum odorem. vel denique *myrrha maris,* quia, vt inquit S. Ambroſius lib. 3. de Virgin. *hoc vnguento vncta eſt* MARIA, *& Virgo concepit, Virgo peperit bonum odorem, Dei Filium: hoc vnguentum effuſum eſt ſuper aquas, & ſanctificauit aquas.* Immiſſo, inquit, in aquas mundi huius olidas & profanas ſacro hoc Virginis vnguento, ſanctificatæ ſunt, mundatæ ſunt, & à corruptione præſeruatæ, vt non mirum ſit eam vocari myrrham, id eſt, vnguentum præſeruatiuum maris: hoc enim erat vniuerſis dando remedium. At ſingulis etiam eſt medicinalis myrrha hæc, & vel mortuos conſeruat à corruptione. Quot habet mare hoc mortuos peccatis ſuis, qui ſoli huic vnguento debent, quòd non dentur in corruptionem æternam! De CHRISTO ait S. Chryſoſtomus Sermone 57. *Sicut Reges triumphorum ſuorum titulis nuncupantur, & ſubiectarum Gentium nominibus conquirunt numeroſiſſima cognomenta: ita Chriſtus bonorum ſuorum titulis nuncupatur. à chriſmate enim vocatus eſt Chriſtus, qui diuinitatis vnguentum aridis iam mortalium membris pius medicator effudit.* Numquid de Virgine, quâ Chriſto creaturarum nulla ſimilior, dicere idem poſſum, quòd à chriſmate & vnguento myrrhino nomen acceperit; quòd gratiarum diuinarum, imò diuinitatis vnguentum, aridis iam mortalium membris medicatrix infudit, quando lumen æternum mundo effudit? Sed quatuor medicas virtutes videamus, quibus maximè præſtat oleum myrrhinum. Ac in primis myrrham Ægyptij vocant *bal*; quæ vox delirationis ſignificat amolitionem: cerebro enim mirabiliter conducit, & tollit noxios humores à capite defluentes: ita myrrha noſtra amaritudine ſuâ, id eſt crucifixi Filij ſui memoriâ, elidit omnem cogitationum arrogantiam, quæ peſſimum eſt capitis delirium. Secundò, dilatando pectori conducit myrrha; & MARIA ſuis dat admirabilem animi magnitudinem. Tertiò, maſticata tollit fœtorem oris; MARIÆ verò nomen ſæpiùs nominatum vetabit omnem verborum iactantiam, ſuggerendo profundiſſimam toties nominatæ Dominæ humilitatem. Quartò denique, conſumit putredinem vulnerum, aptiſſima iis qui, ob frequentem peccatorum iterationem, exclamare coguntur: *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ,* Pſal. 37. v. 6. Ipſa enim Virgo MARIA prohibebit recidiuam, facietque vulnera priora per pœnitentiæ amaritudinem purgari & coaleſcere. Sed quid ſingula commemoro, cùm ad omnimodam faciat medicinam vel ſolum nomen Virginis? vt indicatur verbis iſtis Canticorum, *Oleum effuſum nomen tuum.* quæ iam cum aliis nominis MARIANI proprietatibus explicanda?

Medicæ virtutes myrrhæ Virgini applicatæ.

Cant. 1. v. 2.

CAPVT XXVI.

Quid ſancti Patres de nomine MARIAE *pronuntiauerint.*

SIGNIFICATIONES nominis MARIANI hactenus inueſtigantibus magis de Virgine agendum fuit quàm de eius nomi-

Nomen MARIAE *omnes continet Deiparæ titulos.*

nomine: quamquam non exigua nominis laus est, quòd vnicum tam multas Virginis dignitates & proprietates significat; vt vix in longissimis Litaniis quis sit titulum inuenturus, qui non possit ad aliquam ex prædictis significationibus reuocari. Quidquid enim dici potest de Virgine, vel maternitatem Dei indicat, & hæc reuocatur ad significationem, *Deus ex genere meo*; vel resultantem ex eâ dignitatem atque dominium Virginis exaltat, & hæc refertur ad magnificum Dominæ epithetum; vel multiplicem significat Virgineæ bonitatis communicationem, quâ sese ad omnes mortales diffundit, & hoc habes Illuminatæ & Illuminatricis titulis significatum: alij tituli eam ducem mortalium, conuersionis ministram, salutis causam faciunt; & hi Stellæ maris nomine habentur: alij dolorum mortificationumque eius magnitudinem describunt; pro quibus habes Maris amari ac Myrrhæ interpretationem: alij denique humilitatem aut virginitatem declarant; & ideò etiam Gemmæ, Guttæ Stillæq; habes nomenclationem. Adeò vt qui MARIAM inuocat nomine isto suo dulcissimo, attendens ad nominis etymologiam, ingentes compendio texitet Litanias, maioris sæpè meriti & efficaciæ quàm longè diuersorum vocabulorum enumerationes. Fit enim vt omnium titulorum virtus & efficacia in hoc nominis MARIANI quasi centro collecta, fortiùs ibi vires suas exerat in verbi vnius puncto, quàm in omnibus latè diffusis multarum sententiarum lineis. Quapropter inutilem, spero, nemo existimabit quam insumpsimus multiplici nominis interpretationi operam: attamen, quia necessariò in explicatione significationum fuit magis de Virgine quàm de nomine MARIÆ discurrendum, vt ostenderemus, verè ei conuenire id quod nomen MARIA significat; deinceps eos titulos & proprietates examinabimus, quæ tribuuntur non tam Virgini per nomen MARIA, quàm ipsi huic nomini propter Virginem. Hoc namque Libro nominis dignitatem potestatemque, non Deiparæ maiestatem

Solum nomen MARIAE *æquiualet longissimis Litanijs.*

atque potentiam inquirimus. Audi verò conglobatas Patrum & Sanctorum sententias, atque vnico intuitu perlustra sapientissimum nomen MARIÆ celebrantium concilium; vt scias, omnia, quæ posteà de eo dicturus sum, non esse nisi breuem huius sacrosanctæ Synodi commentarium. Chorum ducat Petrus Chrysologus, quia gnomis breuibus profundissima indicat nominis huius mysteria: ait enim Serm.146. *Nomen hoc* MARIÆ *prophetiæ germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis.* Æquè magnificè se infert dicturus sententiam, at nomen suum celaturus, Idiota; qui lib. de Contempl. Virg. MARIÆ cap.5. hos coaceruat nominis huius effectus: MARIÆ *nomen supra omnia Sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos, vngit agonista, & iugum diaboli extrudit.* Succedat S. Germanus Patriarcha, non laudandum solùm, sed & inuocandum nomen hoc proponens. Primò enim de zonâ Virg. ait: *Quomodo corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem; ita etiam sanctum tuum nomen, ô Virgo, quod in ore seruorum tuorum versatur assiduè, in omni tempore, loco & modo, vitæ, lætitiæ, auxilij non solùm est signum, sed ea etiam procurat & conciliat.* Iterùm verò encomio de Dormit. Virg. hortatur: *Simulatque tremore correptus fuerit Christianus, aut lapide pedem offenderit, illicò præsidium tui nominis inuocatur.* Quarto loco audiatur S. Bernardinus Tom.2. Serm.42. vtilitatem crebræ inuocationis enumerans, *Hoc nomen*, inquit, *quod dedit cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, sermonem mutis; proinde si qua infirmitas tibi vel tuis occurrat, non spreto remedio naturali, recurre ad inuocationem nominis* MARIÆ. Confirmat hanc, & amplius pronuntiat S. Bonauentura in Cant. post Psalter. *Domina nostra* MARIA *Virgo, omnipotens post Deum nomen eius.* Imò inuocationi nominis Dei præ-

præponit inuocationem nominis Mariæ S. Anselmus lib. de Excell. Virg. cap.6. propter vtilitatem scilicet inde resultantem ad nos, non verò propter maiorem eius dignitatem: *Velocior*, inquit, *est nonnumquam salus memorato nomine* Mariæ, *quàm inuocato nomine Domini* Iesv *vnici Filij sui. & id quidem non ideò fit, quòd ipsa maior & potentior eo sit: nec enim ipse magnus & potens per eam, sed illa per ipsum.* Christvs *suo nomine vocatus non statim exaudit; profectò id iustè facit: inuocato autem nomine Matris, etsi merita inuocantis non merentur vt exaudiatur; merita tamen Matris intercedunt vt exaudiatur.* S. Bonauentura iterùm in Psalt. *Beatus vir qui diligit nomen tuum,* Maria *Virgo: gratia tua animam eius confortabit; tamquam aquarum fontibus irrigatum vber in eo iustitiæ fructum propagabis.* Digna est quæ rogetur sententiam inter hos viros femina, inter Sanctos S. Birgitta, quia ex reuelatione humanâ maiore loquitur: dicit enim ipsi lib.1. Reuel. c.9. Virgo Deipara: *Nomen meum est* Maria, *sicut legitur in Euangelio: hoc nomen cùm Angeli audiunt, gaudent in conscientiâ suâ; & regratiantur Deo, qui per me & mecum talem gratiam fecit, & quòd vident ipsi humanitatem Filij mei in Deitate glorificatam.* Omnia audienda sunt quæ hoc capite fusè dicit de hoc nomine, ne iterùm sit reuocanda. Pergit ergo: *Illi qui in Purgatorio sunt vltra modum gaudent; tamquam æger in lecto iacens, si audierit ab aliquibus verbum solatij, & quod ei placet in animo, quo statim exultat. Angeli etiam boni audito hoc nomine statim appropinquant magis iustis, quibus dati sunt ad custodiam.* & mox: *Omnes etiam dæmones verentur hoc nomen & timent: qui audientes hoc nomen* Maria, *statim relinquunt animam de vnguibus, quibus tenebant eam. Sicut enim auis quæ in prædam vngues & rostrum habet, si audierit sonum aliquem, relinquit prædam; & cùm nihil operis sequi videt, statim reuertitur ad eamdem: sic dæmones audito nomine meo, statim relinquunt animam quasi territi; sed iterùm aduolant & reuertuntur ad eam quasi sagitta velocissima, nisi aliqua emendatio subsequatur. Nullus etiam tam frigidus ab amore Dei est, nisi sit damnatus, si inuocauerit hoc nomen hac intentione, vt numquam reuerti velit ad opus solitum, quòd non discedat ab eo statim diabolus, & numquam ampliùs reuertitur ad eum, nisi resumpserit voluntatem peccandi mortaliter: tamen quandoque permittitur ei turbare eum, propter maiorem remunerationem eius, sed non possidere.* Rursum Idiota libr. de Contempl. B. Virginis: *Tuum,* inquit, *Dei Genitrix, nomen diuinis benedictionibus & gratiis omni ex parte refertum.* S. Bonauentura sæpiùs audiendus, qui in Psalterio orat: *Præbe ingenui memoriam nominis tui.* & in Speculo: *Deuotè nominari non potest* Maria *absque nominantis vtilitate.* Consonat incertus apud Alcuinum: *Tu ne nominari quidem potes* Maria, *quin accendas; nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te: tu numquam sine dulcedine tibi diuinitus insitâ piæ memoriæ portas ingrederis.* Quæ verba sanctus Bonauentura in Spec. cap. 8. tribuit S. Bernardo. *Omnis lingua,* inquit sæpè nominandus Idiota, *confitetur huius sanctissimi nominis gratiam, gloriam & virtutem.* S. Anselmus: *Sæpè quidem vidimus & audiuimus plurimos hominum in suis periculis recordari nominis* B. Mariæ, *& illicò omnis periculi malum euasisse.* Facilitatem pronuntiandi adfert S. Bernardinus Tom. 1. Serm. 52. *Non sunt nisi duæ syllabæ, vt non laboret homo in dicendo & frequenter nominando hoc sanctissimum nomen.* S. Antonius de Paduâ Dominicâ 3. in Quadrag. ait: *Nomen* Mariæ *iubilus in corde, mel in ore, melos in aure.* Idiota suprà: *Tanta est virtus tui sanctissimi nominis, ô semper benedicta Virgo* Maria, *quod mirabiliter emollit & penetrat duritiem cordis humani.* S. Chrysologus Serm. 142. adeò confortatiuum putat esse hoc nomen, vt valuerit ad ipsam Virginem confirmandam, ne timeret tempore annuntiationis, dictumque ei, *Ne timeas* Maria, vt vel ipsa vocis experiretur efficaciam:

caciam: MARIA, inquit, *Hebræo sermone, Latinè Domina: vocat ergo Angelus Dominam, vt Dominatoris Genitricem trepidatio deserat seruitutis.* Beatus Alberrus Magnus in 1.caput Lucæ: *Si illecebræ carnis te trahant, & superantes iam ad illicitas delectationes te propellant, baptiza te in amaritudine maris, & nomina* MARIAM, *& sic pro certo in te ipso experieris, quod iustè vocatum est nomen Virginis* MARIA. *Si aduersitates tribulationum te iactent, & iam superantes te quasi prosternant, inuoca* MARIAM. S. Bonauentura in Spec.cap.3. *Non sic timent hostes visibiles quamlibet castrorum aciem copiosam, sicut aëreæ potestates* MARIÆ *vocabulum.* S. Gerardus Episcopus & Martyr de Laud. B. MARIÆ Virg. *Inuitus quoque infernus* B. MARIA *vlulat, & procacißimi dæmones clamant.* S. Germanus Oratione in zonam Deiparæ: *Tu nequißimi hostis contra seruos tuos inuasiones solâ tui nominis inuocatione sanctißimâ repellens, tutas atq; incolumes seruas.* S. Bonauentura in Psalt. *Gloriosum & admirabile est nomen tuum: qui illud retinent, non expauescent in puncto mortis.* & infrà: *Ab inuocatione nominis tui trepidat spiritus malignus: pax multa obseruantibus nomen tuum, Mater Dei.*

CAPVT XXVII.

Nomen B. MARIAE *est prophetiæ germanum.*

MONET sæpiùs Hierarchicus Magister noster in libro de Diuinis nominibus, nihil de Deo affirmandum, nisi quod per Hagiographos, quos ille Theologos appellat, nobis dignatus est reuelare: nam statim sub initium capitis primi ait: *Sit autem etiamnum nobis oraculorum sacra lex præfixa, vt veritatem astendamus eorum quæ de Deo dicuntur, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione virtutis, quam Spiritus Theologis inspirauit.* & mox: *Vniuersè igitur audendum non est, neque dicere neque cogitare quidquam de supersubstantiali & abditâ Deitate, præter ea quæ nobis in sacris oraculis sunt indicata diuinitus.* Eadem ferè repetit §. 2. at §. 3. ait: *Summæ quidem diuinitatis arcanum illud, quod omnem intelligentiam substantiamq; transscendit, à scrutatione vanis sacrisq; mentis venerationibus, ineffabilia verò modesto quodam silentio prosequentes, fulgoribus, qui nobis è sanctis Eloquiis affulgent, attendamus: quorum deinde luce ad diuinos hymnos excitemur, quibus supermundialiter illuminamur, sacrisq; laudum canticis formamur ad diuina lumina, quæ in iis ad captum nostrum conteduntur, contuenda, beneficiumq; principium omnis illustrationis, prout ipsum de se in Eloquiis expreßit, collaudandum.* Ita vir ille sanctus, & parens eius scientiæ quam nos modò Theologiæ nomine insignimus, non modestè magis de se, quàm verè sentiebat de illis Theologis, qui diuinâ illustratione nobis præscripserunt speculandi sentiendique regulam. Materiam quidem ego tracto infinitis partibus eâ quam ipse sibi desumpserat inferiorem: tantum enim distat MARIÆ sanctissimum nomen ab ineffabilibus Dei nominibus, quantum Mater Dei à Deo; id est, quantum prima creaturarum ab eo distat, coram quo omnes creaturæ in vnum collectæ sunt tamquam non sint. Sed quid iuuat infra Deum esse Virginis nomen, modò supra vires nostras sit; cùm perinde nobis impossibile sit lunam atque solem attingere, licet hoc illa sit inferior? Si perinde, inquam, incapaces sint omnes prudentiæ nostræ dignè nomen MARIÆ celebrare, atque diuina nomina, prout par est, explicare; quid iuuat, quòd hoc diuinis nominibus sit inferius? eâdem profectò cautelâ est opus, ne corruamus in loco vno pariete concluso, modò is omne lumen excludat, atque in eo qui centum parietibus clauditur: licet enim plura requirantur, vt hic quàm vt ille colluftretur; quamdiu tamen neutri fax villa suppetit, vterque in tenebris est. Facile est intelligere quid velim, videlicet, non minoris temeritatis fore, si de venerabili MARIÆ nomine fine Auctori-

De Deo aut Virgine nihil temerè affirmandum.

bus quidlibet asserere audeamus, quàm fuisset S. Dionysium de Deo sine diuinis oraculis discurrere: non quòd omnia quæ dicturi sumus à Scripturâ diuinâ proponantur, sed quòd neque ei contrarientur, & sanctos Patres habeamus dicendorum duces, quæ post diuinissima illa nobis etiam sunt infallibilia oracula. Prodeat ergo rursum primùm explicandus qui primus auream sententiam dixerat Chrysologus, quàm magnificè de MARIÆ nomine affirmans: *Nomen hoc* MARIÆ *prophetia germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis*. Singulis est insistendum: *Nomen hoc*, inquir, MARIÆ *prophetiæ germanum est*. Mirabile, sed verissimum encomium: germanum est prophetiæ nomen MARIÆ. Igitur eo abdita panduntur mysteria; igitur à Deo reuelatum est, & non inuentum ab hominibus; igitur librorum maximorum instar est, & breui licet compendio, ingentia prodit mysteria; igitur non præterita solùm commemorat, & præsentia declarat, sed etiam futura aperit infallibili euentuum certitudine. Prophetiæ germanum est; cuiusnam, an Isaiæ, an Salomonis, an Dauidis, an Ioannis Euangelistæ, an omnibus? siquidem eæ sunt etiam germanæ sorores, germanum est iis MARIÆ nomen; sed ita quemadmodum Iosephus germanus erat fratribus suis, quem procidentes in terram adorabant, agnoscentes in eo dominij prærogatiuam: nomen enim Virginis ipsum prophetia maxima à cunctis Prophetis ænigmaticè prædicitur, à Prophetis omnibus adoratur. Germanum est prophetiæ, sic vt prophetia omnis lucem, splendorem, auctoritatem ab eo capiat. Breui enim MARIANI nominis compendio tota prophetia comprehensa est, postquam Verbum caro factum tam mirabiliter abbreuiatum est. In etymologiis nominis suprà ostendimus, quanta vnico duarum vel trium syllabarum vocabulo continenantur mysteria: at parum est ad explicandam nominis alicuius vim ratio etymologica. eam significat nomen MARIA; propter quam non tantùm prophetia, sed, S. Bernardo teste, Scriptura omnis facta est, & propter quam mundus vniuersus conditus est: significat, inquam, eam non secundùm hanc aut illam eius virtutem, gratiam vel prærogatiuam, qualem singulæ rationes etymologicæ possunt proponere; sed significat eam prout est secundùm omnem sanctitatem, gratiam, excellentiam, dignitatem quam habet. vnde non tantùm prophetiæ germanum, sed omnis prophetiæ compendium dici potest, quandoquidem eam, quam omnis prophetia per partes annuntiat, totam perfectissimè significat. Est ergo eâ veneratione nomen beatissimum Virginis Deiparæ accipiendum, tamquam si liber integer propheticus, imò prophetia omnis, traderetur à Domino. Quid non debet capiti suo CHRISTO Ecclesia, quòd ei per os Prophetarum aperire dignatus sit abscondita suæ diuinitatis, & ceterorum consiliorum suorum arcana? at plus ei debet pro vnico MARIÆ vocabulo, quàm pro tot voluminibus Prophetarum. Si vel ad solam S. Ambrosij etymologiam attendas, quâ tradit maternitatem Dei MARIÆ vocabulo significari, dum illud *Deus ex genere meo*, interpretatur; iam capies id omnium prophetiarum esse compendium. huc enim omnes earum figuræ & ænigmata, huc facta & dicta omnia spectabant, vt nasciturum Dei Filium mundo annuntiarent; MARIA autem non tantùm nasciturum eum, sed ex Virgine, & ex Virgine sanctissimâ, eoq; partu dignissimâ, primò nasciturum, & deinde natum declarat: indicat enim eam Matrem Dei esse, cui ipsum nomen erat proprium. Sed ista non repeto; potiùs ex S. Germano Chrysologum explico, dicoq; prophetiæ germanum esse nomen Virginis, quia est vitæ, lætitiæ & auxilij prognosticon; nec prognosticon significatiuũ tantùm, sed etiam efficax, vtpote causa eius quod annuntiat. Numquid ea vis verborum

Marginal notes: Serm. 146. — *Quid sit prophetiæ esse germanum.* — MARIÆ *nomen est totius Scripturæ compendium.* — *Huius nominis veneratio.* — MARIÆ *nomen est signum prognosticon.*

S. Germanus de zonâ Deiparæ.

borum ſuprà citatorum, *Quomodo corpus noſtrum vitalis ſignum operationis habet reſpirationem: ita etiam ſanctum tuum nomen, ô Virgo, quod in ore ſeruorum tuorum verſatur aſsiduè, in omni tempore, loco & modo, vitæ, lætitiæ & auxilij non ſolùm eſt ſignum, ſed ea etiam procurat & conciliat.* Nónne tamquam victoriæ ſignum MARIÆ nomen ponunt ij Patres, qui illud aduerſario noſtro tam dicunt horribile, vt non æquè timeat caſtrorum aciem copioſam? quod S. Bonauentura ſuprà diſertè affirmabat. Nónne æternæ prædeſtinationis prognoſticon id faciunt, qui crebram eius pronuntiationem in morte commendant? tamquam certum ſit, extra Dei amorem obire non poſſe, qui moribundus manducat & maſticat hoc ſalutis æternæ antidotum.

Maneat ergo explicatum MARIANI nominis veriſſimum & laudatiſſimum epithetum, quòd ſit prophetiæ germanum, quia omnia nobis præſtat quæ poteramus à quacumque prophetiâ exſpectare. Conſidera, an non ideò ceſſet in Eccleſiâ Dei publicum iſtud & crebrum prophetiæ donum, quale in veteri lege erat, quòd iam habeamus IESV & MARIÆ nomina, quæ multò certiora & efficaciora nobis edunt oracula quàm omnes prophetiarum voces & libri? Liceat ergo dicere de MARIÆ nomine, quòd *habemus firmiorem propheticum ſermonem*, 2. Petri 1. v. 19. hoc eſt, prout hîc interpretationem cuiuſdam lectionis Græcæ accommodamus, ſermonem omnibus Prophetarum oraculis firmiorem, ſcilicet IESV & MARIÆ nomina: *cui benefacitis*, pergit S. Petrus, *attendentes*, Græcè προσέχοντες, id eſt, *intendentes*, vt legit S. P. N. Auguſtinus Tract. 23. in Ioannem; vt ſtudium Sodalium laudetur, quod inſumunt mecum examinando & perſcrutando nomini MARIANO, non iam quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco (quod ipſe de prophetiis) ſed orto iam lucifero in cordibus noſtris, tamquam ſoli ſplendenti in meridie. Praxim ex hoc nominis MARIANI encomio trahent mancipia, vt non ſecùs nomen MARIÆ atque prophetias & ſacram Scripturam venerentur, Commentaria in illud conficiant, omnes eius apices examinent, omnia quæ in eo reperient myſteria colant atque ſuſpiciant.

Praxis virtutis ex hoc nominis MARIANI encomio.

CAPVT XXVIII.

MARIAE *nomen eſt renaſcentibus ſalutare.*

ALTERA nominis MARIANI laus ab eodem S. Chryſologo aſſignatur, quòd ſit renaſcentibus ſalutare. Conſtat apud fideles, renaſci omnes in CHRISTI ſanguine, qui fidei myſterijs initiantur, & vndâ baptiſmali perfunduntur; ſed non ita conſtat, quid mouerit Patrem hunc, cur potiſſimùm ijs ſalutare MARIÆ nomen eſſe pronuntiarit: an indicare fortè voluit, cùm natiuitas hæc ſecunda ſit ad ſalutem, quòd ideò nomen Virginis ſit renaſcentibus ſalutare, quòd non ſoleat niſi obſtetricante MARIA felix partus ille contingere? an hoc cogitabat, quòd CHRISTVS quidem auctor omnium Sacramentorum, ſed quòd non applicentur vlli in particulari, niſi per MARIAM? an eò reſpiciebat, quod poſteà dixit S. Thomas Opuſc. 8. *Conuenienter vocatur* MARIA *illuminata in ſe, & illuminatrix in alios, quantum ad totum mundum, ideò aſsimilatur ſoli & lunæ?* Haud dubiè multa voluebat animo ſanctus Doctor, quando dicebat nomen hoc renaſcentibus ſalutare, quandoquidem multis modis MARIA ijs operatur ſalutem. Richardus à S. Victore cap. 26. in Cant. ita ſcribit: *Talis fuit in virtutibus, tantaq; fuit eius charitas, vt non ſolùm ad eius gentem, Iudæos videlicet, extenderetur; ſed ad ignotos & notos, ad omnes denique homines dilatata fuit. pro his indeſinenter orauit; pro his ſolicita fuit; pro his orando exaudita fuit, dicente ad eam Angelo Gabriele, Inueniſti gratiam apud Deum, ſcilicet quam quærebas: omnium ſalutem deſiderauit, quæſiuit, & obtinuit; imò & ſalus omnium per ipſam facta eſt, vnde & mundi ſalus dicta.* Et S. Ephræm Oratione ad Vir-

MARIA corredemptrix.

Virginem: *Per te reconciliati sumus Deo: tu captiuorum redemptio, tu omnium salus. Aue pax, gaudium & salus mundi: aue mediatrix gloriosissima, aue vniuersi terrarum orbis conciliatrix*. Plura in hanc sententiam diximus alibi, quando probauimus, mundi Redemptorem non eguisse quidem, attamen adsciuisse sibi corredemptricem Virginem MARIAM. Nomen ergo Virginis est renascentibus salutare: quia, vt inquit S. Petrus Damianus, *inito Deus consilium de redemptione hominum, statim de thesauro diuinitatis nomen* MARIÆ *euoluitur; ac per ipsam, cum ipsâ, & in ipsâ hoc faciendum decernitur*. Salutare est nomen renascentibus, quia illuminationem significat; quæ in primis necessaria est vt partus iste edatur in lucem fidei. Salutare est nomen MARIÆ renascentibus; quia ipsa, quæ nomine appellatur, mater & nutrix est omnium qui Deo regenerantur. *Illa vna femina*, inquit S.P.N. Augustinus, *spiritu planè mater est membrorum Saluatoris, quod nos sumus, quia cooperata est charitate, vt fideles in Ecclesiâ nascerentur, qui illius capitis membra sunt; corpore mater est ipsius capitis*. Sed opus non est interprete alio quàm ipso Chrysologo, qui eodem Serm. 146. ostendit, quàm salutare sit renascentibus nomen MARIA, cùm mater sit omnium fidelium: MARIA, inquit, *mater vocatur. & quando non* MARIA *mater? Congregationes, inquit, aquarum appellauit Maria. Nónne hæc exeuntem populum de Aegypto concepit vno vtero, vt emergeret cælestis in nouam creaturam renata progenies? iuxta illud Apostoli 1. Cor. 10. Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari. & vt semper* MARIA *humanæ prauia sit salutis, populum quem vnda generatrix emisit in lucem, ipsa iure præcessit in Cantico: Maria, inquit, soror Moysi sumens tympanum in manu suâ, dixit: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est*. Vbique mater est Virgo Deipara; sed maximè renascentibus est salutaris, quia statim illos pectori suo admouet, & nutrit vberibus, ne vitam, quam mox acceperunt, perdant defectu alimenti. Guilielmus Parisiensis ad illud Cant. 4. *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli*, ita de Virgine loquitur: *Plenum est vberibus maternum illud pectus intus & foris: foris quidem habet duo vbera, quibus pro tempore pia Mater aluit Filium, intus item duo vbera habet ad alenda membra eius, vnum compassionis, alterum congratulationis*. hoc recreat Sanctos & iustos; isto animat peccatores & afflictos: vtroque nutrit omnes qui Deo nascuntur in Ecclesiâ: & audeo dicere, alia non esse Deo vbera quibus nutriat lactetque suos, quàm hæc Virginis Deiparæ. Paradoxum hoc videtur & alienum à pijssimis illis, quas de bonitate diuinâ formare solemus, cogitationibus? non videbitur ei qui caput Canticorum quintum examinarit, & à Sponsâ ipsâ didicerit veritatem huius dicti: ipsa enim Capite superiore à dilecto suo exquisitis ornata laudibus, vt possit paria cum eo facere, distribuit per omnia eius membra orationem, singulisque insistens, tam aptis ea verbis describit, tam insignibus exornat comparationibus, vt dubites magisne rapiaris in amorem tam insigniter laudati, an tam artificiosè laudantis: nam caput eius ait instar auri probati rutilum; comas eâ formâ quâ elatissimæ palmarum superbiunt, eo colore qui coruis esse solet, insigniri: oculos verò columbis assimilat, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta riuulos aquarum; & genas aromatum areolis consitis à pigmentario. Quid manus, quid labia? hæc lilia esse dicit distillantia myrrham primam, illas plenas hyacinthis facillimè versatiles ad largiendum: ita ventrem, crura, guttur, speciemque vniuersam dilecti sui aptissimè depingit coloribus. Sed quid? an nihil excidit, aut omissum per incuriam? grauis ea foret Sponsæ tam diligenter laudatæ accusatio, maximè in amœbæo carmine, in quo crescere potiùs debet quàm decrescere oratio: hanc autem neque personæ loquentis amor, nec scribentis admittit prudentia. Quòd ergo pectoris vberumque illud exornatu-

Serm. de Annuntiat.

mater & nutrix fidelium.

Deus non habet alia vbera quàm vbera Deiparæ.

nantium nullam hîc faciat mentionem, non reputandum est vitium, sed mysterium. An enim præcipuum illud corporis humani ornamentum & illecebrosum decus omitteret Sponsa amantissima, cùm sua videret à Sponso tam studiosè esse laudata, vt octo queis Cantica absoluuntur capitibus, sexies eorum mentionem fecerit; si vbera reperisset in Sponso quæ laudaret? Non enim est quòd dicatur, ea magis ad feminæ ornamentum pertinere, in eâque magis quàm in viris laudari: idem enim de ventre dici poterat. nam si dicas, omittendum eum non fuisse, quòd tot ipse sibi pepererit filios adoptionis, declarandum restat, cur ei, cui venter tribuitur ad pariendum, vbera non dentur ad nutriendum. Hoc autem declarat S. Germanus Homil. de zonâ, dum ait: *Nullus est qui saluus fiat, nisi per te, ô sanctissima: nullus est qui liberetur à malis, nisi per te, ô purissima: nemo est cui donum concedatur, nisi per te, ô castissima: nemo est cuius misereatur gratia, nisi per te, ô honestissima.* hoc est dicere: Si CHRISTVS peperit innumeram filiorum multitudinem, quando per crucis tormentum & ignominiam vitam nostram morte suâ reparauit; ijdem omnes filij non alijs admouentur vberibus, quàm tuis, ô Virgo Deipara. Clariùs indicabat S. Petrus Damianus: *Init Deus consilium de redemptione hominum, statim de thesauro diuinitatis nomen* MARIÆ *euoluitur; ac per ipsam, cum ipsâ, & in ipsâ hoc faciendum decernitur.* Ipso illo instanti quo Deus tractat de producendis tot liberis, dum omnibus parturientibus grauiores sibi proponit dolores, vt edat in lucem gratiæ filios adoptionis; simul hoc circumspicit, quæ nutrix vberibus suis alet sobolem tam copiosam; & statim de thesauro diuinitatis MARIÆ nomen euoluitur. inuolutum erat instar thesauri, vt in occasionem optimam seruaretur. Ecce autem dum agitur de lactandis filijs Dei, mora nulla, statim euoluitur: nam quæ melior nutrix quàm ea, quæ, teste Guilielmo Parisiensi, plena est vberibus intus & foris? Indaganda videntur hîc

Quos CHRISTVS parit, dat Virgini nutriendos.

Serm. de Annuntiat.

Quomodo natum in Deiparâ lac misericordiæ, quo nutrit renatos.

penitiùs in fabricando lacte naturæ secreta, vt appareat clariùs, quàm sit Virginis nomen renascentibus salutare. Macrobius lib. 5. cap. 11. ait: *Postquam sanguis ille opifex in penetralibus suis omne opus effinxit, atque aluit; aduentante iam partus tempore, idem ad corporis materni superna conscendens, in naturam lactis albescit, vt recens natis idem sit altor, qui fuerat fabricator.* At modum, quo id præstat natura, etiam curiosiùs scrutatur Clemens Alexandrinus lib. 4. Pædag. cap. 6. vbi docet, quo tempore infans maternis penetralibus clauditur, sanguinem per secundinas secretas fluere in alimentum prolis; at tempore partus, obturatâ viâ istâ, non inueniens sanguis exitum ordinarium, ad superiora vberum remeat: quorum venæ apertæ & agitatæ motu arteriarum vicinarum albedinem inducit; quemadmodum mare agitatione tempestatis spumas producit albissimas. Verba Clementis sunt: *Vnda instar agitatus albescit, & tali interruptione ritu spuma mutatur affectione quadam, ei quæ mari euenit non absimili.* hoc est naturæ in sanguine formando arcanum. Vide iam quodnam inde pietatis nostræ eruatur mysterium. Quamdiu Ecclesiæ filij erant adhuc in Synagogæ visceribus clausi & absconditi, neque prodierant in hanc gratiæ lucem, quâ modò fruimur Christiani; sustentabat illos sanguis CHRISTI fluens viis occultis & secretis per sacrificia legis veteris: at vbi aduenit tempus partus illius felicissimi, quo in cruce Seruator mundi ederet in lucem generosam Christianorum sobolem; sanguis omnis de corpore eius manans collectus est in sinu B. MARIÆ Virginis, ibique in lac albissimum miserationis atque congratulationis conuersus, quo iam edita proles nutritur & adolescit in robur viri perfecti, donec comedere possit cibum solidiorem in mensâ illâ, vbi CHRISTVS ipse transiens ministrabit eis. *Ipsa priùs repleta es*, dicit alibi citatus Richardus Victorinus, breuiter pandens hoc mysterium, *& ex te nobis descendit hæc abundantia.* & Guilielmus Parisiensis

Tttt 3 suprà:

suprà: *Per hoc quòd facta est Verbi incarnati Mater corporalis, facta est membrorum eius mater spiritualis: per hoc quòd caput nostrum secundùm carnem concepit, membra eius lacte pietatis alenda suscepit.* Constat ergo, quòd maxime salutare renascentibus sit nomen Virginis, quod illuminationem sonat, per quam venitur in lucem gratiæ; & erutum de diuinitatis thesauris, nutricem nobis assignat; quæ alat suauissimo lacte misericordiæ quotquot nascuntur filij Ecclesiæ. Salutare est renascentibus, quia dulcissimum nomen illud est pronuntiantibus, & amarum omnibus inimicis nostris: simile ergo est salutari infantium medicinæ, quæ nec amara nec nimiùm fortis esse debet, ne corpusculum nondum benè coagulatum dissoluat; & tamen iis polleat viribus necesse est, quibus noxios humores aut morbi venenum, quod teneros artus occupauit, depellat. Infantes omnes sumus, asperiores potiones, quales sunt afflictationes corporis, mortificationes passionum, tormenta pro CHRISTO subeunda, reformidamus; malumusque imprudentes sæpè perire, quàm remedij asperitatem exsorbere. Data ergo est medicina ægroto dulcissima, & morbis infestissima, nomen MARIÆ: hoc masticemus, hoc frequenter ore & mente voluamus, experiemurque quòd sit medicina salutaris omnibus in Ecclesiâ renatis. Etiam in hoc infantibus est accommodatum hoc nomen, quòd adeò magnum sit, vt oculos, aures, animum pronuntiantis illud impleat. Ea est enim puerorum auiditas, vt etiam quantitate alimenta æstiment, velintque sibi oculos ambasque manus repleri. magnitudinem hanc infrà examinabimus. Iam ad praxim. Cùm renascentibus Sodalibus tam multipliciter salutare fuerit nomen B. MARIÆ Virginis, crebraque inde ipsis acciderit illuminatio, poterunt illud aliquoties genua flectendo repetere, gratias agendo pro hoc ipso illuminationis nutritionisque spiritualis beneficio. Secundò, pium erit candelas imagini Deiparæ ac nominis sanctissimi eâ ipsâ intentione accendere.

Medicina puerorum est nomen MARIÆ.

Praxis virtutis ex hoc encomio.

CAPVT XXIX.

Nomen B. MARIAE *est virtutis insigne.*

STARE infestis aciebus in Martis hoc campo, quem mundum vocant, hinc vitium, inde virtutem, atque adeò militiam esse vitam nostram vniuersam, cùm experiamur omnes, probari non debet: at quod affirmat Chrysologus, eos qui à virtute stant, pro insigni atque vexillo MARIÆ nomen gyrare, non ita est notum, vt superuacaneum sit breui id discursu explicare. Pro quo dicendum ex sacris paginis, vexilli eleuationem tria significare: nam apud Isaiam 62. v. 10. conuocationem populi designat. dicitur enim: *Præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, & eleuate signum ad populos; ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ.* apud Ieremiam verò 51. v. 27. ad indicendum bellum vsurpatur: *Leuate*, inquit, *signum in terrâ, clangite buccinâ in gentibus.* apud Isaiam iterum c. 5. v. 26. *Et eleuabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ; & ecce festinus velociter veniet.* Tertiò denique adhibetur ad indicandum itineris ducem. Sic quando castra mouebant in deserto filij Israël, eleuabantur in singulis tribubus vexilla, & singuli iuxta proprium castrametabantur vexillum. Num. 2. v. 2. *Singuli per turmas, signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum castrametabuntur filij Israël per gyrum tabernaculi fœderis.* Prima significatio quasi naturalis est: nam, sublato signo, etiam qui ignorant quodnam sit, aut ad quid eleuetur, concurrunt, vt discant quid sibi velit is qui illud sustulit: qui concursus eò est frequentior, quò vel maior est qui dat signum, vel ipsa vexilli signive forma est insolentior. Sustulit, affirmante Chrysologo, insigne suum virtus, Imperatrix omnium quas orbis vidit nobilissima: & sustulit non obscurum aliquod lacerumque hostili manu vexillum, sed nouum, & post multas victorias integrum, intactum, atque instar solis rutilum, in-

Vexilli eleuatio tria in Scripturâ significat.

signe nominis MARIANI: quis non concurrat, quis non accedat examinaturus quid tanta Imperatrix signo tam magnifico cupiat indicatum. Sapientissime profectò hoc adhibuit consilium virtus, vt nomen hoc tam magnificum extolleret, quo magnam mundi partem cunuocaret, faceretque sui sequacem: quàm deserta, quàm solitaria incedebat antequam hoc cepisset consilij? vix vnus aut alter latus eius stipabat, dispersis toto orbe in viam suam mortalibus; at simulatque MARIÆ nomen extulit, ostenditque in eâ, quæ nomine hoc significabatur, viuam spirantemque sui imaginem, concurrit orbis vniuersus, exploraturus quænam esset illa Imperatrix, quæ tam nobile vexillum erigeret.

Virtus sustulit vexillum nominis MARIAE, vt conuocet ad se homines.

Ad indicendum bellum valet præterea signi huius sublatio. Prædictum quidem erat diabolo & vitio: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius*, Genes. 3. v. 15. Sed hæc vti erat solummodò verbalis declaratio belli; ita facile ab hoste spernebatur, fiebatque vt ipse nullo vindictæ metu prædas ageret, & in alieno dominaretur: at simulatque, sublato vexillo hoc virtutis, quod est nomen MARIÆ, vidit iam indictum esse bellum, serioque rem agi, illicò ipse fugit ad primum vexilli conspectum. *Non enim ita metuunt hostes visibiles*, inquit S. Bernardus, *quamlibet castrorum multitudinem copiosam, sicut aëreæ potestates MARIÆ vocabulum; & pereunt sicut cera à facie ignis, vbicumque inuenerunt huius nominis crebram recordationem.* & S. Bonauentura ait in Psalr. *Ab inuocatione nominis tui trepidat spiritus malignus.* Videt namque seriò sibi bellum indici, quandocumque hoc vexillum gyratur aut ostentatur. Quod vt clarius constet, euentu vno atque altero, qui semper in bellis est arbiter, confirmabo. Ecce narrationem certâ totius Lusitaniæ traditione notissimam, & à rerum D. Dominici Ordinis Historiographo Ferdinando del Castillo memoriæ proditam 1. p. Histor. Gener. Ordinis Prædicator. lib. 2. cap. 72. vt ex eo refert Alfonsus Villegas Flor. Sanct. p. 5. Vitâ 173. Boncela municipium Conimbricense est; ibi nobilibus parentibus natus quidam Ægidius. hic, vixdum adolescens, industriâ & fauore tres Canonicatus & Prioratum vnum adeptus, omni vitio diffluebat, non indoctus Humaniorum litterarum & Philosophiæ & Medicinæ: cui, quam sibi opportuniorem ad nequitiam rebatur, totum se dare, & Lutetiam eius addiscendæ causâ proficisci cùm cogitaret; iter aggressus, dæmonem obuium humanâ in specie habuit. Malus iste viæ comes, à noto sibi, sed ignotus, paulatim varia quærere, vt audiuit profectionis consilium; Quin tu, inquit, me potiùs audis? scientiam indicabo, quæ & adeptu facilis, & vsu præcipua ad dignitates voluptatesque; ipsius etiam, quam sitis, Medicinæ summa perfectio est. Necromantiam dico. Dixit, & persuasit: abducit Ægidium, & adducit in vastum specum prope Toletanam ciuitatem: ibi occurrère læti & excepere venientem viri dæmonesque humanâ effigie. Itur in specum, exigitur non secreti tantùm, sed & ligiæ fidei, siue homagij perpetui sacramentum. Volens adigitur, & schedulâ proprio consignatâ cruore promissum confirmat. Septennio illic tetris artibus & caliginosâ scientiâ imbuitur. Pòst Lutetiam profectus, miros breuî inter Hippocratis sectatores progressus facit, & Doctoratus est lauream adeptus. gliscebant enormia magis magisque peccata: ruebat de scelere in scelus: ambiguum erat, famâ eruditionis, an nequitiæ infamiâ maior. Sed, ô Dei bonitatem! vi, quem lenitate nequiuerat, statuit trahere. Ecce tibi equitem hoplomachum, lanceam vibrantem & intentantem misero, irato vultu, minaci voce clamantem: *Vitam hanc moresq. desere, ad frugem conuertere.* Subitus Ægidium terror occupauit; & veloci motu cum terrore, institutum pristinum displicere desiit. Ad volutabrum luti reuerso, post triduum idem ille eques iam terribilior non solùm minatur, eadem verba repetens de mutando vitæ instituto; sed lanceam

Item, vt seriò bellum indicat diabolo.

lanceam pectori infigit, & vulnus, etsi non graue, infligit. Fractus animo noster, *Dedo*, inquit, *me: faciam, Domine, quidquid iusseris*. Saulum diceres in terram deiectum. Statuit seriò se totum Deo dicare, & quò intus impelli se sentiebat *(vrgente, sic opinor, Angelo custode, qui apparuerat)* religiosæ alicuius instituto Familiæ se addicere. Hoc animo Lusitaniam repetens, dum per Pallentiam iter habet, vbi tum Monachi Dominicani monasterium moliebantur, subit cupido cernendi operis. Videt viros sanctitate & eruditione claros, quosdam etiam viribus & ætate defectos, delicatè olim nutritos, calcem subigere, ligna dolare, lapides parare, & onera humeris portare, summâ lætitiâ & alacritate. Optat se illis iungere, petit instanter admitti, impetrat. Tirocinio defungitur, magnâ spe sanctitatis futuræ excitatâ: post aliquot annos missus Santarenum in Lusitaniam, ibi crescebat oratione & victoriâ sui. Vnus angebat scrupulus, quòd penes dæmonem hæreret schedula illa obscena & detestabilis. Igitur ardentiùs Reginæ cælorum se commendabat; mali huius remedium aliquod postulabat, non sine lacrymarum imbre, & continuo suspiriorum concentu. Quid neget misericordiæ Mater sic postulanti? die quadam cùm in sacello templi prolixiùs oraret, apparuit illi dæmon formidabili aspectu, deteriore vlulatu, conuitium facit, & præstitam fidem acceptaque beneficia petulanter exprobrat: tandem, post multa minaciter & proteruè & impotenter obiecta, *Faxo*, inquit, *huius te Monachismi & violentiæ, quæ me tibi syngraphum hunc cogit restituere, numquam satis pæniteat*. Simul abiicit eum ad pedes Ægidij, & videri desiit. Ægidius chartulam accipit, & lacerat minutim. Nec vanæ dæmonis minæ fuêre: admirandis illum modis plus septennio posteà vexauit. Mitto vexationes alias. Assumebat Monachi cuiusdam, qui in eodem degebat Monasterio, similitudinem: & nihil non quod excogitari inter domesticos posset, molestiæ Ægidio inferebat. patiebatur hic; sed tandem dolens malitiam illam serpere, & Fratrem, vt putabat, illum Deum sic semper offendere, rem defert Priori, & petit aliò mitti; causamque aperit accersito Fratre. Deprehensus calumniator, & insolens, ab aliis, solitus ab Ægidio vinci, desiit victori negotium facessere. qui tandem clarus multis non virtutibus tantùm raptibusque, sed & miraculis variis, anno 1265. mundo denascitur, vt cælo nasceretur. sepultus Santareni, vt Sanctus colitur. En victum prostratumque hostem MARIÆ inuocatione, quem iterùm iuuat gloriosè debellatum cernere solâ huius signi ostentatione. Horatius Tursellinus Historiæ Lauretanæ scriptor, pari elegantiâ & fide rem gestam proponit: Galium porrò iuuenem Lauretanæ Virginis tutela seruauit, quem in præcipitem locum libido insana prouexerat: hic, vt erat proiectæ cupiditatis audaciæque, in vetitas se effuderat voluptates. Expugnato multarum matrumfamilias pudore, immodico cuiusdam mulieris amore flagrabat: quâ cùm nec prece, nec pretio, nec vi dolóve potiri liceret, vltima experiri statuit. Igitur conciliatum magicis cantionibus dæmonem rogitat, vt se voti compotem faciat, ad omnia se descendere paratum ostendens, si eo, quod expeteret, frueretur. Diaboli ergo iussu à Christo deficit, seque totum illi dedit traditque: super hæc omnia, iurat conceptis ab illo verbis, & chirographo suam obstringit fidem. Vsque eò impuras mentes voluptatis amor excæcat. Ceterùm, vt potitus est quod cupierat, fecit, vt fit, fastidium copia; & cælesti luce obortâ, magnitudinem sceleris sui serâ æstimatione perpendit. Ergo posteaquam animum curis anxium pœnitentia subiit, ad veniæ spem erectus, cælestem opem spectare, Deum Deique Parentem implorare cœpit. Inter hæc occurrit animo Virgo Lauretana, eiusque ædis Sacerdotes amplissimâ facinorum expiandorum auctoritate præditi. Protinus, Deo auctore ac duce, Lauretum petit; haud

haud dubius quin inibi esset tantis malis remedium inuenturus. Nec sua illum frustrata spes: Lauretum vt venit, Sacerdotem idoneum nactus, re omni expositâ, consulit, ecqua sibi spes sit reliqua salutis. Ille primò sceleris atrocitate exterritus paulisper hæsit; deinde, immanitate facinoris demonstratâ, ita spem illi salutis ostendit, si precibus, ieiuniis, voluntariâque corporis vexatione Deum placare penitus insistat. Cùm ille nihil omnino pœnarum recusaret, promisit Sacerdos, si imperata fecisset, se faciles aures ei daturum, & tantum piaculum Deo propitio vtique expiaturum. In digressu hominem monet, vt per triduum inediâ, cilicio, flagris corpus afflictet, beatæ Virginis opem implorans; per eam à Deo veniam exposcat; se eodem triduo rem diuinam pro ipsius incolumitate facturum. Et vtrimque exstitit fides. Ita triduo extracto, Sacerdos optimum ratus est ante absolutionem chirographum à dæmone extorqueri, ne quid omnino iuris in illum haberet. Proinde hominem ab se dimittit monitum, vt augustissimum sacellum ingressus, precibus lacrymisque Deiparam vsque eò fatigaret, dum chirographum à diabolo extortum reciperet. Morem gerit ille, suæ salutis securitatisque auidus, haud dubiâ spe id se deprecatione Deiparæ Virginis impetrare posse. Ergo prostrato ante Virginem corpore, lacrymans obnixè eam precatur, vt, recepto illo nefario chirographo, saluti incolumitatique suæ consultum velit. ingenti miraculo compos voti efficitur. Versiculos illos ex animo iterabat:

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Talia precatus, subitò chirographum in manus suas delapsum conspicit. Itaque vix sibimet ex inopinato gaudio credens, integrato fletu grates Virgini enixus agit. Inde sacello egressus, lætitiâ exultans ad Sacerdotem accurrit: receptum Deiparæ beneficio scriptum ostendit. id erat tot tantisque in Christum, atque in ipsum qui scripserat, diris & execrationibus refertum, vt facilè appareret, à sempiterno humani generis hoste dictatum. Verumtamen tantum vinculum omni diabolicâ fraude potentior vis diuina dissoluit: ita deuotum illud inferis caput, Deiparæ benignitate asseritur in libertatem filiorum Dei. Et hostis generi nostro infestissimus, vibrato nominis MARIANI vexillo, per piam eius inuocationem vincitur; quia tum seriò ei bellum indicitur, quando illud gyratur.

Nec primi sumus nos homines, qui labarum hoc inferni potestatibus tam formidabile sustulimus; iam inde ante conditum genus nostrum Michaël Angelorum Princeps illud euentu felicissimo gyrauerat, terrueratque ac vicerat hostem Luciferum virtute & ostentatione huius vexilli. Si opponis, labaro eius verba hæc, *Quis sicut Deus*, inscripta fuisse, atque ab iis nomen sibi, tamquam à gloriosissimo victoriæ suæ instrumento, ipsum traxisse; respondeo, iis ipsis verbis admirabiliter MARIÆ nomen contineri. Qui enim petit docendi exprobrandique causâ, *Quis sicut Deus*, id verbis iis significat & inculcat, de quo Lucifer dubitabat. Iam neminem posse Deo secundùm diuinitatem assimilari clariùs per species infusas Lucifer sciebat quàm ipse Michaël: erat enim ipso naturali scientiâ perfectior. Sed nihil iuuat scientia, si mentem peruertat superbia: quæ Angelum istum sic excæcauit, vt, cùm facillimè colligere & scire posset, Deum etiam hominem & Filium MARIÆ factum supra omnia esse adorandum, id facere noluerit, indignum suâ magnitudine ratus, se ad hominis pedes abiicere. Quid enim (sic animum eius ventilabat superbia) quid Deo in mentem venit, ita deperire creaturam rationalium omnium vilissimam, vt se ad humilitatem eius abiiciat? an non sunt tot Angelorum species, quarum infima pænè infinitis perfectionibus hominem exsuperat? si tanta est Deo libido sese creaturæ per hypostaticam vnionem infi-

insinuandi, quin harum alicui se coniungit, vt sine dedecore mihi liceat nobilitatem meam ad pedes eius abiicere? quem honorem ego iam statui statuoque homini nequaquam exhibere. Ita bellum Deo incarnato indixerat Lucifer; cùm statim in arenam descendit Michaël, eum qui oppugnabatur defensurus, vocemque vnà cum belli signo attollens clamabat, *Quis sicut Deus*, incarnatus scilicet & Filius MARIÆ existens? nam hoc est de quo dubitabatur à superbo illo, qui, conspecto signo illo MARIÆ nomen continente, non solùm locum in quo pugnabat deseruit, sed ad ipsas inferni latebras fugit, si fortè ibi tutus ab eius virtute posset delitescere. O nomen MARIÆ verè signum efficacissimè bellum indicendi hostibus infernalibus, cùm numquam obliuisci possint se vi huius nominis pugnam eam perdidisse, in quâ de summâ rei vnico conflictu agebatur!

Tertiò, vt ducat reducatq́; milites dispersos.

Est tamen magis proprium erectioni vexilli, vt militibus ducem itineris significet. Vegetius lib. 2. de Re militari cap. 13. ait: *Antiqui, quia sciebant in acie commisso prælio celeriter ordinesq́; aciesq́; turbari, ne id posset accidere, cohortes in centurias diuiserunt, & singulis centuriis singula vexilla constituerunt: ita vt ex quâ cohorte, vel quotâ centuriâ esset, in illo vexillo litteris esset adscriptum; quod legentes vel intuentes milites in quouis tumultu, à contubernalibus suis aberrare non possent.* Hæc nominis MARIANI proprietas, quòd sit virtutis insigne, per cuius aspectum milites quomodocumque dispersi redire possint ad castra virtutis, ipsâ etiam etymologiâ exprimitur; & cum eo concordat quo stella maris dicitur, variatâ solummodò comparatione rem eamdem significante. Quod enim nautis tempestate iactatis est stella maris, hoc militibus incursu hostili dispersis est vexillum; vtrisque nimirum itineris dux, à quo in viam reducantur. Nec perditæ sunt res militibus quamdiu vexillum saluum, & ipsi sub vexillo colliguntur; vti nautis spes restat, quamdiu polum suum videre, ad eumque cursum dirigere possunt. Hîc porrò notandum, quod à peritioribus exercituum Ducibus seruari videmus: qui hortantes milites ad fortiter contra hostes dimicandum, ea proponunt quæ ab hostibus passuri sunt, si vexilla submiserint; illaque in primis, quorum vnà cum vexillo iacturam facturi sunt, opes, possessiones, filios, coniuges, parentes, propriam denique libertatem ac vitam: quæ omnia quasi in vnico contenta vexillo, in vexilli solius defensione conseruandâ designant. Quæ facillimum est huic nominis MARIANI labaro applicare, ostendereque, illo amisso, rem simul & spem omnem periisse status melioris; cùm illud sit vnica ratio spei nostræ, & res vnica quæ possit nos, omnibus desperatis, erigere. Imò ex Tito Liuio constat, Duces aliquando solere vexillum in medias hostium acies proiicere, vt excitarent militum animos ad recuperandum vexillum, cum quo sciebant omnia sibi perire. Nescio an ideò Deus nomen MARIÆ hostibus fidei nostræ permiserit ore impurissimo blasphemandum, vt nostram excitaret pietatem, quâ vexillum istud & insigne virtutis ex mediâ eorum acie recuperaremus; idque vindicantes ab iniuriâ, gloriosissimè plantaremus ante ipsas hostium fores, propagantes nominis illius sanctissimi honorem eo ipso in loco quo anteà blasphemabatur.

Cur permittatur à Deo, vt quidam MARIAE nomen blasphement.

Vegetius lib. 2. de Re militari cap. 20. aliam narrat Romanorum consuetudinem: quòd nimirum haudquaquam militibus integra stipendia adnumerarent, sed partem dumtaxat; partem verò quæ supererat, apud proprium cuiusque vexillum sequestrarent, vt vexillum illud maiori robore defenderent, in quo sciebant cuique repositam esse mercedem virtutis. Nónne ita nobiscum agit Dominus, qui partem mercedis largitur in hac vitâ pro bonis operibus, alteram verò partem sub hoc virtutis insigni deponit soluendam, si quidem signa non deseramus, in alterâ vitâ, ad quam nemo est peruenturus, nisi qui steterit sub nominis MARIANI vexillo:

Sub nominis MARIANI vexillo stipendia nostra sequestrantur.

lo: nam omnis ab eâ auersus impossibile est vt saluus fiat. Et hæc quidem ita hactenus explicantur, restringendo nomen *insigne* ad particularem vexilli significationem: at si eam sumamus in suâ latitudine, maior etiam exsurget laus nominis MARIANI. Est enim *insigne*, vel crebriùs numero plurali *insignia*, nota quâ vestes, vexilla, vtensilia insigniuntur, vt ad quos pertineant dignoscantur: atque hinc etiam pro ipsis illis vestibus ponitur quæ à Magnatibus adhibentur, vt sui ab alienis dignoscantur. hinc Virgilius 2. Æneid.

Nomen MARIAE est livrea (vt vocant) virtutis.

—Danaûmque insignia nobis Aptemus.——

& Ouidius:

Este procul vittæ tenues insigne pudoris.

Et virtutis insignia nominauit Cicero Appio scribens: *Insignia enim virtutis multi etiam sine virtute assecuti:* ponens *insignia virtutis* pro præmiis & ornamentis virtutis. Adhuc ergo duplex significatio esse potest sententiæ illius, quâ nomen MARIANVM insigne virtutis dicitur. Primò, vt intelligatur esse signum quoddam & nota, quam virtus ipsa dat suis, tamquam indicium quòd ad se familiamq; suam pertineant. Secundò, quòd sit ornamentum aliquod, virtutis causâ iis qui eâ excellunt donatum; prout modò cruces, vellus aureum, ligulæ, & olim statuæ ceteraque virtutis signa & præmia dabantur viris insignioribus.

In vtrâque significatione maximè ad mancipia nostra MARIANA pertinet hæc sententia: nam in primis si nomen MARIANVM sit illud signum, quo virtutis domestici & contubernales distinguuntur ab aliis; sequitur, Sodales ad mancipatum nominis MARIANI admissos, virtutis familiam ingressos, iam ab omnibus haberi pro domesticis eius. quod eis non vulgaris exhortationis loco est ad sedulò virtutis munia obeunda: quoties enim se nominis MARIANI mancipia dicunt vel audiunt, toties admonentur, quòd ei debeant sedulam nauare operam, cuius insignia portant. Rursum, cùm idem nomen sit insigne virtutis, quale est vellus aureum, ligula, crux, statua, datum ad insigniendum eum qui virtute excellit; quantæ dignitatis erit, esse mancipium Deiparæ eiusque sanctissimi nominis, cùm nullum excogitari possit hoc nomine insigne splendidius, nec ordo vllus à Regibus institui, qui sæculari honore possit aspirare ad hanc mancipiorum gloriam? ceteri enim gestant obscuram quamdam particularis alicuius virtutis vmbram; mancipia verò in hoc nomine habent virtutis ipsius integræ, &, quantum purus homo eius capax est, vndequaque perfectæ fulgentissimum insigne. Praxis quam occasione huius encomij obire possunt Sodales, est Primò, crebrò nomen illud pronuntiare, tamquam si toties ostentato vexillo bellum diabolo indicerent. Secundò (quod piè quidam vsurparunt) illud tamquam sigillum litteris, vtensilibus parietibusque inscribere, vt testentur dominum eorum esse virtutis domesticum, nec vllum desiderare cum vitiis commercium: ita Rex aliquis arcem occupans, omnia veteris domini insignia amouet, & eorum loco sua portis, turribus, ceterisque locis publicis affigit. Tertiò, frequenter se, pronuntiando MARIÆ nomen, excitabunt ad virtutis studium. Quartò, omnibus suis titulis & insignibus præferent, esse & dici mancipium Deiparæ eiusque sanctissimi nominis.

Honorat suos virtus nomine MARIANO.

Praxis virtutis ex hoc encomio.

CAPVT XXX.

MARIAE *nomen est pudicitiæ decus.*

PRÆFERIMVS vbiq; Chrysologi nomen hisce nominis MARIANI encomiis, ne quisquam fidem deneget iis quæ certum est omnem intelligentiam superare. Magna asseruimus de Virginis dignitate & dominio, magna de virtutibus eius, quibus supra omnes Sanctos & Angelos probauimus exornatam; at maius quiddam breui oratione includit, quem dixi, Chrysologus, quando de nomine eius affirmat, quòd sit *pudicitiæ decus.* Virtutes decus esse

esse non mortalium modò, sed etiam Angelorum, constat inter omnes; Dei verò solius illa incomprehensibilis laus est, quòd ipse non tam decoretur virtutibus, quàm illis ipsis sit ornamento. Neque enim ideò Deus honorandus magnique faciendus, quòd ipse iustitiâ, prudentiâ, fortitudine ceterisque immortalibus rationalium creaturarum ornamentis sit prædítus; sed ideò magnifacimus has ipsas virtutes, quia cum intrinsecâ Dei bonitate; quæ prima honestas & laudabilitas est, aliquatenus consentiunt. Quod Hierarchicus Magister noster de Diuinis nominibus cap. 8. §. 1. de potentiâ iustitiâque diuinâ acturus, sic proponit: *Quòd Deus quidem deificationis princeps supra omnem potentiam feratur, & omnem potentiam, quomodocumq; est & excogitatur, exsuperet, non puta vllum ex iis qui in diuinis Scripturis alti sunt & educati, ignorare.* Mouet autē statim quæstionem, quam puto iam Lectorem cogitando præuenisse, dicens: *Quomodo igitur Theologi tamquam potentiam laudant, quæ extra omnem potentiam posita est? aut quomodo in eâ nomen potentiæ accipiemus?* resoluitq; quæstionem, vt ait Lessius lib. 1. de Perfectionibus diuinis cap. 3. mirabili & plusquam humano modo loquendi, quo vtitur ad exprimendam suorum conceptuum sublimitatem. ait enim: *Dicimus igitur Deum esse potentiam, vt qui præhabet in se & supraquam habet omnem potentiam; & vt omnis potentiæ auctor, & vt omnia inflexibili & incircumscriptâ potentiâ producens, & vt auctor ipsius esse potentiæ, tam vniuersalis quàm cuiusque particularis: & vt infinitipotens non solùm omnem potentiam producendo, sed etiam supra omnem potentiam, & supra ipsam per se potentiam existendo.* Superiore capite similia de sapientiâ Dei affirmauerat; quam ideò, quòd supra omnem sapientiam esset, audet familiari, vt fatetur, Hagiographis consuetudine, *priuationis contrario sensu* nominare *rationis expertem, & amentem atque fatuam sapientiam*; ne putemus, Deum sapientiâ exornari potiùs quàm esse sapientiæ ipsius ornamentum. *Est enim*, inquit cap. 7. §. 2. *causa supraquam sapiens & omnia sciens, per se sapientiæ & totius sapientiæ vniuersalis & particularis effectrix.* Ex quibus verbis perceprâ illâ admirabili Dei laude, quam toto libro de Diuinis nominibus inculcat S. Dionysius, quòd ipse non tam ornatus sit virtutibus, quàm virtutes ab eo ornentur, cùm hæ non sint nisi extrema quædam eius quod in Deo est resonantia, eò laudabiliores, quò clariùs perfectione suâ nobis quodammodò loquuntur id quod ipsis omnibus infinities perfectius in Deo latet; iam examinanda est illa admirabilis Chrysologi de MARIÆ nomine sententiâ, quâ id non reformidat *pudicitiæ decus* appellare. Quò autem faciliùs intelligatur sublimitas huius laudis, notandum, virtutes trifariàm diuidi posse: quædam sublimiores atque diuiniores sunt, nullam vel naturæ vel culpæ imperfectionem præsupponentes; quales sunt sapientia, iustitia, ceteræque quas Deo sine vllâ dubitatione Theologi attribuunt; atque vti attributa Dei, ita etiam virtutes diuinæ vocari possent. Aliæ sunt creaturarum virtutes, quæ Deo nullâ ratione conuenire possunt, ex eo quòd naturæ quamdam infirmitatem præsupponant quam perficiunt: tales sunt, obedientia quæ voluntatis, fides quæ intellectus, castitas quæ corporis infirmitatem, necessariò præsupponunt. atque hæ dici possent creaturarum virtutes. Aliæ denique sunt & dici debent virtutes peccatorum, quòd præsupponant peccati fœditatem atque malitiam: talis est pœnitentia. Hoc prænotato, certum est postremis B. MARIAM Virginem neque ornatam fuisse, neque vicissim iis fuisse ornamento, cùm nullum habuerit vmquam cum peccato commercium: ac de primis illud quoque indubitatum, non iis ornamento fuisse B. MARIAM Virginem; quod Dei est proprium: ad cuius perfectionem illæ exiguntur, eoque digniores, perfectiores, laudabiliores existunt, quò propiùs naturam eius diuinam imitantur.

Deus non ornatur virtutibus, sed eas ornat.

Virtutum alia Dei, alia creaturarum, alia peccatorum.

tur. Fuit ergo iis, quod alibi probauimus, ſupra angelicam atque humanam creaturam omnem exornata; exiſtimandumque, eam non ſolùm collectione virtutum omnium ſingulas creaturarum ſuperaſſe, ita vt verum ſit dicere, nullam fuiſſe MARIA ſanctiorem; ſed etiam ſingulis ſingulas, ita vt verum non ſit, vllam extitiſſe MARIA vel iuſtiorem vel ſapientiorem (loquor non de naturali vi intelligendi, ſed de ſapientiâ quæ virtus eſt) vel denique virtute aliquâ ex iis quæ Deo conueniunt, & creaturis communicantur, præſtantiorem. At de iis quæ naturæ infirmitatem ſupponunt virtutibus quid dicemus? dixit iam ante nos Petrus Chryſologus, vt formidandum non ſit ſancti Patris veſtigiis inſiſtere: MARIÆ *nomen*, inquit, *pudicitiæ decus*. De MARIA primùm videamus, deinde de nomine. Iam diſtinximus, aliud eſſe, dicere, MARIAM exornatam eſſe pudicitiâ aut caſtitate; aliud, caſtitatem vel pudicitiam à MARIA exornari. tangitque res iſta proximè ſtatum MARIÆ hierarchicum, quem ei Deum inter creaturaſque particularem attribuimus. Quæ enim habet quoad officij ſublimitatem, quod eſt, eſſe Matrem Dei; & quoad dignitatem dominiumque quod inde reſultat, ſtatum quemdam medium inter creaturas alias & ipſum Deum; illam etiam conueniebat ita virtutum quarumdam exiſtere ornamentum, vt nonniſi ab illâ eſſet earum exemplar petendum, adeoque dici poſſet ornamentum potiùs virtutum iſtarum, quàm iiſdem exornata. Non poſſunt hæ virtutes eſſe diuinæ illæ quæ Deo primùm & per ſe conueniunt; non etiam poſſunt eſſe eæ quæ peccatoribus ſunt propriæ; reſtat ergo vt eæ aſſignentur, quæ neque Dei perfectionem, neque peccati infamiam ſupponunt: tales ſunt fides, ſpes, humilitas, obedientia, caſtitas & pudicitia: has Deus exercere nequit, quia perfectiſſimus; & ſatis peccatori eſt gloriæ, ſi iis vtcumque exornetur. Quodnam ergo habebimus perfectum earum exemplar, ad cuius normam illæ exactæ eò plus merebuntur, quò propiùs accedant, id eſt, à quo ſplendorem ſuum omnem ac decus mutuentur? Non Angeli ad hoc ſunt apti, nec ſpirituum quiſpiam: nam præterquam quòd in iis reperit prauitatem, cùm corporis careant infirmitate; apti non erant vt omnes ita exprimerent & exornarent. Filius Dei homo factus (quod cum ſummâ eius reuerentiâ dictum ſit) etiam non erat ad hoc aptiſſimus; non ob defectum aliquem virtutis, ſed propter nimiam abundantiam maieſtatis. licet enim virtutes creaturis proprias exerceret, eæ tamen ipſæ, cùm theandricæ eſſent, tantum mutuabant à ſublimiori naturâ ſplendoris, vt nimis humanos oculos perſtringerent, & ſemper aliquid admiſtum haberent, quò non liceret vlli, qui non eſſet niſi creatura, aſpirare. Prodeat ergo femina vna, conſtituaturque Deum inter & creaturas media, non ſolùm officio & dominio prælata omnibus; ſed virtutum iſtarum quæ in Deum non cadunt, tam abſolutum exemplar, vt non ſit ad aliam normam earum exigenda perfectio, nec aliunde ijs quærendum ornamentum. Exemplo explicari poteſt quod etiamnum obſcurum videtur, quid ſit, MARIAM eſſe *pudicitiæ decus*. Conſtat, quantâ caſtitatis gloriâ, quantâ pudicitiæ laude prædita fuerit S. Agnes, tenera quidem virguncula, ſed pudicitiæ ſeruandæ causâ omnibus blandientium promiſſis maior, omnibus tyrannorum tormentis fortior. Magnum ei ſcripſit S. Ambroſius encomium: *Mirentur viri, non deſperent paruuli; ſtupeant nuptæ, imitentur innuptæ: quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret: nondum idonea pœnæ, & iam matura victoriæ: certare difficilis, facilis coronari: magiſterium virtutis impleuit, quæ præiudicium vehebat ætatis. Non ſic ad thalamum nupta properaret, vt ad ſupplicij locum, læta ſucceſſu, gradu feſtina virgo proceſſit. Flere omnes, ipſa ſine fletu: mirari plerique, quòd tam facilè vitæ ſuæ prodiga, quam nondum hauſerat, iam quaſi perfuncta donaret. Quanto terrore egit carnifex vt timeretur, quantis blan-*

MARIA virtutibus creaturarum fuit ornamentum.

Quid ſit, MARIAM eſſe pudicitiæ decus.

ditijs vt suaderet, quantorum vota vt sibi ad nuptias prouenirct! At illa, Et hæc Sponsi iniuria est, inquit, exspectare placituram: qui me sibi prior elegit, accipiet. Quid percussor moraris? pereat corpus quod amari potest oculis, quibus nolo. Habetis igitur in vnâ hostiâ duplex martyrium, pudoris & religionis: & virgo permansit, & martyrium obtinuit. Magnum, inquam, & à magno Ecclesiæ Doctore virgini huic datum encomium: at si huic constanti virginitati, si isti pudicitiæ bis tinctæ sanguine & pudore maius conciliare decus cupias, si ornamentum splendidius accersere; verum pudicitiæ decus, maximam creatarum virtutum gloriam intuere, cum MARIA Agnetem compara: huius innuptæ pudorem cum illius nuptæ pudicitiâ, huius fortissimam castitatem cum illius fecundâ virginitate compone: dic hanc esse quamdam illius vmbram, dic multum de illâ luce participare; & non Agnetem tantùm, sed ipsam S. Agnetis pudicitiam maximè decoraueris. Iámne vis dicam, quid sit MARIAM pudicitiæ decus esse? hoc est, nullam pudicitiam, nullam virginitatem, nullam castitatem tam gratam, tam puram, tam sanctam posse excogitari, quæ, comparata cum MARIA, non plurimum lucis & splendoris ab eius maternâ virginitate accipiat? Eadem de fide, eadem de spe, humilitate, obedientiâ dici possent, si hîc esset ea probandi locus; vel potiùs, nisi iam essent satis in vnicâ pudicitiâ probata.

Quomodo nomen MARIAE sit pudicitiæ decus.

Sed quomodo hoc de nomine MARIANO affirmari possit, quod iam certum est Virgini conuenire, breuiter probandum: non eâ tantùm ratione, quod initio diximus, nomen sæpè pro ipsâ personâ collocari, & ita de hoc omnia dici quæ de personâ affirmantur; sed vel ideò maximè, quòd semper nomen rem, tamquam vmbra corpus, sequitur. Vnde conficere possis, cùm res ipsa, hoc est virtus MARIÆ, tanta sit, vt, respectu nostri, proportione suâ non secùs ac Deus lucem habitet inaccessibilem, nullusque eius perfectionem concipere possit; vmbram eius, hoc est nomen, esse lucidissimam: in diuinis enim istis & virgineis, quæ supra omnem captum nostrum sunt eleuata, vbi lux tenebræ sunt, vmbra tenebrarum solet esse lux splendidissima. vnde sequitur, nomen MARIÆ, lucis istius nobis imperceptibilis vmbram, lucem esse, quæ virtutes nostras, & maximè pudicitiam & castitatem, illustret, atque adeò decus pudicitiæ vocari posse. Aliter possis nomen MARIÆ pudicitiæ decus vocare, quòd sit Virginis illius, quæ iam non pudica, sed pudicitia dici debet, summum præconium. Quidquid enim de Virgine Deiparâ dixeris, quibuscumque dignitatum titulis eius magnitudinem deprædicaueris, quantumcumque verbis honestis & compositis pudorem eius descripseris; nihil vmquam maius, nihil præstantius, nihil ornatius de eâ dices, quàm si MARIAM appellaueris. Ergo nomen hoc, quod est maximum Virginis Deiparæ encomium, erit etiam primum ipsius pudicitiæ decus.

Praxis virtutis ex hoc nominis MARIANI encomio.

Ne ieiunum sine aliquo virtutis exercitio ab hoc titulo Lectorem dimittamus; poterit frequenti virtutum suarum cum MARIÆ virtutibus comparatione excitare semetipsum ad æmulandum charismata eius meliora, & crebrò Virginem compellare MARIÆ nomine, tamquam omnium laudum atque encomiorum eius compendio.

CAPVT XXXI.
MARIAE *nomen indicium est castitatis.*

SIGNORVM alia significant ad placitum, alia naturaliter; fieríque potest, vt vnum idemque signum aliud artificiosè, aliud ex naturâ rei significet: nam fumus naturaliter ignem significat; & possum instituere, vt fumus tamen artificialiter vel hostis præsentiam, vel subsidij aduentum, vel quidlibet aliud designet. De nomine sanctissimo B. MARIÆ Virginis dicit Chrysologus, quòd sit *indicium castitatis.* Dubitari posset, naturalitérne an artificialiter sit eius indicium; videturque dici posse quòd naturaliter eam significet, præsuppositâ

ſuppoſitâ tamen artificiali nominis ſignificatione, quam ſub Libri huius initium ſtatuimus fuiſſe prorſus arbitrariam: tam enim poterat Virgo iſta quæ Deum genuit, quolibet alio nomine quàm MARIA appellari; quamuis, præſuppoſitâ Hebraicæ atque Syriacæ linguæ inſtitutione, negem, nomen vllum aptius fuiſſe, quo potuiſſet tantæ dignitatis perſona indigetari. ſed cùm omnia totius linguæ vocabula ſignificarent ad arbitrium, dici non poteſt, naturalem fuiſſe in nomine hoc ſignificationem. Verùm, aſſumpto ſemel MARIÆ vocabulo, vt deſignetur ea Virgo quæ Deum genuit; iam dico, id eſſe naturaliter indicium caſtitatis. Cùm enim ſignificet Dei Genitricem nomen MARIA, eamque feminam quæ talibus fuit gratijs prædita, qualibus ſcimus Dominam noſtram ac Virginem Deiparam excelluiſſe, neceſſariò caſtitatem indicat: quia nec tantis virtutibus eminere, nec Mater Dei exiſtere potuit, quæ non eſſet quodammodò caſtior caſtitate. Cùm ergo Virgo Deipara, quanta quanta eſt, nil niſi puritas, nil niſi caſtitas ſit; quidquid eam ſignificat, ſimul caſtitatem deſignat, non quidem directè & primò per ſe, ſed quaſi per concomitantiam: ita hedera ſuſpenſa vinum quidem vendibile ſignificat; at, quia hoc non poteſt eſſe niſi vaſe aliquo contineatur, ſuſpenſa hedera non tantùm ex inſtituto vinum ſignificat, ſed, poſitâ eâ inſtitutione, etiam quaſi naturaliter indicat vas aliquod quo vinum contineatur. atque ita, quàm impoſſibile erat Virginem Deiparam carere virginitate; tam naturale eſt, nomen eius indicium eſſe caſtitatis. Occurrunt hoc loco quæ nobis ſuppeditat antiquitas circa reuerentiam quorumdam nominum: ac in primis apud Athenienſes lege cautum erat, cùm viri Athenæi vocarentur, ne feminæ, quod ex vſu iſtius linguæ ſequebatur, Athenææ dicerentur, idque in reuerentiam Palladis, cui nomen erat Ἀθηναία; ne ſcilicet gentile feminarum Atticarum nomen cum proprio Deæ ſapientiſſimæ vocabulo incideret. Rurſum, ijdem Athenienſes

MARIAE nomen ſignificat caſtitatem quaſi naturaliter.

Honor nominibus quibuſdam habitus.

tanto honore proſecuti ſunt Harmodij & Ariſtogitonis, qui Hippiam interfecerant, nomina, vt lege item vetuerint ea ſeruis imponi; tamquam ſi ſacra libertati, quam populo ſuo pepererunt, vocabula nefas eſſet ſeruili agnominatione contaminare. Seuerus fuit hac in parte Domitianus, qui Metium Pompoſianum ſupplicio affecit, quòd Magonis & Hannibalis nomina ſeruis impoſuiſſet; capitale crimen exiſtimans, clariſſimorum virorum nomina ſeruili contagio polluere. Vtinam vel hæc vigeret apud Chriſtianos æquiſſima lex, ne feminarum aliqua ſacratiſſimo MARIÆ vocabulo appellaretur: vel ſi hoc durum videatur, propter multiplicem quæ vel ex nominis ſimilitudine in cognomines Virgini redundat vtilitatem; vtinam ſaltem vel lege ſancitum, vel conſuetudine introductum eſſet, ne qua mulierculárum quæ pudorem pudicitiamque leui pretio tam nefando ſcelere exponunt venalem, nomine hoc appellaretur, quod eſt caſtitatis indicium. Sunt quidam illuſtri loco nati, qui à virtute auitâ deſciſcentes, ſe vitiis & nequitiæ tradere conſtituunt, eâ in gentilitium nomen ſuum reuerentiâ, vt illud abijciant, aliudque ignotum ſibi imponant, ne dedecori ſint vitiis ſuis nomini tot maiorum ſuorum illuſtrato virtutibus. vtinam hæc mulierculis iſtis omnibus mens, quæ fortè Mariæ appellatæ vocabulo, pudorem ſuum proſtituunt, ne ſaltem nomen hoc ſanctiſſimum ac indicium caſtitatis tam fœdâ meretricis compellatione polluatur; reſonetque per contemptum in proſtibulo, quod nonniſi ſummâ veneratione pronuntiatur in cælo. De S. Stephano Hungariæ Rege, qui S. Gerardo hortatore totum Regnum ſuum dominio Virginis Deiparæ ſubiecit, memoriæ proditur, eum mandaſſe, ne quis ſacratiſſimum Virginis MARIÆ nomen ſine ſummâ honoris ac reuerentiæ ſignificatione pronuntiaret; proindeque, loco nominis proprij, iuſſit toto Regno, in honoris atque obſequij ſignificationem, Virginem Deiparam, Amantiſſimam Dominam noſtram compellari.

Votum, ne qua meretrix vocetur MARIA.

lari. qui mos isti nationi, & toti Germaniæ ac Belgis mansit familiarissimus; & inde ad Hispanos, Gallos, Italos defluxit, vt, omisso Amantissimæ epitheto, quod iis linguis non tam congruè iungitur, absolutè Dominam nostram vocent Virginem MARIAM. De venerandis & sanctitatis eximiæ Religiosis, Patre Alphonso de Orozco, & Patre Simone de Roxas, hoc Sodalitatis mancipiorum B. MARIÆ Virginis in Hispaniâ institutore, illo Religionis nostræ ornamento, tum alij, tum ipse narrare possum, quòd hoc vnicè habebant in votis, vt nomen illud ter venerandum Virginis Deiparæ eliminaretur è prostibulis; nec fas esset vllam vulgati pudoris mulierculam tam sancti nominis vmbrâ compellari. Iustum tantorum virorum desiderium, ne vocabulum, quod est indicium castitatis, fieret turpitudinis illicium; & ne virtutis insigne verteretur in vitij turpissimi trophæum, & decus pudicitiæ fieret impudentiæ velamentum. Recolenda sunt Euangelistæ sanctissimi verba, qui penicillo Virgineum MARIÆ vultum ita expresserat, vt ipsa imago castitatem pudicitiamque loqueretur: is alteram eius imaginem verbis depicturus, adhuc memor, nullum magis in Deiparâ colorem excellere, quàm qui virginitatem adumbrat; non audet promere nomen tam sanctum, nisi virginitatis colore illustratum: *Missus est*, inquit, *Angelus Gabriel ad Virginem.* ac paulò pòst, interpositâ nimirum reuerentiæ causâ exiguâ morâ, resumit, mollissimeque nomen tantum depromit: *Et nomen*, inquit, *Virginis* MARIA. Rudiùs agebat cum Angelo & sponso; quorum nomina, prout occurrebant, sine vllâ prodebat cærimoniâ: *Missus est*, inquit, *Angelus Gabriel.* & posteà: *Desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph.* at non ita tractandum Virginis ipsius nomen: *Missus est*, inquit, *Angelus Gabriel ad Virginem.* Vide, vt sexus, virtutis ac status excitet reuerentiam, ibique hæreat, cogitationi tacitæ relinquens, qualis esse debeat quæ antonomasticè Virgo vocetur; ac curiositatem excitans, vt quæramus tantæ virtutis proprium vocabulum, Virginisque istius nomen inquiramus: *Et nomen*, inquit, *Virginis* MARIA. Non audet prodere tantum nomen, nisi immediatè ei virginitatem adiungat; & erit tam perfrictæ frontis aliqua, quæ eodem vocabulo ita textum de se inuertet, vt verum sit dicere, Et nomen (horresco verba tam impia) meretricis Maria? Sed hæc omittamus, & notemus iterùm in S. Lucæ verbis istis, quàm propriè ipse expresserit quod hîc tractamus, scilicet, MARIÆ nomen esse indicium castitatis. Quid enim significat, *Missus est Angelus ad Virginem*, nisi rationem præcipuam, cur missus sit Angelus, fuisse virginitatem tam absolutam, tam mundam, tam puram, vt dignum esset Angelo spectaculum? atque etiam in tam sancto & tam puro consortio emineret, & Virginis nomen per excellentiam mereretur etiam Angelicis spiritibus comparata. Truncus sit, qui ad tantam nouitatem non stupeat: certè sensu omni atque ingenio careat necesse est, qui tam certo atque infallibili præconio celebrari audiens castitatem tam insolitam, non stimuletur curiositate inquirendi, ecquodnam tantæ virtuti sit nomen; quo signo cognosci, quo argumento indagari, quo indicio deprehendi possit tantum virginitatis portentum. Ita profectò existimabat Euangelista, summâ cum emphasi orationem suspendens, *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem*; ac mox exspectationi tam vehementer concitatæ satisfaciens, quando dicit: *Et nomen Virginis* MARIA. ac si diceret: Sistite tantisper concitatam indagandi curiositatem, ego vobis proditurus sum certissimum castitatis indicium: signum ego tollam, quo conspecto, viâ certissimâ ducemini ad virginitatis miraculum prodigiumque pudoris. Audite: *Nomen Virginis* MARIA. Hoc nomen est significatiuum tantæ virtutis: hoc nomen castitatem declarat, quâ non potest mundior in Angelicis mentibus reperiri: hoc nomen ipsam puritatem notat; quia illa quæ eo significatur, tota transiuit in castitatem. Neque enim ipsa si viueret castitas,

Angelus nomini MARIÆ iungit vocabulum Virginis.

Luc. 1. v. 26.

ſtitas, tam potenter omnes in ſui amorem traheret, quàm Virgo hæc omnes ſeſe intuentes rapiebat in amorem virginitatis. Vtinam, rurſum voueo, nuſquam falleret hoc indicium, eſſetque ſemper vbi appellatio nominis,ibi etiam vmbra eius caſtitatis,haberemuſque tot virgines, aut ſaltem ſecundùm ſtatum ſuum caſtè viuentes, quot nominamus Marias! Deberi hanc nomini iſti ſacroſancto reuerentiam, exemplo ſuo docuit qui id tam piè virginitati appoſuit B. Lucas Euangeliſta: nam cap. 7. agens de Magdalenâ peccatrice adhuc, nuſquam eam vocat Mariam, ne pollueret tantum nomen iſto peccatricis vocabulo; at cap. 8. v. 2. iam de conuersâ & ſeptem ſpiritibus immundis expurgatâ agens, præcipuum nomen eius dicit eſſe Mariam: *Maria*, inquit, *quæ vocatur Magdalene*. Notemus hoc non modò ad nominis MARIANI reuerentiam, ſed etiam ad vitæ conſuetudinem & praxim caſtitatis; vt in primis Sodales omnes nominis MARIÆ abſtineamus omnem à corpore noſtro immunditiem, in tanti vocabuli reuerentiam: deinde, ſi qua hoc nomine appellata, ſui ac pudoris fuerit oblita; mancipij nominis MARIANI erit, hanc libidinis ſeruam, ſi poſſit, reſtituere in libertatem mancipiorum Virginis & obſequium caſtitatis, conferendo ad dotem, aut aliis mediis opportunis, prout cuique ſuggeret prudens & zeloſa charitas, & pius erga dulciſſimum nomen MARIÆ affectus.

Praxis virtutis ex hoc encomio.

CAPVT XXXII.

Nomen MARIAE *eſt Dei ſacrificium.*

MIRABILE eſt hoc nominis MARIANI encomium; ſed mirum non eſt, multa de eo nomine dici admirabilia, quod Virginem, opus Dei maximè ſtupendum, ſignificat. *Nomen*, inquit Chryſologus, *MARIÆ eſt Dei ſacrificium*. Felices nos, qui tam facilè reperire poſſumus victimam, quâ Numen æternum placemus, cùm pronuntiatione nominis MARIÆ nihil ſit facilius. Nihil opus eſt tauris vel arietibus, cùm animalibus omnibus præſtantius ſacrificium habeamus, Deoque gratius, quod offerimus ſine ſanguine, pronuntiando mente deuotâ nomen Virginis. Sed antequam ex hoc titulo concitemus affectum, probatione & diſcurſu quodam opus videtur ad inſtruendum intellectum; quòd durius hoc de ſanctiſſimo nomine dici videatur, quòd ſit Dei ſacrificium; iterùm de Virgine priùs agendum eſt, vt inde mollior ad nomen eius fiat tranſitus. De hac verò plus etiam dicit ſanctus Methodius in Hypapant. vbi ait, *Tu verò omnis ſacrificij pinguedo.* non tantùm ſacrificium eſſe affirmat Virginem, ſed ſacrificij pinguedinem, medullam & adipem; idque non vnius alicuius,ſed omnis ſacrificij. Quod difficile non eſt intelligere, ſi cogitemus, quòd tam cruenti in monte ſemel oblati, quàm incruenti quod in altari offertur quotidie, verè adeps ſit MARIA; quia ex puriſſimis eius ſanguinibus deſumptum eſt quod vtrobique offertur, eius lacte nutritum eſt corpus quod immolatur. Rurſum pinguedo dici poteſt vtriuſque ſacrificij, quia ipſa in cruento iſto ſuppeditabat miſericordiæ pinguedinem, addita Filio, vt cum eo ſacrificans, maternæ pietatis vnguento omnia tormenta iſta deliniret, ne inde in iram contra genus mortale exardeſceret, ac ſtatim omnes deperderet; & in altaris ſacrificio quotidie Filium admonet, dicens, *Vinum non habent*, ſuppeditatque veræ deuotionis pinguedinem. Sed hæc de Virgine ſatis clara; at de nomine, quòd ſit ſacrificium, quî poteſt intelligi? Ego id explicatum reperio in Eccleſiaſtico cap. 49. v. 1. vbi dicitur: *Memoria Ioſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarij*. Memoria propriè recordationem & commemorationem ſignificat: hæc non fit niſi vſurpato nomine, aut ponendo aliquid pro nomine. hinc capite Eccli. 39. v. 13. de ſapiente dicitur: *Non recedet memoria eius*, id eſt, recordatio & commemoratio eius. quod mox explicans, ſubiungit, *Et nomen eius requiretur à genera-*

MARIA omnis ſacrificij pinguedo.

Ioan. 2. v. 3.

Nomen Ioſiæ compoſitio thymiamatis.

generatione in generationem. adeò vt non incongruè hic memoriam pro nomine, per quod innouatur memoria,& propagatur gloria, sumere possimus. Et Syrus disertè vertit: *Nomen Iosiæ sicut thuribulum incensi*. quod alij dicunt: *Memoria Iosiæ vt compositio thymiamatis confecti opere pigmentarij*. Vide iam, quàm non sit absimilis Chrysologi de nomine Virginis locutio, quâ id appellat *Dei sacrificium*, ei quâ Ecclesiasticus nomen Iosiæ vocat *thuribulum incensi*, aut *compositionem thymiamatis*. Erat enim thymiama sacrificium quoddam propitiatorium, compositum ex stacte, onyche, galbano & thure, quod adolebatur in altari, quod inde vocabatur thymiamatis, coram vel ante tabernaculum testimonij. Sicut enim anthropopathōs Deus pasci voluit victimis, ita voluit & recreari odoribus, iisque placari. Cùm enim iræ atque indignationis indicium sit in naribus, vt Iob cap.41.v.11. indicatur, *De naribus eius procedit fumus*; volebat eas Deus symbolicè hoc suaui odore quasi demulceri,vt placaretur. Si ergo memoria aut nomen Iosiæ, vel vllius Sancti, sit thuribulum incensi, aut compositio thymiamatis, quòd eius commemoratione aut inuocatione Deus non secùs placetur, atque si percepisset incensum aut sacrificium in odorem suauitatis; quis dubitabit MARIÆ nomen appellare Dei sacrificium, cùm tantum non valeant omnium Sanctorum nomina, nec omnia legis antiquæ sacrificia ad placandum Deum, quàm vnicum nomen Virginis? Non id dico solùm vnde foueri posset tenera Sodalium pietas,quòd, vti puerorum est, ostensâ aut nominatâ matre, placari etiam in maximis suis indignationibus; ita considerari possit Deus-homo, tamquam hanc retinens ab infantili ætate suâ erga Matrem reuerentiam, vt modò non secùs iras deponat,atque tum lacrymas abstergebat audito Matris nomine: sed hoc dico, quòd insit vis quædam nomini huic maior, quàm sacrificio thymiamatis inesse possit ad abolendum furorem diuinum, quantumcumque accensum propter peccata hominum. Nam si thymiama exhalabat quatuor præstantissimorum aromatum inter se compositorum odorem; nomen hoc naribus diuinis aspirat omnium virtutum, ac præcipuè mortificationis, quam stacte; castitatis, quam onyx; charitatis, quam galbanum; orationis,quam thus significat,fragrantiam: quâ ille recreatus, statim indignationis suæ obliuiscitur, ac raptus in Matris suæ amorem, omnia ei concedit,quæ,mota nominis sui inuocatione, postulat peccatoribus. Thymiama ergo ex aromatibus componimus, quando in altari memoriæ nostræ diuersas Deiparæ virtutes piâ consideratione contundentes, easdemque colligentes in vnum quod omnes significat vocabulum, illud ipsum (piæ MARIÆ nomen pronuntiando) tamquam thymiama confectum opere pigmentarij Deo offerimus. quod si crebrò deuotâ mente iteremus, veluti altari thymiamatis assidentes, frequentibus cordis labiorumque veluti thuribuli agitationibus, Deo incensum sacrificabimus. quod ille haud dubiè accipiet in odorem suauitatis, si puris manibus offerimus; fietque nobis quod sequitur in Ecclesiastico de memoriâ Iosiæ, *In omni ore quasi mel indulcabitur*, id est, dulcescet: replebit enim crebra nominis MARIANI inuocatio animum sapidâ quadam pietate, producetque in eo non absimiles iis quæ melli tribuuntur effectus. de quo Plinius lib. 22. cap.24. *Mellis natura talis est, vt putrescere corpora non sinat, iucundo sapore, atque non aspero, alia quàm salis natura*. Nota comparatam mellis & salis naturam: vtrumque præseruat à corruptione, vtrumque sacrificiis aptissimum, vtrumque condituris inseruit; sed alia tamen mellis quàm salis natura. Est enim sal sapore salubri quidem, sed aspero; mel verò dulci simul & salutari. An non vides duorum sanctissimorum nominum IESV & MARIÆ comparationem? quorum illud quidem salubrius virtuteque præseruatiuâ ex se efficacius est, sed tamen asperius videtur;

Nomen MARIÆ thymiama perfectissimum.

Eccli.49. v.2.

Nomen MARIÆ mel est. IESV nomen sal.

videtur; quòd in eo, quomodocumque id sumpseris, semper resonet aliquid propter diuinitatem iudicaturæ maiestatis: at MARIÆ nomen, quantum quantum est, dulcedo est; mel est præseruans à corruptione, sed non mordens. IESV nomen sal est ita necessarium ad sacrificia, vt nullum sit gratum aut legitimum, sine isto sale: MARIÆ nomen mel est ita sacrificiis aptum, vt omnia magis placeant quibus adhibetur. IESV nomen sal est; nihil sapit diuino palato quod non est hoc sale conditum: MARIÆ nomen mel est, dulciora & gratiora facit omnia, quibus condiendis affunditur. Alibi ex D. Anselmo libr. de Excellentiâ Virgin. notauimus, quòd MARIA *mitiora quodammodò & humaniora nobis præbuit exempla quàm Filius:* ita hîc intellige, quòd MARIÆ nomen suauiorem quàm nomen Filij quodammodò nobis præbeat saporem. De hoc dici semper potest: *Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ*, Isaiæ c. 26. v. 8. de isto verò etiam verè affirmatur eiusdem Isaiæ cap. 30. v. 27. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum.* & Psal. 110. v. 9. *Sanctum* quidem, inquit Dauid, sed *& terribile nomen eius. Comede, fili mi, mel, quia bonum est*, Prouerb. 24. v. 13. Num qui edunt illud adhuc esurient? qui alter est mellis effectus; quòd scilicet grato sapore auiditatem excitet pluta comedendi. vnde monet Sapiens Prouerb. 25. v. 16. *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi.* De hoc autem dico: Mel inuenisti, comede quantum potes, quia nihil sufficit tibi. *O quàm magna multitudo dulcedinis* huius benedicti nominis tui, Virgo MARIA, *quam abscondisti* diligentibus *te!* qui enim te non diligunt, non vident, quid possit sub rudi quinque litterarum cortice latêre dulcedinis; sed qui mel hoc degustarunt, vel virgulæ extremitatem ei intingentes, eorum apetiuntur oculi & illuminantur à melle, vt non tantùm gustent, sed etiam videant, quàm suaue sit nomen tuum: atque illis (quod mel comedentibus euenit) facilè amarescit omnis alius cibus, qui non est hoc melle conditus.

Psal. 30. v. 20.

Sed abduceret nos mellis dulcedo à sacrificio, ad quod tempus est redeamus, producamusque ex sanctæ Birgittæ Reuelationibus insignem MARIANI nominis effectum, quo probetur id induisse naturam sacrificij. ait enim illa lib. 1. cap. 9. *Nullus est tam frigidus ab amore Dei, nisi sit damnatus; si inuocauerit hoc nomen hac intentione, vt numquam reuerti velit ad opus solitum, quòd non discedat ab eo diabolus statim, & numquam ampliùs reuertatur ad eum, nisi resumpserit voluntatem peccandi mortaliter.* Quibus verbis indicatur, hoc sacrificium MARIANI nominis non tantùm esse viuorum & existentium in gratiâ, sed etiam mortuorum & gementium sub onere peccatorum: imò, quemadmodum sacrificium Christi etiam pro nolentibus immolatur; ita MARIÆ sacrosanctum nomen, etiam pro reluctantibus inuocatum, iis prodest. Iam notanda res admirabilis, quæ Genes. 15. Abrahamo sacrificanti euenit. Sumpserat ipse vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam, diuiseratque ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuerat. quid autem? descenderunt volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham, atque in hoc opere vsque ad solis occasum perseuerauit. Vide piam magni Patriarchæ occupationem, & aduerte stupendam sacrificantis cærimoniam. Totâ die abigit volucres, ne hostiam mutilent atque inficiant: hostia, quam nos immolare debemus Deo, est nomen Matris, quod iam ostendi Dei esse sacrificium. Diuisum est illud per orbem vniuersum, ad quatuor eius plagas extensum: *ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen* eius *in Gentibus*; nos positi in medio, pactum inituri cum Deo, vt per intercessionem Matris suæ, ac propter nominis eius reuerentiam, non auferat misericordiam suam à nobis, neq; vmquam nos deleat de libro quem scripsit. Quodnam

Sacrificium nominis MARIANI etiam est mortuorum.

Abigendæ nobis sunt volucres à nominis MARIANI sacrificio.

Malach. 1. v. 11.

nam autem sacrificantium exercitium? idem quod Abrahami erat volucres abigentis & victimam illæsam custodientis. Aduolant enim sæpè importunæ striges infernalium hæreticorum, inuadunt harpyiæ obscenæ volucres blasphemorum, etiam bubones accedunt audacium cæcorum, qui subinde conantur victimam hanc carpere, & nominis MARIANI integritatem delibare. Hic nos stemus; neque demus somnum oculis nostris, quamdiu non occumbit sol vitæ nostræ; sed abigamus volucres hasce manu, voce, calamo; toto, inquam, animi corporisque nisu in defensionem huius sacrificij incumbamus: atque occumbente sole, dum nos inuadet mortis horror magnus & tenebrosus, clibanus fumans & lampas ignis diuinarum consolationum transibit ante nos: pangetque Dominus fœdus nobiscum in illâ die, si fortè peregrina debeat esse anima nostra in terrâ non suâ, subiecta seruituti pœnarum, & afflicta in Purgatorio, quòd inde egredietur cum magnâ lætitiâ, possidebitque terram æternæ promissionis; si nimirum, quod Abraham fecit, quantum in nobis est, intactum seruemus sacrificium. Odio enim habet Dominus rapinam in holocausto, siue factam à nobis, designando aliquid quod sit contra honorem MARIANI nominis (quod non cadit in mancipia Virginis;) siue culpâ nostrâ permittendo, vt ab aliis aliquid simile perpetretur. Quæ prima est praxis, quam Sodales ex hoc nominis MARIANI titulo colligent. Deinde poterunt pro loci opportunitate per repetitum genuflexionum exercitium, ad singulas genuflexiones pronuntiando nomen sanctissimum Dominæ, diuinæ Maiestati consecrare virtutes singulas quas nomen hoc significat: nihil enim de MARIA dici potest, quod vnico MARIÆ vocabulo non contineatur. Ad hoc seruient Litaniæ, quas Lib. 4. dedimus, in quibus semper MARIÆ nomen repetitur; quòd omnes qui subsequuntur tituli tantummodò sint partiales quædam nominis sacrosancti explicationes.

Praxis virtutis ex hoc encomio.

CAPVT XXXIII.

Nomen MARIAE *est virtus hospitalitatis.*

GRAMMATICI norunt, nomen eorum qui in re aliquâ supra omnes alios excelluere, transire in significationem ipsius virtutis vel vitij quo fuerunt insignes. ita pueri declamant,

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones;

Mæcenatis & Maronis nomina pro Poëtis eorumque fautoribus vsurpantes, quòd hic carminis gloriâ, ille fauore erga Poëtas omnes superarit: sic Alexander, Scipio, Hannibal, Cæsar magna sunt in bello vocabula, significantque præstantem Imperatoris virtutem, quâ isti ita sua honorarunt nomina, vt iam non tam ipsos quàm virtutem, quâ magis constare quàm præstare videbantur, significent. Huc respexisse videtur Chrysologus, quando insigni sanè epitheto Virginis nomen appellauit *hospitalitatis virtutem:* quòd eâ scilicet ita insigniter Virgo excelluerit, vt MARIA iam non solùm sit nomen eius proprium, sed etiam transierit in appellatiuum, significetque omnem eam quæ virtute hac præstiterit; propterea quòd virtus illa perfectionem omnem, quam habere potest, in Virgine obtinuerit. Neque parua aut vulgaris laus est, quando aliquis ab hospitalitate celebratur: tanti enim virtutem hanc fecerunt etiam Ethnici, vt dignissimum summo deorum Ioui epithetum se tribuere arbitrarentur, dum eum ξένιον, hoc est hospitalem, vocabant. Hinc Latinus Poëta lib. 1. Æneid.

Magni semper æstimata virtus hospitalitatis.

Iupiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur.

& Orator Latinus Oratione pro Deiotaro, & lib. 3. de Finibus, Iouis Hospitalis numen nihil celari posse, propterea que hospitibus fidem seruandam docet, ne Iouem Hospitalem inclament. & alio loco dicit: *Rectè etiam à Theophrasto est laudata hospitalitas: est enim (vt mihi quidem videtur) valdè decorum*

rum patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus: idq; etiam Reipublicæ est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in vrbe nostrâ non egere. Mox ostendemus, ab hospitalitate B. MARIÆ Virginis non tantùm decus & ornamentum Reipublicæ nostræ, sed salutem & conseruationem pependisse. Sed Deum agnoscentium hospitalitas aliis est laudibus celebranda; quòd videamus, ingentes illas promissiones Abrahamo patri credentium ferè in hospitalitatis remunerationem factas fuisse; & in Scripturâ legamus, insignia hominibus à Deo præstita beneficia respectu huius virtutis. Nam Elias suscitauit filium mulieris, apud quam sustentabatur. Eliseus à Sunamitide susceptus, ei filium diuinitus impetrauit, eumdemque mortuum resuscitauit. Quæ fuerunt symbola eius quam mox commemorabo hospitalitatis. Nam peregrinus erat quondam Propheta magnus volens diuertere ad nos; sed in propria veniebat, & sui eum non recipiebant, nusquam ei erat locus in mundi huius diuersorio. transibat sæpissimè, ex ordine visitans Patriarchas & Prophetas, an non esset aliquis tantâ hospitalitate qui mereretur hunc hospitem accipere: & diuertit quidem tantisper ad Abraham, donec ei benediceret; sed nihil in domo eius inuenit, propter quod moram diuturniorem apud ipsum faceret; quâ opus habebat, vt secundùm propositum suum operaretur salutem nostram in medio terræ. Eâdem ratione plurimos pertransiuit, quasi de itinere quosdam alloquens; sed apud neminem diutiùs est commoratus: donec apparuit Virgo MARIA, quæ tantâ humanitate totque precibus, ad commodissimum quod præparat corporis sui hospitium, viatorem istum inuitauit, vt non posset, nisi vim quodammodò faceret naturali suæ benignitati, non hospitari apud eam. Quod ita exprimit S. Bernardus Sermone de Assumptione B. MARIÆ: *Mulier quædam excepit illum in domum suam. Felix mulier, quæ tam non exploratores Iericho, sed potiùs fortissimum exspoliatorem stulti illius, qui verè vt luna mutatur; non legatos Iesu filij Naue, sed ipsum magis suscipere meruit verum* IESVM *Filium Dei.* Quibus humanitatis deliciis celebrata fuerit susceptio tanti hospitis à Virgine tam eximiæ charitatis, ne cogitari quidem potest, nedum verbis explicari. *Quis*, inquit rursum S. Bernardus Sermone 1. de eâdem festiuitate, *etiam si linguis hominum Angelorumq; loquatur, explicare queat; quemadmodum, superueniente Spiritu, obumbrante virtute Altissimi, caro factum sit Verbum Dei, per quod facta sunt omnia? & Dominus maiestatis, quem non capit vniuersitas creaturæ, intra virginea sese clauserit viscera factus homo?* Tantâ suscepit hospitem istum gratiâ, humanitate, benignitate, animi demissione, ceterisque hospitalitatem comitantibus virtutibus MARIA, vt S. Bernardus non putet aptiorem dari posse mensuram ad exprimendam gloriam Virginis Deiparæ, quâ tempore Assumptionis suscepta est à Deo suoque Filio in cælis, quàm humanitatem hanc quâ illum excepit hospitio in terris: *Nec in terris*, inquit suprà, *locus dignior vteri virginalis templo, in quo Filium Dei* MARIA *suscepit; nec in cælis regali solio, in quo* MARIAM *hodie* MARIÆ *Filius sublimauit.* Omnia in Dei Ecclesiâ plena sunt allusionibus ad hanc hospitis tanti susceptionem; ipsaque virtutem hospitalitatis non infimam esse MARIAE gloriam indicat, quando die Assumptionis Euangelium proponit, quo narratur, quomodo exercuerit Martha erga Seruatorem hospitalitatem. Insignis est S. Chrysologi Sermone 140. sententia: *Quantus sit Deus satis ignorat ille, qui huius Virginis admirabile nomen & mentem non stupet, animum non miratur. Pauet cælum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit; & vna puella sic Deum in sinu sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, cælis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cælestibus parentelam, ipsius Dei cum*

Beneficia diuinitus propter hospitalitatem accepta.

MARIA *Christum excepit hospitio.*

cum carne commercium, pro ipsâ domus exigat pensione. Indicat Virginem accepisse & exegisse mercedem hospitij; sed hæc non est imminutio, sed augmentum tantæ virtutis: contraxerat enim tantam inter hospitales epulas cum diuino suo hospite familiaritatem, vt iam nosceret eum magis dando delectari, quàm ceterorum quisquam accipiendo; ideoque multa & magna instanter petijt, vt ille posset naturæ suæ largiter indulgere. quod admirabile fuit genus humanitatis, quo vsa est erga hospitem suum hæc mulier prudentissima. Est ergo nomen Virginis virtus hospitalitatis eo sensu, quòd Virgo ipsa eâ virtute super omnes omnino mortales excelluerit.

Est prætereà hospitalitatis virtus nomen sanctissimum Virginis MARIAE, quòd omnia quæ ab hospite potentissimo atque humanissimo sperare possit viator, nomen hoc præstet omnibus ad patriam cælestem viam ingredientibus: nam vmbrâ eos recreare, primum est humanitatis officium, vt docuit Abraham optimus magister hospitalitatis Gen.18.v.4. qui Angelis dicit: *Requiescite sub arbore.* & v.8. *Ipse stabat iuxta eos sub arbore.* MARIAM arborem esse foret dicendum, si genus vllum reperiretur arborum fructiferarum, cui non aptissimè compararetur; at vmbram eius esse nomen Philo testatur, dicens: *Nomen rem sicut vmbra corpus sequitur.* De hac vmbrâ canere potest Sodalis nominis MARIAE: *Sub vmbrâ illius quam desideraueram sedi; & fructus eius dulcis gutturi meo.* miris enim modis sub vmbrâ hac reficietur, testante Idiotâ de Contempl. cap.5. *Super omnia Sanctorum nomina,* MARIA, *tuum nomen reficit lassos.* Vbi notandum, refectionem esse ab ipsâ vmbrâ. Sicut enim quarumdam arborum vmbra insalubris est, caputque ac cetera membra fatigat: ita è contrario aliarum reficit recreatque salubri suo afflatu quiescentem in eâ. non quòd vmbra virtutem habeat quam non susceperit ab arbore; sed quòd, eo ipsò quòd talis arboris sit vmbra, verè producat salutiferos illos effectus. Ita nomen B. Virginis nullam virtutem habet nisi à MARIA; ab ipsâ tamen verè habet, quòd reficiat lassos, non tantùm defendendo à nimio solis calore, quod omni vmbræ est commune, sed infinitis alijs virtutibus, quas ab arbore ipsâ, cuius vmbra est, suscepit. Quâ ratione id fiat, etiam in naturalibus clariùs est videre. Si quis enim vitrum rubro aut alio colore infectum soli obiiciat, vmbram faciet vitrum quæ ipso illo colore sit infecta, & visum vel recreabit, vel torquebit, non aliter quàm soleat ipse color qui in vitro existit illum afficere: eâdem ratione imaginari oportet vmbram hanc Virginis Deiparæ, quæ est nomen eius sacratissimum MARIA, infectam esse omnibus salutiferis qualitatibus quæ sunt in ipsâ Virgine, ac proinde hospites ad se diuertentes in vmbrâ eâ solâ habere omnia hospitalitatis officia & obsequia; quorum non minimum est, cibo eos reficere. *An non toties confortaris, quoties recordaris?* interrogat S. Bernardus Serm.15. in Cant. de IESV nomine. & pergens ait: *Quid aquè mentem cogitantis impinguat, quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fouet affectiones?* vt probet, cibum esse nomen illud dulcissimum. quæ omnia post IESVM huic nomini maximè sunt propria.

Aliud insuper officium hospiti exhibendum est, lauando & vngendo, tum lassitudinem membris omnibus detrahere, tum vel maximè pedes, qui itinerando fortè lassi sunt, reficere. Sanctus autem Germanus de Dormit. Virg. ait: *Simulatq; tremore correptus fuerit Christianus, aut lapide pedem offenderit, præsidium tui nominis inuocatur.* & mox: *Neque tantum cæli haustu animæ nostræ respirant, quantum nominis tui protectione confirmamur.*

Rursus, officium hospitis est, cùm vario sermone & conuersatione, tum musicâ aliisque ad recreationem sensuum spectantibus oblectamentis hospitem reficere. De MARIAE nomine lib.1. Reuel. cap.9. ait S. Birgitta: *Angeli boni, audito hoc nomine, statim appropinquant*

Vmbra recreat hospites.

Cant.2. v.3.

Vmbra nominis MARIAE reficit lassos.

Qui possit vmbra reficere.

Nomen MARIAE est cibus.

Vngit nomen MARIAE.

Angelorum adducit consortium.

quant magis iustis, quibus dati sunt ad custodiam, & gaudent de profectu eorum. Vide quales congerrones submittat hoc nomen, vt familiariter cum iis hospites agant, & conuersatio eorum sit in cælis, aut saltem cum cælestibus. De aliis recreationibus S. Antonius de Paduâ Dominicâ 3. in Quadrag. dicit: *Nomen* MARIAE *iubilus in corde, mel in ore, melos in aure.* & de solatio ait rursum S. Birgitta suprà: *Illi, qui in Purgatorio sunt, supra modum gaudent nomine* MARIAE; *tamquam æger in lecto iacens, si audierit verbum solatij.*

Nomen MARIAE *instruit hominem viatico.*

Vltimum hospitalitatis officium est, abeuntem opiparo instruere viatico. Liberalitatem Neronis inter Admiranda sua ex Suetonio tradit Lipsius verè admirandam: Tiridatem regij sanguinis Romæ hospitaliter accepit, &, *quod vix credibile videatur*, verba Suetonij sunt, *octingenta nummorum millia diurna in eum erogauit, abeuntiq́; super H S. millies contulit.* hæsit autem nouem mensibus Romæ, aut in finibus Romanis. numera in dies singulos octingenta millia, id est, nostrâ monetâ, viginti millia Philippeorum, per nouem menses faciunt quinque milliones quadringenta millia. Iam in viaticum datum millies H S. hoc est, duo milliones & medius. Profusa sanè erga hospitem liberalitas eius Imperatoris, qui, vt Suetonius ait, diuitiarum & pecuniæ non alium fructum putabat, quàm profusionem. Ditior profectò est Romanis, licet stupendæ horum fuerint opes, & liberalior iisdem, quamuis parem semper potentiæ ostentarint magnificentiam, Virgo Deipara: quæ omnibus pecuniis ditiore viatico instruit hospitem suum, quando ei concedit crebram nominis sui pronuntiationem: quod viatoribus non tantùm in necessitatibus succurrit, vt pecunia, sed etiam periculis liberat, in quæ suos pecunia solet conicere. *Sæpè quidem vidimus*, inquit S. Anselmus, *& audiuimus plurimos hominum in suis periculis recordari nominis* MARIAE, *& illicò omnis periculi malum euasisse.* Neque millionibus suis Tiridates fuit instructior, quàm seruus quilibet MARIAE nominis ipsius opulentiâ. Constat ergo, nihil exspectandum ab hospite humanissimo, quod non præstet nomen MARIAE, proindeque hospitalitatis virtutem à Chrysologo nuncupari.

Praxis virtutu ex hoc encomio.

Non deponam hunc nominis MARIANI titulum, nisi etiam aliquot praxibus deuotionis ex eo petitis Sodales instruxero: quarum Prima erit, in omni itinere, inuocato crebriùs MARIAE nomine, ipsam viæ ducem, nomen verò ipsius peregrinationis solatium assumere. Secunda, propter nomen hoc virtuti hospitalitatis se dare, recipiendo & fouendo pauperes peregrinos: quâ virtute vix quidquam Deo Virginique acceptius. Tertia denique & præcipua, peregrinationem istam in terram tenebrosam & coopertam mortis caligine, quæ necessariò omnibus est suscipienda, instruere nominis huius viatico & solatio, pronuntiando in horâ mortis MARIAE suauissimum vocabulum. quod vti mihi cunctisque Sodalibus MARIANI nominis concedatur, obnixè Deum & Virginem precor per hanc ipsam nominis sui virtutem.

CAPVT XXXIV.

MARIAE *nomen est collegium sanctitatis.*

QVID imus per virtutes singulas, quid gratias, quid beneficia, priuilegia, quæ vel continet in se, vel aliis confert vnicum MARIÆ vocabulum, longo ordine recensemus? quid pudicitiæ decus, indicium castitatis, hospitalitatis virtutem illud esse probamus? cùm verbo dici possit, quod tandem subiungit toties laudatus nobis auctor, *Nomen* MARIÆ *esse totius collegium sanctitatis.*

Quid sit collegium.

Quæ verba vt intelligantur, notandum Primò, collegium Latinè propriè significare congregationem, societatem, seu collectionem hominum artem eamdem mechanicam exercentium, ac priuilegiis quibusdam vtentium, vt diligentiùs in eâ Reipublicæ deseruiant. Quæ ratio distribuendorum artificum

apud

apud Romanos erat vetustissima, vt Florus apertè demonstrat: *A Seruio, inquit, Tullio Rege populus Romanus delatus in censum, digestus in classes, decuriis atque collegiis distributus.* Posteà tamen etiam sodalitates honestorum ciuium animi causâ institutæ, Collegia vocabantur. de quibus in lib. de Senectute ex personâ Catonis Cicero pronuntiat: *Sodalitates paulò ante me Quæstorem constitutæ sunt.* Quid ergo aliud significat nomen MARIAE esse collegium sanctitatis, quàm eos qui insignem sanctitatem profitentur, aut aspirant ad propositam in Euangelio perfectionem Christianam, debere sub hoc nomine congregati, ac fieri nominis MARIANI Sodales? Quemadmodum enim qui fabrilem exercebant, ad fabrorum pertinebant collegium; qui argentariam, ad argentariorum; ita qui sanctitatem profitentur, pertinent ad nomen MARIÆ, quod est sanctitatis collegium. sub quo congregati non aliam debent artem exercere quàm virtutem & sanctitatem; atque ita sumpta significatio vocis *collegium* explicat, cur mancipia Deiparæ sub titulo nominis MARIÆ congregemus. Cùm enim mancipari Deiparæ, idem sit atque virtuti assequendæ quàm perfectissimâ atque securissimâ viâ incumbere, collegiumque eorum qui sanctitati studeant, Chrysologo teste, à nomine MARIANO denominetur; erant necessariò mancipia à MARIÆ vocabulo denominanda, vel potiùs isti collegio sanctitatis inscribenda.

Cur mancipia congregentur sub titulo nominis MARIAE.

Alia collegij significatio.

Notandum Secundò, collegium iam passim sumi pro seminario studiosorum ad scientiam contendentium: cùm enim passim ij colligantur in vnam aliquam domum, vbi sub vnius Præsidis curâ mutuo exemplo incitentur ad diligentiam & morum honestatem, vsus obtinuit, vt seminaria eiusmodi collegia vocentur. At si qui sanctitatis potiùs quàm scientiæ sunt auidi, si qui velint ad eam omni studio incumbere; ij neque domum inuenient commodiorem, neque seminarium pietati aptius quàm nomen beatæ MARIAE Virginis, quod est collegium sanctitatis.

Tertia significatio collegij.

Tertiò notandum, collegium formatum à colligo, sumi posse pro congregatione & collectione. atque ita S. Petrus Chrysologus, cùm varias virtutes affirmasset de nomine B. MARIÆ Virginis, tandem concludendo dicit id esse collegium seu collectionem virtutum gratiarumque omnium, ac totius absolutæ sanctitatis: eo scilicet sensu quo sæpiùs alibi citatus B. Albertus Magnus dicebat: *Congregationem aquarum vocauit Deus Maria; locus autem gratiarum vocatur* MARIA. Hinc bene S. Bonauentura in Psalt. *Beatus vir qui diligit nomen tuum,* MARIA *Virgo, gratia tua animam eius confortabit; tamquam aquarum fontibus irrigatum vber in eo fructum iustitiæ propagabis.* Qui enim collegium seu collectionem sanctitatis & gratiarum diligit; quid mirum si inde gratiis & sanctitate ditetur? Est enim gratiâ ita plena Virgo, vt vel leuissimo motu, qui fit per nominis eius inuocationem, effundat de plenitudine suâ, & irriget eos qui diligunt & inuocant eam. Totam eam plenitudinem significat MARIA. hinc Angelus eam salutans, omisso eius nomine, paraphrasticè id explicabat, dicens: *Aue gratiâ plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.* quæ omnia explicant aliquâ ratione, quid significet MARIA, hoc est collegium totius sanctitatis, gratiæ & benedictionis: quæ ita fusè Angelus explicabat captandæ beneuolentiæ causâ. sed cùm videret Virginem turbatam subito suo ingressu, vt eam confirmaret, omnia ista encomia in vnum verbum coniicit, vt eo præ timore titubantem animum confirmet, dicitque: *Ne timeas* MARIA: existimans nomine isto, quod antè reuerentiæ causâ subticuerat, plus recreari Virginem, quàm longissimis aliis encomiis; quòd omnia dicta & dicenda ab ipso vox vnica ista contineret, vtpote omnium laudum & virtutum eius collegium atque compendium. Quod expressit sanctus Methodius in Oratione de Hypap. dicens:

Luc. 1. v. 28.

Ibid. v. 30.

dicens: *Tuum, Dei Genitrix, nomen diuinis benedictionibus & gratiis refertum est.*

CAPVT XXXV.

De triplici vi operandi quæ inest nominibus; & quid primâ secundâque præstet nomen Virginis.

Lib.18.c.2.

MAXIMÆ *quæstionis, & semper incerta est*, inquit Plinius, *valeántne aliquid verba & incantamenta carminum.* Cùm enim tam miros per incantationes produci cernerent effectus antiqui, nec satis illis esset de Dei & dæmonis cooperantis assistentiâ compertum; facilè in eam incidebant dubitationem, an verbis quibusdam occulta à naturâ vis inesset, quæ effectus illos admirabiles produceret. Et Poëtæ nacti locum communem, quem verbis possent exornare, hîc populi augebant superstitionem, dum multis vbique incantationum vim inculcabant, tamquam si carmina sua inde aliquid acciperent venerabilitatis; vel quòd verbis in numerum coactis fierent vulgò incantationes; vel saltem quòd formulæ incantantium non secùs ac scripta ipsorum, carmina vocarentur. Nobis fide meliore imbutis iam dubitare non licet, quin potentia & efficacia mirabilis ad diuinissimos effectus sit verbis & formulis quibusdam, certâ in circumstantiâ pronuntiatis, diuinitus annexa: nam constat, in Sacramentis quibusdam verba à CHRISTO instituta causare gratiam physicè, vel saltem moraliter: & Scripturæ Patrumque consensus est, ter venerandum IESV Saluatoris nostri nomen valere ad res patrandas etiam supra naturæ vires stupendas. Indicat hoc CHRISTVS ipse: *In nomine meo serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent*, &c. & Origenes lib.3. contra Celsum: *Possumus*, inquit, *ostendere inenarrabilem numerum tam Græcorum quàm barbarorum* IESV *nostro credentium: in his quidam, in signum accepta per fidem virtutis, mirificè sanant ægrotos, inuocato tantùm super eos vniuersorum Deo, &* IESV *nomine, recitatâque super eos de rebus eius quapiam historiâ. Videmus enim ipsi multos sic liberatos à grauibus malis, alienatione mentis, insaniâ, aliisq; innumeris, quibus numquam vel homines vel dæmones opem attulerunt.* Et S.Chrysostomus Homil.8. in cap.4. ad Rom. *Sunt enim, sunt, inquam, nobis incantationes spirituales ipsum nomen Domini* IESV CHRISTI, *tum ipsius crucis potentia. Huiusmodi incantatio non solùm draconem à speluncis abigit, atq; ita in ignem coniicit, sed & vulneribus quoque medetur. Hoc nomen & dæmonibus terribile est, & perturbationibus & ægritudinibus salutare: hoc igitur ornemur ipsi, hoc tamquam muro nos muniamus.* Sed illud etiamnum quærendum restat, quomodo vis ea insit verbis, & an nulla dici possit inesse naturaliter. Pro quo dici posse videtur, tripliciter operari nomina seu verba prolata à viuente: Primò naturaliter, vi quasi intrinsecâ; Secundò, ex imaginatione audientis; Tertiò, ex assistentiâ boni aut mali spiritus, operationem certam prolationi aliquorum verborum alligantis.

Verbis quibusdam vis inest diuinitus.

Marci 16. v.18.

Naturaliter, inquam, videntur quid operari voces, & vi, vti dicebam, intrinsecâ, in quantum variè feriunt tympanum auditus, & inde per sympathiam alterant reliquum corpus. ita dormientem voce excitari, operatio vocis est naturalis; & voces quasdam recreare audientem, quasdam ei molestas esse, notarunt ij qui inde musicam non magis ad aurium quàm ad animi oblectamentum excogitarunt: in quo tantum potest vocis varia inflexio, imò sola tonorum modulatio fidibus aliisque instrumentis perfecta, vt & tristitiam adducere, & eam fugare; & ad choleram incitare, & ab eâ reducere hominem sese iactaret citharœdus apud Ericum II. cognomine Bonum, Daniæ Regem: quem Rex, vt narrat Saxo lib.12. Daniæ, nouitate motus, specimen professionis edere iussit. Annuit ille: at, ne qua nocendi hominibus ansa daretur, iussit priùs omnis generis arma afferri, & certis in locis

Voces & soni operantur vel naturaliter.

collocari custodes, qui cognito vesanorum strepitu irrumperent, ereptamque citharam capiti illiderent, ne & ipsi in rabiem agerentur, reliquos à mutuis verberibus arcerent. Primò quidem inusitatæ seueritatis concentum edidit, quo auditores in mœrorem stuporemque sunt versi: deinde adeò suauem & iucundam harmoniam, vt, mutato animo, gaudium etiam externis gestibus & motu totius corporis proderent: tandem verò acrioribus modulis concitati, vociferari & tumultuari cœperunt. Custodes irrumpunt, vt Regem cum aliis furentem contineant; sed ille, effractis atrij foribus, arrepto ense quatuor transfodit, & vix tandem puluinarium mole vndique congestorum obrutus, contineri potuit. Menti restitutus, Ierosolymam expiandorum homicidiorum causâ petens, Haraldo F. Regni procuratore relicto, in Cypro defunctus est, atque ibidem cum coniuge sepultus. Qui vocis & soni effectus vt totus est naturalis, ita voces maioribus & plenioribus constantes litteris aliter mouent audientem, quàm eæ quæ constant exilibus & pipientibus: rursum, quædam cum stridore aures radunt, quædam facilè & aperto sono illabuntur. Quæ omnia à Poëtarum Principe accuratè obseruata, vt verba rebus quas describit, accommodaret, & animam vel ipso litterarum sono rei admoueret. Et Ouidius indicat voces quasdam ipso sono terrere, dum ait:

Nomina sunt ipso penè timenda sono.

vel ex imaginatione audientis, Altera vocum operatio fit per imaginationem audientis, naturaliter quidem, non tamen operante voce per ea quæ naturaliter ipsi intrinsecè insunt, sed mediantibus artificialibus quibusdam & extrinsecis. Vnde, quæso, ad commemorationem rerum tristium deiicitur animus, nisi quòd voces istæ operentur tristitiam, propter imaginationem quæ mediante significatione à vocibus istis ad tristitiam mouet hominem? Quòd hæc virtus non sit vocibus naturalis & intrinseca, constat ex eo quòd eas audiens, qui idioma quo dicuntur ignorat, non commouebitur, licet æquè molli sit animo, & æquè dicentem audiat, ceteraque omnia ponantur æqualia. quod in priori modo dici non potest. Si enim duo musicæ modulationem æquè percipiant, sintque eodem modo corpore atque animo affecti, eodem etiam modo commouebuntur. Fit etiam hæc secunda operatio ex vi memoratiuæ, licet non mediet significatio, aut eâ mediante maior quam soleat ex vi significationis fieri; si nimirum sonus memoratiuam moueat ad recordationem alicuius rei lætæ vel terribilis. ita bestiæ ad sonos quosdam variis affectibus concitantur: & canem videas, cui aures præcideris, sonum quemdam campanâ aut instrumento musico excitando, semper ad eumdem sonum latrare. Et historiæ produnt, Narsetem Ducem, qui à Phoeâ Imperatore fuit combustus, adeò formidabilem Persis fuisse, vt pueros nominando Narsetem terrerent. Et Austriacæ matres filios suos terrere solent, nominando Mathiam quemdam Regem Hungariæ linguâ suâ, dicentes, *Mathiaske komt.* ita aliis alia nomina sunt terrori, ex eo quòd iis auditis recordentur malorum acceptorum, vel certè quòd speciei alicuius formidolosæ, quam aliquando imaginati sunt, ad eorum sonum recordentur.

vel per assistentiam spiritus. Tertius modus quo voces operantur, fit ex assistentiâ, vel Dei & Sanctorum in sacrosanctis quibusdam nominibus, vel dæmonis in superstitiosis incantatorum, ariolorum, aruspicum, aliorumque id genus nequissimorum hominum formulis. An autem quæ Dei ordinatione, maximè in Sacramentis, rerum omnium præstantissimam gratiam Dei causant, id physicè, an verò tantùm moraliter efficiant, Theologis curiosiùs in scholis disputandum relinquo.

Hic sufficit tres modos, quibus verba quid efficiunt, distinxisse, tamquam fundamentum potentiæ & efficaciæ nominis MARIÆ. De quo disputare nolo, an primo modo habeat quosdam effectus singulares, & num sit vox om- *Quid nomen Deipara operetur primo modo.*

nium

nium post IESV vocabulum gratissima, & dictu audituque iucundissima: nam vt hoc statueretur, oporteret primò habere perspectam genuinam eius pronuntiationem, prout fuit à Deo reuelata, quam sine nouâ reuelatione ita præcisè habere non possumus; & licet haberemus, non possemus eam verbis vllis aut litteris posteritati tradere, ex eo quòd in litterarum pronuntiatione impossibile sit statuere aliquid primum, in quo nationes omnes conueniant. Licet enim MARIÆ vocabulum omnes iisdem scriberent litteris, quod non fit; non tamen idcircò litteras illas eâdem vel suauitate, vel maiestate, ceterisque ad præcisam istam soni modulationem requisitis, omnes pronuntiarent: nam A, verbi gratiâ, litteram hic crassiùs, ille tenuiùs efferet, & ita de ceteris. Vnde fit, vt in hac parte nihil certi definiri possit; & res exigui est momenti, cùm ex duobus alijs capitibus tanta redundet in nomen Virginis efficacia, vt minuta hæc videatur esse diligentia, quâ ex litterarum sono ei colligeretur auctoritas: non nego tamen, quin ex suaui eius per musicam modulatione excitari possit audientium pietas; optandumque, vt musicorum hac in parte desudet industria, ne qua vox suauiùs artificiosiusque se auribus insinuet, quàm hoc sacratissimum Dominæ nostræ nomen.

quid efficiat secundo.

Pergo ad secundum modum quo voces operantur: qui in nobis esse potest plenus suauitatis, si crebrâ meditatione nobis Virginis clementiam, bonitatem, dulcedinem, pulchritudinem, castitatem, aliasque blandissimas virtutes proponentes, habeamus phantasiam & memoriam plenam suauissimis imaginibus, quæ prolato Virginis nomine facilè excitabuntur, si fuerint crebrâ, vt dixi, meditatione viuificatæ; animumque replebunt dulcissimis iis affectibus, quibus sese meditando eas virtutes exercuit. Atque ex hoc capite etiam Lib. 3. ostendi, quare mancipiis B. MARIÆ Virginis obtingere soleat mors suauior: nihil enim efficacius erit contra præsentes tristitias & timorem futurum, quàm crebrâ nominis MARIÆ inuocatione renouata de bonitate & misericordiâ Virginis meditatio. Quàm soliciti esse solent mortalium plerique, vt habeant contra incursantes subinde dolores anodyna quædam medicamenta quæ malum leniant; tam studiosè mancipia B. MARIAE Virginis instruere debent memoriæ & phantasiæ suæ apothecam pientissimis de Dominâ nostrâ contemplationibus, vt statim, vel vnico dicto auditóve MARIAE nomine, eas possint citare ad leniendos animi dolores, & tollendos ipsos mortis terrores.

CAPVT XXXVI.

De vi supernaturali nominis MARIAE.

QVAM procul absim ab eorum errore qui nominibus & incantationibus vim quamdam naturalem tribuunt, ad sanitatem ceterosque effectus supernaturales vel præternaturales producendos, satis credo constat ex Capite superiore; vbi triplicem modum assignaui quo voces operantur: & vt magis constet, apertè hîc pronuntio, nulla vocabula naturalem vim vllam directam habere morbos sanandi, ceterasque noxas pellendi. ita statuit Martinus del Rio Disq. mag. lib. 1. cap. 4. q. 3. Est contra Origenem lib. 1. & 5. contra Celsum; item contra magos cum suo Agrippâ & Paracelso, & contra recentiores quosdam Platoni nimiùm addictos: quamuis generaliùs ponat conclusionem del Rio, omittatque voculam quam apposui *directam*; quam deinde ita explicat. Dixi, nulla (negans de quouis verborum genere) siue ore prolata, siue scripto comprehensa; siue sola & incomplexa (vt vocant) siue complexa, & in propositionem vel orationem aliquam versu aut prosâ relata; siue significatiua, siue nihil significantia; siue Hebræa, siue alterius linguæ; siue dicta cum sibilo aut afflatu, siue aliter quomodocumque, absente vel præsente ægro: tot enim effugia nugarũ & superstitionum suarum quæsiuit aliquorum contrà sentientium vanitas, vt necesse sit singula

Nulla vis inest verbis directè sanitatem causandi.

Yyyy 2 adfer-

adferre, ne quis incautus vel nimium curiosus capiatur his dæmonum laqueis. Addidi tamen *directam vim*, quia indirectè verbis sanitas aut morbus vel mors adferri potest alicui; quod superiori Cap. indicaui. Si quis enim ad veternum inclinatus voce exciterur, erit ei vox illa salutaris; si quis è contrario longâ fatigatus vigiliâ, iam in somnum declinans lumina, voce item impediatur ne dormiat, morbi & mortis deinde causa poterit esse vox illa importuna. Non hîc ansam damus superstitioni eorum, qui voci magnos tribuunt effectus, & ita turpissimum suum cum dæmone commercium velant specioso facultatis naturalis, quæ vocibus insit, palliolo; sed potius sincerè adferendo quid voces possint, naturalemque vim earum omnem quâ patet latissimè explicando, vanitatem superstitiosorum & stoliditatem producimus, qui tam leui actiuitati tantos superstruunt effectus. Si enim, quod quidam faciunt, omnem prorsus actiuitatem vocibus negaremus; relinqueremus locum pessimis hominibus, dum aliquâ effectuum, qui ex verbis procedunt, instantiâ nostram infirmarent conclusionem, apud suos sese iactandi, tamquam si fundamenta solida struxissent suæ vanitati. Quod ergo auctor doctissimus iam citatus dicit, *Ore verò prolata verba vim tantùm habent contactu aërem feriendi, vt & animalium reliquorumq; inanimorum soni*, verissimum est. at id quod subinfert his verbis, *Sed sonus tactum non magis valet immutare, quàm color auditum, vel dulcedo visum, quia non sunt sensuum eorum obiecta*; ex eo quod iam antè dixerat, explicandum est de sono quâ tali formaliter: nam si capias sonum, prout naturaliter fieri debet, in materiâ aëris moti, non solùm potest, sed necessariò debet sensum tactus immutare; nec contrarium euincunt exempla allata. Licet enim dulcedo visum non immutet; immutat tamen etiam sensum tactus, prout naturaliter fit, scilicet per contactum rei dulcis ad organum saporis. hinc si organo læso rem vehementer dulcem ingeras, quod dulcedine recreabis, tactu rei dulcis læseris; ita in sono videbis ægros, musicâ per se auditum titillante, propter indispositionem organi, magis fatigari quàm recreari. Ratio est, quòd sensus tactus sit sensus omnibus organis communis, & quasi subiectum ceterarum sensationum; qualiter quidam de quantitate philosophantur, quam non absurdè statuunt omnium accidentium commune subiectum. Hinc ergo patet, verba cum fragore, murmure, stridore, sibilo aut aliis modis prolata, quod diuersimodè aërem moueant, ac consequenter alio atque alio modo tactum ægri vel sani hominis, in quem aër motus incurrit, afficiant, posse diuersos quosdam effectus producere: sed hinc confirmare se nullâ ratione possunt magi, arioli, incantatores, & Cabalistæ quarti ordinis (in tot enim genera vanitatis istius professores distinguit, ab iis qui tantùm nugâtur, ad eos qui magiam profitentur, ascendendo, Martinus del Rio suprà:) numquam enim prodigia sua, quæ verbis tribuunt, ex hac verborum actiuitate stabilient, sed aliis prorsus nituntur falsissimis fundamentis.

Afferunt enim Primò, litteris & syllabis quamdam esse cum cælestibus corporibus & mentibus sympathiam. Secundò dicunt, verba illa maioris esse efficaciæ quæ orta sunt à linguâ digniore, & à sanctiore dignitate instituta, & quæ res sanctiores significant; vt nugatur Laurent. Ananias lib. 3. de Naturâ dæmon. fol. 99. Tertiò somniant, nomina propria radios quosdam esse rerum quas significant, & in ipsis nominibus quasi vitam quamdam latere. Quartò, vim complexorum verborum, hoc est propositionum & orationum, efficaciorem esse delirant. Primò, *quia veritas* (inquit Archimagus) *in ipsâ propositione contenta hîc accedit: cuius veritatis vis maxima est, quando formula, seu carmen, virtutis ac operationis astri, seu numinis, quod comprecamur, continet commemorationem.* Secundò, quia qui integram orationis texturam promit, magis animo dictis intendit, quàm qui verbum vnum aut alterum; quare

Inest tamen causandi indirectè.

Fundamenta quibus falsò verborum actiuitatem superstruunt magi.

vis

vis quoque vehementior imaginationis concurrit, & spiritus copiosior in rem incantatam transit. Quæ omnia Anticyris dignissima, nec à sani cerebri hominibus titiuilitio emptitanda, doctè refutantur à laudato iam sæpiùs auctore. Nos ergo, qui maiorem vim potentiamque, atque effectus etiam multò admirabiliores & certiores MARIÆ sanctissimo vocabulo tribuimus, quàm tota ista superstitio tribuit suis incantationibus, aliud adferre debemus tantæ potentiæ principium, quam naturalem prorsus esse negamus. Fundamentum primum, in quo fundant vim omnem characterum, annulorum, sigillorum & imaginum sacrilegi magiæ studiosi, est Aphorismus quidam libri impij, qui Arbaghthel inscribitur, in septenâ 2. vbi traditur, quòd quando Deus nomina rebus vel personis imposuit, simul cum nominibus vires & officia quædam illis distribuit; & ita characteres & nomina constellata (hoc est, imagines sub certâ constellatione formatæ & nominatæ) habent vim non ratione figuræ vel pronuntiationis, sed ratione virtutis seu officij illius quod Deus ad tale nomen seu characterem ordinauit. quod mendacium est confictum à nebulonibus istis ad stabiliendam superstitionem vanissimam. Nomina quidem Deus in Scripturis imposuit Sanctis quibusdam mysterij significandi causâ, & officio quo functuri erant conuenientia, sed nominibus istis vim effectiuam nullam indidit; animantibus verò cunctis Adam nomina indidit, non Deus. Nos igitur, qui sacratissimo MARIÆ nomini vim miram tribuimus ad operandum effectus stupendos, negamus eam à Deo tamquam naturæ auctore esse inditam; sed ab ipso reparatore generis humani, cuius causâ facta est Virgo Deipara, liberaliter & supernaturaliter esse concessam.

Differentia sententia nostra & magorum.

Quid ergo inter sententiam nostram & illorum nugiuendulorum interest? illi vim naturalem verborum confingunt, vt impietatem celent; nos supernaturalem demonstramus, vt augeamus pietatem: illi pactum, quod intercedit cum spiritualibus nequitiis, conantur abscondere; nos fœdus nouum, quod Deus cum genere humano tempore redemptionis iniuit, per hanc ipsam nominis MARIANI potentiam probamus: illi vim proferunt in speciem hominibus salutarem, reuerà tamen inuentam in generis humani perniciem; nos potestatem prædicamus numquam damnosam, sed datam in salutem nostram: illi naturæ nimium tribuendo, non tantùm malitiam suam velant, sed etiam pietatem nostram conantur eneruare; nos diuinam extollendo gratiam, tum pietatem augemus mancipiorum B. Virginis, tum superstitionem magorum refutamus.

Vnde constet nomini MARIAE diuinitus datam potentiam.

Sed age; qui negamus, ipsos demonstrare posse Deum indidisse nominibus vim naturalem quam iactant; modò probemus, potenti nostro vocabulo datam esse supernaturalem. quæ cùm facti sit quæstio, plurimùm in eâ valere debet auctoritas, maximè testium idoneorum; quales sunt sancti Patres: quorum iam sæpiùs repetimus sententias, nominatim Idiotæ cap. 5. lib. de Contempl. dicentis: MARIÆ *nomen super omnia Sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros*, &c. & S. Bonauenturæ, *nomen* MARIÆ *omnipotens* vocitantis in Cantico post Psalt. Deinde probatur experientiâ ipsâ, quâ constat stupendos edi quotidie ad inuocationem huius nominis effectus: nequeunt autem isti, vt ex refutatione magorum & Cabalistarum constat, attribui naturæ; nequeunt, quemadmodum illorum prodigia, asscribi dæmoni; restat ergo, vt ad Dei potentiam & bonitatem referantur, gratuito concursu ita Matris suæ promouentis gloriam, & nomen per orbem vniuersum propagantis. Tertiò, probatur argumentatione à simili deductâ ex sacris Paginis: testantur enim illæ IESV nomen ad miracula patranda aptissimum. *In nomine meo dæmonia eijcient*, &c. idque tum in signum, quòd vere salus per eum facta est, cuius sola inuocatio nominis tam est salutifera; tum ad gloriam ipsius Saluatoris, cuius

Marci 16. v. 17.

 ingens

ingens laus est,pollere nomine tam potenti. Quis ergo eorum qui fatentur, B. MARIAM Virginem assumptam fuisse ad coopetandam salutem nostram; dubitabit, an nomen eius factum sit post IESV nomen saluberrimum? Quis agnoscens Filij Dei in Matre honorandâ studium, existimabit eam exsortem reliquisse maximæ istius gloriæ quæ prouenit à nominis potentiâ? Habet ergo nomen MARIÆ admirabilem potentiam; & habet ex eo, quòd Deus constituerit ad eius inuocationem mirabiliter ad opera stupenda concurrere: Non disputabo hîc curiosiùs, an fortè dederit, vel dare potuerit, ipsi nomini vim effectus istos effectiuè producendi; quemadmodum Sacramentis in ordine ad gratiam causandam dedisse eum quidam existimant; an tantùm constituerit ipse gratuito concursu eos efficere prolato nomine Virginis, ipso non nisi moraliter, vel forte tantùm occasionaliter, concurrente; cùm nihil intersit, ad stabiliendam pietatem nostram, quomodo fiat, modò sciamus, pium esse inuocare Virginem, idque Deo gratum,& nobis tam multipliciter vtile. Hoc tantummodò notandum, non aliter de MARIÆ quàm de IESV nominis efficientiâ philosophandum: licet enim differentia sit in nominatis, quòd ille per se dare gratiam & salutem possit, hæc ab illo acceperit, quòd possit; in nominibus tamen quantum ad hoc non est differentia, cùm vtrumque creatura sit, & acceperit omnem quam habet potentiam.

CAPVT XXXVII.

Vtrùm maiorem habeat efficaciam IESV *nomen*, *an* MARIAE. *Hîc potissimùm de potentiâ naturali.*

SI ISTE iudicium & zelum, si quis ad tituli huius insolentiam indignaris, tamquam si per Matris gloriam Filio conaremur facere iniuriam, donec, quid hîc disputetur & quid resoluatur, intellexeris,& piè Filij in Matre potentiam laudaueris: nam quod petitur, an efficacius sit IESV nomen quàm Virginis, multifariàm dubitari potest. Primò enim capi possunt nomina secundùm se materialiter, abstrahendo à significatione,& quæri, vtrum potentius. Secundò, positâ etiam significatione, quam modò habent, interrogari rursum potest, vtrum sit efficacius & potentius secundùm se. Tertiò,institui potest comparatio, & peti, vtrum sit efficacius quantum ad nos. Hisce quæstionibus vbi distinctè responderimus, nemo, puto,indignabitur hanc à me quæstionem motam,ex quâ etiam possit intendi pietas erga Virginem, eorum qui animû habent ab eâ non abhorrentem.

Quod ad primam attinet, facilè est eam resoluere ex dictis. Cùm enim nomina omnia ex arbitrariâ litterarum & syllabarum connexione formentur, vanum est in iis effectuum prodigiosorum causam constituere, nisi, prout suprà dicebamus, quid efficiat soni ruditas aut suauitas. in hoc autem difficile est statuere, vtrum palmam alteri præripiat;tum quòd,vt suprà dixi,non sciamus ipsum illum sonum præcisè secundùm omnes pronuntiationis atomos quo nomina hæc sunt pronuntianda; tum quòd in sonis, non secùs ac in saporibus, aliis alia placeant, gratioraque videantur. Aduertere hoc est in tribus nationibus quæ Romanam linguam, quam cum Romano Imperio susceperant, iterùm cum eodem immutarunt: nam Hispani vocales a & o sonantiores, vt sibi gratiores, maximè adamarunt, hinc terminationes Latinorum in as,os, a & o retinuerunt; Itali verò exilioribus i & e maximè adhæserunt; Galli autem medium quid secuti, miscuerunt vocales omnes,& quam à Romanis accipere non poterant, quorum u crassè vt ou sonabat, pronuntiationem vocalis Græcæ ypsilon quintæ Latinorum vocali accommodarunt, sonatque illis modò u, vt Græcis olim ypsilon sonabat. ex hac ergo parte,quòd difficile sit statuere,in quo consistat vocum excellentia, neutram harum vocum sanctissimarum alteri præferemus. Aliud est, quod in vocibus secundùm

An potentia nominis colligenda ex numeris.

se

ſe ſumptis, aut potiùs in litteris vocum ſpectatur: vnde vaniſſima nugones quidam captant omina, Scriptura verò ſubinde ingentia trahit myſteria; conſiſtitque in reuocando ad calculum numeros eos qui à litteris nominis alicuius conficiuntur. Hinc omina captant nonnulli victoriæ, diuturnitatis vitæ, & ſimilium, eâ vanitate, vt, ſi quæratur, vter duorum coniugum diutiùs ſit altero victurus, ſtatim nomina eorum ad rationes arithmeticas reuocent, pronuntientque vitam ei longiorem fore qui nomine ſuo plures computat numeros. eâdem ratione quæſtionem reſoluunt factam de victoriâ duorum Imperatorum fortè bello decernentium. Quâ in re cùm non minor appareat vanitas quàm ſtoliditas, in cerebro iis fidem adhibentium; ſunt qui vniuersè rident omnem circa numeros computandos diligentiam, quòd non obſeruatio, ſed intempeſtiua hominum curioſitas talia fingat. Sunt tamen ex optimis Auctoribus qui myſteriis carere non putant certos numeros rei cuidam aut perſonis applicatos; & agendo de iis quos nomen alicuius conficit, clarus eſt textus Apocal. 13. v. 18. *Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ: numerus enim hominis eſt; & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex.* Vbi clarum eſt in primario prophetiæ huius ſenſu, numerum, quem efficiet nomen Antichriſti, ingens prodere myſterium: cùm enim natus & nominatus fuerit, omnes ex hoc numero nomini ipſius reſpondente, illudque adæquante, & ex aliis ſignis à S. Ioanne cap. 12. & 13. & à Daniele cap. 7. & 11. & à Paulo 2. Theſſal. 2. allatis colligent illum eſſe Antichriſtum. & ita numeri, quos efficit nomen alicuius, ſeruire poſſunt ad hominem indicandum. Simili modo Sibylla libr. 1. Oracul. prædixit nomen CHRISTI litteris ſuis expreſſurum numerum 888. hunc enim exprimit nomen IESVS: in Græco enim Ἰησοῦς ι notat 10, η 8, σ 200, ο 70, υ 400, & rurſum ς ducenta: quæ ſimul iuncta faciunt 888. Ita quidam ex Rabbinis collegerunt nomen MARIÆ (quod cum

Numerus nominis Antichriſti 666.

Numerus nominis IESV 888.

myſterioſo ſuo *Mitraton* idem eſſe contendunt) exprimere numerum *999.* Quòd ſi hîc ſiſtere velimus, nihil colligemus ex numeris ad ſtatuendam vnius nominis præ altero excellentiam. Sed plura ex numeris colligenda videtur innuere Euangeliſta, dum ait, *Numerus enim hominis eſt.* tamquam ſi diceret: Attende ad numerum eius qui tantum ſe faciet, vt velit eſſe æqualis Deo: nihil in eo diuinitatis reperies: numerus enim ipſius numerus hominis eſt. De quo ſic Petrus Bongus Tractat. de Myſteriis numerorum: Antichriſtus volet nominari Deus; erit tamen beſtia, id eſt, creatura & homo: vnde ait Ioannes, *Numerus hominis eſt.* Numerus enim creaturæ & hominis eſt ſenarius, quia ſexto die compleuit Deus rerum creationem, ac ſeptimo die quieuit; hinc & ſeptenarius eſt numerus Dei, ſenarius hominis. Porrò ſenarius hic non eſt ſimplex, ſed triplex, ſcilicet *666.* nam de primo, id eſt ſingulari, limite in ſecundum, id eſt decimum, tranſgreſſus, facit ſexaginta; idemque in tertium, id eſt centeſimum, traductus, facit ſexcenta; qui ſimul poſiti faciunt *666.* nimirum vt notetur triplex diaboli, qui Antichriſto præſidebit, tranſgreſſio & præuaricatio æquè ac damnatio. Prima eſt, quando iudicatus in cælo ſententiam damnationis accepit. Secunda, quando in ſerpente, per quem hominem deceperat, maledictione mulctatus eſt. Tertia, quando in Antichriſto mundum ſeducens deturbabitur in tartarum; quando nimirum Dominus IESVS interficiet eum ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui. Si hac ratione de IESV nomine diſcurramus, inueniemus id eſſe nomen Dei, non hominis. Qui habet intellectum, computet numerum Saluatoris: numerus enim non hominis, ſed Dei eſt; & numerus eius octingenti octoginta octo. Numerus enim octauus numerus beatitudinis & perfectionis eſt: hanc ſolus habet, illam ſolus conferre poteſt Deus. Hinc Græcis in prouerbium abiit, ἅπαντ' ὀκτώ, hoc eſt, *omnia octo.* Quò reſpiciebat

bat Heliogabalus Imperator, quando, teste Lampridio, sæpius ad cœnam vocabat octo caluos, octo luscos, octo podagricos, octo surdos, octo raucos, octo insigniter nigros, octo valdè longos, octo obesos, octo nasutos; sed magis ille, qui octonarium nomine præferens, seruos suos misit, vt mancos & claudos compelleret intrare ad epulas quas præparauerat, vt compleatur numerus discumbentium, diuisus in octonarios, hoc est manipulos virorum perfectorum; sintque omnia octo, & ex triplicatâ numeri notâ 888. ad significandum triplex quod prædestinatis & Sanctis suis confert beneficium: nam in primo limite, seu in numero singulari, eos vocat, quemque nomine suo; inde ad decimum transiens, eos iustificat, ipsique producunt opera iustitiæ, nec gratiam sinunt esse vacuam; tertiò denique transfert ad centesimum, eos glorificando, dandoque præmium centuplum pro quocumque opere perfectionis. Quid hic dicam de numero qui est in nomine B. MARIÆ Virginis? an audebo hortari & dicere, Qui habet intellectum, computet numerum Virginis? numerus enim Deiparæ est; & numerus eius nongenti nonaginta nouem; quemadmodum suppono à Rabbinis examinatum. Numquid nonus dies nascentium olim solemnis habebatur, eratque lustricus? numquid similiter nonus dies morientium celebris erat? quia eo die defuncti cineres tumulabantur, sacraque peragebantur, quæ Nouendialia vocabant. quò alludit Horatius in Epod.

Numerus nominis MARIÆ 999.

Nouendiales dissipare pulueres.

vt sciamus, nouenarium ei sacrum esse, quæ Filium mirabiliter pariendo, eumdemque constanter morti offerendo, salutem attulit mundo. Quid, quòd super omnes numeros est nouenarius, omnes inferiores continens, ita perfectus, vt vlteriùs ascendere non possis, nisi ad vnitatem conscendas; eamque sic componas, vt, cùm ei cifram adiunxeris, numerum habeas simplices omnes excedentem, quem tamen dicere nequeas ex numeris duobus compositum? Perfectissima vtique Hierarchici status MARIANI imago: illa enim sic creaturas omnes excedit, vt omnium constet perfectionibus, prout alibi probauimus, nec possis ab eâ adscendere, nisi ad vnitatem illam simplicissimam, quæ nullam admittit compositionem; habet tamen, secundùm modum nostrum concipiendi, compositionem mirabilem ex omnibus perfectionibus imaginabilibus: quas cùm non esse creaturas sciamus, nec veram constituere compositionem, quasi cifram isti vnitati adiungimus; vt sic componentes, sine verâ compositione intelligamus isti vnitati adiunctum esse circulum infinitorum bonorum completione perfectum. An adiungo, externi numeri in se multiplicatione consurgere nouenarium? quòd Virgo Deipara composita sit ex omnibus perfectionibus quas Sanctissima Trinitas extra se effundere voluit, certatim ita concurrente Patre, Filio & Spiritu sancto, vt, cùm singuli contulerint sua beneficia, & ipsa omnibus singula referat accepta atque multiplicata, in eâ Triados videatur imago; cùm Pater tantum ei contulerit, quantum reliquis creaturis omnibus tota Trinitas non dedit; atque idem de Filio, idem de Spiritu sancto dici possit. Iam si Angelorum chori sunt nouem, iustum est vt numerus eius quæ omnes Angelos tanto interuallo antecedit, sint nongenti nonaginta nouem, ex eo modo loquendi, quo CHRISTVS respondebat interroganti, an ignosceret fratri suo peccanti vsque septies: *Non dico tibi, vsque septies, sed vsque septuagies septies.*

Matth. 18. v. 22.

Hi sunt numeri contenti in nomine IESV & MARIÆ: quòd si inde velimus de efficaciâ nominis statuere, fortius & efficacius erit nomen MARIÆ quàm IESV. Verùm cùm leuius hoc sit fundamentum, nec voces secundùm se sumptæ possint dirimere litem hanc mysteriosam, alia videamus.

CA-

CAPVT XXXVIII.

Resoluitur, vtrum nomen sit absolutè potentius, IESV an MARIAE.

ALTER modus quo intelligi potest quæstio proposita, est, vtrum nominum duorum sit fortius & efficacius, positâ significatione & significato, vnde vim totam trahit efficiendi effectus prodigiosos & supernaturales.

Distinguitur nominis venerabilitas & potestas. Vbi notandum, aliter intelligi, venerabilitatem inesse nomini alicui, aliter potestatem: nam venerabilitas ei inest hoc ipso quo nomen est proprium huius vel illius, secundùm id quod est apud Arnobium lib. 5. Aduersus Gentes: *Quantum est in ipsis qui censentur iis nominibus, tantum esse par est in eorum appellationibus dignitatis.* adeoque fieri non potest, vt nomen Virginis Deiparæ sit venerabilius quàm nomen IESV; quia non potest ipsa esse sanctior meliorque Filio suo: potentia & efficacia prætereà pendet à liberâ voluntate Dei, huic potiùs quàm illi nomini concursum suum gratuitum ad hanc illámve rem operandam addicentis.

Deus potuit efficere, vt nomen MARIAE esset potentius nomine IESV. Vnde Primùm statuo, fieri potuisse vt nomen MARIÆ foret efficacius quàm nomen IESV: potuit enim Deus instituere, vt ad inuocationem nominis MARIÆ plurimi sequerentur effectus etiam infallibiliter, & nullos vel pauciores addicere inuocationi nominis IESV. Nec enim pater, vnde neganda sit ea Deo potentia: & de facto infallibiles Sacramenrorum effectus alligauit verbis quibusdam, non tam sanctis atque sunt hæc duo vocabula.

non constat tamen eum id fecisse. Statuo tamen Secundò, non constare, Deum plus efficaciæ dedisse nomini MARIÆ quàm nomini IESV; sed probabiliùs dici, seruatam esse in eo dignitatis, excellentiæ potentiæque ipsorum significatorum proportionem. Vti enim nihil potest MARIA nisi per IESVM, ita probabilirer plus potest nomen IESV quàm nomen MARIÆ; præsertim cùm habeamus testimonia Scripturæ de potenria nominis IESV admirabili, quæ tam aperta de nomine Matris ipsius non habemus. nam Marci 16. v. 17. dicitur: *In nomine meo dæmonia eiicient.* & verba, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis,* (Ioan. 16. v. 23.) indicant, CHRISTVM voluisse nomen suum hominibus innotescere per frequentes benignitatis suæ effectus præstitos ad inuocationem nominis sui IESV.

Nomen MARIAE probabiliter dici potest potentius nomine IESV, saltem quoad nos. Tertiò tamen etiam non improbabiliter dicitur, MARIÆ nomen, saltem quoad nos, efficacius esse quàm IESV nomen. Probatur Primò ex Scripturâ à simili. Ioannis enim 14. v. 12. dicitur: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Si enim discipulis suis efficaciæ plus tribuit ad miracula patranda quàm ipse exercuit; cur negandum est, quòd nomini Genitricis suæ plus dederit eiusdem efficaciæ, quàm in nomine proprio ostendit? Probatur Secundò, testimonio & auctoritate S. Anselmi lib. de Excellentiâ Virgin. cap. 8. *Velocior est nonnumquam salus memorato nomine MARIÆ, quàm inuocato nomine Domini IESV vnici Filij sui.* quo nihil dici potest clariùs. Probari etiam potest verbis S. Bonauenturæ in Cantico post Psalt. vbi ait de Virgine: *Omnipotens post Deum nomen eius.* Quæ si in rigore interpretari velimus, dicemus, eum post Deum, quoad potentiam, immediatè ponere nomen Virginis, non nomen Dei, quod non est Deus; tamquam si hoc vellet innuere, ipso Dei nomine esse potentius. Probatur Tertiò, ratione S. Anselmi suprà: CHRISTVS *suo nomine vocatus si non statim exaudit, profectò id iustè facit; inuocato autem nomine Matris, etsi merita inuocantis non merentur vt exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt vt exaudiatur.* Quæ ratio congruentiam insignem adfert, cur videatur Deus plus efficaciæ dedisse nomini MARIAE quàm nomini IESV: quòd scilicet ipse iudex inuocatus, licet inclinet ad misericordiam, magnumque ad hoc pondus addat inuocatio nominis dulcissimi; quia ta-

men iudex est, non aliter quàm per nomen suum inuocatus etiam retinet seueritatem: at si Matris inuocatio accedat, si nomine isto interpelletur cui gaudet ipse plurimum tribuere, & ratio dictat ne quid neget, licet aliàs nulla sint merita petentis, statim concedit; ne confundat faciem Matris suæ; quod propter Iudicis quam sustinet personam, nominis sui inuocationi non concessisset. Itaque conclusio hæc satis est certa, si de effectibus potentiæ agatur; at absolutè de potentiâ statuere, quibusdam durius videtur. Sed fortasse tantùm videtur. Quid enim aliud est potentia ista nominis supernaturalis, quàm concursus Dei expeditus & paratus, vt ratione nominis, vel potiùs ad inuocationem nominis alicuius, quædam hominibus salutaria efficiat? quem concursum si decreuerit sæpiùs & promptiùs, & etiam ad maiora, præstare inuocato nomine MARIÆ quàm IESV; iam dicendum erit, MARIÆ nomen in actu secundo nomine IESV esse potentius: non quòd MARIA, aut nomen eius, vt sæpiùs inculco, quidpiam possit sine IESV; sed quòd fortassis operatio nominis MARIANI ab inuocatione nominis IESV non dependeat.

verius tamen videtur, nomen IESV *esse potentius.*

Notandum tamen, verosimilius dici, de facto absolutè potentius esse & efficacius nomen IESV quàm nomen MARIÆ; idque tum ob rationem, tum propter auctoritatem Patrum expressè id statuentium. nam Idiota disertè cap. 5. de Contempl. *Non est*, ait, *in vllo alio nomine post nomen superbenedicti Filij tui tam potens adiutorium; nec vllum aliud nomen datum sub cælo hominibus post dulce nomen* IESV, *ex quo tanta salus hominibus refundatur.* Et ratio est, quòd Deus videatur ideò dedisse potentiam istis duobus sanctissimis nominibus, vt homines doceret ea colere & venerari: vnde sequitur, verosimiliter ei dedisse maiorem, quod magis erat colendum, quod sine dubio est nomen IESV.

Petes, quid ergo D. Anselmi testimonio & ipsi experientiæ faciemus, docentibus quòd velocior nonnumquam sit salus memorato nomine MARIÆ, quàm inuocato nomine Domini IESV vnici Filij sui?

Inuocatâ MARIA, *semper inuocatur* IESVS; *non contrà.*

Respondeo Primò: Licet salus sit velocior ad explicitam inuocationem MARIÆ quàm ad IESV, quòd tamen MARIA numquam inuocetur, quin simul censeatur inuocari IESVS; non contrà: cùm enim verum sit, & nos credamus, IESVM per se dare posse quod petimus, dum eum inuocamus, nullâ factâ mentione alterius, sistit præcisè actio nostra in inuocatione IESV; at cùm MARIAM inuocamus, quam scimus & credimus nihil posse nisi per IESVM, eam inuocando, simul implicitè IESV nomen inuocamus, quamuis explicitè eius non faciamus mentionem. Inuocare enim MARIAM ex fide quâ dixi, nihil est aliud quàm petere, vt pro nobis apud IESVM benedictum Filium suum intercedat, vt salutem impetremus quam petimus; hoc autem est etiam IESVM saltem implicitè inuocare. Cum hoc autem optimè concordat D. Anselmi sententia, quòd velocior sit salus inuocato nomine MARIÆ quàm IESV. Inuocato enim IESV nomine, solum Iudicem per viscera misericordiæ ipsius, quæ est super omnia opera eius, obsecramus ne sæuiat; inuocato MARIÆ nomine, prætereà aduocatam adducimus gratiosissimam vt parcat, imò veluti machinâ potentissimam adhibemus, quæ cor eius ad misericordiam inflectat, omnemque tollat peccati nostri & seueritatis suæ recordationem. Quid ergo dicimus, cùm statuimus potentius MARIÆ nomen quantum ad nos, quàm ipsum IESV vocabulum? id quod Philosophi dicunt, qui lunam affirmant potentiùs influere in terram & hæc inferiora, quàm solem. Quòd enim luna vicinior sit, nullusque influxus solaris ad nos perueniat, nisi lunæ radiis suscipiatur, attemperetúrque rebus inferioribus; videtur ipsa fortiùs in nos influere, quamuis etiam lumen suum, cum omni virtute quam habet, ipsa debeat soli acceptam. Aues scire quid sit,

sit, Omnia opera Domini potestas & misericordia? potestatem suo nomine, misericordiam nomine Matris suæ exercet: hinc velocior salus inuocato Matris nomine.

Varia quasi concilia instituit Rex ille supremus, vti terreni variorum munerum varia collegia: hæc belli munera & munia distribuunt, illa togatas dignitates: alia iustitiam administrant, alia domum ipsam Regiam: nec iustitiam petiturus, ad œconomos Regis se confert; neque officium in palatio prætensurus, ad iudices criminales. Nullâ re nos æquè indigemus atque misericordiâ, propter innumeras generis nostri miserias. Misericordiæ autem officina & clementiæ concilium est nomen MARIÆ: quid mirum si huc frequentiora eant mortalium vota; quòd hinc crebriores exeant benignitatis diuinæ effectus? Potentiæ maiestatisque misericordiâ attemperatæ concilium est IESV nomen: salutarem se quidem hîc etiam præbet Deus, qui vbique bonus est; & salutis ideò assumpsit vocabulum, vt liberiùs accedamus. Sed nescio quâ ratione imbecillitati nostræ & attritis imbre lacrymarum luminibus officiat splendor maiestatis, vt non possimus rectâ solium illud intueri; ideoque libentiùs ad MARIAM deflectamus, vbi nihil nisi bonitas, nihil nisi misericordia inuenitur. Diximus ex S. Anselmo alibi de virtutibus MARIANIS, quòd MARIA *mitiora quodammodò & humaniora nobis præbuit exempla quàm Filius*. Ita pro conclusione hac dici potest, quòd MARIAE nomen mitiora & humaniora, imò frequentiora & velociora, præbeat argumenta pietatis & misericordiæ quàm nomen Filij: non quòd Matris nomen sit sanctius aut absolutè potentius quàm Filij; sed quòd Deus alligasse videatur operationum suarum compendium & cumulum inuocationi MARIÆ potiùs quàm IESV.

Nomen MARIAE est misericordiæ concilium.

Lib. de Excell. Virg.

CAPVT XXXIX.

Quos præcipuè effectus habeat nomen IESV.

NOTATVM à multis insigne Principis Poëtarum artificium, qui Æneam suum commendaturus, ita in Turni laudes assurgit, & tam accuratè vires, animos, arma eius describit, atque si hæc fuisset Æneidos suæ materia; eo scilicet consilio, vt semper post Turni descriptionem omni cogitatione maiorem, mox inferatur Æneas tantò maior Turno, quantum ipse cogitationem hominum communem superauerat. Si enim

–Veluti montis saxum de vertice præceps
Cùm ruit auulsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis soluit sublapsa vetustas,
Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exsultatque solo, siluas, armenta virosque
Inuoluens secum: disiecta per agmina Turnus
Sic vrbis ruit ad muros. ——

Æneid. 12.

Sequitur statim Æneas:

—— Horrendumque intonat armis:
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis
Cùm fremit ilicibus, quantus, gaudetque niuali
Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.

crescitque ex comparatione prioris descriptio alterius. Duo potentiora quàm Turni atque Æneæ nomina inter se composuimus, palmamque saltem quoad nos MARIÆ vocabulo tribuimus: vt ergo dignè admirari possimus effectuum eius varietatem & excellentiam, priùs adferre est animus quæ Scriptura & Patres de IESV nomine adduxerunt. quæ collecta pleraque habes in Catenâ sexaginta quinque SS. Patrum in S. Lucam, luce & latinitate donatâ à Balthasare Corderio.

Nam in primis dæmones pellit IESV nomen. Marci 19. v. 17. *In nomine meo dæmo-*

Nomen IESV dæmones pellit.

dæmonia eÿcient. quod factum Act. 16. v. 18. vbi Paulus dicit spiritui: *Præcipio tibi in nomine* IESV CHRISTI *exire ab eâ.* Hinc Origenes lib. 1. contra Celsum: *Non incantationibus pollere videntur* (*vt aiebat Celsus*) *Christiani, sed nomine* IESV *cum commemoratione eius factorum.* & mox: *Tanta certè vis nomini* IESV *inest contra dæmones, vt nonnunquam etiam à malis nominatum sit efficax.* quod docens IESVS, dicebat: *Multi dicent mihi in illâ die: Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus?* Nomen igitur IESV lymphatos sanat, dæmones exigit, morbisque præsentaneum adfert auxilium. Vide plura similia apud eumdem Origenem lib. 4. 5. 6. & 7. contra Celsum. Succinit Arnobius lib. 1. contra Gentes: IESV *nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit silentium vatibus, haruspices inconsultos reddit, arrogantium magorum frustrari efficit actiones non horrore nominis, sed maioris licentiâ potestatis.* Et discipulus tanti viri, non inferior magistro, Lactantius lib. 4. cap. 9. *Sicut* CHRISTVS *cùm inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, & hominum mentes emotas & malis incursibus furiatas in sensus pristinos reponebat; ita nunc sectatores eius, eosdem spiritus inquinatos, de hominibus & nomine Magistri sui & signo passionis excludunt.*

Matth. 7. v. 22.

sanat morbos:

Valet Secundò nomen IESV ad corporis infirmitates sanandas, & ad patranda quæuis miracula. Marci 16. v. 17. *In nomine meo serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt.* quod factum Actor. 3. v. 6. vbi S. Petrus claudum à natiuitate in hoc nomine in pedes erigit, dicens: *In nomine* IESV CHRISTI *Nazareni surge, & ambula.* Vnde S. Bernardinus Senensis Tom. 4. Serm. 41. comparat hoc benedictum nomen IESV electuario ordinato contra omnem infirmitatem.

valet contra tentationes:

Prætereà est firmissimum contra tentationes præsidium nomen IESV. Prouerb. 18. v. 10. *Turris fortissima nomen Domini.* Audi S. Gregorium Nazianzenum Epistolâ ad Nemesium de eo testantem: *Ipse qui* CHRISTO *nomen dedi, augustum illud nomen vix plerumque pronuntiaui, cùm statim dæmon non sine stridore longissimè se proripuit, Dei immortalis vim ac potentiam clamans.* S. Chrysostomus Homil. de laude Dei ait: *Hoc* IESV *nomen tum inferis, tum morbis & vitÿs terrori est.* & Hom. 8. in cap. 4. ad Rom. *Hoc nomen & dæmonibus terribile est, & perturbationibus & ægritudinibus salutare: hoc ornemur ipsi, hoc tamquam muro nos muniamus.* Mirabile est quod narrat Cæsarius lib. 12. cap. 38. dicens, eum qui in horribilem illam specum, quæ S. Patricij Purgatorium dicta est, descendebat, ab Antistite loci moneri solitum his ferè verbis: *Videbis hac nocte insultus dæmonum & pœnas horribiles; sed non poterunt te lædere, si nomen* IESV *semper habueris in ore: quòd si dæmonibus blandientibus siue terrentibus consenseris; &* IESVM *inuocare neglexeris, peribis.*

præstat animi puritatem & serenitatem.

Quartò, ad omnem animi puritatem ac spiritualem consolationem consequendam plurimùm huius sanctissimi suauissimique nominis inuocatio conducit. Notanda verba Origenis lib. 2. contra Celsum: *Nomen* IESV *inserit miram quamdam mansuetudinem, morumque honestatem, humanitatem, bonitatem, placiditatem, omnibus qui non propter vitæ curas humanásve alias necessitates fucatè, sed ex animo amplectuntur prædicationē Dei Christique, atque futuri iudicÿ.*

Denique salutis atque omnis boni causa, fons & origo est mortalibus nomen IESV deuotè id inuocantibus. *Et*, sicut scriptum est Act. 4. v. 12. *non est in alio aliquo salus: nec enim alind nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Legendus est S. Bernardus Serm. 15. in Cant. vbi lucem, cibum, medicinam esse probat nomen IESV; mirosque eius prodit effectus solitâ suauitate. vbi inter cetera: *Tristatur aliquis nostrûm? veniat in cor* IESVS, *& inde saliat in os; & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando? nonne, si inuocet nomen*

men vita, confestim respirabit ad vitam? Cui aliquando stetit ante faciem salutaris nominis duritia, vt assolet, cordis, ignaniæ torpor, rancor animi, languor acedia? Cui in periculis palpitanti & trepidanti inuocatum virtutis nomen, non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui, quæso, in dubijs æstuanti & fluctuanti, non subitò ad inuocationem clari nominis emicuit certitudo? Cui in aduersis diffidenti, iam iamq; deficienti, si nomen adiutoris sonuit, defuit fortitudo? Describendi plura crescit auiditas, quòd nihil dici possit suauius aut melius. mox ergo pergit: *Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat liuoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem.* & pòst: *Hoc tibi electuarium habes, ô anima mea, reconditum in vasculo vocabuli huius quod est* Iesvs; *salutiferum certè, quodq; nulli vmquam pesti tuæ inueniatur inefficax: semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in* Iesvm *& sensus dirigantur & actus. Denique & inuitaris: Pone me, inquit, signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo.* Ita prælibasse sufficiat quæ producuntur de Iesv nomine: cui comparari, quantum ad efficaciam nominis Virginis, eximiæ laudationis est genus. Possunt autem pænè omnia quæ de sanctissimo Iesv vocabulo traduntur, paucis immutatis, de Maria dici, vti patebit ea consideranti; & si dictis Capite superiore inhæreamus, maiores etiam laudes potentiamq; quoad nos efficaciorem tribuemus Mariæ. itaque intelligemus, omnia quæ de potentiâ nominis Iesv dicuntur, sic dicta esse de Mariæ nomine, vt etiam dicenda restent quæ iis non contineantur. Quæ omnia recensere, quòd non solùm longum, sed etiam impossibile foret, eamdem insistemus viam, quam in adferendis nominis huius encomiis secuti sumus. Vt enim ibi vnius sententiæ ex Petro Chrysologo petitæ interpretationi acquieuimus; ita hîc Idiotæ verbis explicatis contenti erimus. is autem cap. 5. de Contempl. Mariæ ait: *Mariæ nomen super omnia Sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos, vngit agonistas, & iugum diaboli extrudit.*

CAPVT XL.

Mariae nomen reficit lassos.

Hanc nominis Mariani laudem suprà tetigimus, quando id hospitalitatis virtutem esse ex S. Petro Chrysologo demonstrauimus; hîc tamen proprius est eam tractandi locus, orandaque per nomen suum dulcissimum Virgo, vt nos, per longi Operis huius laborem pænè defatigos, ante omnes sentire faciat istam nominis sui virtutem; vt non deficiamus in viâ, sed vegeti valentesque Libri huius finem faciamus, nullum facturi laudibus eius, in quibus sic vitam speramus finire, vt eas totâ æternitate continuemus. Aspira votis hisce auram suauissimam nominis tui, Virgo Maria, quæ in primis apta est ad reficiendum lassum viatorem.

Nomen Mariae est aura tenuis.

Auram enim tenuem esse nomen Mariæ, vel ex 3. Reg. cap. 19. v. 11. poteris discere, vbi inuenies Prophetam de viâ fessum stantem in monte coram Domino: *Et ecce spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum*; sed *non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis*; sed *non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis*, in quâ erat Dominus. refectusque autâ istâ Elias perrexit ad vngendos Reges & Prophetam, & ad patranda opera mirabilia. Numquid Prophetæ ad instar, quem tæderet vitæ suæ? Stabat natura nostra in monte Sina, vbi acceperat testamentum in seruitutem generans, exspectabatque donec transiret Dominus; *& ecce spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterens petras:* ille scilicet qui in veteri lege non sine tonitruo & fulgure omnia latè terrore sui concutiebat, hic adducebat commotionem & ignem: sed neque in spiritu, neque in commotione aut igne Domi-

nus. quid ergo? post illa *sibilus auræ tenuis*, hoc est, nomen MARIÆ Virginis. quam fortè perceperat Eliphaz Iob cap. 4. v. 16. vbi dicit: *Vocem quasi auræ lenis audiui.* Certè sibilus auræ tenuis optimè dicitur nomen MARIÆ: siquidem ipsa aura lenis propter refrigerium quod præbet omnibus inuocantibus se, & propter Isaiæ prophetiam cap. 19. v. 1. *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.* Quis autem auræ istius sibilus, nisi nomen est MARIAE? Speculari enim sic licet: Sicuti creaturæ, teste Doctore Hierarchico, sunt quasi extrema resonantia ipsius esse diuini; ita nomina rerum, quæ diximus initio huius Libri constituere rem ipsam in esse quodam intentionali, secundùm illud esse sunt extremæ quædam resonantiæ rerum physicarum. resonantia ergo, seu sibilus auræ illius, quæ est Deipara, erit nomen B. MARIÆ Virginis. In hoc autem sibilo Dominus, testante Archangelo, qui loco nominis ipsius ponit *Dominus tecum*, vt alibi diximus; &, teste sancto Petro Damiano, *init Deus consilium de redemptione hominum, statim de thesauro diuinitatis nomen* MARIAE *euoluitur.* *Qui producit ventos de thesauris suis*, non poterat ex iis pretiosiorem & salubriorem educere, quàm sibilum istum auræ tenuis, quem iis inclusum fuisse dicit sanctus Doctor. qui pergens, ait: *Ac per ipsam, cum ipsâ, & in ipsâ hoc faciendum decernitur.* ac si diceret: Et in sibilo auræ tenuis, vel in nomine MARIAE, Dominus. Quænam posset aura magis recreans, magis lassitudinem & sudorem detergens, magisque grata viatoribus afflari, quàm nominis istius suauissimi aura lenis, iucundo sibilo, quo MARIA pronuntiatur, auribus insusurrans gratiam, & Deum ipsum, quem secum vehit, animæ instillans?

Serm. de Annuntiat.

Psal. 134. v. 7.

hac aura Domini furorem sitit in paradiso.

Quantum auræ huic refrigeranti debeat genus nostrum, leges in Genesi sub ipsa mundi initia: si lecta discusseris, inuenies ibi Deum furore accensum in genus humanum propter præuaricationem protoplastorum, commodùm incidere in auram hanc tenuem, ad quam deambulabat veniens ad Adamum. textus ait: *Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem.* Nota τὸ *post meridiem*. Illud enim, inquit Irenæus, significabat, quòd Christus ad mundi vesperam venturus esset ad redimendum Adam, eiusque posteros. Nota, inquam, Deum tunc in ipso mundi ortu & manè deambulasse ad auram post meridiem; siue quæ spiratura erat post meridiem, hoc est, explicante Irenæo, sub mundi vesperam, quando Christus erat venturus. Quænam autem hæc aura, nisi ea, de quâ loquimur, nominis MARIANI? de quâ scilicet Petrus Damianus dicebat: *Init Deus consilium de redemptione hominum* (hoc faciebat in istâ deambulatione, secundùm Prophetam, qui dicit: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis*) *statim de thesauro diuinitatis nomen* MARIÆ *euoluitur.* ac si diceret: Statim spirare cœpit aura suauissima nominis istius, quo ita refrigeratus est calor furoris concepti, vt puniendo parceret, & castigando misereretur, suggerens peccati remedium, quod præualet omnibus innocentiæ priuilegiis. Mirabiliter huc faciunt verba Isaiæ cap. 57. v. 15. *Quia hæc dicit Excelsus & sublimis habitans æternitatem* (vt scias eum manè posse deambulare ad auram quæ spiratura est post meridiem: æternitati enim omnia præsentia) *& sanctum nomen eius in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu*, illius scilicet quæ tantâ humilitate dicebat, *Ecce ancilla Domini*, quâ eum iam testatus erat Angelus particulari ratione esse Dominum; *vt* (quod sequitur in Isaiâ) *viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum.* Verba Domini tam magnificè in Virgine existentis descripta sequuntur: *Non enim in sempiternum litigabo, neque vsque ad finem irascar.* Cur autem non durabit furor vsque in finem? *quia spiritus à facie meâ egredietur, & flatus ego faciam.* Nam flatus iste

Genes. 3. v. 8.

Serm. de Annuntiatione.

Habac. 3. v. 2.

iste & aura, ad quam post meridiem deambulabat Deus Adamo aduentans, ab ipsomet Deo excitabatur: ipse enim primus nomen MARIAE pronuntiauit, spirauitque auram istam salutarem, educens eam de thesauris suis, vt furor suus ab eâ temperaretur; vtque Adamus dum ea spirat, antequam vindicans accedat Dominus, possit latebras quærere; sub quibus non tantùm delitescat fugiens, sed etiam securiùs quiescat, agatque cum iudice suo causam suam in corde contrito & spiritu humili, quando ille refrigeratus eâdem aurâ deponit omnem vindictæ feruorem. O quisquis calore nimio æstuas cupiditatum inordinatarum, easque sequens per inuia & auia lassatus es in viâ iniquitatis; huc, quæso, huc gradum flecte, refrigerare tantisper ad auram hanc nominis MARIÆ, sentiesque, non minùs auram hanc valere ad restinguendam cupiditatem sceleris in te, quàm valuit ad refrigerandum vindictæ feruorem in Deo. ***Quomodo corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem***, inquit S. Germanus de zonâ Deiparæ: ***ita etiam sanctum nomen tuum, ô Virgo, quod in ore seruorum tuorum versatur assiduè in omni tempore, loco & modo, vitæ, lætitiæ & auxilij non solùm est signum, sed ea etiam procurat & conciliat***. Vbi non tantùm indicatur vtilem esse hanc auræ nominis MARIANI refrigerationem, sed etiam necessariam.

Pergo ad alia defatigatorum solatia & remedia: quorum non minimum est vmbra, solatium præbens valdè ei simile quod aura præstabat; nisi quòd hæc non tantùm à calore, sed etiam à lumine nimio recreet peregrinantem. Est enim duplex lumen molestum nobis nimietate suâ, quamuis vtrumque ad vitam & viam nostram necessarium: alterum solis, alterum ignis. solis, inquam, illius qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: & ignis, qui ad reficiendam languidam naturam in rebus inferioribus accenditur, & fulgore suo allicit etiam longè positos, vt accedant & foueantur calore eius. Vmbram vtrique obiicit nomen MARIÆ Virginis: nam sol ille tanto tamque damnoso fulgore rutilabat, antequam MARIÆ nomen audiretur in terrâ, vt iam filij Israël, qui soli adhuc eum intuebantur, etiam declinarent oculos, nec ampliùs auderent ad eum suspicere; petentes à Moyse; vt ipse negotia eorum tractaret cum Deo; quòd non tantùm excæcationem, sed etiam mortem timerent ab eius aspectu & colloquio. Rerum autem inferiorum fulgor ita veteres omnes allexerat; vt in eo, tamquam in verâ solis luce, exultarent, obliti Creatoris sui; quem intueri non poterant propter lucem quam habitabat inaccessibilem. Vtrique autem commodam fecit vmbram nomen MARIÆ; per quod Deus accessit ad nos obumbratus carnis nostræ nebulâ; & exstinctus est nimius terrenorum splendor, quando à Saluatore vmbrâ istâ tecto, & Virgine Spiritu sancto obumbratâ, didicimus cælestia: quorum comparatione tenebræ iam & vmbra est, quidquid in terris antè splendebat tanto fulgore. Ponat ergo viator nomen hoc Virginis MARIAE ante oculos suos, vt per illud recipiat vtriusque luminis temperatos radios, vt considerare possit conditionem rerum terrestrium, ne nimiâ luce præditæ esse videantur; itaque recreabitur non tantùm æstus voluntatis ab aurâ, sed etiam debilitas intellectus ab vmbrâ nominis MARIANI. Plura de vmbrâ vide supra.

Vmbra est nomen Mariæ;

Ne diutiùs peregrinum detineamus, antequam ei cibi & potus præbeamus refectionem, hanc item petere potest & debet ex MARIANO nomine: simile enim etiam in hoc est MARIAE nomen Filij sui nomini, de quo Doctor mellifluus Serm. 15. in Cant. ***An non toties confortaris, quoties recordaris? quid æquè mentem cogitantis impinguat? quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat bonos mores atque honestos, castas fouet affectiones?*** Et conditura est cibi omnis quem anima manducat, teste eodem S. Bernardo:

cibus & potus est;

Ari-

Aridus, inquit, *est omnino animæ cibus, si non oleo isto infunditur; insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi* IESVM, addo & MARIAM: *si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi* IESVS *&* MARIA. Quomodo ergo sapiet peregrinanti animæ & defatigatæ vlla refectio, si non apponatur ferculum hoc omnium delicatissimum & maximè confortans; quod conficitur ex quinque Grammatices elementis, & significat sanctissimæ Trinitatis delicias Virginem Deipatam? Hoc de cibo. De potu verò tantumdem dici potest, aut etiam multò amplius. Nam si meliora sunt vbera Deiparæ vino, amphora, quâ vinum hoc plerumque ad nos defertur, est nomen MARIÆ; ad cuius deuotam inuocationem replemur consolatione & confortatione eâ quæ potest à potu tam pretioso exspectari.

Item lotio & vnctio.

Vltimum quod lasso suppeditatur ad reficiendum, est lotio pedum & vnctio. Si lauari vis herbâ odoriferâ, hospitali lymphæ miscendum est nomen MARIAE. ipsa namque dicit: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis.* Si vis vngi; oleum effusum est nomen MARIÆ. Hinc eam quæ sumpsit sibi officium vngendi Saluatorem, Mariam oportebat appellari, vt plus vngeret & foueret tantæ appellationis suauitate, quàm pretiosis quę coëmerat aromatibus. Quàm recreet lassos vnctio nominis MARIÆ, credo, confitebitur, qui didicerit etiam mortuos suscitati ab vmbrâ istius vnctionis. Discere verò poterit à Petro Chrysologo Serm. 64. qui resuscitationem Lazari tribuit vmbræ nominis MARIANI: *Sine* MARIA, inquit, *nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari: veniat cum Marthâ Maria, veniat materni nominis baiula.* Simile est quod Iustinus Martyr quæst. 45. dicit de IESV nomine: *Iesus*, inquit, *Naue filius cùm pro iure suo soli & lunæ imperaturus esset, Iesus nominatus est, dum hoc nomen à creatâ naturâ præcepti obedientiâ recreatur.* Vmbra nominis IESV solem sistit & lunam, vmbra nominis MARIAE mortem fugat & reparat vitam. Quis non lassitudini suæ adhibeat hanc vnctionem, cuius valorem & virtutem nemo apertiùs testatus est quàm ipse MARIÆ Filius pendens in cruce, saturatus opprobriis, & fatigatus vsque ad mortem tot tantisque tormentis, quando Matrem alloquens dicebat: *Mulier, ecce filius tuus.* Verba quæ hactenus in stuporem dederunt orbem terrarum, non satis capientem quid tandem causæ fuerit, cur Filius tam tenero in Matrem affectu, & à Matre vicissim supra omnia adamatus, in isto mortis articulo, in isto tam luctuoso decessu, quando homines colligere solent quidquid habent, & quidquid talis rerum status suggerere potest affectus, vt charissimis suis valedicant; tam siccè atque ieiunè Matrem alloquatur, dicens; *Mulier, ecce filius tuus.* Non requiro longam orationem consolatoriam, quam nec tempus admittebat, nec personæ requirebat sapientia: poterat enim breuibus verbis fortissimos sensus innectere, quibus Matrem fuisset potenter consolatus. Matrem dixisset? non videtur vllus tantus dolor, qui state potuisset ad recordationem diuinæ maternitatis: & sic auxisset potiùs dolorem, quòd se non poterat matrem recordari, nisi simul cogitaret, cuius & quanti filij esset mater, quem scilicet iam per tam diros cruciatus perderet. Cur non vocabat proprio nomine MARIAM, dicens, MARIA, *ecce Filius tuus?* quâ oratione nihil concipi potest significantius aut suauius: MARIA namque dicit omnia quæ in tali articulo potuisset vel ipse Dei Filius excogitare. Quid dicemus? neglexisse Matris consolationem Filium, aut parum verbis suis attendisse Deum? quorum vtrumque sacrilegium est dicere, & impium cogitare. Quid ergo? mysterium, vt mihi quidem videtur, latet, non ita passim annotatum. Certum est, Filium Dei, vt perfectissimum Patri suo offerret holocaustum, omnem prorsus exclusisse consolationem quæ posset alicunde morituro suppeditari. diuinitatem suam

Cant. 1. v. 11.

Cur MARIAE nomen subticuerit IESVS in cruce.

Ioan. 19. v. 25.

suam adhibet non in mortis consolationem, sed in augmentum tormentorum, quando eius potentiâ supra naturæ vires sustentat vitam vt diutiùs patiatur. Patrem iam omisisse cuncta patris officia testatur, dicens: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* & quando offerebant illi vinum myrrhatum in mortis solatium, noluit bibere, omnem excludens confortationem, nec volens amaritudinem passionis suæ vllâ temperari diuini aut humani solatij dulcedine. Quid autem? vtrumque affatim suppeditaturum erat sanctissimum ac suauissimum MARIÆ nomen, si illud ore suo sacrosancto pronuntiasset moriturus MARIÆ Filius: ergo statuit sibi solatio isto & confortatione abstinendum, ne qui solatia omnia reiecerat, summum admitteret. Habebat in ore aceti & fellis amaritudinem, nolebat eam fugare nominis MARIANI dulcedine, quod merum mel est in omni ore id cum reuerentiâ pronuntiante: personabant aures irrisionibus & horrendis in Deum blasphemiis; nolebat autem, quam inde tormentis omnibus grauiorem percipiebat molestiam, interrumpere harmoniâ MARIANI nominis; quod melos est in auribus, vel ipsis Angelorum canticis suauius. Cor occupatum erat ingenti istâ & inconceptibili ex Patris derelictione tristitiâ, vt omittam, qui veniebat ex hominum perditione, dolorem, & ex suorum fugâ matrisque tristitiâ sensum acerbissimum: nolebat fugare hanc tempestatem, æstumque istum sedare nominis MARIANI recordatione, quod iubilus est in corde illud cum deuotione recogitante. Sciebat hoc nomen esse virtutis insigne: sciebat, quòd super omnia Sanctorum nomina lassos reficeret, fessos recrearet, quòd omni vnctione fortiùs & suauiùs defatigationis molestias detergeret; quid ergo mirum si illo abstinuerit, quando omni solatio sibi interdixit? Probauit ergo nobis, MARIAE nomen lassos reficere, fessosque recreare, ipse MARIAE Filius; ab eius pronuntiatione, tamquam summo solatio, se in morte abstinens, vt nobis illibatam relinqueret eam suauitatem & confortationem, quam speramus in defatigatione istâ vltimâ, quando lassa natura deficiet, ex MARIAE ingeminatione percipere.

Matth. 27. v. 46.

CAPVT XLI.

MARIAE *nomen sanat languidos.*

FERE coincidit hic cum superiore nominis MARIANI effectus; nisi quòd languor sit potiùs morbus animi deficientis & de vigore suo remittentis, lassitudo verò & defatigatio corporis. Cicero lib. 1. de Officijs: *Nihil autem magis cauendum est senectuti, quàm ne languori se desidiæque dedat.* Quâ sententiâ indicatur, languorem significare istam animi lassitudinem, quâ se ab operationibus, non secùs ac fessus viator ab itinere, reuocat. Grauissimus sanè ac periculosissimus morbus in isto itinere, vbi non progredi, est regredi. Iis qui amœnâ viâ libero campo iter faciunt, cessare licet, & lassitudinem quiete reparare; at ijs qui mare ingressi aduerso vento & fluctu contendunt ad portum, ob defatigationem quiescere non licet, cùm periculum sit, ne exiguo spatio longiùs retrò agantur quàm omni tempore processerunt: iis ergo non quiescendum in lassitudine, sed remedia adhibenda ne defatigentur, vel vt defatigati statim respirent. Aduerso flumine & vento nauigamus quotquot ad salutis portum contendimus: obluctantur enim passiones innatæ, tamquam fluctus contrarij; & venti tentationum insurgunt, aliò prorsus quàm ad portum propellentes. Itaque cessare non licet fatigatis, nec animus languori dedendus, ne celeriùs retrò agamur in perniciem, quàm anteà profecimus in salutem. Quapropter quærendum aduersus languorem remedium, vt possimus incessanter operari; hoc autem suggerit Idiota, dicens quòd MARIÆ nomen sanet languidos. Docet Aristoteles 10. Ethic. 4. sine delectatione vitam hanc transigi non posse, & voluptatem esse quæ opus perficiat, quatenus robur quoddam viresque suppeditat

Quid sit languor.

eum MARIA tollit, aspergendo pedibus voluptatem.

tat agenti. Vnde experimento sentimus, in actionibus ijs, in quibus voluptatem aliquam percipimus, fortissimos ac maximè promptos nos esse; & è contrario, in quibus nullam capimus delectationem, languere, & in ipsomet operis principio deficere, animoque destitui. Sanat ergo languidos in operationibus virturum, qui earum exercitio voluptatis illinit suauitatem, vt sine defatigatione cum animi promptitudine procedant. Hoc autem proprium est nominis MARIANI: hoc enim, præterquam quòd animum perpetuò foueat istâ, quam repræsentat, imagine iucundissimâ Virginis Deiparæ, plenæ clementiâ, bonitate & misericordiâ; præterquam quòd excitet exemplo diligentis istius feminæ, quam describit Sapiens Prouerb. 31. vim quamdam habet reficientem & excitantem, qualis vino & aromatibus inesse solet ad reficiendum languentes; imò saporem quemdam aspergit operationibus, quæ crebrâ eius pronuntiatione & recordatione condiuntur, vt iam non magis fatigent opera cum recordatione nominis istius perfecta, quàm cibi optimo sapore conditi. atque iste primus est verborum istorum sensus, quòd MARIÆ nomen sanet languidos.

Languor est animi deliquium ex amore.

Alter eò est melior, quò ex altioribus petitur principiis, & à meliore traditur dicendi magistro. nam Spiritus sanctus aliter capere videtur languoris vocabulum, dum sponsam facit 2. Cantic. v. 5. exclamantem: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* quæ verba suggerent insigne MARIANI nominis encomium, explicabuntque quâ virtute languidos sanet. Languor hic animi deliquium significat. Euenit namque sponsæ isti quod puellis amantibus sæpiùs solet accidere, vt præ amore ob illius quem depereunt absentiam, & corporis languorem & animi patiantur deliquium. Alibi orat socias, vt sponso denuntient hanc ægritudinem sese opprimentem: *Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei quia amore langueo.* In loco autem superiùs

Cant. 5. v. 8.

citato ipsa suum indicat morbum, & remedia deposcit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Quid ergo dicit, qui ait nomen MARIÆ sanare languidos? comparat illud floribus & malis, ceterisque remediis quæ languori solent adhiberi; vt sunt vina & vnguenta quæ Septuaginta & Hebræi recensent.

MARIAE nomen pomis & aromatibus simile.

Languor hic contingere potest ex duplici amore, vel potiùs ex duplicis rei amaræ absentiâ. Recenter conuersi, quorum cor agglutinatum fuit rebus perituris, cùm sese vi quadam ab iis abstrahunt, sæpè incidunt in tam vehementem præ nimio relictorum desiderio languorem, vt ægrè possis motum vllum vitalem in spiritualibus operationibus animaduerrere, hærentes velintne ad antiqua reuerti, an inceptum iter perficere. Excogitari non potest huic morbo præsentius vllum remedium crebrâ nominis MARIANI inuocatione, quod succo deuotionis, & consolationis cælestis vino, plenissimè reficere solet animam ita languescentem, eique spem perfectionis, tamquam vernantem in flore fructum, ostendere. Nec enim Virgo obliuiscitur veteris suæ solicitudinis, quâ in nuptiis dicebat: *Vinum non habent.*

Languor malus vergens ad mortem.

Ioan. 2. v. 3.

Alius languor est vergens non ad infirmitatem aut mortem, sed ad robur & vitam. de quo Apostolus: *Cùm infirmor, tunc potens sum,* 2. Cor. 12. v. 10. quando anima languens amore diuino animi patitur deliquium, abstrahiturque non tantùm à rebus terrenis, sed etiam à semetipsâ; sui non tantùm negligens, sed oblita, sibique quasi mortua, vt tota viuat amori suo. Etenim proprium est amori, vt vires & animam ipsam abstrahat ab amante; quo fit, vt in iis quæ ad ipsum spectant atque ad proprium commodum, infirmus sit qui amat, ac maximè deficiens. Ita languidos sanat viuificum MARIÆ nomen, fulciens eos malis, & stipans floribus, offerens eis fructum suum, qui est flos campi, & veluti malus inter ligna siluarum. Impossibile enim est tanti nominis colere maiestatem, quin

languor optimus tendens ad vitam.

quin simul occurrat is, à quo omnis gloria & honos isti nomini, CHRISTVS scilicet IESVS MARIÆ Filius: cuius dum rapiuntur amore, mutatur languor in vigorem; dum sibi mortui viuunt in amato, tantâque pollent in rebus eius fortitudine, vt, quando opus est, ruant in medias acies & flammas, nihilque sit adeò difficile, quod non libenter amore dilecti subeant. Vitalem hanc mortem, & vegetum languorem, explicat Apostolus ad Colossi. 3. v. 3. *Mortui enim estis*, vobis scilicet, *& vita vestra est abscondita cum* CHRISTO *in Deo.* Quos mortuos dicit, iis statim vitam tribuit non sibi viuentem, sed cum CHRISTO & in CHRISTO amato absconditam. O si moriatur anima nostra morte istorum, & langueat isto deliquio, vt MARIAE nomen eam sanet, suggeratque illi poma amoris, & flores vegetæ charitatis! langueat sensualitas, vt vigeat charitas: moriatur caro, vt spiritus viuificetur. stipate me malis, hoc est IESV & MARIAE nomine, quorum fragrantiâ & virtute sustenter dum hoc amore langueo.

CAPVT XLII.

MARIAE *nomen illuminat cæcos.*

ASTRO polari & lunæ solique comparauimus MARIAE nomen, ipsâ etymologiâ id efflagitante, & Ecclesiastico confirmante, qui ait cap. 26. v. 21. *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei; sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius.* Si enim mulieris bonæ tanta est gratia, vt non secùs familiam atque sol mundum illustret; ea certè, cuius mundus vniuersus familia est, nomine sancto suo plus quàm sol eum illuminat. Sed infra dignitatem tanti nominis videtur, id luci corporibusque luminosis, quamuis cælestibus, comparare; altiùs assurgendum est, vt quid eo dignum attentemus. Et iam viam monstrauit Idiota, breuiter efficaciterque, & summâ cum energiâ verborum, dicens quòd *nomen* MARIAE *illuminet cæcos.* Adfer mihi iam omnium lychnorum flammas, omnium gemmarum faces, iunge astrorum lumina, Planetarum splendorem, & solis lunæque æternum ignem; omniaque cum MARIAE nomine compone, meræ tenebræ, caligo mera sunt: auge eorum splendorem in septuplum, adiice quantam imaginari vel concipere potes lucem; nondum splendent in nominis huius præsentiâ. Quid enim? cùm lucem luce, splendorem splendore intenderis; non efficies, vt is qui luminibus caret, eum percipiat. ad discutiendas tenebras valent ista lumina, non ad illuminandam cæcitatem: nominis autem MARIANI vix vlla laus est, quòd tenebras omnes discutiat, quòd nihil sit tam altâ obsessum caligine, quod non illustret: parum est quòd præbeat videntibus lumen, cùm cæcis præstet videndi facultatem. Hanc efficaciam sanctissimi nominis quo nomine appellem, non inuenio. Id per quod vita sustentatur, alimentum; per quod languescens reparatur, medicamentum vocamus: quod autem mortuos viuificet, quia non est, nomine omni caret. Eâ prorsus ratione scimus lumen dici id quod tenebras pellit, quodque videndi facultate pollentibus præbet vsum videndi: at nomen MARIAE, quod cæcos illuminat, quomodo vocabimus? Illuminatricem anteà nuncupauimus: sed aliud est, illuminare; aliud, cæcitatem tollere; imò, quod amplius est, cæcos ipsamque cæcitatem illuminare: ita enim intelligo admirabilem nominis MARIANI claritatem, vt non sit laus eius quemadmodum luminum ceterorum, quòd alia luminosa obscuret, sed quòd ipsam cæcitatem illustret; non tam discutiat tenebras, quàm efficiat vt ipsæ tenebræ lux fiant. Præuidebat hoc Dauid 2. Reg. 22. v. 29. *Quia tu lucerna mea, Domine, & tu Domine illuminabis tenebras meas.* Rursumque Psalmo 138. v. 11. expressè explicat hoc paradoxum, dicens: *Forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis; quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen* eius.

Alia lumina illustrãt videntes:

MARIAE *nomen illuminat cæcos:*

imò facit, vt tenebræ lux fiant.

eius. Mitantur omnes lucem eam, coram quâ ipsa nox est illuminatio; sed erat illius qui *posuit tenebras latibulum*, Psalm. 17. v. 12. & qui colligit tantum splendoris à tenebris, quantum maiestatis à luce. *Solemne est Theologis*, inquit Dionysius lib. de Diuinis nominibus cap. 7. §. 1. *vt in Deo ea quæ sunt priuationis contrario sensu dicant: sic lucem splendidissimam Scriptura vocant inaspectabilem, & qui multa laudum insignia nominaq́; habet, dicunt ineffabilem & innominabilem.* ponens in eo maximam diuinæ excellentiæ laudem, quòd ita supra omnia quæ sunt existat, vt etiam contrariorum appellationibus, & simul negatione atque affirmatione eiusdem possit celebrari. Nihil inter creata similius Deo Virgine Deiparâ; cuius laudes ita cum diuinis comparamus, vt, licet earum magnitudinem pænè infinities intellectum omnem creatum superare dicamus, tamen maiore interuallo infra Deum quàm supra nos esse fateamur. Igitur non æquandi intentione, sed studio debitè exaltandi MARIANVM nomen, etiam hunc contrariorum conflictum sine repugnantiâ in eo esse cum Idiotâ doctissimo affirmamus. cum Idiotâ, inquam: nam qui dicit, quòd nomen Virginis illuminet cæcos, eam dicit lumen & lucem, vtpote quæ illuminet; & rursùm, quòd supra lumen omne sit, negat eam lucem esse, dum dicit, eam non illuminare videntes, sed cæcos. Hæc enim facultas luminis naturam superat, nec intelligi potest quomodo ad eam possit vllâ ratione aspirare. Hunc modum explicandi res captum nostrum superantes alibi vocat Dionysius *vim quamdam superexcellentis negationis:* nam, vt dicit libro de Diuinis nominibus cap. 7. §. 2. *amentia & insensilitas per excessum, non per defectum, Deo tribuuntur; sicut etiam rationis carentiam ei qui supra rationem est attribuimus, & imperfectionem supraquam perfecto & præperfecto, & caliginem quæ tactum visumq́; fugiat, luci inaccessæ accommodamus, secundùm quod excellit lucem spectabilem.* Ita dico, vim illuminandi nominis MARIANI, cùm cæcitatem illustret, lucem non esse, non per defectum, sed per excessum: est enim facultas, cui neque mens nostra conceptum, neque loquendi vsus potest vocem accommodare. Stupori & admirationi si vspiam, hîc locus est; explicandis rebus tam admirabilibus non est.

Nescio tamen an quid lucis adferre possit intelligendæ tantę claritati Sodomitarum cæcitas, seu ἀορασία, vt Septuaginta dicunt: dum enim Angeli Lot introduxissent in domum, *eos qui foris erant, percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* Si omnino cæci fuissent, ait S. P. N. Augustinus, non ostium Lot, sed duces qui eos domum reducerent, quæsiuissent. Vides ergo, quàm eos cæca libido, diuinâ punitione superueniente, excæcauerit, vt lux ipsa eis tenebræ fieret, ac videntes mirarentur, quâ ratione non viderent quod quærerent. Si ergo malis lux fiat tenebræ, quare per Virginei nominis splendorem tenebræ ac cæcitas ipsa lux fieri non possent? Quamquam facilè suppetit modus explicandi, quomodo illis facultas hæc videndi, licet viderent, erepta sit. altioris est considerationis, quàm vt ad eius intellectum nostra imbecillitas aspirare possit, antequàm, præcedente experientiâ, verè cum Prophetâ canere poterimus: *Nox illuminatio mea in deliciis meis, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebra eius, ita & lumen eius.*

Sodomitæ videntes cæci. Genes. 19. v. 11.

Psal. 138. v. 11.

Illud breuiter dicendum, maiorem nominis MARIANI potentiam esse in bonum, quàm vitiorum in malum. Si ergo hæc effecerint, vt videntes cæci essent; cur illud non efficiet, vt cæci videant? Nec tantùm facultatis illius quæ MARIANO nomini inest, hîc proditur excellentia, sed etiam effectus quem in nobis efficit præstantia: nam & hic contrarietate quadam explicatur, vt sciamus, eum captum omnem superare. Si enim cæcos MARIA illuminat, statuendum, nomine hoc illustrante, cæcos videre: qui

Per nomen MARIAE cæci fiunt videntes.

qui ſanè præſtantior effectus eſt, quàm ſi cæcis oculi darentur, quibus naturaliter cernerent. tam enim potenter & eminenter illuminantur à nomine iſto, vt cæci videant. hoc eſt, licet nihil penè facultatis in illis ſit aptæ ad videndum, tamen vi tantæ illuſtrationis cernant, magis operante ipſo quod infunditur lumine, quàm illorum aliquâ facultate. Eſt igitur lumen nominis Mariani ſupra omne aliud creatum lumen, tamquam primus poſt Dei nomen fons radiorum & effuſio luminis, inundans omnem mentem ſupramundanam & circummundanam, & mundanam ex plenitudine quam à Deo habet illuminans, & totas eius facultates intelligendi renouans, itaque illuſtrans, vt miretur non tantùm cæcitatem ſuam ſe iam videre, ſed hanc ipſam in videndi facultatem conuerſam eſſe, videatque diuina multa & cæleſtia: nec tamen ſciat, quâ facultate videat, niſi quòd lumen hoc à nomine Mariano ſentiat ipſam cæcitatem ſuam illuminare. Vtinam contingat nobis ita venerari nomen hoc ſanctiſſimum, vt oriatur admirabile lumen eius in cordibus noſtris: nam cæcos nos eſſe, negare non poſſumus in tam multiplici rerum ignoratione. Si enim videremus, quantâ dignitate, ſplendore, pulchritudine prædita ſint cæleſtia, quî fieri poſſet, vt volutaremur in ſordibus terrenorum? ſi cerneremus ſpiritus præſtantiam, quomodo amaremus carnis vilitatem? ſi diuinorum perciperemus claritatem, quomodo tenebris hiſce mundanis inhæreremus? Certè cæci ſumus, & duces cæcorum: rogemus Dominam noſtram, vt per admirabile lumen nominis ſui ita conuertat cæcitatem noſtram in lucem; quemadmodum nequitia facit, vt lux ipſa nobis tenebræ facta ſit.

CAPVT XLIII.

Mariae *nomen penetrat duros.*

Tertius effectus nominis Mariani ab Idiotâ proditur, quòd penetret duros. Stupendus trium ſyllabarum effectus. Neſcio an alludat ad eos, qui, arte diabolicâ, neſcio quorum ſuperſtitioſorum nominum vi ita obarmant & indurant quoſdam, vt certis telorum generibus ſint impenetrabiles; quos eâdem arte nouis ſuperſtitionibus alij penetrant, redduntque irritam priorem incantationem. Illud conſtat, peſſimam incantationem eam eſſe, quâ vel caro vel diabolus ita paulatim viliſſimis illecebris obdurat quoſdam, vt omnibus Eccleſiæ ſalutaribus armis, omnibus diuini amoris telis, imò ipſis diuinæ vindictæ tormentis ſint impenetrabiles. quæ faſcinatio diabolica nullâ aliâ incantatione faciliùs ſoluitur, quàm pronuntiatione nominis Mariæ: quod proinde benè dicitur penetrare duros, cùm nihil ſit durius homine in peccatis ſuis obdurato. Exemplum huiusrei clarum eſt in Theophilo, quo nemo poterat eſſe magis obduratus in ſcelere: vtpote qui ſchedulam proprio ſanguine exaratam tradiderat diabolo, quâ Deo & Christo nuntium remitteret, ac principi tenebrarum adhæreret; quem tamen conſtat mirâ iſtâ omnibuſque notâ ratione per Virginem eſſe conuerſum. Sed age, diligentiùs ſcrutemur qui ſint prætereà duri illi, quos penetrare dicitur Virginis nomen: nemo eos accuratiùs quàm mellifluus Doctor deſcribit lib. I. de Conſideratione ad Eugenium: *Quid*, ait, *eſt cor durum? Solum eſt cor durum, quod ſemetipſum non exhorret, quia nec ſentit: ipſum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur: ingratum eſt ad benè faciendum, ad conſilia infidum, ad iudicia ſæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina: præteritorum obliuiſcens, præſentium negligens, futura non prouidens e ipſum eſt, cui præteritorum, præter ſolas iniurias, nihil omnino non præterit, præſentium nihil non perit, futurorum nulla, niſi fortè ad vlciſcendum, proſpectio ſeu præparatio eſt. &, vt in breui cuncta horri-*

Quid ſit durities cordis.

horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet; nec hominem reueretur. De iis qui tali corde sunt prædiri loquimur, quando nomen MARIÆ duros penetrare affirmamus. hi sunt de quibus ad Ezechielem Dominus: *Fily durâ facie & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te*, Ezech.2. v.4. Sed ad hosce frontis æreæ, vt eos vocat Isaias cap.48.v.4. mittit Dominus Ezechielem, hoc est, *fortem Dei*, vt malleum malleo tundat, & fortis in fortem impingat, itaque tandem frangatur durities eorum. ideò capite sequenti Dominus ad eumdem Prophetam: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum: vt adamantem & silicem dedi faciem tuam:* vt scilicet se siliceis istis, vt eos vocat Seneca, & lapideis, vt sæpiùs Scriptura, maiori duritiâ opponeret. & etiamnum ita faciendum esse censet S. Bernardus lib.3. de Consideratione ad Eugenium cap.3. vbi ait: *Si durâ fronte sunt, durato & tu è contrà tuam: nihil tam durum quod duriori non cedat.* Ita agendum, si quando requirat zelus Dei aut salus infirmorum, qui aliàs scandalizantur à præfractis ac proteruis istis: & Deus ita se solet ipsis opponere, facitque duros illos contra duriorem stimulum calcitrare; sed, heu! cum eorum plerumque pernicie & interitu. Quantò optandum magis inuenire remedium suaue & forte, quod eos non frangat, sed penetret, suauiterque instillet ac insinuet se eorum duritiæ, eamque tandem emolliat, quale est nomen MARIÆ. Ad rem accommodatam sententiam adfert Abbas Pastor in Vitis Patrum lib.6. libello 18.nu.16. dicens: *Natura aqua mollis est, lapidis autem dura est. Et si vas aquæ plenum pendeat supra lapidem, ex quo assiduè stillans gutta cadat in lapidem, perforat eum: ita & sermo diuinus lenis est, cor autem nostrum durum; audiens ergo homo frequenter diuinum sermonem, aperitur cor eius ad timendum Deum.* Suauem ille vim præbet duritiam lapidis penetrantem, stillam aquæ iugiter illabentem. At meministine, in etymologiis nominis MARIANI dicere nos, etiam quosdam stillam maris interpretari MARIAM? quam, licet à malo auctore profectam, etymologiam non prorsus reiicimus, sed meliùs applicamus: nam & hic docet, quomodo vi suaui duros penetret nomen Virginis: ipsa enim stilla est maris, magni illius maris, quod diuinum sermonem vocat Pastor Abbas; sed talis stilla, quæ penè maris vniuersi virtutem contineat. Verbum enim hoc totius Scripturæ quoddam est compendium. Stillet ergo efficacissima hæc gutta maris crebrâ pronuntiatione supra cor durum, & videbis, quòd paulatim id penetrabit, prorsusque emolliet. Oleum item effusum est nomen MARIÆ. Oleum vim habet penetrandi fortissimâ & suauissimam: quid mirum ergo quòd MARIA duritiem cordis vincat, si ei assiduè deuotâ pronuntiatione infunditur?

Duris duros opponit Deus.

Ezech.3. v.8.

MARIAE nomen instar aquæ stillantis penetrat.

Magni æstimandus est hic effectus nominis MARIANI ab omnibus, quòd nemo ferè sit, cui non sit aliquid emolliendum. Paulatim enim solet cor nostrum non tantùm ex prauâ consuetudine, sed etiam sæpè ex bonâ obdurescere, & sensum rerum diuinarum vel perdere, vel non ita viuaciter sentire: quapropter sæpiùs est inungendum hoc oleo mollificante & penetrante, ne fortè paulatim lapidescat: nam *cor durum habebit malè in nouissimo*, Eccli.3. v.27. id est, quamuis non videatur sibi malè habere, quia in suis cupiditatibus, proteruiâ & duritie sibi complacet, firmiterque conquiescit, ac videtur sibi inexpugnabile, quia nemo audet illud tangere, eò quòd quisque desperet illud se posse frangere; *in nouissimo* tamen, hoc est in morte, malè habebit, quando franget & disperdet illud Deus. Vel, cum melioribus loquendo, quales mancipia B. MARIÆ Virginis esse supponuntur, cor durum, quod paulatim duritiem aliquam insensibiliter contrahit, vel ex consuetudine flaccidè audiendi meditandique verbum diuinum, vel ex passione aliquâ insensibiliter suppurante, quamuis iam

Omnes habent aliquã cordis duritiem.

per

per incuriam non aduertat neque sentiat duritiem; in nouissimo tamen, cùm creuerit malum, malè habebit, acerrimisque excruciabitur doloribus, antequam vicerit eam duritiem. Simile est in duritiâ calculi, qui in corpore humano, maximè in vesicâ, vt Medici tradunt, crescit, multoque tempore circumfertur ab ægro sine vehementi vllo aut notabili doloris sensu; at postea sæuissimis exercet miserum cruciatibus, & tandem mortem adfert; qui si sub initium perceptus fuisset, facili potuisset remedio emolliri. Adhibeamus ergo cordi nostro sæpiùs vnctionem nominis MARIANI, ne fortè aliqua ibi concrescat durities, quandoquidem id vi præsentissimâ pollet molliendi ac penetrandi.

CAPVT XLIV.

MARIAE *nomen vngit agonistas.*

DEI ac IESV nomina compendio inclusa esse venerabili MARIÆ nomini, suprà ostendimus; restabat nomen alterum, seu potiùs cognomen CHRISTVS, quod Deo incarnato est impositum, propter multiplicem vnctionem quâ vnxit eum Deus præ consortibus suis. Hoc etiam contineri MARIÆ nomine, vltrò indicat sapiens Idiota noster, dicens quòd nomen MARIÆ vngit agonistas; adeò vt iam non secùs de hoc quàm de IESV nomine cantare liceat, ***Oleum effusum nomen tuum***. quâ laude multiplex indicatur effectus sanctissimi nominis. Nisi enim plurima efficeret oleum, non fabularentur Poëtæ, Mineruam eius inuentricem laudem Neptuno præripuisse, quòd ipsa rem vtiliorem mortalibus excogitasset, quàm sit equi productio. Nota autem, ciuitatem florentissimam, totius antiquæ sapientiæ domicilium, omnesque ciues & aduenas sapientiæ studiosos, propter olei inuentionem Mineruæ dicatos fuisse: ne quid ab opinione hominum alienum dixisse aut fecisse videamur, si affirmemus, tot Sodalitates, & præcipuè mancipiorum, ideò sub tutelâ Virginis congregatas, quòd sit oleum nomen eius. Indicat hoc apertè Salomon: *Oleum*, inquit, *effusum nomen tuum*; *ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis*. Quænam istæ adolescentulæ, nisi animæ fideles, quæ, exuto veteri homine, optimo Deiparæ seruiendi proposito sunt innouatæ; ideò nouellæ per gratiam, non vetulæ per culpam; non senio veterum consuetudinum steriles, sed nouis propositis fecundæ; non incuruatæ per amorem nimium rerum vilissimarum in terram, sed desiderio cælestium erectæ in altum? Hæ omnes adolescentulæ nimis, hoc est supra modum, valdè, vehementer, dilexerunt Virginem, congregatæ ad eius mancipatum; quia oleum effusum est nomen eius. Tradit olei effectus ac nomini dulcissimo IESV applicat S. Bernardus in Cant. Serm. 15. item de Passione Domini Serm. 43. Applicat autem eos nomini Deiparæ Richardus à sancto Laurentio, auctor non tam styli elegantiâ quàm materiæ densitate ac bonitate commendabilis, libr. 1. de Laudib. B. MARIÆ Virginis cap. 2. quæ non ita obuia breuiter attingenda. olei proprietates tradit his ad faciliorem recordationem versibus:

MARIAE nomen est oleum effusum. Cant. 1. v. 2.

Ibid.

Est oleum viride, calidum, præpingue, suaue,
Et penetratiuum, nitidum, recreans, & amarum,
Pascit & impinguat, illuminat & medicinat,
Roborat, emollit, extinguit & ampliat ignem,
Confert picturis, seruat rubigine ferrum.

Proprietates olei:

Ecce apertum in laudes nominis MARIANI campum, si cui per eum discurrere lubeat; ego iam ad metam Libri deductus, breui gyro circumferar cum ipso auctore, singula tantùm attingens vocabula. *Viride* est nomen MARIÆ: quia *memoria eius in generatione sæculorum*, sicut ipsa dicit Eccli. 24. v. 28. In virore enim perseuerantia & diuturnitas designatur: deuota etiam inuocatio & recordatio nominis huius ducit ad virorem gratiæ in præsenti, & ad

est viride.

calidum, ad virorem cælestium in futuro. *Calidum* ab effectu: quia deuota nominatio eius mirabiliter accendit ad amorem, prout norunt qui experti: vnde dicit Eckebertus Abbas ad MARIAM (habentur hæc apud Bernard. deprec. ad MARIAM Virginem) *O magna, ô pia, ô multùm amabilis* MARIA: *tu nec nominari quidem potes, quin accendas; nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te: tu numquam sine dulcedine diuinitus tibi insitâ pia memoriæ portas ingrederis.* Et hæc est olei proprietas, quòd igni infusum ipsum feruentiorem reddit. *pingue,* *Prapingue:* quia subministrat deuotionis & gratiæ pinguedinem amatori suo; vt ei dicere possit illud Psal. 22. v. 5. *Impinguasti in oleo* gratiæ & deuotionis *caput meum,* id est, mentem meam. *suaue,* *Suaue* per benignitatem: sicut nomen IESV mel in ore, in aure melos, in corde iubilus; sic & nomen MARIÆ. & etiam ampliùs, si dicere audeamus (verba sunt Richardi) IESVS enim quasi superbum nomen est & nimiùm potens; nostros humilius nomen affectus decet. vnde si in IESV nomine aut Deitatis aut sexus virilis austeritatem aliquis vereatur, recurrat ad MARIAM, in quâ nihil horum suspectum est: MARIA enim nomen muliebre est, mansuetudinem præferens & commendans. S. Bernardus: *Percurre totam Euangelij seriem, & si quid increpatorium, si quid durum, si quid vel modicum habens indignationis inueneris in* MARIA, *de cetero suspectam habeas, & accedere verearis,* &c. Quòd si sexum verearis, pro eo quòd & sibi & aliis sæpè fuit in ruinam; virgo est, ita virginitatem amans, vt nemo alius vitam. *penetratiuum,* *Et penetratiuum:* mirabiliter enim virtus huius nominis MARIÆ emollit & penetrat duritiem cordis humani, vt diximus. & Prouerb. 20. v. 27. dicitur: *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris.* Dicamus & nos: Lucerna Dominæ, id est MARIÆ, quæ illuminatrix & Domina interpretatur, *spiraculum hominis,* quia peccator per eam respirat in spe veniæ & gratiæ: *quæ inuestigat,* id est inuestigare facit, *omnia secreta ventris,* id est abscondita cordis. Sed nota, quòd oleum non penetrat humida, scilicet per carnalem concupiscentiam, sed desiccata per abstinentiam & pœnitentiam. Si vis ergo hoc oleo penetrari, necesse tibi est primitus desiccari. De vi penetrandi plura suprà. *Nitidum.* *nitidum,* Psal. 103. v. 15. *Vt exhilaret faciem in oleo.* & Plautus de comptâ:

Peruide, vt tota floret, vt oleum pulchrè nitet:
Nam id rebus omnibus nitorem & lucem addit.

& Prouerb. 5. v. 3. *Nitidius oleo guttur eius. Recreans:* quomodo recreet fessos iam dictum. *Et amarum,* donec fuerit *amarum:* igne decoctum: quia MARIÆ nomen amaras reddit mundanas delicias, & amaritudines præsentes dulces reddit igne charitatis. Oleum nominis MARIÆ *pascit & impinguat.* *pascit, impinguat,* Probat hoc S. Bernardus Serm. 15. in Cant. de IESV nomine. Quæ omnia huic possunt accommodari: *Quoties enim recordamur, toties roboramur. Illuminat:* hoc suprà *illuminat,* explicatum. Hîc verò notandum, quòd S. Lucas cap. 1. non dicat; *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem, cui nomen* MARIA, sicut dixerat de aliis; sed tamquam diutiùs exspectatum, nomen tandem protulit cum pondere, dicens: *Et nomen Virginis* MARIA. etiam ideò, vt ostenderet hoc nomen habere multum eruditionis & gratiæ, atque ideò altiùs memoriæ esse commendandum, & diligentiùs inuestigandum. Alium illuminandi modum, qui oleo inest, adfert Richardus, dicens, sicut dicit Hieronymus: *Quando nautæ ob causam aliquam mari se immergunt, oleum deferunt in ore, & illud emittunt; & fit pellucidus fundus aquæ:* sic etiam deuota inuocatio nominis huius, scilicet MARIÆ, & doctrina & gratia eius rerum labentium intima faciunt manifesta. *Et medicinat.* *facit medicinam,* Eccle. 7. v. 2. *Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa.* Si enim vulnus oleo perungatur, oleum non permittit cicatricem obduci, donec sanies sit educta; nec MARIÆ benignitas in amatoribus suis

suis conscientiam pacificari, donec per confessionem putredo vitij sit eiecta. MARIA siquidem illud oleum misericordiæ est, quod verus Samaritanus CHRISTVS infudit vulneribus sauciati generis humani, per præuaricationem primæ matris de Ierusalem in Iericho descendentis. *Roborat:* hoc mox dicemus. Quomodo *emolliat*, iam diximus. *Extinguit & ampliat ignem:* extinguit in lapide, accendit in ligno. Nam proprietas olei est, extinguere ignem Græcum, & lapidem ignitum. Quòd si lapideus fueris, & conuersus sis ad MARIAM, extinguet in te ignem concupiscentiæ; si verò ligneus es, & tractabilis iam ardere inceperis meliore flammâ, succendet in te ignem amoris diuini, si nominis eius misericordiam toto corde inuocaueris. *Confert picturis.* Sine oleo pictura caduca, fluxa, nec viuè referens suum exemplar: talis est sine MARIÆ oleo vita Christiana, quæ in imitatione CHRISTI consistit. Ad extremum, *Seruat à rubigine ferrum*; & nomen MARIÆ vitam nostram à spirituali torpore. Hæc facit vnctio nominis MARIANI. Quæ licet omnia ex vsu athletæ spiritualis, huius tamen loci videtur maximè, quærere quid agonistæ seu certanti tantum conferat crebra inunctio, vt, licet viguerit luxus vnguentorum pænè ad insaniam, tamen propriè hæserit magistro athletarum nomen Aliptæ; quòd, vt Cicero indicat Epistolâ ad Lentulum, virium colorisque rationem haberet, crebrò scilicet corpora inungendo. Quod ergo dicit Idiota, *Nomen Virginis vngit agonistas*, significat, vel quòd Aliptæ subit officium pro athletis spiritualibus; vel quòd sit materia quâ Aliptes suos inungit, robur & colorem ijs conseruans & augens, vt aduersarios suos hoc terreant, illo vincant. Oleum enim, vt aiunt, ossa & neruos indurat, & medullas confirmat. Toto corpore pugiles olim inungebantur; quia toto corpore pugnaturi, membris omnibus volebant confirmari. Non est in corpore nostro membrum, non est in animâ facultas, non est in bonis externis recula; quam non oppugnet, vel quâ saltem nos non impugnet aduersarius: omnibus igitur oleum hoc affricemus, omnia signemus nomine MARIANO; vt omnia roborentur & confirmentur aduersus hostem tam infestum, aut certè (qui alter erat inunctionis finis) oleo hoc lubricata; facilè elabantur & effluant è manibus eius. Pessimè comparata ea est lucta, quâ oleo delibutus cum eo qui vnctus non est congreditur. Atqui tale erat nostrum cum antiquo serpente certamen, nisi suppeteret nominis MARIANI oleum: ipse enim naturâ suâ lubricus faciliùs elabitur, quàm si foret inunctus; & nos asperi & corporei, imò tot crinibus hirsuti, quot rerum terrenarum cogitationibus impediti, facilè teneremur, nisi lubricitate olei huius elaberemur.

extinguit & ampliat ignem.

picturis confert.

Cur athletis in vsu oleum.

CAPVT XLV.

MARIAE *nomen extrudit iugum diaboli.*

SI cui sub initium durius videbatur mancipij vocabulum, si graues catenæ, molestæ compedes seruitij nominis MARIANI; is postquam non piâ minùs quàm patienti diligentiâ nostris intenderit discursibus, tandem reflectat ad gloriosam hanc status abiecti peripetiam, quam Idiota breuiter proponit, affirmans nomen B. Virginis MARIÆ extrudere iugum diaboli. Euge, euge quisquis es nominis huius Sodalis, quisquis MARIÆ te profiteris mancipium, euge & plaude tibi tantâ nominis MARIANI virtute, quòd re per sui mancipatum asserere in plenam animi libertatem. Quod summum dicitur & est fidelis seruitij præmium, vel ipso Redemptore nostro id affirmante apud Ioannem cap. 8. v. 31. & 32. *Si vos,* inquit, *manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis; & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Quæ verba S.P.N. Augustinus Serm. 47. de Verbis Domini interpretatur, dicens: *Quid ergo in verbo Dei manere, nisi nullis tentationibus cedere?* quod idem est ac si diceret: Quid est in verbo Dei manere,

Bbbbb nisi

nisi omnia Dei præcepta obseruare, ei cunctas animi corporisque facultates mancipare, ac ipsi soli seruire? Præmium autem tam fidelis mancipatus adiungitur manumissio liberalissima: *Veritas*, inquit, *liberabit vos*. Quod de manumissione ac libertate quæ seruitio opponitur, esse intelligendum, sic explicat S.P.N. suprà: *In consuetudine*, inquit, *Latinæ linguæ liberari duobus modis dicitur; & maximè in eo consueuimus audire hoc verbum; vt quicumque liberatur, intelligatur periculum euadere, molestijs carere: liberari autem propriè dicitur liberum fieri: quomodo saluari, saluum fieri; sanari, sanum fieri; sic liberari, liberum fieri. Ideò dixi, Si non delectat veritas, delectet libertas. hoc in Græcâ linguâ euidentiùs sonat, nec potest aliter intelligi. Et vt noueritis, quia aliter intelligi non potest, loquente Domino, responderunt Iudæi: Nos nemini seruiuimus vmquam, quomodo tu dicis, Veritas liberabit vos?* Ferociebat libertate suâ antiqua Synagoga, neque seruituti vlli suos cupiebat mancipari; ideò nec ipsa nec omnes cærimoniæ eius poterant liberare quemquam: erat enim ipsa in seruitutem generans filios suos, seruientes vmbris multiplicium onerosarum & prægrauium cærimoniarum, idque timore pœnarum, ac spe bonorum terrenorum, abundantiæ videlicet frumenti, vini & olei. At MARIA felicitatem suam omnem & gloriam in ancillæ mancipijque reponit officijs, apertè professa, se esse ancillam Domini, filiosque suos, quos generat in libertatem perfectam, docet mancipatum Filij & Matris; ideoque non tantùm ipsa, sed etiam nomen ipsius, conterit & extrudit iugum diaboli, quod impositum erat ceruicibus nostris: docetque suos non tam formidine pœnæ aut præmiorum exspectatione (quod seruile est) quàm ex vero sinceroque amore non qualem qualem operam impendere, sed totos sese mancipare & consecrare seruituti isti, in quâ solâ reperitur libertas perfecta. Vt vero dicere liceat, Mancipatus hic nominis MARIANI liberabit vos; vel, quod Idiota dicebat, *Nomen* MARIÆ *extrudit iugum diaboli*; non dubium mihi est, quin paradoxum etiamnum quibusdam videatur, quòd dicamus, libertatem filiorum Synagogæ, vel Christianorum nimis liberorum, esse iugum seruitutis; at mancipatum nominis MARIANI extrudere iugum diaboli, nosque asserere in veram libertatem. Proinde adducenda est ijs ex Synagogâ ipsâ figura, quæ paulatim disponat intellectum, vt cum veritate legis nouæ congruat. Libertatem & dominatum per benedictionem primogenituræ certatim filijs ambiebant parentes pij Isaac & Rebecca: hæc pro Iacobo erat solicita; ille pro suo laborabat Esau. Vide autem quàm contrarijs eos ad libertatem miserint itineribus. Isaac exercitium dat Esau ingenuum, nobile ac plenum regijs delicijs: *Cùm venatu aliquid apprehenderis*, inquit, *fac mihi inde pulmentum vt comedam, & benedicat tibi anima mea*. at Rebecca, diuino vtique instructa spiritu, maiusque insinuans mysterium, quod Iacobo suo imperat seruile est: *Pergens*, inquit, *ad gregem, affer mihi duos hædos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo; quas cùm intuleris, & comederit, benedicat tibi*. Ad diuiniora significanda mysteria ambire vult seruilia munera candidatum libertatis. Notus est & decantatus toties ille Pharisæus, qui Lucæ 7. IESV adornat conuiuium: nec obscura est illa mulier, cuius nomen, quà audietur Euangelium, CHRISTVS promittit extendendum. Vide quàm diuersis officijs ambiant veram libertatem, quam hæc consequitur, illo nihil singulare quod constet impetrante. Pharisæus tenax dignitatis herilis, à seruis præparatum exhibet conuiuium; Magdalena verò dignitatis suæ negligens, quod seruile erat assumit, pedes Domini lauans atque iungens. *Meritò ergo*, inquit S.Paulinus Epistolâ 4. *prælata Pharisæo, licet pascenti* CHRISTVM, *quæ, Iudæo exultante, ieiuna, non cibi, sed salutis auida seruiebat*. Tantum nimirum præualet affectatæ libertati humilis mancipatus, vt peccatrix seruiens præferatur Pharisæo inui-

Ioan. 8. v. 33.

Genes. 27. v. 3.

Ibid. v. 9.

inuitanti; vt mirari omnes desinant, mancipatum B. MARIÆ Virginis esse viam solidæ libertatis, præsertim cùm nomen ipsius polleat singulari quadam virtute conterendi & extrudendi iugum diaboli: quod solum est signum & onus verissimæ & vilissimæ seruitutis. Non disputo, an fabulentur, an rem compertam & comprobatam referant Auctores isti, qui scribunt, picam, si nidum eius arctissimè funibus occluseris, allaturam herbam quamdam, quâ admotâ vincula dissiliant, eâque deinde quælibet claustra posse reserari: solummodò dico, quàm optanda foret herba ista iis, qui arctissimis compedibus illigati, vel duram seruiunt apud Turcas seruitutem, vel capitis rei attinentur in carcere; tam iucundum nobis esse debere nomen MARIÆ, quod vim habet iugum ferreum diaboli ceruicibus nostris impressum extrudendi. *Computrescet*, inquit Isaias cap. 10. v. 27. *iugum à facie olei.* Oleum effusum est nomen MARIÆ. Solet autem oleum oliuarum ferrum & iugum ferreum penetrare, mollire, exterere & consumere; vnde fabri ferrarij testantur, ab oleo arma corrumpi, ideoque cùm ea poliunt, oleo oliuarum abstinent. Et Pierius hieroglyphic. 54. *Fabri*, inquit, *qui ferrum lentescere atque mollire volunt, candefactum id oleo intingere consueuerunt.* Candefaciamus ergo iugum ferreum diaboli, quod nimis iam diu gestamus, feruore charitatis erga Deum & Virginem, eique tum oleum nominis MARIÆ affundamus; & putrescet iugum à facie olei. Felices, quibus pro hoc iugo impositæ sunt compedes & catenæ mancipatus MARIANI, quæ non onerant, sed honorant captiuos suos; nec aliam indicant seruitutem, quàm quæ causa & effectrix est veræ libertatis, eius scilicet quam hîc in amore & charitate perfectâ incipiunt per gratiam, & deinde æternùm continuaturi sunt per gloriam, quando CHRISTVS ipse & Virgo Deipara, quibus hîc seruierunt, transeuntes ministrabunt ipsis recumbentibus.

CAPVT XLVI.

Nomen MARIAE *resuscitat mortuos.*

PRÆDICIT decimo tertio capite v. 15. Osee: *Adducet vrentem ventum Dominus de deserto ascendentem & siccabit venas eius*, inferni scilicet & mortis, de quibus anteà locutus fuerat. Quæ verba explicans Gillebertus in Cant. Serm. 15. ait: *Bonum desertum est aluus virginalis. talis erat beata illius & specialis virginitatis vterus, quem nullius impudici motus affectionis immunda tentauit læsio. Caro ipsius sicut terra deserta, & inuia, & inaquosa, in quâ Christus apparuit.* & paulo pòst: *Vis audire qualem hæc terra deserta dedit fructum? Osee te docet, qui dicit: Adducet Dominus ventum de deserto vrentem, & desiccabit venas mortis.* Quis alius mortis desiccauit venas nisi CHRISTVS IESVS, quem nobis intemerati ventris desertum effudit? Et est communis loci istius interpretatio: nam S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Rupertus, Lyranus, Vatablus, Arias, Ribera, & alij, putant, non typice tantùm, sed ad litteram de CHRISTO agere hoc capite Oseam. Nihilominùs, bonâ istorum Auctorum veniâ, & non malâ, vt spero, Lectoris gratiâ, ventum hunc vrentem nomini MARIANO accommodabo, qui ascendit de deserto, vt alij etiam interpretantur, Virgine Deiparâ; ab eâque, cùm non esset nisi aura sonans, & vox leuiter pertransiens, vim omnem sumpsit exurendi & desiccandi venas mortis, in perniciem nostram nimiâ fecunditate scaturientes. sumpsit autem vim tantam, vt non solùm ventus ipse, sed vel sonus eius, hoc est, non tantum nomen MARIÆ, sed vel vmbra nominis, mortem fuget, omniaque mala per venas eius pestiferas in nos deriuata desiccet. Testem habemus S Petrum Chrysologum, &, si attendere velimus, ipsam Dei Ecclesiam. Hæc enim cùm in oratione, quâ Mariæ Magdalenæ inuocat patrocinium, sine dubitatione pronuntiat eius precibus Lazarum à morte reuocatum

fuisse; cùm tamen Scriptura nullam Magdalenæ orationem, sed Marthæ preces sorore absente describat; numquid asseuerare videtur, plus effecisse solo suo nomine Mariam, quàm Martha tot precibus petierat? efficacissimæque orationis adinstar fuisse in Mariâ solam istius appellationem nominis, quo referebat nomen illud Dei Genitricis, quod tamquam venenus vrens mortem fugat, omnesque eius venas desiccat? Certe Chrysologus, attendens ad rei gestæ modum & ordinem qui Ioan. 11. describitur, quòd scilicet ad Marthæ preces promittebatur quidem resuscitatio fratris, sed ad Mariæ præsentiam re ipsâ adimplebatur, effectum eum refert ad nominis MARIANI efficaciam: Sermone enim 64. inquit: *Sine* MARIA *nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari: veniat cum Marthâ Maria, veniat materni nominis baiula.* Quantæ potentiæ erit MARIÆ nomen positum pro Virgine Deiparâ, si sola eius vmbra in peccatrice conuersâ potuit resuscitare mortuum quatriduanum! quàm certò MARIA inuocata fugabit mortem, si solus nominis eius sonus, licet aliud significans, reddit vitam! Similem notat in vmbrâ nominis IESV potentiam Iustinus Martyr quæst. 45. vbi ait: *Iesus Naue filius cùm pro iure suo soli & lunæ imperaturus esset, Iesus nominatus est, dum hoc nomen à creatâ naturâ præcepti obedientiâ honoratur.* Quàm tenuis sit vmbra, nominis IESV aut MARIÆ vocabulum, idem alteri loco proprij nominis assignatum intelligitur ex vi significandi nominum propriorum: ex quâ constat, æquiuocationem, quæ reperitur inter duo nomina propria eiusdem soni, diuersis personis accommodata, esse tantam, vt nequeat vlla intercedere analogia, quæ inter nomina vniuersalia facile reperitur. Ratio enim per nomen proprium significata, non potest vllâ ratione esse eadem cum ratione quam aliud nomen proprium significat; quamuis occasio, cur nomen proprium vni detur eiusdem soni, cum eo quod alteri datum est, sæpe possit esse vel eadem, vel hæc illius causa. Mirare ergo potentiam nominis MARIANI, quod non tantùm per se dat vitam, sed etiam per vmbram sui tenuissimam resuscitat mortuos. Vide quàm potenter conuersum sit nomen Heuæ, quæ dicebatur mater viuentium, in nomen MARIÆ; quæ non tantùm est mater viuentium, sed eius vel vmbra nominis est vita mortuorum. Duplicem mortem hereditate miserâ accepimus ab Heuâ. de quâ S. Bernardus in deprecatione ad Virginem MARIAM: *Vides hanc tunicam pelliceam qua nos circumdedit? tunica Heua parentis nostra est, quam ad nos olim misera illa transmisit, & supernestiuit carnem filiorum suorum sicut diploide confusione suâ: de manu quippe ipsius duplicis mali semen terra nostra suscepit, & concepit, & peperit nobis spinas & tribulos iniquitatis in animâ, calamitates in corpore, ac per hoc mortem vtrobique.* Hæc sunt primæ matris nostræ infelicia insignia; pro quibus mancipia & Sodales nostri accipiunt trabeam honoris & insignia vitæ. Viuificum nomen vel vmbra mortem fugat corpoream; & ipsum deuotè inuocatum desiccat venas omnes mortis, hoc est, passiones inordinatas, ex quibus fluit vtraque mors, corporis & animæ.

Epilogus ad omnia Deiparæ mancipia.

ABSOLVTO tandem Opere de Hierarchico Deiparæ dominio, têpus est, vt rursum me ad eos conuertam, quorum præcipuè causâ susceptus fuit hic scribendi labos; eos, inquam, quos tam benignis oculis respexit diuina bonitas, vt scientiam daret quâ cognoscerent, & voluntatem quâ profiterentur se esse Deiparæ mancipia: quibus denuò gratulor tantâ dignitate, quâ sola ita supra ceterorum mortalium sortem eueuntur, vt vix altitudinem tantam irretortis oculis intueri possint qui simili mancipatu non sunt initiati. Qui enim ignorant humilitatis abyssum, numquam capient veræ magnitudinis sublimitatem: illam autem nemo perfectè cognouit, qui numquam cum Virgine Deiparâ in illam profunditatem

tem descendit, cui immersa Angelo respondebat, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* nec quisquam eorum est qui descenderunt, qui non statim videnr ex eo, quod Deo præstare debet, obsequio Virginis Deiparæ resultare mancipatum; vtpote quæ fuerit ita à rerum omnium Conditore exaltata, vt videatur simili ferè ratione infinitati ipsius immersa, quâ nos nihileitati nostræ inhæremus. Hoc est, quemadmodum nos miseriam nostram contemplantes, licet res aliqua dici possit omne quod in nobis reperimus; quidquid tamen id est, res adeò parua atque exigua est, vt licet sit aliquid, tamen, propter exilitatem suam, pænè vocari possit nihil. ita dignitatem Virginis Deiparæ speculantes, licet omnia quæ in eâ reperiemus finita sint, propter limitatam creaturæ capacitatem; sunt tamen singula ita magna, & ita vicina diuinitati, vt cùm Mater Dei extiterit, pænè infinitum dici possit, quidquid in eâ veneramur. Ex quâ notitiâ resultat illa gratissima cælo; vtilissima nobis exercitatio, quâ conamur nos coram tantâ ac infinitati tam vicinâ maiestate demissiùs semper atque demissiùs humiliare, & quærere etiam, quis gradus inter mancipia sit abiectissimus; vt eò perfectiùs maiestatem istam exaltemus; quæ se humiliando ad ancillarum vilitatem, facultatem nobis attulit per gratiam Filij sui aspirandi ad gloriam filiorum Dei. Gratulor ergo, vti dicebam; Primò Sodalibus meis istam mancipiorum ex humilitate gloriam, quòd infimum in MARIÆ domo gradum occupantes, eo ipso digni habeantur qui ab illâ respiciantur, cuius aspectus certam adfert cum dignitate salutem. Deinde, quâ possum animi contentione adhortor singulos, vt, memores officij sui, diligenti curâ sæpiùs relegant, quod mancipijs Lib. 4. faciendum præscribitur, & Exercitia pietatis quæ Lib. 5. traduntur, sibi reddant familiaria: ac tandem, si quid toto Volumine repeterint, quod vel vtile fuit, vel gratum, vt, cùm ipsi apud communem omnium Dominam inuenerint gratiam, memores sint mancipiorum eius omnium indignissimi: quod cùm nihil in se reperiret, vnde tantæ Reginæ posset deferre obsequium, hæc exarauit, tum vt multos digniores ad famulatum eius alliceret; tum vt saltem ostenderet obsequendi voluntatem.

Luc. 1. v. 38.

Orationem Principum, & Professionem Fidei, quas Libro quarto haud memini inserere, hîc appono: alias item binas Orationes adiungo, quas omnibus & singulis non minùs gratas, quàm vtiles fore confido.

Oratio recitanda à PRINCIPIBVS *qui se* B MARIAE *Virgini manciparunt, præsertim dum ab hostibus premuntur.*

ABIICIENS omnia eâ, quæ mundus, quia ipse paruus est, magni facit, & gloriosa existimat, cum profundâ cordis humilitate, mancipij instar, prosterno me ad pedes tuos, Consolatrix afflictorum, & refugium eorum qui te reuerentur; eâ certâ nixus fiduciâ, nemini à te denegari auxilia & remedia, qui ea, quo par est cordis affectu, expostulauerit. Placuit Filio tuo, ô Domina mea, extendere manum suam in me, vt experiar aliquos iustissimæ iræ eius aculeos, fortè vt simul & semel puniat peccata mortalium: vtitur enim ille sæpè stultis Principum opinionibus (vnde bella, & cetera quæ bella secum trahunt mala) vt ea, quæ singuli peccatunt, vniuersi luant. Sed confitebor potiùs aduersum me iniquitates meas, Virgo sanctissima, neque negabo meis sceleribus imputandum esse, quòd ini-

qui insurrexerunt aduersum me, & dolores inferni circumdederunt animam meam. Ego conditionis humanæ immemor, leuaui me supra me, & semitas iustitiæ deserui: tu deduc me in viam rectam; & tantum apud Filium tuum, cuius in manibus sunt corda Regum terræ, efficias, vt ij redintegratâ amicitiâ in gratiam redeant, & sanctiùs pacem colant ad gloriam Maiestatis suæ, populique Christiani solatium. Constat mihi, nihil Matri denegandum à Filio: obsecro te igitur, vt, interpositis ipsiusmet Filij tui meritis, fortiter vrgeas hanc deprecationem meam. Non me abijciat, ne & tu repulsam passa videare: non despiciat opus manuum suarum: voluit enim me, quæ eius est bonitas, in hac rerum vniuersitate referre aliquam sui imaginem; quam si à præsenti vindicauerit iniuriâ, erubescent inimici mei, quòd suscitauerint eam quam patior persecutionem, & longè recedent operatores isti iniquitatis ab eo loco, quem non rectè tenent, sed fraude & dolo malo occuparunt. hoc vnicum habeo in hisce remedium, quòd tu, vti spero, non reijcies preces serui tui, te ardentissime per Passionem Filij tui deprecantis. Amen.

Professio Fidei.

O PRIMA & inconcussa Veritas, Deus meus, cuius in conspectu sto, ego te hîc & vbique præsentem, primùm eâ quâ possum animi & corporis demissione adoro; tum, quòd certus sum non fallere te magis quàm falli posse, motus reuerentiâ fidelissimæ ac veracissimæ auctoritatis tuæ, protestor credere me firmiter, & ore confiteri, semperque diuinâ tuâ aspirante gratiâ crediturum, & quoties honor tuus illud exiget confessurum, quidquid Sancta & Apostolica Romana Ecclesia credendum proponit, reiecturumque tamquam auctoritati tuæ contrarium quidquid illa damnauerit. Nominatim verò adhæreo Symbolo Apostolorum, & legitimorum Conciliorum definitionibus; nullatenus dubitans, cùm semper exaudiaris pro tuâ reuerentiâ, quin exaudita sit illa oratio tua, quâ pro sancto Petro orauisti, ne fides eius deficeret: quapropter eam semper in Ecclesiâ illâ, cui præfuerunt legitimi sancti Petri Successores, perseuerasse indubitanter affirmo; protestorque me eâ in Fide, atque in illâ Ecclesiâ mori velle, neque extra eam vllam omnino salutem sperare. O vtinam, sanctissima Trinitas, vnus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, hanc Fidem, quam nunc ore profiteor, liceat aliquando sanguine ipso contestari! O vtinam nemo vous in orbe terrarum existat, qui non agnoscat te Deum viuum, & quem misisti IESVM CHRISTVM! Doleo ex intimo corde, Deus meus, & vehementer contristor, etiamnum inueniri tam multos, qui Fidei huius expertes, quòd te non agnoscant, te sicuti decet non glorificant. Mitte, mitte Domine, operarios in vineam tuam, qui excolant deserta gentilitatis, & eradicent hæresewn spinas, vt fiat vnum ouile, & vnus Pastor. Auge Domine in orbe Fidem, vt confiteantur tibi populi omnes: auge eam in corde meo, vt confiteantur tibi omnia interiora mea: & ita firmiter auctoritati tuæ adhæream, vt nullis intentatis suppliciorum minis, nullis propositis voluptatum illecebris, possim ad tantam tibi faciendam iniuriam abduci, vt aliquid derogem auctoritati tuæ. antè contingat me, Domine, è vitâ decedere, quàm vt ita peccem in conspectu tuo contra te. O Virgo sanctissima, omnium creaturarum Domina, firmissima columna Fidei, quæ ceteris fugientibus & diffidentibus Apostolis, fortè sola lucernam hanc semper ardentem conseruasti; rogo te per eam Fidei constantiam, quâ morienti Filio tuo tamquam vero Deo credidisti, vt mihi humillimo mancipio tuo in eâ Fide constantiam impetrare digneris, quam tu numquam tibi eripi es passa. Fieri enim nullâ ratione potest, vt dignis ego tibi ministerijs queam famulari, nisi ante omnia firmum hoc animo positum sit fundamentum, vt credam quid-

quidquid de sanctissimâ & indiuiduâ Trinitate, de Christi Filij tui Deitate, de tuâ maternâ virginitate, deque ceteris Fidei mysterijs Ecclesia proponit: Rogo ergo te, pientissima Domina mea, vt, te animum meum roborante, numquam deficiat Fides mea, donec tuo patrocinio adiutus, perueniam vbi euacuetur quod ex parte est, neque ampliùs videam in speculo & ænigmate per Fidem, sed facie ad faciem per gloriam: quam mihi concedat Dominus IESVS Filius tuus, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat vnus Deus per omnia sæcula. Amen.

Oratio ex D. AVGVSTINO *in quotidianâ afflictione dicenda; efficacissima ad Deum iratum placandum, vt Regna, Principes, Prælatos, Prouincias, Communitates, vel priuatum quemque non puniat.*

Ex libro Medit. c. 38 & ex Oratione eiusdem morientis pro liberatione ciuitatis Hipponensis, obsessæ à Gothis.

MISERERE Domine, miserere pie; miserere nobis miserrimis peccatoribus, indigna agentibus, & digna patientibus; assiduè peccantibus, & tua flagella quotidie sustinentibus. Si pensamus malum quotidie quod fecimus, non est tantum quod patimur: grauius est quod commisimus, leuius est quod toleramus: peccati pœnam sentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus: in flagellis tuis infirmitas nostra vertitur, iniquitas non mutatur: mens ægra torquetur, & ceruix non flectitur: vita in dolore suspirat, & in opere non se emendat: si expectas, non corripimur; si vindicas, non duramus: confitemur in correptione quod egimus, obliuiscimur post visitationem quod fleuimus: si extenderis manum, facienda promittimus; si suspenderis gladium, promissa non facimus: si ferias, clamamus vt parcas; si peperceris, iterùm prouocamus vt ferias. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum: omnia iudicia tua iusta sunt & vera. Iustus & rectus tu es Domine Deus noster, & non est vlla iniquitas in te: non enim iniustè neque crudeliter affligis nos peccatores, omnipotens & misericors Domine: qui cùm non essemus, potenter fecisti nos; & cùm perditi fuissemus culpâ nostrâ, pietate & bonitate tuâ mirabiliter reparasti nos: Scimus, & certi sumus, quòd vita nostra non temerarijs motibus agitur; sed à te Domino Deo nostro disponitur & gubernatur: vnde tibi cura est de omnibus, præcipuè de seruis tuis, qui totam spem suam posuerunt in solâ misericordiâ tuâ. Habes Domine confitentes reos: nouimus quòd, nisi dimittas, rectè nos perimus: idcircò obsecramus & suppliciter rogamus, vt non facias nobis secundùm peccata nostra, quibus iram tuam meruimus; sed secundùm magnam misericordiam tuam, quæ superat etiam peccata totius mundi. Tu Domine qui exteriùs flagella irrogas, da semper interiùs indeficientem patientiam; ita vt laus tua non recedat de ore nostro. Miserere nostri Domine, miserere nostri; & adiuua nos, sicut tu nosti quòd nobis necesse est in corpore & in animâ. Scis omnia, potes omnia: qui viuis in sæcula. Amen.

Oratio ad Deum efficacissima pro impetrando diuino auxilio ad tractandum magni momenti negotium, ex sacris Litteris collecta.

DOMINE Deus meus, cui soli hoc nomen est, EGO SVM, QVI SVM: Domine Deus Creator meus, qui fecisti os hominis, & fabricatus es mutum & surdum, videntem & cæcum. Domine Deus, spiritus oris mei; qui optanti dedisti sensum, & inuocanti Spiritum sapientiæ: quâ qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei; propter eiusdem sapientiæ dona commendati. Domine Deus, qui ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: qui infirma mundi eligis, & ignobilia, & contemptibilia, & ea quæ non sunt, vt fortia quæque confundas, vt non glorietur in conspectu tuo omnis caro. Domine Deus, vita & resurrectio mea, qui Moysen misisti famulum tuum fidelissimum, virum qui non erat eloquens ab heri & nudiuster-

Exod. 3. *ibid. c. 4.* *Sap. 7.* *Psal. 8.* *1. Cor. 1.* *Ioan. 11.* *Exod. 4.*

diuſtertius, ſed tardioris potiùs & impeditioris linguæ: & fuiſti in ore eius, & docuiſti illum quid loqui deberet; & in manu eius dediſti virgam, per quam in Ægypto ſigna tuæ potentiæ oſtendens, populum tuum inde liberaret, & in terram bonam deduceret. Domine *Ierem. 1.* Deus, ſpes animæ meæ, qui vt Ieremiam puerum neſcientem loqui, ad omnia ad quæ mittere eum volueras, & ad vniuerſa quæ loqui mandaueras, idoneum faceres, miſiſti manum tuam, & tetigiſti os eius, & dediſti verba tua in ore eius, & poſuiſti eum in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum Regibus Iuda, Principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ. Domine, Domine Deus *Iſaia 6.* patrum meorum, qui labia Iſaiæ Prophetæ calculo mundaſti ignito; vt dignè ac competenter annuntiaret gloriam tuam. Domine, Domine, virtus *Eſther 5.* ſalutis meæ, qui afflictiſſimæ Reginæ, pro populo tuo ſolicitæ, tribuiſti ſermonem compoſitum in conſpectu leonis, cuius cor tranſtuliſti in odium immaniſſimi hoſtis, & illorum omnium qui conſentiebant ei. Domine, Domine, qui Apoſtolis tuis pollicitus es Spiritum *Marci 13.* ſanctum tuum, dicens: Cùm ſteteritis ante Reges & Præſides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini.

Pſal. 9. Ecce Domine, tu exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Ecce *Ierem. 1.* Domine, tu eligis me hodie, vt coram Regibus, Principibus, & populis terræ, pro Eccleſiâ tuâ, pro gente ſanctâ tuâ, pro populo acceptabili tuo, loquar *Pſal. 138.* quæcumque mandaueris mihi. Nimis Domine, nimis honoraſti non amicum, ſed inimicum tuum. Sed a, a, a, *Ierem. 1.* Domine, ecce neſcio loqui: ego ſum *3. Reg. 3.* puer paruulus, ignorans egreſſum & introitum meum: ego ſum pauper, & nu- *Apoc. 3.* dus, & cæcus, & miſer, & miſerabilis: ego ſum de minimâ tribu Iſrael, & cog- *1. Reg. 9.* natio mea nouiſſima inter omnes familias de tribu Beniamin. Sed ſi ita vis, voluntas mea ſuauiſſima, ſi ita vis Pa- *Iacobi 1.* ter luminum, apud quem nulla eſt obumbratio, da mihi ſedium tuarum aſſi- *Sap. 9.* ſtricem ſapientiam: emitte illam de ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret, quia ſeruus tuus ſum *Pſal. 115.* ego, & filius ancillæ tuæ. Da verba tua *Eſther 14.* in ore meo, mitte manum tuam, & tange os meum, vt verba mea placeant in conſpectu Principum. Da mihi prudentiam ſicut ſerpentis, & ſimplicitatem ſicut columbæ. Fac me in murum *Ierem. 1.* æneum, & in columnam ferream: eſto mecum, vt liberes me; &, ſi bellauerint aduerſum me, non præualeant hoſtes veritatis. Fac vt in medio magna- *Eccli. 39.* torum miniſtrare, in conſpectu Præſidum apparere, in terrâ alienigenarum gentium pertranſire, & bona & mala in hominibus valeam tentare. Si enim tu Dominus magnus volueris, ſpiritu intelligentiæ replere poteris puerum tuum, & ipſe tamquam imbres emittam eloquia ſapientiæ tuæ: in oratione etenim meâ confitebor tibi, & tu diriges conſilium meum & diſciplinam, & in abſconditis meis conſiliaberis. tu, inquam, Domine Deus meus, qui ſa- *Sap. 7.* pientiæ dux es, & ſapientium emendator; fortitudo mea, firmamentum *Pſal. 17.* meum, refugium meum, protector ſalutis meæ. Qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

INDEX

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

LIBRI PRIMI.

Ccccc

LIBRI SECVNDI.

CAP.

LIBRI TERTII.

LIBRI QVARTI.

De

LIBRI QVINTI.

CAP.

LIBRI SEXTI.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

INDEX

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ
QVÆ
IN HOC OPERE ALLEGANTVR,
ET VT PLVRIMVM EXPLICANTVR AVT ELVCIDANTVR.

Numerus paginam, a *priorem,* b *posteriorem paginæ columnam denotat.*

GENESIS.

EXODVS.

LEVITICVS.

NVMERI.

DEVTERONOMIVM.

IOSVE.

LIBER IVDICVM.

I. REGVM.

II. REGVM.

PROVERBIA.

ECCLESIASTES.

CANTICVM CANTICORVM.

Oleum

Pone

SAPIENTIA.

ECCLESIASTICVS.

ISAIAS.

IEREMIAS.

THRENI.

EZECHIEL.

DANIEL.

OSEAS.

IOEL.

Deus

ACTA APOSTOLORVM.

AD ROMANOS.

I. AD CORINTHIOS.

II. AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
HVIVS OPERIS HIERARCHICI:

In quo quæ ad Ecclesiastæ & Interpretis munus faciunt, continentur.

Eodem

Digni-

Doni.

G.

H.

Manci-

MARIA

Mem-

INDEX RERVM.

Nomina propria

Noua.

Nubes.

Numerus.

Nume-

INDEX RERVM.

Origi-

Quot

INDEX RERVM.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

BENE-

BENEVOLO LECTORI S. P.

VERSVS hi ab eruditissimis & mihi amicissimis viris, videlicet admodum Reuerendo Patre Magistro Ioanne Riuio, S. Theologiæ Doctore eximio, viro, præter profundissimam rerum diuinarum cognitionem, in Historiis aliisque mitioribus studiis versatissimo, Conuentus S. Patris nostri Leodij Priore dignissimo, & à Clarissimo & Consultissimo Domino Ioanne Deck-her Iurisperitissimo, & in hilarioribus politioribusque litteris eruditissimo, quia paulò seriùs fuerunt ad me transmissi; ideò, ne maximorum ingeniorum cedro digni labores omnino perirent, dignum putaui operæ pretium me facturum, si eos ad hunc calcem apponerem: aliàs erant, propter eminentem in vtroque eruditionem, aliasque causas quamplurimas, principem in fronte MARIANÆ huius nostræ HIERARCHIÆ locum meritò obtenturi. Quos vt gratos acceptosque habeas, nostrosque conatus æqui bonique consulas, vehementer te, & ex animo rogo. Vale.

IN

IN

HIERARCHIAM

MARIANAM

REVER^DI ADMODVM ET EXIMII
P. M. F. BARTHOLOMÆI DE LOS RIOS
S. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
SERENISSIMI PRINCIPIS
FERDINANDI AVSTRIACI
CONCIONATORIS, ETC.

DEO *secunda, cælici Magistratus*
Electa Princeps, fulgor aureus mundi,
Compendium beatitatis humanæ:
Quæ Patriarchas inter eminet Mater,
Inter Prophetas veritatis antistes:
Apostolorum quæ coronat examen,
Et Martyrum confirmat inclytum robur:
Confessionis quæ dat experimentum,
Et Virgines incedit inter Augusta:
Hac pulchrius aliquid esse possit, aut maius?
O! prouidum Te harumce buccinatorem,
Vir Magne, laudum: cuius enthei flumen
Et ingeni perampla vis repræsentat,
Quod eruditionis è penu tota
Haurire potuit anteacta Scriptorum
Caterua, quod nec potuit. Istud est sanè
Virtutis & doctrinæ Ἱερὸν *audire.*

P. M. F. Ioannes Riuius, S. Theologiæ Doctor,
& Conuentus S. P. Augustini Leodij Prior.

NOBIL. ET CLARISS. VIRI
IOANNIS WALHORN
DICTI
DECK-HER
FALCOBVRGI IC. BELGÆ.
CARMEN ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΝ
IN
HIERARCHIAM MARIANAM.

MAGNA *Dei Mater! magnum quæ casta Tonantem*
Concepit; Virgoq́; Parens Hominemq́; Deumq́;
Edidit optatum toties mortalibus ægris
In vitam. Quæ lingua tuas, calamoq́; diserto
Virtutes æquabit amor? cælestia dona
Nota docent. Subuecta super cælosq́; hominesq́;,
Angelicosq́; choros, terram miserata benignâ
Emollis in vota Deum prece, proxima Nati
In Matrem facili sceptro. Quid cetera dicam?
Omnia magna. Polo sunt hæc notissima. Tellus
Ista fide spectata pium sibi vertit in vsum.
Fecisset te, Virgo, Deam Romana vetustas:
Posthabitisq́; suis coluisset Græcia Diuis,
Ceu Themidem Iouis in solio; quæ iusta roganti
Danda monet: non iusta suâ, quam dextra minatur,
Falce metit; totiq́; pium commendat Olympo.
Aut ratus esse Bonam, redimicula longa Sacerdos
Fronte domi sumens, totoq́; monilia collo,
Placasset teneræ deuoto abdomine porcæ
Et magno cratere Deam: pulsisq́; profanis
Æde procul, multo strepuissent cornua bombo.

Homerus l.5.Odyss.

Cùm Laërtiadem Cadmeia viderat Ino
Infesto nantem pelago; succurrit in vndis,

Igna-

O

Ignaramq; metus mortisq; in pectora vittam
Proiicit. hacq; natat tutus, terramq; capeßit
Phæacum, Alcinoiq; domum monstrante superbam
Nausicaâ. Grates quas non exsoluit Vlysses
Leucotheæ? dignosq; Deæ meditatur honores?

Quæ caret exemplo MARIANA *in Virgine virtus,*
Nulla datur: miseriq; sciunt, quos terra fretumq;
Iactarunt, vittâque sacrâ pia pectora cinctos
Nunc statio tranquilla tenet. Valet omnia Mater,
Parte sui permista Deo, communeq; Nati
Cum Patre nomen habens Mater. Quis non stupet ista?
Magna cano: credenda cano. Quis tanta canenti
Crediderit? cui sancta patent penetralia cæli?
Bartholomæe tibi cælesti profiue Riuo
Nosse datum est. Genij sublatus in aëra pennis,
Lunaremq; globum supra, Solisq; meatum,
Et Paulina premens fixis vestigia plantis,
Ingrederis lætus nulli calcanda profano,
At sanctis sacrata animis, suspensaq; celsis
Atria fornicibus. Portis se pandit apertis
Regia, quam diuina locos diffusa per omnes
Maiestas pro sede tenet; Numenq; corusco
Testatur fulgore suo; mentesq; beatas
Luce beat, nimiisq; tuos perstringit ocellos
Mortales radiis. Visus deiectus in ima
Totus hebet. Sed adest Mater, te firmat, & infit:
Cerne Deum: trinumq; Deum, dum videris, vnum
Esse puta; trinoq; Deo mea viscera partem
Acceßisse. Parens vt Prolis fulgeo Sole,
Cerne: Choros Cherubinorum Seraphinaq; supra
Agmina sublimis, Nato Patriq; supremum
Partior imperium. miseris succurrere certo
Nosco modo. Non plura loquar: sed visa teneto:
Inq; meos, quæ certa vides, transscribe Sodales.
At mihi ne tribuas, debes quæ sola potenti
Et Patri, & Nato, magno Patris incremento.

o.

Dixerat : immensum MARIÆ *tibi gloria Matris*
Præbet opus ; redditq; tuum via lactea terris,
Inflammatq; animum MARIANIS *largiùs ausis.*
O magni Scriptoris opus, magnumq;, sacrumq;!
Dat paradoxa stylus : sed quæ tibi credere fas est.
Quid dicam, vir magne? tuis Seraphinius altâ
Et Cherubinus amor scriptis per sæcula voce
Accinet : & scombros, aut thus, MARIANA *potestas*
Pellet : odoratâ nam cedro es digna locutus.
Euge *meum*, & Bellè, *veri quod terminet vnus*
Finis, habes Doctor. Non hic est Ilias Atti
Ebria veratro. Cælo laus inclyta scripti
Fluxit, & Ausoniis plausum inuentura theatris.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, ne quis *De Hierarchiâ Marianâ Libros ſex, Auctore M. P. F. Bartholomæo de los Rios & Alarcon, Doctore Theologo Ordinis Erem. S. Auguſtini, & Sereniſſimi Principis Cardinalis Ferdinandi Concionatore*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra nouennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſos, in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur; vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, IV. Octobr. anno M. DC. XXXVII.

Signat.

I. Cools.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XLI.

